R. P. PATRITII
SPORER
THEOLOGIA MORALIS
CUM SUPPLEMENTIS,

ET NOVIS ADDITIONIBUS.

R. P. PATRITII
SPORER

Passaviensis, Ord. FF. Min. Recollect. Prov. Argent. SS. Theologiæ Lectoris Jubilati

THEOLOGIA MORALIS

SUPER

DECALOGUM

AD PRÆCEPTA SECUNDÆ TABULÆ,

TOMUS PRIMUS

Continens tres Partes, seu Tractatus,

I. *De Conscientia, Actu humano, & Peccato in genere,*
II. *De Fide, Spe, Charitate, Religione, & Peccatis oppositis,*
III. *De Juramentis, Votis, Observatione Festorum, & Jejuniorum, ac Obligatione Pietatis, & Observantiæ erga Majores: Charitate, & Misericordia erga Proximum.*

Cui accessere Supplementa

R. P. KILIANI KAZENBERGER,

Necnon Propositiones damnatæ ab ALEXANDRO VII. INNOCENTIO XI. ALEXANDRO VIII. & CLEMENTE XI.

VENETIIS, MDCCXXXI.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

SERIES
Capitum, & Sectionum, seu Materiarum.

PARS PRIMA.
CAPUT I.

De Conscientia. 1

SECTIO I. Conscientia quid, & quotuplex. 1
SECTIO II. De Conscientia recta, & erronea. 3
SECTIO III. De Conscientia probabili. 7
SECTIO IV. De Conscientia Dubia. 14
SECTIO V. De Conscientia scrupulosa. 25

CAPUT II.

De Actus Humani Natura, requisitis, & impeditivis. 26
SECTIO I. Principium actus humani, liberum arbitrium obiter tangitur. 27
SECTIO II. Ratio, seu cognitio requisita ad actum humanum. 28
SECTIO III. Voluntarium, ac liberum requisitum ad actum humanum. 29
SECTIO IV. Impedientia voluntarium, ac liberum, ideoque ipsum actum humanum. 32
SUBSECTIO I. De Involuntario ex Ignorantia. ibid.
SUBSECTIO II. De Involuntario ex Violentia. 34
SUBSECTIO III. De Involuntario ex Metu. 35
SUBSECTIO IV. De Involuntario ex Concupiscentia. 39

CAPUT III.

De Bonitate, & Malitia Actuum humanorum; eorumque comparatione, & regulis externis. 39
SECTIO I. De Bonitate, & Malitia Actuum humanorum in genere. 40
SECTIO II. Bonitas, & malitia moralis ex objecto. ibid.
SECTIO III. Bonitas, & malitia moralis ex fine. 41
SECTIO IV. Bonitas, & malitia moralis ex circumstantiis. 43
SECTIO V. De comparatione actuum humanorum: scilicet an detur actus indifferens in specie, & individuo: & an externus addat distinctam bonitatem, vel malitiam interno efficaci in ordine ad essentiale præmium, vel pœnam. 46
SECTIO VI. De Regulis actuum humanorum. 47
SUBSECTIO I. Quinam actus humani cadant sub lege, vel præcepto humano. ibid.
SUBSECTIO II. Qualiter actus interni cadant sub humana lege, vel præcepto. 48
SUBSECTIO III. Quali intentione actus humanus conformari debeat legibus, & præceptis; seu, Qualis intentio requiratur ad impletionem cujuscumque legis, vel præcepti. 50
SUBSECTIO IV. Qualiter voluntas humana conformanda sit cum voluntate divina. 52

CAPUT IV.

De peccati natura, distinctione, & divisionibus. 53
SECTIO I. Peccati definitio, ratio formalis, & malitia. ib.
SECTIO II. Peccatorum unitas, & distinctio specifica. 55
SECTIO III. Peccatorum unitas, & distinctio numerica. 56
SECTIO IV. Peccatorum divisiones variæ indicatæ. 58

CAPUT V.

De Peccato mortali, & veniali. 60
SECTIO I. Peccati mortalis, & venialis definitio, & differentiæ. 61
SECTIO II. Peccatum mortale ex genere suo fit veniale in individuo per accidens. 62
SECTIO III. Peccatum veniale ex genere suo etiam fit mortale in individuo. 70
SECTIO IV. An, & quomodo venialia multiplicata constituant peccatum mortale. 72

CAPUT VI.

De Subjecto peccati, & peccatis maxime internis. 76
SECTIO I. Peccata interna, & externa; seu Cordis, Oris, & Operis. ibid.
SECTIO II. Motus ad malum qualiter peccata. 77
SECTIO III. Proposita, & desideria mala, absoluta, & conditionata. 79
SECTIO IV. Delectatio morosa, rationalis, sensibilis, &c. 80
SUBSECTIO I. Delectatio speculativa de ipsa cogitatione rei malæ. 82
SUBSECTIO II. Delectatio de re materialiter tantum mala, ejusve desiderio. ibid.
SUBSECTIO III. Delectatio morosa conditionata de re mala cogitata. 83
SUBSECTIO IV. Delectatio morosa statibus applicata. 85

CAPUT VII.

De Causis peccatorum, & peccatis capitalibus. 86
SECTIO I. Peccatum ex ignorantia, infirmitate, malitia, remissive. ibid.
SECTIO II. Peccatum ex consuetudine. 87
SECTIO III. Peccatum ex contemptu. ibid.
SECTIO IV. Peccata capitalia strictim explicata. 88

PARS SECUNDA.
CAPUT I.

De Fidei Natura, & requisitis. 93

SECTIO I. Fidei divinæ definitio. 94
SECTIO II. Fidei divinæ objectum materiale, seu materia. 95
SECTIO III. Fidei divinæ objectum formale. 96
SECTIO IV. Fidei divinæ propositio, & resolutio. 97

CAPUT II.

De Fidei Divinæ necessitate, & obligatione, seu Præceptis. 98
SECTIO I. Qualiter Fides necessaria necessitate medii. ib.
SECTIO II. Primum Præceptum, & obligatio Fidei quoad scientiam credendorum. 100
SECTIO III. Secundum Præceptum, & obligatio Fidei quoad actum internum credendi. 101
SECTIO IV. Præceptum tertium, & quartum Fidei, quoad confessionem, & negationem Fidei externam. 103

CAPUT III.

De Infidelitate, & peccatis contra Fidem. 108
SECTIO I. Infidelitas generatim quid, & quotuplex. ibid.
SECTIO II. Hæresis materialis, formalis cum sua Excommunicatione, & pœnis. 109
SECTIO III. Communicatio Catholicorum cum hæreticis in crimine, Sacris, Matrimonio, politicis. 114
SECTIO IV. Librorum hæreticorum Lectio, Retentio. 116

CAPUT IV.

De Spe Theologica, & peccatis oppositis. 119
SECTIO I. Spei definitio, & actus. ibid.
SECTIO II. Spei Theologicæ necessitas, & obligatio. 121
SECTIO III. Peccatum desperationis. 122
SECTIO IV. De peccato præsumptionis. 123

CAPUT V.

De Charitate Theologica. Quatenus ipsum Deum potissimum respicit. 124

SECTIO I. Charitatis definitio, actus, objectum, excellentia. ibid.
SECTIO II. Charitatis Divinæ obligatio. 133
SECTIO III. Odium Dei. 136
SECTIO IV. Inordinatus amor creaturarum. 137

CAPUT VI.

De odio, & Inimicitia proximi. 138

SECTIO I. Quid, & quotuplex, & quantum peccatum odium proximi. ibid.
SECTIO II. Ad quid teneatur homo inimico suo. 140
SECTIO III. Modus, & Regulæ reconciliationis cum inimicis. 145
SECTIO IV. De reliquis peccatis contra Charitatem proximi, invidia, ira, discordia, contentione. 146

720269

CAPUT VII.

De Religione, & oratione generatim, ac Horis Canonicis remissive. 149
SECTIO I. Quid sit Religio, qui ejus actus. ibid.
SECTIO II. De Oratione generatim. 150
SECTIO III. Quis, quibus, pro quibus, & quid orandum. ibid.
SECTIO IV. Orationis efficacia, necessitas, & divisio. 152

CAPUT VIII.

De Adoratione, & cultu, Deo, Sanctis, & Rebus sacris debito. 153
SECTIO I. De Adoratione, & Cultu Deo debito. ibid.
SECTIO II. Latria, & Adoratio primo Præcepto mandata. 155
SECTIO III. De Cultu, & Invocatione Sanctorum. 156
SECTIO IV. Cultus sacrarum Imaginum, & Reliquiarum. 160

CAPUT IX.

De Irreligiositate secundum excessum, seu superstitione, contra primum Præceptum, ut negativum est. 164
SECTIO I. De Idololatria. ibid.
SECTIO II. Divinatio superstitiosa. 166
SECTIO III. Observatio vana superstitiosa. 169
SECTIO IV. Magia, Maleficium. 173

CAPUT X.

De Irreligiositate secundum defectum contra I. Præceptum ut affirmativum est. 176
SECTIO I. Cultus Divinus indebitus. ibid.
SECTIO II. Tentatio Dei. 177
SECTIO III. Blasphemia. 178
SECTIO IV. Sacrilegia. 181

PARS TERTIA.

CAPUT I.

De Juramentis, & Perjuriis. 187
SECTIO I. Juramentum quid, & quotuplex. ibid.
SECTIO II. Juramenti validi Conditiones, materia, & obligatio. 191
SECTIO III. Juramenti liciti Conditiones. 199
SECTIO IV. Perjuria, & Juramenta illicita. 205

CAPUT II.

De Voti Natura, Materia, Obligatione, & Transgressione. 210
SECTIO I. Voti Natura. ibid.
SECTIO II. Voti Materia. 214
SECTIO III. Voti Obligatio, & interpretatio. 221
SECTIO IV. Votorum Divisio, & Violatio. 228
SUBSECTIO. Voti Violatio. 231

CAPUT III.

De Votorum, & Juramentorum deobligatione. 232
SECTIO I. Votorum, ac Juramentorum Extinctio ibid.
SECTIO II. Votorum, ac Juramentorum Irritatio. 233
SECTIO III. Votorum, ac Juramentorum Dispensatio, ac Relaxatio. 238
SECTIO IV. Votorum, & Juramentorum Commutatio. 244

CAPUT IV.

De Observatione Festorum. 250
SECTIO I. Missæ audiendæ Obligatio 251
SECTIO II. Causæ excusantes ab auditione Sacri. 254
SECTIO III. Obligatio feriandi ab operibus servilibus. 255
SECTIO IV. Causæ excusantes a feriis. 257

APPENDIX.

De Observatione Jejuniorum. 258
SECTIO I. Quid, & quotuplex Jejunium. ibid.
SECTIO II. Qualiter licita sit Collatio cum refectiuncula vespertina, in quantitate, & qualitate ciborum. 262
SECTIO III. Quinam obligentur ad Jejunium Ecclesiasticum, & qualiter. 264
SECTIO IV. Quænam sint causæ excusantes a Jejunio. 266

CAPUT V.

De Obligatione Pietatis, & Observantiæ erga MAJORES. 268
SECTIO I. Pietas, & Obligatio Filiorum erga Parentes, & e contra. 269
SECTIO II. Pietas, & Obligatio Parentum erga Filios. 272
SECTIO III. Pietas, & Obligatio erga Majores, & Collaterales. 274
SECTIO IV. Observantia, & Obligatio erga Superiores, & e contra. 276

CAPUT VI.

De Obligatione Charitatis, & Misericordiæ erga Proximum. 277
SECTIO I. Obligatio Charitatis quoad actum internum amandi, & externum benefaciendi Proximo generatim. ibid.
SECTIO II. Obligatio Eleemosynæ corporalis. 280
SECTIO III. Obligatio Correctionis fraternæ. 285
SECTIO IV. De Ordine Charitatis. 288

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, & approbazione del P. F. Raimondo Asperti Inquisitore nel Libro intitolato, *P. F. Patritii Sporer Ordinis F. F. Min. Recollect. Prov. Argent. S. Theol. Lectoris Theologia Moralis Sacramentalis in IV. Partes divisa* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo Licenza a Nicolò Pezzana, che possi esser stampato, osservando gli Ordini in materia di Stampe, & presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, & di Padova.

Dat. 14. Aprile 1703.

(*Gio: Lando Kav. Proc. Ref.*

(*Sebastiano Foscarini Kav. Proc. Ref.*

(

Agostino Gadaldini Segr.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS DECALOGALIS

TRACTATUS SEU PARS I.

De Conſcientia, Actu humano, & Peccato in Genere.

CAPUT I.

DE CONSCIENTIA.

SECTIO I.

Conſcientia Quid, & Quotuplex.

SUMMARIUM.

1 *Quid intellectus, Ratio, & Lex naturalis.*
2 *Quid Synderesis.*
3 *Quid Scientia moralis.*
4 *Quid Prudentia, & Conſcientia.*
5 *Eſt Dictamen intellectus*
6 *Practicum, ſcilicet judicans aliquid agendum, vel fugiendum, &c.*
7 *Ex principiis communibus in particulari, ſeu hic, & nunc,*
8 *Eſſe, fuiſſe, vel fore, ſcilicet agendum, vel fugiendum.*
9 *Diviſio conſcientiæ eſt quinaria; in rectam, erroneam, probabilem, dubiam, ſcrupuloſam.*

INTRODUCTIO.

I. Intellectus, Ratio, Lex naturalis.

1 INtellectus eſt potentia ſpiritualis animæ cognoſcitiva entis, ſeu cujuſcumque rei, idque quomodolibet; ſpeculative, practice, immediate & ex terminis: mediate & per diſcurſum: naturaliter, vel ſupernaturaliter per revelationem. Lumen Naturale, ſeu Ratio Naturalis eſt ejuſdem intellectus virtus innata, qua naturalibus propriis viribus, ſeclula revelatione extrinſeca, potens eſt diſcernere verum a falſo, bonum a malo, adeoque adhuc late, quippe comprehendens omnia naturaliter cognoſcibilia, ſpeculativa, practica, principia per ſe nota, concluſiones inde deductas. Lex Naturalis deinde *habitualiter* ſumpta, eſt ipſum Lumen naturale intellectus, ſeu ratio naturalis partialiter, quatenus nimirum ſe extendit ad omnia & ſola agibilia, ſeu practica naturaliter cognoſcibilia, tum principia, tum concluſiones inde deductas, quorum cognitione diſcernit bonum a malo: hominemque dirigit ad bonum proſequendum, & malum fugiendum in ordine ad ſuum ultimum finem. *Actualiter* vero Lex naturalis eſt ipſum dictamen rectæ rationis practicum: & *ſtricte ſumpta*, continet ipſa prima principia practica nota ex terminis, & concluſiones inde neceſſario, evidenter, & immediate deductas quaſi quodam imperceptibili ſyllogiſmo: verbi gratia, ex illo principio *malum fugiendum:* ſtatim immediate, quaſi imperceptibili diſcurſu intelligis, blaſphemandum, vel mœchandum non eſſe: Qualia ſunt pleraque præcepta Decalogi. *Large* autem ſumpta Lex naturalis continet illa omnia, quæ ex illis primis principiis non ita immediate, & evidenter, ſed ſolum multum conſone, & conformiter deducuntur. Vide *Scotum in 3. d. 37. qu. unic. num. 6.* Lex ergo naturalis complectitur Synderesim, Conſcientiam, & Scientiam moralem ex parte.

II. Synderesis

2 EST *habitus cognoſcitivus, ſeu notitia primorum principiorum practicorum:* ſcilicet generatim dictans bonum agendum, & malum fugiendum, ſeu, ut alii loquuntur, *inclinans ad bonum, & obmurmurans malo.* Communis doctrina *Div. Thom. 1. 2. qu. 79. numer. 12. Scot. in 1. diſt. 39. §. ad quæſtionem.* Explico: quemadmodum in intellectu noſtro, reſpectu cognoſcibilium, eſt quidam habitus cognoſcitivus primorum principiorum ſpeculativorum, inclinans ad veritatem cognoſcendam, atque a falſitate diſcernendam, dictus eodem nomine *intellectus*, cui cognita ſunt ejuſmodi principia per ſe nota. *Quodlibet eſt, vel non eſt. Idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe. Omne totum eſt majus ſua parte. Quæcumque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, &c.* Ita in eodem intellectu, reſpectu agibilium, ſeu actuum humanorum, eſt quidam habitus cognoſcitivus primorum principiorum moralium, ſeu practicorum, generatim inclinans ad bonum agendum, & malum fugiendum; cui cognita ſunt ejuſmodi principia practica per ſe nota. *Bonum honeſtum amplectendum; malum peccati fugiendum eſt. Deus colendus. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Convenienter naturæ vivendum. Non plus iraſcendum, comedendum, &c. quam oportet.* Quæ & ſimilia principia practica ſunt univerſales, & per ſe notæ actionum humanarum regulæ, & quaſi *Semina virtutum Incommutabilia*, inquit S. Auguſt. *lib. 2. de libero arbitrio capit. 10.* Ille autem habitus ad ejuſmodi principia inclinans dicitur Græca voce *Synderesis*, Latine *Conſervatio*: quod ſcilicet ſuo dictamine naturam rationalem in bono conſervet alioquin naturali infirmitate facillime declinaturam in malum.

III. Scientia moralis.

3 EST *habitus cognoſcitivus, ſeu notitia concluſionum univerſalium ex primis illis principiis deductarum:* E. g. Principium generale practicum dictat: *Convenienter naturæ vivendum eſt.* Subſumit Ratio naturalis: *convenienter naturæ vivere, eſt vivere temperate;* non plus, minuſve ſumendo, quam ad naturæ ſuſtentationem ſatis, & neceſſe ſit, & concludit: Ergo *temperate vivendum eſt.* Item dictat Synderesis, *Malum fugiendum eſt.* Subſumit Ratio: *furtum eſt malum*, & concludit: Ergo *furandum non eſt* &c. Ecce notitia ejuſmodi concluſionum, & habitus ad eas inclinans dicitur *ſcientia moralis*; eſtque duplex, naturalis, & ſupernaturalis. Quod ſi enim Ratio ſubſumat, & concludat ex motivo naturali; v. g. *temperate vivendum eſt*, quia alioquin natura deſtruetur: *furtum malum eſt*, quia lædit jus alterius, & id nobis fieri nolumus; erit ſcientia moralis & naturalis, & philoſophica, dicta *Ethica*. Et definiri poteſt: *Habitus cognoſci-*

tivus conclusionem universalium practicarum ex principiis naturalibus, seu lumine naturæ notis. Quod si vero ratio subsumat, & concludat ex motivo supernaturali, seu revelato, v. g. temperate vivendum, non furandum esse, quia Deus ita præcipit, vel prohibet, erit scientia moralis supernaturalis, & theologica, dicta communiter *Theologica moralis*, & definiri solita: *Habitus cognoscitivus conclusionum universalium practicarum ex principiis supernaturalibus, seu revelatis*.

IV. Prudentia, & Conscientia.

4 PRudentia Aristoteli est *recta ratio agibilium*, seu *habitus cum recta ratione activus*; quo nimirum intellectus principia, & conclusiones universales practicas applicat ad actionem in particulari, atque juxta principia, & conclusiones, actiones in particulari dirigit ad suum debitum finem. Etenim neque ipsa principia prima practica, neque conclusiones universales practicæ de se sunt sufficientes ad dirigendas actiones in particulari propter earumdem diversissimas circumstantias, & ideo applicari debent in particulari per habitum Prudentiæ. Pergamus in exemplis datis. Ex illo principio: *Convenienter naturæ vivendum est*: scientia moralis universaliter concludit: *temperate vivendum est*. Quia autem actiones in particulari temperate vivendi habent diversissimas circumstantias: quod enim uni satis, alteri non satis, vel nimium est: ideo Prudentia consideratis omnibus applicat in particulari, verbi gratia, mihi in his circumstantiis ætatis, complexionis, valetudinis, occupationis, ad conservandam naturam tantum cibi, ac potus necesse est, & sufficit: Ergo *Tantum possum*, *& debeo sumere*. Ergo *tanto jam sumpto*, *cessandum*, &c. Similiter ex primo principio, *malum fugiendum est*, scientia moralis universaliter concludit: *furandum non est*. Quia autem actiones particulares auferendi diversas quoque habent circumstantias, in quibus modo potest esse furtum, modo non esse, ideo pensatis singulis Prudentia applicat, v. g. Hæc omnino res est alterius Domini, & quidem rationabiliter inviti, quod ei auferatur, vel detineatur: Ergo *hanc rem debeo non auferre*, *vel jam ablatam restituere*, &c. Notitia hujusmodi conclusionum singularium est actus Prudentiæ, atque est ipsissima *Conscientia*, saltem recta, & vera practice, ut mox videbis.

ASSERTIO I.

C*Onscientia est dictamen intellectus practicum ex principiis communibus judicans aliquid in particulari, seu* hic & nunc *agendum, ut bonum honestum, vel fugiendum, ut malum inhonestum, esse, fuisse, vel fore*. Ex communi doctrina, uti docebit sequens Explicatio.

§. I.

5 D*Ictamen intellectus*. Conscientiam, sicut & Synderesim, ad intellectum pertinere, contra Henricum, Durandum, & alios quosdam, utramque ad voluntatem deducentes, est communis, & receptissima doctrina *Div. Thomæ* 1. 2. *qu.* 79. *art.* 13. *Scoti* 2. *d.* 39. *q.* 2. Probatur I. Ex Scriptura, Eccles. 7. *Scit enim conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti aliis*. Gen. 43. ajunt fratres Joseph. *Non est in conscientia nostra, quis posuerit pecuniam in marsupiis nostris*. 2. Corinth. 1. *Hæc est gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ*. Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum*: Atqui *scire*, & *testari*, sine dubio ad intellectum pertinent: ergo II. Ex SS. Patribus Div. Basilius *Comment. in proverb. initio*. Conscientiam vocat *naturale Judicatorium*. S. Justinus *serm. de S. Mario*. Conscientiam, dicit, nihil aliud esse, quam *rationis Judicium*. D. Damascenus *lib.* 2. *de fide cap.* 12. Conscientiam vocat *Legem intellectus nostri*. D. Chrysost. *hom.* 17. *in Genes.* appellat *incorruptum Judicem*, &c. Atqui ea omnia ad intellectum spectant, non voluntatem, ergo. III. Ex Ethymologia: Conscientia enim dicitur, quasi *cum alio scientia*, sive Scientia conjuncta cum operatione, ut infra annotabimus: Scientia autem ad intellectum spectat: ergo IV. Ex ejus divisionibus in *veram*, *erroneam*, *dubiam*. Item ex actibus eidem attributis, nimirum *judicare*, *accusare*, *testari*, ac cæteris infra *num.* 8. enumerandis. Quæ omnia probant conscientiam & ad intellectum pertinere, & consistere in actu judicativo, ac perinde recte dici *Dictamen intellectus*.

§. II.

6 D*Ictamen* intellectus *practicum*, nimirum, *judicans aliquid agendum, ut bonum honestum, vel fugiendum, ut malum inhonestum*. Hic bene adverte, Lector. Dictamina intellectus, seu judicia practica, quæ nimirum versantur circa veritatem rei operabilis, vel ipsam operationem, alia dicuntur improprie, seu speculative practica; quæ scilicet versantur circa operabile, vel operationem in communi, abstracte a singularibus v. g. *Cuilibet jus suum reddendum*, *furtum esse malum*, &c. Et hæc si vera sint, ad synderesim, vel scientiam moralem spectant. Alia dictamina dicuntur proprie, seu practice practica, quæ scilicet versantur circa ipsam operationem in particulari, seu *hic & nunc* exercendam in suis circumstantiis v. g. *Mihi hodie jejunandum: hanc rem restituendam esse*, &c. Duplex autem formatur ordinarie, saltem in intellectu, dictamen practice practicum circa operationem in particulari. Unum secundum rationem superiorem, scilicet secundum rationem honestatis v. g. *hanc rem non auferendam esse, quia malum inhonestum est, contra rectam rationem, contra legem Dei* &c. Et hoc dictamen licet offensive semper sit practice practicum, non tamen semper efficaciter, ut nimis notum. Alterum dictamen formatur secundum rationem inferiorem, scilicet, secundum rationem alicujus boni utilis, vel delectabilis v. g. *hic, & nunc hanc rem auferendam esse, quia mihi valde utilis, vel jucunda est*. Et hoc dictamen practice practicum, heu nimis sæpe efficax est! In illo ergo priori dictamine honestatis consistit essentialiter conscientia, quippe quæ essentialiter debet esse regula directiva actionum humanarum honestarum ad finem scilicet rectum, seu honestum. Posterius dictamen utilitatis, seu voluptatis, non conscientia, sed anticonscientia, & actionum humanarum corruptela dici meretur.

Jam vides ergo nullum esse hoc argumentum adversariorum. Si conscientia consisteret in judicio practico intellectus, numquam contingeret operari contra conscientiam, cum omnis operatio moralis semper supponat aliquod judicium practicum dictans ita operandum esse. Quidquid sit de hoc; *sequela falsa est*. Non enim quodvis judicium practicum, sed illud dictamen honestatis tantum dicimus conscientiam, contra quod dictamen honestatis, nos sæpe operari nimis notum est, nimirum sequendo oppositum dictamen rationis interioris. Magis vitiosa hæc sequela esset. Si conscientia consisteret in judicio intellectus practico, sequeretur, quod plus sciens in moralibus, esset magis conscientiosus. Falsa sequela. *Conscientiosus* enim dicitur, non qui plus scit in moralibus, sed qui habituatus est, scientias morales ad operationem in particulari recte applicare, & conscientiæ suæ conformiter operari, quod sæpe non faciunt plus scientes in moralibus.

§. III.

E*X principiis communibus judicans aliquid in particulari, seu hic, & nunc agendum*. Conscientiæ ergo 7
dictamen discursivum est, nitens non quidem semper formali, sed sæpe virtuali, & implicito tantum discursu, seu syllogismo, cujus *majorem* ponit Synderesis: *minorem* subsumit Ratio: *conclusionem* universalem infert scientia moralis, particularem vero, seu *de hic, & nunc* Prudentia, & conscientia. Exemplo monstratum habes supra num. 3. & 4. de temperantia, & furto. Discendi causa applica etiam in adulterio. Synderesis ponit majorem. *Malum fugiendum est*. Subsumit Ratio: *Adulterium est malum*, ex motivo, seu naturali, seu supernaturali, *ut supra num.* 3. Jam concludit universaliter scientia moralis: *adulterium fugiendum est*: particulariter vero conscientia Prudentiæ actus: *ergo mihi hic cum hac non licet rem habere, non licuit* &c. Et hinc conscientia secundum Etymon dicitur ab aliquibus quasi *concludens scientia*: quod ex principiis communibus concludat in particulari, quid agendum, vel non agendum. A. Div. Thoma autem, & Scoto dicitur quasi *cum alio scientia*: quia scientiam practicam universalem applicat, vel conjungit cum actione in particulari. Item dicitur quasi *cum seipso scientia*, quod quis per eam sibi ipsi conscius sit recte, vel male factorum. Eleganter Sanctus Thomas *in* 2. *d.* 5. *qu.* 2. *art.* 4. *corp.* inquit. *Et inde dicitur conscientia, quasi cum alio Scientia: quia scientia universalis ad actum particularem applicatur: vel etiam, quia per eam aliquis sibi conscius est eorum, quæ fecit, vel facere intendit*. Hæc S. Doctor. Et hinc ulterius

§. IV.

J*Udicans aliquid agendum, vel fugiendum esse, fuisse, vel fore*. Conscientia enim dictans in particulari bonum agere, & malum fugere respicit illud bonum, & malum non 8
tantum, ut præsens, seu hic, & nunc *esse*, sed etiam ut præteritum, vel futurum, seu tunc, & ibi *fuisse*, vel *fore* quidpiam bonum, vel malum, licitum, vel illicitum. Atque hoc diverso respectu diversos illos exercet actus, quos ei attribuunt passim S. Litteræ, Patres, & Doctores. I. Conscientia, prout respicit bonum agendum in præsenti, hos exercet actus: *inclinat*, *approbat*, *confortat*. Similiter quatenus respicit

ſpicit malum in præſenti: *reprehendit*, *recalcitrat*, *obmurmurat*. II. Conſcientia prout reſpicit bonum in futuro, *conſulit*, *excitat*, *urget*. Similiter autem quatenus reſpicit malum in futuro, *retrahit*, *terret*, *ligat*. Unde conſcientia dicitur *lex ſcripta in cordibus*, *Magiſter*, *Pædagogus*, *Corrector*, *incorruptus Judex*. Origenes in c. 2. ad Rom. *Conſcientia ſpiritus corrector eſt, & Pædagogus animæ, ut de melioribus eam admoneat, & de culpis caſtiget, atque arguat*. D. Chryſoſt. hom. 54. in Geneſ. *Nullus prætendat, quod virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem viæ Ducem, & Demonſtratorem. Sufficientem enim habemus magiſtrum Conſcientiam; & fieri non poteſt, ut quis illo adjumento privetur*. III. Conſcientia quatenus reſpicit bonum in præterito: *complacet*, *teſtatur*, *lætatur*, 2. Cor. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. Prout vero reſpicit malum in præterito factum, *remordet*, *accuſat*, *convincit*, *condemnat*. Qui actus communiter dicitur *Vermis* conſcientiæ etiam in damnatis duraturus. Iſaiæ 66. *Vermis eorum non morietur*. Sap. 4. *Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates eorum*.

Et jam ergo elucere tibi debet definitio conſcientiæ, & differentia ab aliis principiis moralibus, & practicis. I. Differt maxime *lumine*, *ratione*, *lege naturali*. Hæc enim ſunt inſeparabilia ab intellectu, & uniformia in omni homine: Conſcientia vero eſt ſeparabilis, mutabilis, diverſa, non tantum in diverſis hominibus, ſed etiam in eodem homine pro diverſo tempore. II. Differt *a Syndereſi*. Quia hæc in genere dictat bonum proſequendum, malum fugiendum, neque ullam admittit ignorantiam, errorem, dubium, oblivionem; Conſcientia vero in particulari dictans hoc licere, vel non licere, maxime admittit ignorantiam, errorem, dubium &c. ut Sect. 2. conſtabit. III. Differt *a ſcientia morali*: quod hæc univerſales, conſcientia autem particulares concluſiones practicas inferat, ut oſtenſum eſt. IV. Differt aliqualiter a *Prudentia*. Quia hæc tanquam virtus moralis abſolute accipitur pro habitu, & ſemper eſt de veris, & bonis practicis; conſcientia autem præterquam quod poſſit etiam eſſe de falſis practicis, ac moraliter mala, ſeu culpabilis, ut videbitur, abſolute ſemper accipitur pro actu, & non pro habitu acquiſito. Conſcientia enim debet eſſe immediata regula actus humani, ſola autem conſcientia actualis, minime vero habitualis, eſt immediata regula actus humani: ut patet. Denique quamvis prædicta maxime differant a conſcientia, omnia tamen ad conſcientiam formandam neceſſario concurrere, vel ex dictis manifeſtum eſt. Unde nec mirum videri debet Sanctos Patres & Doctores tam varie appellare conſcientiam. Certe D. Hieronymus in caput 1. Ezechielis, conſcientiam etiam vocat *ſyndereſim*, *legem naturalem*, *ſcintillam rationis*, *quæ in Cain quoque peccatore non extinguitur*, *&c.* Accipiunt enim conſcientiam non præciſe, & formaliter, quatenus eſt immediata actionis humanæ Regula, ſed latius, vel cauſaliter pro præcipuis concurrentibus ad formandam conſcientiam in homine.

Conſcientiæ Diviſiones.

9 NOtiſſima, & congrua eſt Diviſio quinaria conſcientiæ in *Rectam*, *Erroneam*, *Probabilem*, *Dubiam*, *Scrupuloſam*. Ratio diviſionis eſt: Quia quinque potiſſimum modis contingit intellectum ex principiis communibus judicare, vel ſe habere circa actionem in particulari. Aut enim concludit ex principiis veris, & certis, & erit conſcientia *recta*: aut ex principiis falſis, creditis tamen pro veris, & certis, & erit conſcientia erronea: aut rationibus, ſeu fundamentis gravibus, & erit *probabilis*: aut intellectus nihil concludens, ſuſpenſus manet circa honeſtatem actionis, & erit conſcientia *dubia*: aut denique intellectus inani motivo titubans malum ſolum ſuſpicatur, & timet, eritque conſcientia *ſcrupuloſa*.

Altera neceſſaria eſt Diviſio Conſcientiæ in *obligantem*, *& conſulentem*, *& permittentem*. Conſcientia obligans, ſeu præcipiens, vel prohibens eſt, quæ dictat aliquid neceſſario eſſe agendum, vel omittendum ſub culpa, vel pœna: verbi gratia, *Hodie jejunandum*, *non furandum eſſe*. Conſcientia conſulens, ſeu ſuadens, & diſſuadens eſt, quæ dictat quid agendum, vel omittendum ſolum ad melius eſſe, ſeu ut magis conveniens ad honeſtatem, vel ſalutem: ut *Cœlibatum ſervandum &c.* Conſcientia permittens dicitur, quæ ſolum dictat aliquid hic, & nunc eſſe licitum: v. g. mihi hodie ob iter, vel labores licere ſolvere jejunium, &c. Conſcientia denique etiam dividi ſolet in bonam, & malam, & dupliciter intelligi poteſt. I. *Habitualiter*, in ordine ad actus præteritos, vel futuros. Sic enim bonæ conſcientiæ dicitur, qui ſibi conſcius eſt recte factorum, aut habituatus ad recte facienda; in contrario dicitur quis conſcientiæ malæ. II. *Actualiter*, conſcientia bona dicitur, quæ quoad fieri poteſt, ſecundum rectam rationem, & legem Dei formata, hominem ad bonum dirigit, & a malo revocat. Conſcientia mala vero dicitur, quæ vel culpabili ignorantia, vel malitia, malum ſub ratione boni proſequendum inculcat; quo ſpectat etiam conſcientia communiter dicta *perverſa*, *cauteriata*, *&c.* qualis ſolet eſſe Hæreticorum, malorum Juriſtarum, &c.

SECTIO II.

De Conſcientia Recta, & erronea.

SUMMARIUM.

10 *Conſcientiæ Rectæ, & Erroneæ definitio.*
11 *Quid dictamen verum ſpeculative, quid verum practice.*
12 *Ratio ad Syndereſim ſæpe diverſimode ſubſumit, & applicat,*
13 *Ex qua naſci ſolet conſcientia recta, vel erronea.*
14 *Conſcientiæ rectæ triplex gradus.*
15 *Non tantum recta, ſed & erronea invincibilis obligat.*
16 *Pro tempore, quo agendum dictat*
17 *Sub peccato pro ratione dictaminis, mortali, vel veniali,*
18 *Ac etiam erronea invincibilis actum bonum efficit.*
19 *Contra quod ſolvuntur objectiones.*
20 *Qualiter de malo erronee invincibiliter facto delectari liceat.*
21 *Conſcientia erronea vincibilis ad ſui ſequelam non obligat poſitive,*
22 *Bene autem negative ad non faciendum contrarium, quamdiu durat.*
23 *Et actum ſe ſequentem formaliter malum reddit.*
24 *Perplexitatem tamen, vel neceſſitatem peccandi non cauſat.*
25 *Subditus præceptum rectum Superioris, erronee illicitum putans, id obſervare debet.*
26 *Confeſſarius Pœnitentem circa eſſentiale aliquod erroneum ſub mortali monere tenetur,*
27 *Tam in materia contra ſe,*
28 *Quam in materia pro ſe, per ſe loquendo.*
29 *Præſertim quoad actus mere futuros, re adhuc integra.*
30 *Secus re non amplius integra: caſus difficilis.*

ASSERTIO II.

COnſcientia Recta *eſt, quæ ex principiis veris, & certis cognitis, & recte applicatis judicat in particulari aliquid agendum, vel fugiendum*: Erronea *vero, quæ ex principiis falſis, vel falſo applicatis, creditis tamen pro veris, judicat aliquid agendum, ut bonum, vel fugiendum, ut malum, cum revera non ſit*. *Hæcque duplex: Una* invincibilis, & inculpabilis, *cujus error morali ſtudio vinci, ſeu deponi non potuit; ideoque adhuc practice vera eſt: Altera* vincibilis, & culpabilis, *cujus error morali adhibita diligentia, deponi poſſet, ideoque etiam practice falſa eſt, & erronea*. Communis doctrina. *Explico*. 10

§. I.

JUdicia, ſeu dictamina intellectus poſſunt eſſe vera, vel falſa dupliciter: *ſpeculative*, *& practice*. Judicium verum ſpeculative dicitur, quod eſt conforme: falſum vero, quod eſt difforme ſuo objecto, quod nimirum ita enunciat, vel dictat agendum, ſicut revera res ſe habet, aut aliter, quam res ſe habeat, juxta tritum illud: *Ex eo, quod res eſt, vel non eſt, dicitur propoſitio vera, vel falſa*. Judicium verum practice eſt, quod eſt conforme rectæ rationi practicæ, formatum ſcilicet ex motivo rationabili, ac prudenti, juxta conditionem perſonæ operantis. Judicium vero falſum practice eſt, quod eſt difforme rectæ rationi practicæ, formatum ſcilicet ſine ſufficienti, ac rationabili motivo ſecundum conditionem operantis. Atque in judiciis practicis dirigentibus operationes humanas omnino ſufficit veritas practica; Neque enim divina bonitas, vel ratio patitur hominem obligari ad veritatem ſpeculativam circa actiones ſingulares, ob earum innumeras circumſtantias tam difficulter aſſequendam. Ideoque quoties intellectus adhibita debita diligentia ex aliquo rationabili motivo prudenter judicat quidpiam hic, & nunc in iis circumſtantiis, eſſe bonum, vel licitum, etſi revera non ita ſit, illud judicium, ſeu dictamen practice erit verum: e contra, cum ſine debita diligentia, & rationabili motivo imprudenter judicat, judicium practice erit falſum, eſto etiam res ipſa ita ſe haberet. Et hinc diſcernenda conſcientia erronea vincibilis, & invincibilis, ut mox intelliges amplius. 11

§. II.

IN conſcientia diſcurſive formanda, modo explicato *nu.* 4. & 7. *Syndereſis* quidem *majorem* ſemper ponit veram, utpote principium practicum univerſale, quod non poteſt eſſe falſum. At vero, quia ratio humana fallibilis principium 12

cipium illud aliquando quidem vere applicat, verum subsumendo, & concludendo, aliquando vero male applicat, falsum subsumendo, & concludendo, hinc nascitur conscientia recta, & erronea. Exemplo id intelliges. Synderesis rectissime dictat: *Quidquid Deus præcipit, hoc faciendum est*. Jam I. subsumit recte Ratio: *At Deus præcipit, parentes honorare, non furari: modo ergo hos meos parentes honorare, hanc rem non auferre debeo, &c.* Rectissima conscientia: quia Ratio principium recte applicat subsumendo, & concludendo. II. Subsumat Ratio. *Atqui Deus præcipit, diliges amicum tuum: Ergo amicos tantum diligere, hunc vero inimicum meum odio habere debeo*. Erronea est conscientia: quia Ratio verissimum principium male applicat, falsum subsumendo. III. Iterum subsumat Ratio. *Deus præcipit eleemosynas dare, maleficum occidere, Superiori obedire. Ergo cum non habeam, furari debeo, ut dem huic pauperi: hunc maleficum propria auctoritate mactare: jubente Superiore mentiri vel pejerare debeo*. Conscientia iterum est erronea. Quia ratio, etsi verum subsumat, tamen falso applicat nimirum extendendo in conclusione. Subsumpta enim vera sunt cum limitatione. DEUS præcipit eleemosynas dare, sed *de proprio*: maleficum occidere, sed *auctoritate publica*: Superiori obedire, sed *in licitis tantum*. Vides hic qualiter ex eodem vero principio, pro diversa applicatione, sequatur conscientia modo recta, & vera, modo erronea, & falsa. Sed adverte ulterius.

§. III.

13 Illa porro applicatio principii ad conclusionem practicam, I. potest aliquando esse vera & speculative, & practice, & tunc emergeret conscientia simpliciter *vera*, & *recta*. Talis fuit conscientia Jacob petentis ingredi ad sponsam suam Rachelem *Genes.* 29. veluti ratiocinantis. *Honestum, & justum est ingredi ad sponsam, & uxorem suam propriam*. Principium verissimum. Sed *Rachel hæc est uxor mea propria, desponsata septennali servitio jam absoluto*. Applicatio etiam verissima & speculative, quia conformis suo objecto, & practice, quia conformis rectæ rationi, fundata scilicet rationabili, & liquido motivo contractus legitime facti. Ergo rectissima conscientia infert Jacob; *Honestum, & justum est ingredi ad hanc*, dicens: *Da mihi Rachel uxorem meam, pro qua servivi tibi*. II. Applicatio illa potest esse speculative quidem falsa, practice tamen vera, & tunc similis sequetur conscientia, dicta *erronea invincibilis*. Talis fuit conscientia ejusdem Jacob *ibid.* ingredientis ad Liam loco Rachelis suppositam a socero Laban, ac ita forte ratiocinantis. *Justum est ingredi ad suam*. Principium verum. Atqui *hæc est mea uxor*: applicatio hæc, seu *minor*, etsi speculative falsa, quia difformis suo objecto, practice tamen vera fuit, quia ex sufficienti, & rationabili motivo sic judicavit, & secundum rectam rationem nec debuit, nec potuit judicare aliter. Non enim debebat, nec licite poterat sine causa de proximo suo, præsertim consanguineo, & socero Labano, judicare, vel suspicari malam fidem, & fraudem in re tam gravi. Ergo, licet speculative falsa, & erronea, practice tamen omnino vera conclusione, & conscientia, intulit Jacob: *Licet mihi ingredi ad hanc*. Et dicitur hæc conscientia erronea invincibilis, & inculpabilis: quia error ille speculativus, eo ipso, quia ex rationabili motivo processit, ut recta ratione aliter judicari non possit, vel debeat, censetur morali studio, non posse vinci, vel deponi, nec consequenter culpabilis. III. Denique applicatio illa potest esse etiam practice falsa, & nascetur conscientia erronea vincibilis, qualis potuisset esse conscientia Jacob ingrediens ad Liam, si a viro gravi, & fide digno de fraude præmonitus, aut ipse fraudulentiam soceri sæpius expertus fuisset, & tamen sine alia adhibita diligentia inquirendæ veritatis ad Liam intrasset. Esto enim verum principium: *Justum est ingredi ad suam*, at applicatio: *Hæc est mea*: falsa fuisset, non tantum speculative, quia difformis suo objecto, sed etiam practice, quia difformis rectæ rationi practicæ: quia sine sufficienti rationabili motivo ita judicasset, si habita probabili suspicione fraudis, aliam diligentiam cognoscendi veritatem non adhibuisset: Consequenter conscientia speculative, & practice falsa, & erronea ad Liam intrasset, & peccasset. Et dicitur talis conscientia *vincibilis, & culpabilis*: quia eo ipso, quo absque sufficienti motivo sine debita diligentia inquirendi veritatem, erratur, censetur error morali studio vinci, ac deponi potuisse, adeoque culpa non vacare in re, quam scire debemus: Ut si die jejunii dubitans de præcepto, absque alia inquisitione tibi persuadeas, *non esse jejunium, licere vesci carnibus*, &c. Conscientia erronea vincibilis, & culpabilis esset, nec excusaret a transgressionis peccato: ut infra audies. Jam utique capis definitiones datas conscientiæ *rectæ, & erroneæ, invincibilis, & vincibilis*.

§. IV.

Conscientiæ rectæ triplex velut gradus est, penes triplicis generis principia certa, & infallibilia practica, ex quibus procedere debet. Conscientia recta *primi gradus*, ac *naturalis* dicenda est, quæ formatur ex principiis legis naturalis: v. g. *mihi non esse furandum*. Quia, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Unde sicut ipsa lex naturalis, ita hæc inde evidenter deducta conscientia omnibus communis est, nec unquam extinguitur: juxta illud Apost. Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt. Qui ostendunt ejusmodi opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*. Conscientia recta *secundi gradus* est, quæ formatur ex principiis Legis divinæ positivæ per S. Scripturam, vel traditionem infallibilem propositis intellectui, quæ quidem sicut contingit ignorari, vel variis opinionibus involvi (unde tot hæreses, & opiniones etiam in rebus fidei, & morum) ideo conscientia inde deducta varia, & etiam erronea invincibilis esse potest. Conscientia recta *tertii gradus* est, quæ formatur ex legibus positivis humanis Ecclesiasticis, vel Politicis: quæ principia sicut eatenus solum infallibilia sunt, quatenus Legi divinæ conformia apparent, ita conscientia inde deducta eatenus tantum certitudinem trahit: ideoque multo magis exposita est errori. Conscientiæ denique erroneæ gradus, vel principia non possunt assignari, cum contingat infinitis modis errari. Causas lege apud S. Antonin. p. 1. Tit. 9. c. 12. P. Marchant. hic. Nunc vero utriusque conscientiæ obligatio explicanda venit. 14

ASSERTIO III.

Conscientia non tantum recta, sed etiam erronea invincibilis tempore, quo durat, & agendum dictat actu, vel virtute, obligat ad sui sequelam sub peccato, pro ratione dictaminis, mortali, vel veniali, actum vero conformatum honestum, seu moraliter bonum efficit. Hæc, quoad conscientiam rectam est omnium extra controversiam. Et quoad erroneam est communis DD. D. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. D. Bonav. in 2. d. 39. a. 1. q. 4. Azor. l. 2. c. 8. q. 3. Sanch. l. 1. Moral. c. 11. n. 1. Vasq. disp. 59. c. 2. qui cum aliis merito etiam censet esse de fide.

§. I.

Conscientia non tantum recta, sed etiam erronea invincibilis præcipiens, vel prohibens, *obligat ad sui sequelam sub peccato*. Id perspicue docet Apostolus Rom. 14. ubi cum docuisset in Lege Christiana nullum cibum esse *immundum*; nihilominus asserit, Judæos conversos, qui ex conscientia erronea putant, cibos Gentilium esse immundos, ac vetitos, vere peccare, si comedant, *Scio*, inquit, *& confido in Domino Jesu, quia nihil commune est per ipsum, nisi ei, qui existimat, quid commune esse, illi commune est*. Hoc est prophanum, immundum, &c. & paulo post: *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: Quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*. Hoc est: peccat, qui non agit secundum fidem, seu credulitatem, ac dictamen, licet erroneum, conscientiæ suæ. Similia habet 1. Corinth. 8. de Idolothytis. Unde *c. litteras. De restit. spoliat.* dicit Innocent. III. *Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam*, Lege D. Bernardum l. *de præcepto, & dispensatione*. Ratio manifesta est. Quia ipsum dictamen conscientiæ proponens voluntati aliquid, ut lege præceptum, vel prohibitum, bonum, vel malum, licitum, vel illicitum, est immediata, & intrinseca lex, & regula voluntatis in operando, seu actionum humanarum; atque adeo omnis lex præcipiens, vel prohibens aliquid, obligat sub peccato, præcise quatenus proponitur voluntati per dictamen intellectus saltem practice verum: ergo non tantum conscientia recta, sed etiam erronea invincibilis, practice vere dictans aliquid esse præceptum, vel prohibitum, &c. obligat voluntatem ad sui sequelam sub peccato, ut contrafaciens, v. g. erronee putans hodie esse diem festum, & Sacrum omittens, &c. vere peccet. 15

§. II.

Conscientia etiam erronea *obligat pro tempore, quo agendum dictat*. Nam sicut alia lex affirmativa, ita etiam conscientia recta, vel erronea præcipiens aliquid, obligat non pro semper, sed pro certo tempore, quo agendum dictat: ut, si Judæus conversus erronee credat, se debere filium circumcidere, obligabitur solum stata die octava, non alias. Et sicut alia lex negativa, ita etiam conscientia erronea prohibens aliquid obligat & semper, & pro semper: ut si quis credat, esse illicitum vesci porcina, tenebitur semper abstinere. Itaque *quamdiu durat, & dictat actu, vel virtute*. Quod si enim ea conscientia erronea, aut omnino depo- 16

sita

sita sit, & error correctus per oppositum rectum judicium; aut etiamsi habitualiter maneat, attamen hic, & nunc actu, vel virtute non dictet, sed quis plane immemor suæ prioris opinionis oppositum agat, utique prior conscientia erronea non amplius obligabit: neque actus contrarius poterit esse contra priorem conscientiam factus. Accedit, quod homo immemor prioris conscientiæ erroneæ operans ordinarie habebit judicium contrarium, nimirum aliquid non esse illicitum: cui actui tunc actionem conformare debebit, & nullo modo opinioni priori, cujus ne recordatur quidem.

§. III.

17 CONscientia omnis obligat sub peccato, *pro ratione dictaminis, mortali, vel veniali*. Ut si conscientia, seu vera, seu erronea dictet, aliquid esse præceptum, vel prohibitum sub mortali, transgressio voluntaria erit peccatum mortale: si sub veniali tantum, veniale. Sin autem de his dubitet, transgressio adhuc erit mortalis, juxta dicenda infra *c.* 4. *de Conscientia Dubia*. At hic difficultas est: quid si conscientia, seu recta, seu erronea generatim, confuse, & indistincte dictet, aliquid esse malum, seu peccatum; v. g. mentiri, jurare &c. nihil cogitando de mortali, vel veniali, gravi, vel levi culpa, & sic tamen operans quomodo peccabit, mortaliter, an venialiter tantum? Mortaliter peccare affirmant Doctores communius, Sanch. *l.* 1. *Moral. c.* 11. *num.* 16. Azor. Sayr. Regin. alii cum Bonacin. *disp.* 2. *de peccat. qu.* 4. *punct.* 6. Franciscus Bardi *discept.* 3. *de Consc. c.* 8. Eo quod talis adhuc censeatur se exponere periculo peccandi mortaliter, ideoque mortaliter peccet. *Deinde* quandocumque intellectus apprehendit, vel judicat practice aliquid esse malum, vel peccatum, semper ponitur in voluntate obligatio inquirendi, an malitia illa sit gravis, vel non: ergo si absque illo prævio examine operetur malum illud propositum, cujus gravitatem non agnoscit, imprudenter agit, & periculo graviter peccandi se exponens, hoc ipso peccat mortaliter. At contra talem venialiter tantum peccare sentiunt Navarr. *Man. prælud.* 9. Cajet. Lopez, Valent. alii apud Salas hic *tr.* 8. *disput. un. sect.* 3. qui probabile censet. Eo quod tota ratio mali, seu peccati, reperiatur etiam in peccato veniali: Ergo voluntas amplectens simpliciter malum, seu peccatum, ut sic, nulla cognita notabili gravitate, non debet censeri velle peccare graviter, sed leviter tantum. Neque censeri debet se exponere periculo peccandi mortaliter, quia, ut supponitur, nullum hic tale periculum agnoscitur. Utraque Sententia probabilis, imo vera est cum distinctione, ut bene resolvit Thom. Tambur. *l.* 1. *in Decal. c.* 3. §. 3. *num.* 32. Nimirum Doctiores quidem eo statu debere censeri peccare pro ratione materiæ mortaliter, ut, *si tali statu mentiantur cum juramento*; vel venialiter, ut, *si mentiantur simpliciter*. Hi enim agnoscunt obligationem illam inquirendi gravitatem mali operandi, atque adeo præsumuntur cognoscere saltem virtualiter, & consequenter velle objectum peccaminosum in ea gravitate, quæ revera est, adeoque peccare pro ratione materiæ gravis, vel levis, mortaliter, vel venialiter: At vero homines rudes, simplices, indoctos eo statu solum venialiter delinquere, probabilissimum est, cum enim ii distinguere nesciant, nec consequenter advertant obligationem inquirendi, utrum malum apprehensum mortale, vel grave sit; an vero veniale, & leve; censendi sunt velle solum rationem imperfectam, & abstractam malitiæ, qualis etiam reperitur in peccato veniali: ideoque solum peccare venialiter. Idque etiam posse contingere Doctioribus eo statu, quia gravitatem mali generatim propositi inculpate non advertunt, non dubito cum Tamb. *cit. n.* 32. *fine*. Quia etiam sapiens non semper sapit.

§. IV.

18 CONscientia non tantum recta, sed etiam erronea invincibilis *actum sibi conformem honestum, seu moraliter bonum efficit*. Communis DD. apud Franc. Bardi *De Consc. discept.* 3. *c.* 3. Ratio est, quia actus humanus sumit suam specificationem, adeoque honestatem, seu bonitatem, & malitiam moralem ab objecto, non secundum se, prout est a parte rei, sed ut proposito, seu repræsentato ab intellectu per dictamen rectæ rationis, si non speculative, saltem practice verum: cum enim voluntas potentia cœca non possit tendere in objectum, nisi ut propositum ab intellectu: intellectus autem noster pro hoc statu difficulter cognoscat singularia, præsertim practica, ob eorum diversissimas circumstantias, nec ratio, nec bonitas divina permittit voluntatem inhoneste operando dependere ab objectis prout sunt in se, sed prout rationabiliter proponuntur ab intellectu: atqui etiam conscientia erronea invincibilis practice vere proponit aliquid esse bonum honestum, v. grat. *mentiendum officiose pro servanda vita proximi, furandum ditiori, ut des egenti, &c.* ergo voluntas in sua operatione sequens conscientiam etiam erroneam invincibilem efficit actum honestum, seu bonum moraliter, illius nimirum virtutis, cujus esse rationabiliter putatur: adeoque tunc mentiri vel furari erit verus actus moralis misericordiæ, vel charitatis, & tunc etiam meritorius: sicut e contra, non sequens, vel contra faciens efficit actum peccaminosum contra illam virtutem. Ex dictis bene intellectis facile solves ea, quorum possunt fieri

OBJECTIONES.

I. MAlum non potest præcipi, vel obligare hominem: 19
sed id quod conscientia erronea dictat, v. g. *mentiri ad liberandum hominem &c.* est vere in re, & intrinsece malum: ergo illa conscientia non potest præcipere, vel obligare hominem. II. Sequeretur, hominem tunc a DEO obligari ad aliquid vere coram se, & intrinsece malum: consequens est absurdum, ergo. III. Præceptum Judicis inferioris non obligat contra præceptum Judicis superioris: sed conscientia est velut Judex inferior: DEUS autem lege sua recta dictans, est Judex superior: ergo conscientia erronea non potest obligare tali casu. IV. Si quis ex conscientia erronea judicaret amorem DEI super omnia esse illicitum, talis contra conscientiam suam agendo, & amando DEUM super omnia, utique non peccaret, cum amor DEI super omnia essentialiter excludat peccatum: ergo aliquando conscientia erronea non obligat. Resp. ad I. Distinguendo Maj. Malum formaliter ut malum, scilicet practice propositum voluntati in ratione mali, non potest præcipi, vel obligare hominem: concedo M. Malum materialiter tantum, quando formaliter practice proponitur voluntati sub ratione boni, non potest præcipi, vel obligare hominem: nego Majorem, & consequentiam. Ad II. Etiam distinguo sequelam M. Sequeretur hominem a DEO obligari ad malum per se, & quando proponitur ut malum: nego seq. M. Per accidens tantum ratione conscientiæ erroneæ invincibilis prudenter proponentis illud ut bonum: concedo seq. M. & nego absurditatem propter rationem paulo ante dictam *n.* 18. Ad III. Iterum distinguo Majorem. Præceptum Judicis inferioris non potest obligare contra præceptum superioris, quando constat præceptum contrarium Judicis superioris; concedo M. Quando præceptum contrarium superioris ignoratur, & idem cum præcepto inferioris invincibiliter putatur, ut in proposito: Nego M. & consequentiam. Ad IV. nego suppositum, posse nimirum per errorem invincibilem, quo homo judicet amorem DEI super omnia esse illicitum. Quid enim lumine naturæ evidentius, quam summum Bonum super omnia esse amandum? Et gratis admisso tali errore invincibili, dico, eo stante, hominem non posse amare DEUM super omnia propter ipsam rationem in objectione allegatam. Amaret enim DEUM super omnia, & non amaret, quia agit aliquid DEO displicens, seu illicitum.

Quæstio incidens.

Ergone licebit postea delectari de tali opere intrinsece malo: v. g. perjurio, homicidio, adulterio, *tamen ex conscientia erronea invincibili bene facto?*

CErtum est, licere, quamdiu durat conscientia erronea 20
invincibilis dictans fuisse bonum. At postquam, deposito errore, cognovisti, actum fuisse intrinsece malum, ita distinguendum est; De tali actu præterito, materialiter sumpto secundum se, prout in se est, & jam cognoscitur esse intrinsece malus, postea delectari, est peccatum mortale ejusdem speciei cum ipso actu, quemadmodum de pollutione in somnis inculpate habita secundum se delectari mortale est secundum omnes. Objectum enim simpliciter malum est. At vero de tali actu præterito formaliter, quatenus nimirum ita ex errore invincibili bene factus, & non cum cognita malitia male peractus est, postea delectari, non solum licitum, sed etiam sanctum est. Objectum enim honestum est. Perinde enim est, ac delectari, & sibi complacere, quod talis actu non peccaverit. Sed hæc infra ex professo disces *c.* 6. *de Peccatis*.

ASSERTIO IV.

C*Onscientia erronea vincibilis, non obligat* positive *ad sui sequelam, sed negative tantum ad non agendum contrarium, quamdiu durat*. Communis doctrina cum D. Thom. supra *q.* 16. *a.* 6.

§. I.

N*On obligat positive ad sui sequelam*. Ratio est: Quia 21
nulla potest esse obligatio ad malum formaliter: sed actus factus ex conscientia erronea vincibili, culpabili, culpabiliter dictante bonum, quod revera malum est, & ipse for-

formaliter malus est, & indirecte saltem voluntarius in sua causa, scilicet errore vincibili: Eo ipso enim, quo, cum potuisses, & debuisses vincere errorem inquirendo veritatem, culpabiliter neglexisti, sicut indirecte saltem voluisti ipsum errorem, ac voluntarie malum pro bono habuisti, ita operando censeris indirecte saltem voluisse ipsum malum voluntarie ignoratum: Ergo conscientia erronea vincibilis non potest obligare positive ad sui sequelam, quin potius actum sequentem formaliter malum efficit.

§. II.

22 OBligat negative ad non faciendum contrarium, quamdiu durat. Ratio est: Quia nunquam licet agere id, quod actu proponitur esse malum: Sed conscientia erronea etiam vincibilis, falso licet, dictans aliquid esse agendum, ut bonum debitum, verb. grat. *pejerandum ad liberandum hominem*: hoc ipso dictat ejus oppositum, utpote, *nolle pejerare ad liberandum hominem*, esse malum contra misericordiam, vel charitatem: Ergo conscientia erronea vincibilis, quamdiu durat, & dictat, obligat negative ad non faciendum oppositum: idque pro ratione dictaminis, ut supra *num.* 17. De conscientia erronea invincibili explicatum est.

§. III.

23 COnscientia ergo erronea vincibilis, & actum se sequentem, & actum contrarium formaliter malum efficit, ut sive agas secundum, sive contra conscientiam, semper pecces, ut in exemplo posito, sive pejeres, sive pejerare nolis, semper graviter peccabis. Si enim falsum jures, peccabis peccato perjurii, a quo te, saltem in toto, non excusat error vincibilis: Sin autem falso jurare nolis ad liberandum hominem, peccabis contra conscientiam actu dictantem non jurare esse malum contra misericordiam, vel charitatem. Et quidem, cæteris paribus, gravius peccatum erit agere contra, quam secundum conscientiam culpate erroneam. Quia, cæteris paribus, gravius peccatum est, quod fit ex scientia, quam quod fit ex ignorantia etiam culpabili, quæ, saltem non affectata, semper minuit voluntarium, & consequenter est peccatum: atqui illud, quod fit secundum conscientiam erroneam vincibilem, fit ex ignorantia actuali etsi culpabili: Quod vero fit contra illam, fit ex scientia, seu actuali dictamine, malum esse illud: Ergo hoc illo gravius est, *cæteris paribus*. Quia vero in casu singulari raro sunt cætera paria, ideo attendenda erit quantitas materiæ, & inde judicandum majus, vel minus peccatum: v. g. Si conscientia erronea dictat officiose mentiendum esse pro servanda vita hominis, gravius erit utique non mentiri, quam mentiri: si vero dictet etiam pejerandum esse, gravius erit falso jurare contra virtutem Religionis, quam nolle jurare solum contra misericordiam actu prætensam, sed falso, Sanch. *l.* 1. *mor. c.* 11. Vasq. Azor. alii multi apud Franc. *discept.* 3. *cap.* 5.

§. IV.

24 COnscientia tamen erronea vincibilis non causat perplexitatem, seu necessitatem peccandi, ut quidquid homo agat, vel omittat, necessario peccet, absolute, & simpliciter, sed solum secundum quid, & ex suppositione talis conscientiæ erroneæ, quamdiu durat: quam, quia potest, & debet deponere, ac corrigere, & agere secundum rectam rationem, si culpabiliter retineat, nil mirum, stante uno absurdo, sequi & alterum. At quid si homo non possit se expedire, sed perplexus manens invincibiliter in utramque partem, v. g. *mentiri, & non mentiri pro liberatione hominis: sacrificare non jejunum, & non sacrificare propter scandalum: Negligere Sacrum ob servitium infirmi, & non negligere &c.* putet esse peccatum? Respondetur, aut eligendum esse, quod minus apparet peccatum, aut si, nec hoc quidem dijudicare possit, sed utrumque æqualiter, & indistincte putet esse peccatum, eligat sive unum, sive alterum, non peccabit. Quia nemo necessitate peccat: necessario autem unam partem, v. g. aut mentiri, aut non mentiri eligere debet. Nec refert, quod ipse se judicet peccare: Quia peccatum non consequitur ad judicium intellectus, sed ad actum liberæ voluntatis: At in proposito deficit libertas sufficiens ad peccatum. Sanch. *cit. l.* 1. *mor. cap.* 11. *n.* 14. *alii communiter*.

Quæstio incidens.

Quid si Conscientia Erronea subditi putantis aliquid esse illicitum, concurrat cum præcepto Superioris idipsum recte præcipientis.

25 CErtum est, quando Conscientia subditi est erronea invincibilis, eam plus obligare, quam præceptum contrarium quantumvis rectum cujuscumque Superioris. Ratio patet. Quia subditus tunc sequendo suum dictamen inculpate quidem erroneum, sed practice, ut supponitur, omnino verum, non peccat, quia prudenter sequitur immediatam regulam actionum humanarum: & consequenter obediendo contrario præcepto Superioris peccabit, quia agit contra immediatam regulam actionis humanæ, scilicet dictamen rationis prudenter conceptum, quo solo mediante omnis lex, vel præceptum vim obligandi habet. Insuper, etiam quando conscientia subditi est erronea vincibilis, quamdiu actu durat, adhuc intensive plus obligat, quam præceptum Superioris contrarium: Quia adhuc est actualiter immediata regula actionis humanæ, sine qua, & contra quam durantem nulla lex obligare potest. At contra, extensive plus obligat præceptum Superioris: Quia conscientia erronea subditi solum obligat ad unum, scilicet non agendum contra: At præceptum Superioris contrarium obligat ad duo: scilicet & ad deponendam, ac corrigendam conscientiam erroneam culpabilem, & consequenter ab obediendum præcepto contrario Superioris, uti bene cum aliis explicant Sanchez & Bardi locis citatis. Quo sensu intelligendus D. Bonavent. *num.* 4. *d.* 39. *art.* 1. *quæst.* 3. absolute docens, amplius standum esse præcepto Prælati, quam propriæ conscientiæ. Intellige, si sit erronea, & vincibilis &c. ut explicatum est. Exempla hic consulto omitto, quia solent esse odiosa.

ASSERTIO V.

Incidentalis.

POenitentem Conscientia Erronea in re gravi laborantem per se semper tenetur informare, vel admonere Confessarius. Quod si tamen prævideat informationem, vel admonitionem obfuturam moraliter potius, quam profuturam, prudenter dissimulare potest, & debet. Communis doctrina apud Sanch. infra citandum.

Explicatio, & Regula.

I.

QUandocumque Pœnitens laborat conscientia quavis erronea circa aliquid requisitum ad validam absolutionem a peccatis, v. g. *si ignorantia, vel errore vincibili, vel invincibili putaret, non esse explicandas species, vel numerum peccatorum; non requiri aliquem dolorem supernaturalem de peccatis commissis, aut propositum emendandi, vel restituendi injuste ablata, &c.* Confessarius id advertens sub mortali tenetur eum instruere, vel admonere, secundum omnes. Quia Confessarius, quantum est de se, gravissime obligatur curare, ut valide, & licite administret Sacramentum. Eadem ratione quotiescumque Confessarius advertit, Pœnitentem laborare conscientia erronea, seu ignorantia vincibili, & culpabili in materia peccati mortalis, tenetur eum informare: Quia talis esset in malo statu, & incapax absolutionis. Communis cum Soto *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 4. 26

II.

POenitentem laborantem conscientia erronea, in materia peccati contra se, utpote putantem esse peccatum, quod non est: Aut esse peccatum mortale, quod solum est veniale, tenetur Confessarius informare de errore, adhibita tamen debita cautela, ne conscientias nimium laxet. Quia Confessarius, ut spiritualis Doctor, & Medicus, quantum est de se, tenetur Pœnitentem liberare a peccato: Sed qui putat se peccare, vel peccare mortaliter, cum re ipsa non ita sit, ratione tamen dictaminis erronei, revera ita peccat, juxta dicta *num.* 17. ergo &c. Sanch. *l.* 2. *de Matrim. disp.* 38. *num.* 4. *Communis*. 27

III.

POenitentem conscientia erronea invincibili laborantem in materia peccati pro se, putantem scilicet, aliquid esse licitum, quod non est; aut non esse peccatum, quod revera est, per se quidem semper tenetur informare Confessarius, etiam quoad actus præteritos injustos, invalidos &c. ob rationem *num. præcedenti* allatam. *Nisi prævideat admonitionem suam moraliter obfuturam potius, quam profuturam:* Seu gravius inde malum oriturum, de quocumque jure agatur. *Ita universaliter* Sanch. *lib.* 2. *disput.* 38. *num.* 6. *qu.* 10. *Ex. gr.* Advertit Confessarius, Petrum contraxisse Matrimonium invalidum, sive jure humano, ut cum Consanguinea prioris conjugis intra quartum gradum; sive jure divino, v. gr. priori conjuge nondum mortua &c. ex errore, vel ignorantia invincibili, & inculpata, durante etiamnum bona fide: Advertit autem nihilominus, si ipsum infor- 28

informet, tamen conjugem putatitiam non derelicturum, continuo peccaturum, aut ſi derelinquat, oritura graviſſima ſcandala, alia incommoda, ac difficultates præſertim circa proles jam ſuſceptas. Et quamvis etiam diſpenſatio impetrari poſſet, attamen, crede mihi, magna eſt difficultas, & periculum in renovando novo conſenſu: Quid ſi conjux nullitatem Matrimonii ſubodoratus denuo conſentire nollet, ut nonnullibi contigit? &c. Eo caſu & poteſt, & tenetur Confeſſarius prudenter diſſimulare, imo ſi opus ſit, etiam obligationem debiti docere. Sanch. *cit. num.* 8. Ratio eſt: Quia ex duobus malis minus eſt eligendum. Minus autem malum eſt fornicari materialiter tantum in bona fide, quam accepta informatione imprudenti, formaliter peccare continua perplexitate, aut alia graviora mala cauſare. At quid ſi Pœnitens conſcius ſit nullitatis Matrimonii, atque facile apprehendat, ſe debitum exigere non poſſe, invincibiliter tamen putet, ſe alteri exigenti debere reddere? Eadem ratione, meo quidem judicio a viris doctiſſimis firmato, tace, diſſimula, præſertim ſi fœmina ſit, quibus debitum negare valde difficile, & periculoſum eſt, donec interea impetrata diſpenſatione, eam de revalidando Matrimonii contractu inſtruas.

IV.

29 Pœnitentem ſimili conſcientia erronea invincibili laborantem quoad actus mere futuros, & re adhuc integra, Confeſſarius omnino tenetur informare de errore, etiamſi prævideret illum minime pariturum, ſed peccaturum. Accipe idem exemplum. Confeſſarius advertit, Petrum velle ducere uxorem conſanguineam in gradu dirimente, (idemque eſt de quovis alio actu, vel contractu illicito, aut iniquo mere futuro) qui tamen ex errore invincibili ita ſe poſſe putat: de facto tamen nondum duxit, & libere non ducere poteſt: teneris, Confeſſarie, informare, etſi credas non pariturum, ſed graviſſime peccaturum. *P. Marchant. hic ex communi.* Ratio eſt: Quia Confeſſarius, ut ſpiritualis Paſtor, Doctor, Medicus animarum, ex officio ſuo tenetur pœnitentem informare de erroribus conſcientiæ, niſi ſubſit rationabilis cauſa diſſimulandi: Atqui hic nulla ſubeſt rationabilis cauſa diſſimulandi, ſicut in caſu priori: Ille enim, qui ex errore invincibili jam contraxit Matrimonium, verbi gratia, eſt in poſſeſſione bonæ fidei, &, ſi informetur, conſtituitur in perplexitate, & periculo, aut peccatorum, aut ſcandalorum, vel aliorum incommodorum, ac difficultatum, a quibus ſe moraliter extricare nequit, uti ſupponimus: Qui autem nondum contraxit, abſolute liber eſt, extra anguſtias, & pericula præfata: Atque adeo, ſicut hic non habet cauſam non recedendi a ſuo errore, ita & Confeſſarius non habet cauſam diſſimulandi ſuum officium, ſeu non informandi eum de errore ſuo, & conſequenter ſecutorum peccatorum cauſa per ſe, nullo modo erit Confeſſarii informatio, ſed malitia libera Pœnitentis informati. At hic reſtat

Quæſtio difficilis.

Quid agendum in ſimili quoad actus futuros re non amplius integra.

30 Caſum ſingularem proponit Doctiſſimus ille Th. Sanchez *l.* 2. *de Matrim. diſp.* 40. *num.* 7. *Accedit mulier mane faſſura, & reperitur habens impedimentum dirimens, cujus detectio infamiam notabilem produceret, & ſunt omnia jam parata ad nuptias veſperi celebrandas, & tentatis omnibus mediis nulla evadendi via aperitur, ſed ſuſpicio vehemens orietur alicujus criminis detecti in confeſſione, ſi fœmina abſtinere velit a nuptiis, aut differre, dum Pontificia diſpenſatio obtinetur.* Hæc ille, ibi ſua auctoritate docens eo caſu urgentiſſimæ neceſſitatis Epiſcopum poſſe diſpenſare. At, ſi non pateat recurſus ad Epiſcopum, quid aget Confeſſarius? Si quidem videat Pœnitentem laborare errore, vel ignorantia invincibili, iterum taceat, diſſimulet, & bona potius fide, quam conſcientia conſternata, agere ſinat, *uti ex* Navarro *in c. Si quis autem de pœnit. d.* 7. *num.* 83. optime docet ſæpe laudatus Sanchez *cit. diſp.* 38. *num.* 6. *poſt medium.* At vero, quod ſi advertat, pœnitentem duci errore, vel ignorantia vincibili, rationabiliter dubitare, vel ſuſpicari de impedimento latente, & maxime, ſi etiam interroget, ac conſilium petat: *Ex communi doctrina:* 1. Veritas omnino aperienda. 2. Permittendum contrahere cum intentione faciendi quantum licet. 3. Simpliciter interdicenda conſummatio matrimonii tam reddendo, quam petendo. 4. Prætendendum privilegium primi bimeſtris: Interea vel Roma diſpenſatio procurari poterit. Sed certe, crede mihi, experientia docuit, hoc ultimum moderno tempore eſſe difficillimæ, & periculoſæ praxis. O quam inviſum, & ad audiendum grave eſt novis maritis privilegium iſtud! Imo pleriſque vix auditum. Quid ergo? Ecce: Eo caſu urgentiſſimæ neceſſitatis, Epiſcopum poſſe diſpenſare docuit Sanch. *ſupra* etiam ad contrahendum. Si ergo mora ſuppetat, ſurge, curre, recurre, adjuva ſororem tuam in tanto periculo trepidantem. Si mora deſit, induc, ut ex tempore voveat Deo ſervare virginitatem ſuam, aut primo triduo matrimonii, juxta monitum ab Archangelo Raphaele datum Tobiæ juniori; Aut ſi longiori mora opus, primis novem diebus, in honorem novem menſium, quibus Virgo Deipara Deo gravis fuit: Vel aliquid ſimile ſanctæ intentionis. Quidni conſenſum ſaltem permiſſivum a novo marito nova nupta facile eblandiatur? Utinam non ſæpe eblandirentur multa graviora, ſed iniquiora! Interea, impetrata diſpenſatione, ſuavis quoque modus eſſe poterit, renovandi conſenſum. Quod ſi tibi hæc in caſu aliquo non ſatisfaciant, conſule me doctiores. Sed interim ad exemplar, quod tibi in cauſa matrimoniali monſtratum eſt, diſce judicium ferre in aliis materiis, & caſibus conſimilibus.

SECTIO III.

De Conſcientia Probabili.

SUMMARIUM.

31 *Conſcientia probabilis ex principiis probabilibus.*
32 *Practice certo dictat, & tuto ſequenda,*
33 *Si tamen te ante operationem practice reſolvas.*
34 *Hinc ante operationem bene; ſed male poſt, inquiris opinionem tibi faventem.*
35 *Opinionem pro libito mutare non potes, niſi quando res manet integra.*
36 *Licitum eſt ſequi opinionem vere intrinſece probabilem.*
37 *Eſt vero illa intrinſece probabilis, quæ conformis eſt principiis legis.*
38 *Extrinſece tantum probabilem non licet ſequi.*
39 *Opinio communis cuilibet tuto ſequenda in praxi.*
40 *A communi opinione in praxi non eſt recedendum.*
41 *Quomodo auctoritas unius reddat opinionem probabilem præſumptive.*
42 *Dantur de eadem re duæ opiniones oppoſitæ probabiles, & practice veræ.*
43 *Ex quibus (quantum eſt de honeſtate actionis) quis etiam minus probabilem, & minus tutam ſequi poteſt.*
44 *Etiam contra propriam opinionem probabiliorem, & tutiorem viſam.*
45 *Et quandoque etiam debet,*
46 *Ut ſubditus obediendo Superiori, &*
47 *Confeſſarius ut Judex in judicio Sacramentali. Ac etiam*
48 *Confeſſarius ut Doctor in conſiliis dandis.*
49 *Aſſertionis limitatio:* Si aliunde nihil obſtet.
50 *Quando fas eſt ſequi probabilem in vita, etiam ſequi eam licet in articulo mortis. Sed contrarium tutius.*
51 *Quando non de ſola honeſtate, ſed etiam de valore actionis agitur, relicta probabiliori, non licet ſequi minus probabilem.*
52 *Aliæ dicuntur tantum probabiles ſpeculative, aliæ practice.*
53 *Miniſter Sacramentorum quoad eſſentialia tenetur ſequi tutiorem,*
54 *Alias peccat mortaliter, multipliciter.*
55 *Si tamen id fieri poſſit, & neceſſitas aliud non urgeat.*
56 *Sed intellige: Quoad* eſſentialia.
57 Miniſter *tantum tenetur, non vero* Pœnitens *v. g.*
58 *Medicus, & Chirurgus in applicandis medicinis ſub mortali, tenentur ſequi ſententias probabiliores.*
59 *Apud infirmum tamen deſperatum aliquando dubiam adhibere poſſunt.*
60 *Judex in cauſis civilibus decidendis tenetur ſequi probabiliorem.*
61 *Nec, quando cauſa utriuſque partis litigantis eſt æque probabilis, adjudicare poteſt, cui maluerit.*
62 *Conſiliarii Principis, vel Reipublicæ in dandis conſiliis probabiliorem ſequi tenentur.*
63 *Advocatus autem licite defendit cauſam minus probabilem.*
64 *Neque quoad hoc, eadem eſt ratio de Judice, & Advocato.*

ASSERTIO VI.

Conſcientia probabilis eſt, *quæ ex principiis, ſeu motivis probabilibus, ſeu veroſimilibus tantum practice certo dictat, aliquid licere, vel non licere.* Ex communi DD.

§. I.

Ex *principiis probabilibus, ſeu veroſimilibus tantum*, applicatis, ſcilicet per opinionem probabilem infra definiendam. Quemadmodum enim quando ſub principio Synderesis, ratio ſubſumit aliud principium certum, 31

vel

vel pro certo creditum, enaſcitur conſcientia recta, vel erronea, ita quando eadem Ratio aſſumit per opinionem probabilem principium incertum quidem cognitum, & cui forte falſum ſubeſſe poſſit, attamen certo veroſimile, ac probabile, enaſcitur conſcientia probabilis, ſeu opinativa, & ipſa quidem incerta ſpeculative, omnino tamen certa practice: Idque (ne mireris) hac ratione. Quia opinio applicans principium probabile ad inferendam concluſionem, non eſt ſolum judicium veritatis abſolutum, non enim abſolute dicit, aliquid eſſe verum, vel falſum: Sed involvit ſimul judicium probabilitatis per modum enumerationis modalis, dicens nimirum; *probabiliter* aliquid eſſe verum, *ſeu eſſe probabile*, quod quidpiam ita ſit, vel non ſit: Quamvis ergo dicta opinio ſimpliciter ſit incerta quoad judicium veritatis, ſeu an res ipſa ita ſit, vel non ſit, eſt tamen, & debet eſſe certa quoad judicium probabilitatis (ſaltem alicujus tandem) quod nimirum opinio probabiliter ſit vera; & res veroſimiliter ita ſit. Certum rurſus eſt, conſcientiam poſſe ſequi opinionem probabilem in praxi: Et hinc ſequitur conſcientia probabilis practice omnino certa. Patet in hoc diſcurſu: *Omnis contractus juſtus eſt licitus: Sed cenſus germanicus probabiliter eſt juſtus: ergo probabiliter eſt licitus.* Ubi minor, & concluſio opinativa, etſi incertæ quoad veritatem, certo tamen probabiles ſunt: Et quia rurſus certum eſt, conſcientiam poſſe ſequi opinionem probabilem, hinc ſequitur conſcientia practice certa: *Ergo & mihi & hic & nunc licet inire hunc contractum, exigendo annua quinque pro centum, ſalvo capitali.*

§. II.

32 PRactice certo dictat. Et vero conſcientia probabilis in praxi tuto ſequenda debet ſemper formari per modum judicii reſoluti, & practice certi, uti cum Navarr. Suar. Leſſio ex communi DD. notat Laym. *hic l.* 1. *c.* 5. §. 1. March. *Tribun. p.* 1. *tr.* 5. *tit.* 5. Ratio eſt: Quia conſcientia etiam probabilis debet eſſe regula actionis humanæ honeſtæ, atque operantem practice, & moraliter ſecurum reddere de honeſtate ſuæ actionis, quod ſcilicet ſic operando non peccet: Alioquin imprudenter ageret, & ſe periculo peccandi exponendo, reipſa peccaret: Atqui nullo modo poſſet eſſe regula actionis humanæ honeſtæ, aut operantem ita ſecurum reddere de honeſtate actionis ſuæ, niſi per modum judicii reſoluti, ac practice certi dictet hic, & nunc licere ſic operari, abſque practica formidine de oppoſito, *ne forte non liceat ſic operari hic, & nunc: Ne forte peccet &c.* Nam eo ipſo, quod quis ita practice formidat de oppoſito, cenſetur practice dubitare: cum conſcientia autem practice dubia nunquam licet operari: Ergo conſcientia probabilis debet eſſe judicium reſolutum, & practice certum: Quantumvis maneat incertum ſpeculative, & cum actuali etiam formidine, vel dubitatione ſpeculativa de oppoſito: *Ne forte res ita non ſe habeat, ne forte erret in judicio, v. g. ne forte cenſus germanicus revera ſit injuſtus: Ne forte res hæc ſit aliena. Ne forte hodie ſit indictum jejunium.* Si habeas probabilem opinionem, quod non, practice certo concludes, licere tibi *ſic contrahere, rem retinere, jejunium conſervare.* Atque hinc jam capere debes Conſcientiæ probabilis definitionem, & differentiam tum ab aliis conſcientiis, tum ab ipſa opinione, quæ definiri ſolet: *Aſſenſus rationis ad alteram partem contradictionis ex motivo probabili, ſeu veroſimili tantum.* Opinio enim ſpeculativa eſt, & univerſalis etiam in practicis; ideoque ſemper habet annexam formidinem de oppoſito: conſcientia autem opinativa ex opinione ducta practice, practica eſt, & practice certo, ſine formidine, dictat operari in particulari, uti explicatum eſt.

§. III.

33 EX dictis advertant graviter, qui de aliqua materia, vel operatione, v. g. attentione requiſita in Horis Canonicis &c. mente verſant diverſorum Auctorum opiniones; utpote aliquorum dicentium *ſub mortali requiri devotionem, & attentionem internam*: Aliorum, *externam tantum*; aliorum, *neutram, ſed ſufficere prolationem verborum*: interim ipſi ſe non reſolvunt practice, ſed manentes dubii, ac velut problematici, non curant, quid agant. Tales non habent conſcientiam ullam probabilem, cum non forment ſibi aſſenſum, vel judicium certum practice, quid agendum ſit: ſed ſolum habent notitiam opinionum in aliorum judicio quaſi ſpeculativam, cum qua, abſque alia reſolutione practica, ſane prudenter, & licite operari nequeunt: ideoque labuntur, & peccant. Quæ vero eſt vanitas illorum, qui poſt actum commiſſum, vel omiſſum, antequam vadant ad confeſſionem, revolvunt Auctores, ut inveniant ſibi faventem ſententiam, vel opinionem? Quaſi opinio ſubſequens poſſit juſtificare præcedentem actionem. Aut enim antea operati ſunt bona fide, & ex ignorantia, vel errore invincibili: Et ſic non peccarunt, nec confeſſione opus habent. Aut operati ſunt mala fide ex notitia, dubitatione practica, vel ignorantia vincibili, & culpabili mala, non adhibentes, ſcilicet debitam diligentiam, ut ſcirent, an actus ſit licitus, nec ne; & tunc certo peccarunt pro ratione notitiæ, dubii, vel ignorantiæ, ideoque abſolute confiteri debent. Nihil ergo opinio ſubſequens ad finem confeſſionis ſuffragari poterit. Si vero ad alium rectum finem inquirant, v. gr. ut dignoſcant obligationem reſtituendi &c. culpandi non ſunt: & hinc

§. IV.

ANte factum, quod ſi quis valde propenſus ad aliquem actum dubii juris, ſitne licitus, necne, data opera volvat, & inquirat varios Auctores, & opiniones, ut tandem inveniat ſibi faventem, ſiquidem bona fide procedat, ut inveniat ſententiam, vel opinionem ſibi faventem vere probabilem, & ratione, vel fundamento non levis momenti nixam; is inde conformata conſcientia tuto operabitur. Quia operans juxta probabilem ſententiam, non peccat. Sanch. *l.* 1. *Moral. c.* 9. aliiſque multis citatis Franc. Bardi. *Hic diſcept.* 4. *cap.* 19. Negari tamen non poteſt, modum iſtum procedendi eſſe valde periculoſum. Nam vehemens illa inclinatio ad unam partem ſæpe facit, ut non conſiderentur omnes circumſtantiæ ad rem pertinentes, nec debite ponderentur rationes in oppoſitum: affectu enim prædominante excæcatur judicium. Quod ſi porro talis procedat mala fide, ut modo inveniat aliquem Auctorem, vel opinionem ſibi faventem, ad colorandum factum ſuum, non curando, quo fundamento, vel ratione nitatur, is ex tali opinione neque conſcientiam practice certam formare, nec conſequenter licite, ac tuto operari poterit. Qua ratione veriſſima eſt ſententia negativa Navarri *Man. c.* 17. *num.* 83. *& aliorum.* 34

Quæſtio incidens.

An in formanda Conſcientia probabili, quis pro libitu poſſit variare, modo hanc, modo illam opinionem probabilem de eadem re ſequendo.

REſpondetur breviter: Id quidem licere, quando res manet integra, ut ex variatione opinionis nulla lex violata maneat: Non vero licere, quando res non manet integra, ſed ex variatione opinionis neceſſario aliqua lex violata manet. Exemplis hoc capies. Sint rationes utrinque probabiles, aliquod vectigal eſſe juſtum, & eſſe injuſtum. Poteſt Titius ſequendo opinionem probabilem, *eſſe injuſtum*, illud defraudare, maxime cum juvetur a poſſeſſione rei ſuæ: poſtea autem mutata opinione, *eſſe juſtum*, poſſet illud tributum emere, & ipſemet exigere. Quia adhuc manet ei integrum, & ſi demonſtretur tributum fuiſſe juſtum, ipſe antea defraudatum reſtituere poſſit. At contra, ſunt opiniones utrinque probabiles, voventem poſſe, & non poſſe propria auctoritate votum in aliud opus æquale commutare: Jam ſi Titius vovit jejunium in hac vigilia Beatæ Virginis, & ſequendo illam ſententiam, *quod poſſit*, commutaſſet in eleemoſynam æqualiter Deo gratam æſtimatam, ſicque jejunium omittat: non poterit poſtea ſequendo aliam ſententiam, *quod non potuerit ſic commutare*, etiam omittere eleemoſynam. Quia ſic votum nullo modo ſervabitur, ſaperetque fraudem, & illuſionem; Ita Bardi *cit. c.* 14. Latius, & aliter explicat Thomas Tamburin. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 3. §. 5. quem, ſi placet, vide. 35

ASSERTIO VII.

LIcitum eſt in conſcientia, & operatione, ſequi opinionem vere probabilem intrinſece, non item extrinſece tantum ex ſola auctoritate extrinſeca, abſque ulla ſaltem præſumpta probabilitate intrinſeca. Communis, & in his terminis certiſſima doctrina.

§. I.

LIcitum eſt ſequi opinionem vere probabilem intrinſece. In hoc conſentiunt omnes; & *Ratio eſt*: Quia quidquid recte, & prudenter creditur licitum, etiam licite fit: quandoquidem rectum, & prudens judicium ſequens nemo peccet: atqui *opinio vere probabilis* intrinſece, nixa ſcilicet motivo rationabili, etſi incerto ſpeculative, recte, & prudenter judicat aliquid eſſe licitum: & conſcientia inde formata eſt verus actus prudentiæ; etſi enim una cum ſuo motivo maneat incerta ſpeculative, eſt tamen certa practice: ut *ſupra num.* 31. *&* 32. explicatum eſt: Neque vero ad virtutem prudentiæ requiritur, ut in regulando ſemper ſit vera, & certa ſpeculative ex parte objecti, cum in rebus pleriſque moralibus ob innumeras circumſtantias particulares vix unquam 36

quam possit haberi veritas, & certitudo speculativa: sed sufficit, quod sit vera, & certa practice ex parte motivi rationabilis, ac probabilis: alioquin vix unquam haberemus quietam conscientiam; Ergo *licitum est in conscientia, & operatione sequi opinionem vere probabilem intrinsece saltem*. Nosti jam opinionem probabilem vulgo dici illam, *quæ nititur ratione alicujus momenti*, & sic vocatur probabilis intrinsece; *vel auctoritate gravi*, & sic vocatur probabilis extrinsece. Jam vero prætermissis variorum de varia intrinseca probabilitate opinionis opinionibus, ex mente P. Marchant. *supra citati* sic accipe:

37 Opinio vere probabilis intrinsece est, *quæ principiis legis divinæ naturalis, ac positivæ, atque in his fundatis justis legibus humanis conformis est, vel non repugnat*. Ratio est. Quia omnis opinio practica, ad hoc, ut censeatur probabilis practice in ordine ad operandum, necessario debet apparere conformis, vel saltem non dissona regulæ, ac mensuræ actionum humanarum, ut patet ex terminis: atqui omnis, & sola mensura, ac regula extrinseca actionum humanarum est lex divina naturalis, ac positiva, atque in his fundatæ justæ leges humanæ, Ecclesiasticæ, Politicæ: ergo omnis, & sola his conformis, vel non repugnans opinio censeri debet vere, intrinsece, ac practice probabilis, eoque probabilior, quo magis conformis, & minus dissona: minus vero probabilis, quo minus conformis, magisque dissona: omnino autem improbabilis, si omnino dissona appareat, vel repugnans dictis legibus. Opinionis ergo vere probabilis conditiones, & signa potissima sunt: si sit *conformis, vel non dissona*. 1. Juri divino innato, scripto, tradito, ob rationem datam. 2. Sacræ Scripturæ. Nam, *quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Et omnis Scriptura legem divinam aut significat, aut declarat, aut exemplis demonstrat. 3. Actionibus Christi humanis ordinariis. Quia ipse est via, veritas, & vita. 4. Sensui Ecclesiæ, & Conciliorum. Ipsa enim *est Columna veritatis*. 5. Doctrinæ SS. Patrum; *Qui sicut splendor firmamenti ad justitiam erudiunt multos*. 6. Doctrinæ Theologorum in Ecclesia communiter auctoritatem sortitæ.

§. II.

38 *Non licet sequi opinionem extrinsece tantum probabilem*, &c. Hoc volumus dicere, Auctoritas quorumlibet Doctorum se sola formaliter non fundat opinionem probabilem practice, sed solum, vel concomitanter, vel præsumptive, Navar. *Man. c.* 27. *n.* 289. Azorius *tom.* 1. *l.*2. *c.* 16. Arriaga *de Act. Hum. disp.* 24. *sect.* 3. Caspens. *de Conc. disp.* 3. *sect.* 1. Marchant. *cit. tit.* 5. *qu.* 4. Bardi *cit. cap.* 2. *alii communiter*. Sumi potest ex utroque jure. *cap. Nicæna synodus d.* 32. Sententia Paphnutii præponitur sententiæ plurimorum in eodem Concilio intervenientium. Et *l. penult. C. de veteri jure enucleando*, inquit Justinianus: *Sed neque ex multitudine Auctorum, quod melius, & æquius est, judicatote: cum possit unius forsan, & deterioris sententia multos, & majores aliqua in parte superare*. Hæc ibi Imp. Et sane experientia constat, multos alioquin doctos alicui opinioni subscribere, non alio ductos motivo, nisi quia alii sic senserunt: unde tot opiniones olim a Sapientibus etiam receptæ, postea, rationibus ponderatis, judicatæ sunt improbabiles, ac etiam falsæ. Ergo &c. *Ratio a priori, & fundamentalis est*. Quia nulla opinio potest censeri vere, & practice probabilis, nisi appareat conformis, vel non repugnans rectæ rationi, vel legi, præsertim divinæ: sed ex sola auctoritate Doctorum quorumlibet formaliter non apparet conformitas ulla opinionis ad rectam rationem, vel legem, nisi hæc aliunde sciatur, vel supponatur: ergo sola auctoritas quorumlibet Doctorum non fundat opinionem practice probabilem *formaliter:* sed solum, vel *concomitanter* simul cum rationibus ab ipsis allatis, quas quis examinavit, atque probabiles, seu rationi rectæ, vel legi conformes esse judicavit; auctoritas enim Doctorum adjuncta rationi multam habet energiam ad firmandam opinionem, & conscientiam probabilem: vel *præsumptive;* quia, cum de veritate, vel falsitate non constat, ipsa auctoritas Doctorum facit præsumptionem pro probabilitate: quia præsumere debemus tot graves Auctores non esse hallucinatos, sed rationes melius penetrasse, quam nos capiamus. Atque hac ratione, *præsumptive* nimirum, Aristoteles definivit 1. Top. 1. *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his, vel omnibus, vel pluribus, vel spectatissimis*,

§. III. *Opinio communis cuilibet tuto sequenda in praxi*.

39 Verum est. Quia auctoritas multorum Doctorum reddit opinionem probabilem, ideoque tuto sequendam in praxi, præsumptive, ut jam explicatum est. Unde neque ordinarie tenetur quivis sequens opinionem Sapientum per se examinare opinionis rationes, sed sufficit præsumere illos non levi fundamento, & ratione niti. Dico *ordinarie*. Nam si viro docto occurrat aliqua ratio in contrarium, quam advertit cognitam, vel examinatam non fuisse ab aliis Doctoribus, non poterit prudenter statim sequi illorum opinionem in operatione, sed veritas ulterius inquirenda erit, conferendo rationem suam cum rationibus aliorum, aut ipsis Doctoribus, ut ex communi notat Bardi *cit. discept.* 3. *c.* 2. Cæterum *opinio communis* tuto in praxi sequenda censeri debet, non quæ a pluribus solo numero, sed quæ a probatioribus numero competenti, arbitrio boni viri, ex professo defenditur. Ut si sex, vel septem Doctores graves aliquam opinionem ex instituto doceant. Navarr. *cit. c.* 27. *num.* 289. Sanchez *l.* 1. *Moral. c.* 9. alii apud Bardi *cit. c.*3. Imo quinque sufficere, ait Filliucius *Tractatione* 21. *c.*14. *num.*14. Unde quando duæ oppositæ opiniones a probatis, & classicis Auctoribus defenduntur numero competenti, ita ut qualibet habeat sex, vel septem Patronos graves, tunc utraque opinio recte dicetur *communis*, ut notant DD. *citati*. Sic contingit *de censu germanico licito, vel illicito: de attentione in Horis: de circumstantiis aggravantibus tantum confitendis, vel non confitendis, & similibus*. Poterit ergo aliquis, cui non occurrit efficax ratio in oppositum, utramlibet tuto sequi. Denique pauciores quinque, vel quatuor (præsertim unus, aut alter tantum) contra communem aliorum sententiam, per se loquendo, & ratione solius auctoritatis suæ, non reddunt opinionem probabilem *præsumptive*. Quia leve censeri debet fundamentum authoritas unius, vel alterius, quando communis aliorum consensus est in contrarium. Ex communi Laym. hic *c.* 5. §. 2. *num.* 6. Dico autem *per se*, aliter mox intelliges.

§. IV. *A communi opinione in praxi non est recedendum*.

Verum est, *cæteris paribus*, quando quis solam auctoritatem Doctorum pro motivo præsumptive opinandi habet, & aliunde non est motivum, vel ratio recedendi. Idque ordinarie consultum, non tamen necessarium est. 40
Etenim vir doctus licite potest recedere a communi aliorum sententia, inspectis, & diligenter consideratis, ac solutis ejus fundamentis, & amplecti opinionem singularem, quæ sibi non levi motivo probabilis videtur. Alioquin non licuisset Recentioribus toties recedere ab opinionibus communibus Antiquorum. Ut contra Angelum, Sylvest. & alios docent Sanchez *cit. cap.* 9. *num.* 4. Vasq. *disput.* 66. *c.* 4. Azor. *to.* 1. *l.* 2. *c.* 17. *q.* 6. Laym. *cit. num.* 6. Nec obstat, quod opposita sententia communis Doctorum censeatur, & sit probabilior, quia inter oppositas opiniones probabiles etiam minus probabilem tuto sequi possumus, ut *assert.* seq. videbitur. Quinimo, si Doctor gravis etiam unicus, rationes, & argumenta communis opinionis sufficienter diluat, ac insuper novas rationes, decreta, aliave motiva ab aliis Doctoribus non animadversa afferat, tunc omnino reddet opinionem suam singularem probabilem quibusvis, & tuto sequendam in praxi. Uti notat *Vasq.* & concedit noster *P. Marchant.* locis citatis. Et hinc explicanda venit

Quæstio incidens.

Qualiter Auctoritas unius Auctoris reddat opinionem probabilem præsumptive.

Respondetur. Auctoritas unius Doctoris, qui noscitur vere doctus, & excellens in arte sua, gravis, & 41
maturus, probus, & timoratus, si rem ex professo tractet, firmamque rationem afferat, nec appareat contra ipsum aliquid convincens, etiamsi doceat contra communem sententiam, & innumeros alios, reddit opinionem suam singularem probabilem simpliciter, ut etiam vir doctus tuto sequi possit, quamdiu non apparet aliquid convincens in oppositum: indoctus vero, & simplex licite sequitur opinionem singularem unius periti, & probi Doctoris, quamvis alios communiter oppositum tenere, nec rationes in oppositum solvere sciat. Quia nimirum auctoritas viri docti, & probi est sufficiens motivum homini illitterato, & simplici ad formandum prudens judicium: præsumere enim potest, Auctorem illum esse ejusmodi doctrinæ, qui rationes utrinque melius penetrarit, quam ipse possit; & ejus probitatis, qui non temere, & sine ratione opiniones effutiat: maxime, si sit Superior, Confessarius, Præceptor, quem scio debere mei curam gerere. Semper enim discipulus, licite, & tuto sequitur opinionem sui Magistri in scholis traditam, quem peritum, & timoratum virum judicat. Quin etiam in casu, quo quis in re quapiam non potest investigare veritatem, & tamen necessario ad operandum resolvere se debet in alterutram partem, poterit in praxi secure sequi opinionem illam, quam meminit, se in aliquo probato, & classico Auctore legisse, vel a viro docto, & probo audivisse, modo non constet evidenter esse falsam vel improbabilem. Uti notant Suar. *hic tom.* 5. *disp.* 40. *sect.* 5. Sanch. Vasq. Azor. Laym. *supra allegati*.

ASSERTIO VIII.

Inter opiniones diversas, & oppositas de eadem re, quarum quælibet est vere probabilis, per se loquendo, & quantum est de honestate actionis, licite quilibet potest sequi quamlibet, etiam minus probabilem, & minus tutam; etiam contra propriam opinionem probabiliorem, vel tutiorem visam; & quidem aliquando etiam debet, præsertim Subditus, & Confessarius in judicio sacramentali. Hæc etiam adhuc est communior, & tuta.

§. I.

42 *Opiniones oppositas de eadem re* dari nimis notum est: v. g. *censum germanicum esse licitum, & non esse licitum*. Et quamvis utraque opinio speculative non possit esse vera, sed altera necessario falsa sit: sic enim sunt contradictoriæ: potest tamen utraque esse probabilis, & vera practice, sic enim non sunt contradictoriæ, contradictoria enim absolute affirmant, & negant idem de eodem: at opiniones probabiles oppositæ affirmant, & negant idem de eodem non absolute, & secundum eamdem rationem, sed modaliter, nimirum *probabiliter*, & secundum diversam rationem, utpote sub diversis motivis rationabilibus proposito, v. g. Censum germanicum esse illicitum, quia usuram sapit, & a gravibus Doctoribus reprobatur: e contra non esse illicitum, quia per modum census explicari potest, & a gravibus etiam Doctoribus approbatur. Porro opiniones illæ oppositæ quandoque sunt æqualiter probabiles, & tutæ, quandoque vero una altera probabilior, vel tutior, aut minus probabilis, vel minus tuta. Opinio probabilior est, quæ apparet niti rationibus firmioribus, id est, rectæ rationi, vel legi conformioribus, aut auctoritate graviori: minus probabilis, quæ minori ratione, vel auctoritate fulcitur. Opinio tutior dicitur, quæ sequentem in operatione magis removet a peccato, vel peccandi periculo: minus tuta, quæ magis videtur accedere ad peccatum, vel peccandi periculum. Potestque contingere, quod opinio probabilior sit minus tuta, & tutior minus probabilis, v. gr. Si bona fide possideas rem alienam, & postea suborto dubio hæsites, an sit alterius; probabilior, imo in praxi certa est sententia, posse te illam licite retinere, ex illo principio: *In dubio melior est conditio possidentis*: attamen est minus tuta. E contra longe tutior est opinio, debere te illam restituere, saltem pro rata dubii: sed & minus probabilis, cum nullus debeat spoliari possessione sua in re dubia, donec evincatur. *Ratio patet*: Quia illa sententia est tutior, quæ magis removet a peccato: sed hæc posterior sententia *debere restitui*, sine dubio magis removet a peccato: restituens enim excludit omne peccatum tam materialiter, quam formaliter, & quidem certitudine omnimoda, & metaphysica, impossibile enim est restituendo peccare: At vero non restituens secundum sententiam probabiliorem, excludit peccatum solum formaliter, non materialiter, cum revera possit esse res alterius, & id quidem solum secundum certitudinem moralem, ut patet: ergo, &c. *Asserimus* itaque, inter opiniones oppositas vere probabiles, & tutas *Licitum esse sequi quamlibet*. Ubi pro certis habeto. I. Licitum, & laudabile est sequi opinionem, & probabiliorem, & tutiorem, v. gr. *Censum germanicum esse illicitum*. II. Æque licitum, & laudabile est sequi opinionem tutiorem, licet minus probabilem; v. g. *rem dubie alienam restituendam; commisso peccato mortali statim confitendum, vel contritionem eliciendam*. III. Licitum æque omnibus, etsi non ita laudabile sit, sequi opinionem probabiliorem, sed minus tutam, ut in exemplis allatis, *rem dubiam retineri posse, patrato peccato non statim debere confiteri, &c.* IV. Licitum etiam esse debet inter opiniones æque probabiles, & tutas sequi quamlibet, sive quæstio sit de jure, sive de facto, v. g. *Rem inventam, cujus Dominus invincibiliter ignoratur nec compariturus aliquando speratur, posse, vel non posse retineri*. Quia rationes utrinque probabiles æque inclinant intellectum ad assentiendum prudenter uni, & alteri parti. Uti contra alios docet Tamb. *cit. l.* 1. *c.* 3. §. 3. *n.* 11. Magis controversa sunt, quæ porro *asserimus*

§. II.

43 *Etiam minus probabilem, & minus tutam* v. g. Censum germanicum esse licitum. Circumstantias aggravantes tantum, non esse confitendas. Ita contra Gerson. Herinc. Anton. Gabr. Major. Cordubam, Armil. Conrad. Sotum, & alios, quos novissime late citat, & sequitur Candidus Philaletus *lib. de opinionum praxi*, *c.* 5. docet modo communis Doctorum, Navarr. *in cap. Si quis autem dist.* 7. *De Pœnitentia*, Sanch. Vasq. Laym. *supra citati*. Tanner. *to.* 2. *disp.* 2. *q.* 4. *dub.* 3. Et quinquaginta duos citans Pasqualigus *Decisionum Moralium Decis.* 5. *n.* 3. *alii apud* Franc. Bardi *hic discept.* 4. *c.* 10. Ratio sumitur ex dictis. Quia quilibet potest prudenter sequi opinionem *vere probabilem*, quæ scilicet nixa ratione alicujus momenti, vel auctoritate gravi non est aliena a recta ratione: & *vere tutam*; quæ nimirum excludat verum peccandi periculum: atqui opinio etiam minus probabilis, & minus tuta, est, & manet vere probabilis, & tuta, nihil obstante, quod alia opinio opposita sit, vel appareat probabilior, ac tutior: quia major illa probabilitas, & securitas oppositæ sententiæ non destruit probabilitatem, & securitatem, quamvis minorem, opinionis alterius, quin maneat vere probabilis, & tuta. Sicut major bonitas unius actus *virginitatis* v. g. non destruit minorem bonitatem alterius actus *conjugalis*; quin sit, & maneat vere bonus, & tuto amplectendus: ergo &c. Adde: quod alia opinio appareat probabilior, sæpe esse apparens tantum, vel ex subtilitate, vel pompa Doctorum asserentium. Et sæpe, quæ apparent minus probabilia, sunt magis vera, & contra verum est illud: *Multa falsa sunt probabiliora veris*. Est sani consilii, & perfectionis in actionibus moralibus sequi semper id, quod optimum, atque tutissimum videtur, non tamen id est præcepti, vel obligationis, sed sufficit sequi, quod est vere bonum, & tutum: alioquin consilium non differt a præcepto: & nimis gravis obligatio homini operaturo incumberet. Non ergo hic locum habet illud: *In dubiis tutior pars eligenda*. Et *Oportet tenere certum, & dimittere, quod incertum est*. Quia licet hic intellectus maneat dubius, & incertus speculative de veritate, vel falsitate hujus opinionis, non tamen manet dubius, sed omnino certus est de ejus probabilitate, atque practice certo se resolvit, licere sic operari conformiter ad opinionem vere probabilem, & tutam, etiamsi minus probabilem, & tutam, quam ejus opposita.

§. III.

Etiam contra propriam opinionem probabiliorem, & tutiorem visam. Adde, etiamsi rationem insolubilem pro ea se habere credat; v. g. Vir doctus pro se habet opinionem, quam ex principiis intrinsecis, non tantum probabiliorem, sed etiam omnino veram judicat, utpote in recitandis Horis requiri devotionem, & attentionem internam: nihilominus in praxi poterit sequi oppositam sententiam, quam ipse non modo minus probabilem, verum etiam speculative falsam arbitratur. Vasquez, Azorius, Sanchez, Tanner. aliis cit. Ratio est. Quia cum hoc, quod suam sententiam probabiliorem, vel omnino veram, atque oppositam falsam judicet speculative, & ex principiis intrinsecis, seu rationibus, quæ ipsi apparent insolubiles, adhuc stat, quod oppositam sententiam aliorum Auctorum, extrinsece saltem, censeat vere probabilem practice, & tuto sequendam in praxi, suasque rationes ab aliis esse solubiles, vel solutas, etsi ipsi solutio non occurrat. Nec valet *objectio*. Nullus licite potest agere id, quod probabiliter putat esse illicitum: sed sequens opinionem minus probabilem, & tutam, præsertim contra propriam magis probabilem, & tutam, æstimatam, probabiliter, immo probabilius putat esse illicitum id, quod agit: Ergo &c. Resp. *distinguendo Majorem*. Nullus potest agere id, quod putat esse illicitum practice: *concedo M.* Quod putat esse illicitum speculative tantum, *nego M. & similiter distincta min. nego consequentiam*. Quamvis enim talis juxta suam sententiam probabiliorem, speculative judicet oppositum esse illicitum: verbi gratia, voluntarie distrahi in Horis: quia tamen etiam oppositam sententiam censet vere esse probabilem, inde practice certo se resolvit, licitum esse sic operari hic, & nunc, & nullo modo illicitum, quod valde notandum est. Unde recte inferunt Doctores citati, quod vir doctus alteri consilium petenti, consulere possit, non tantum ex propria opinione, quam ipse ut probabiliorem, & tutiorem tenet; sed etiam ex opposita probabili aliorum sententia. Addit Layman *citat.* 5. §. 2. *numer.* 9. Etiamsi Doctor ille oppositam aliorum sententiam omnino improbabilem, vel falsam judicet, eamque ipse in praxi sequi non possit, posse tamen consilium petenti significare, talem opinionem ab aliquibus viris doctis, & gravibus defendi, quam proinde ipsi sequi liceat. Cum enim consulens in re dubia jus habeat se conformandi opinioni, quæ a viris doctis, ut probabilis, defenditur, præsumendo, quod rationabili fundamento nitantur, non obstante, quod alii contradicant, poterit Doctus consultus hoc ipsum jus consulenti significare. 44

§. IV.

Et quandoque etiam debet, seu tenetur quis sequi opinionem minus probabilem, vel minus tutam, *etiam contra propriam &c. ut supra*. Ratio est. Quia quilibet tenetur satisfacere suæ obligationi, quando id sine peccato præstare potest. Sed potest contingere, quod quis obligetur satisfacere suo officio non obstante opinione minus probabili, & minus tuta secundum ejus judicium: ergo cum talem opinionem sine peccato sequi possit, ut probatum est, etiam sequi 45

qui tenetur. M. est certa, Minor constat maxime de Subdito, & Confessario.

I. *De subdito.*

46 SUperiori præcipienti secundum sententiam vere probabilem, ac tutam circa materiam præceptam, vel potestatem præcipiendi, omnino tenetur subditus obedire, etiam contra propriam opinionem speculative quantumvis probabiliorem, ac tutiorem visam. Communis, & certa Doctrina, Corduba *lib.* 3. *Quæstion. q.* 4. Vasquez, *cit. disp.* 62. *cap.* 6. Miranda *Man. Prælat. tom.* 1. *qu.* 26. *art.* 5. Laym. *cit.* §. 2. *num.* 11. ac multis citatis Franc. Bard. *hic Discept.* 4. *cap.* 24. Ratio est, quia in materia cadente sub potestate Superioris, quidquid subditus licite agere potest, præcipiente Superiore, etiam debet: sed quilibet potest agere secundum sententiam vere probabilem, & tutam, etiam contra propriam sententiam probabiliorem ac tutiorem æstimatam, ut dictum est: ergo præcipiente Superiore, subditus etiam debet: dummodo isti illius sententia etiam appareat probabilis, & tuta. Cum enim certum sit Superiorem posse præcipere secundum sententiam sibi visam probabilem adeoque sit in possessione suæ potestatis obligandi subditum: subditus autem non certo, sed solum probabilius putet oppositum, v. g. materiam præceptam esse illicitam, aut potestatem Superioris se ad hanc materiam non extendere; & certum per probabile impediri nequeat, subditus non potest formare judicium practice probabile, nedum certum, licere sibi non obedire, sed non obstante sua opposita opinione debet formare judicium practicum, seu conscientiam, quod hic, & nunc & possit, & debeat obedire Superiori. Et quanta confusio foret in quolibet regimine, si quilibet posset non obedire Superiori juxta opinionem suam sibi probabiliorem, & tutiorem visam *speculative circa materiam præceptam, vel potestatem præcipiendi?* Secus est, si subditus haberet opinionem, vel potius conscientiam oppositam probabilem *practice circa ipsam obligationem*, qua rationabiliter judicaret se hic, & nunc non obligari præcepto Superioris, saltem per modum Epikeiæ, qualis etiam in legibus divinis, multo magis humanis locum habet: poterit ergo tunc huic suæ opinioni se conformare, & non obedire.

II. *De Confessario Judice.*

47 COnfessarius in judicio sacramentali, etiam contra propriam opinionem sibi magis probabilem, & tutam visam, tenetur se conformare opinioni probabili, & tutæ Pœnitentis, quæ scilicet, cum bona fide nititur ratione alicujus momenti, vel auctoritate gravi, talemque opinionem secutum, vel sequi volentem, ut si Pœnitens opinetur probabiliter, *Censum germanicum esse licitum: non requiri internam attentionem in Horis: Circumstantias aggravantes tantum non esse necessario explicandas in confessione, &c.* Etsi Confessarius oppositam sententiam omnino præferat, tamen potest, & tenetur ipsum absolvere. Quod possit, docet communissima contra Adrianum. Quod etiam teneatur, est etiam communis, & certa sententia Navarri *Man. cap.* 26. *numer.* 4. *Et cap. Si quis autem, dist.* 7. *de pœnit. numer.* 54. Suarez, Sanchez, Vasquez, *aliorum cum* Layman, *sæpe cit. cap.* 5. §. 2. *numer.* 10. Bardi *cit. discep.* 4. *cap.* 21. *num.* 5. Ratio est. Quia cujuslibet Judicis officium, & obligatio est, ferre sententiam secundum allegata, & probata ab actoribus, & defensoribus: atqui in hoc judicio sacramentali solus ipse pœnitens est accusator, advocatus, & testis, tam pro se, quam contra se: ergo si pœnitens allegat opinionem vere probabilem, & tutam pro se, & operatione sua, tenebitur se ei conformare, & juxta illam sententiam ferre etiam contra propriam opinionem veriorem visam Confessario, formando judicium practicum, quoad Pœnitentem, oppositam opinionem secutum tamquam existentem in bona fide, ac bono statu, ac proinde recte dispositum, cum nemo sequendo opinionem vere probabilem peccet, & maxime audita jam confessione, & possit, & debeat absolvere. Inepte proinde agunt Confessarii illi, qui non audentes, contra suam opinionem absolvere, mittunt Pœnitentes ad alium Confessarium, qui sit ejusdem cum Pœnitente opinionis. Si enim alter poterit absolvere, cur non etiam tu possis? aut cur tua speculativa persuasio Pœnitenti in re tam gravi obesse debeat? DICES: Confessarius est verus, & legitimus superior, & judex Pœnitentis, illiusque est, de quantitate, qualitate, & modo peccati judicare, absolvere, condemnare: sed subditus contra propriam opinionem tenetur obedire superiori: ergo, &c. Resp. Confessarium non esse Pœnitentis Superiorem absolute, & simpliciter, sicut alius Superior Ecclesiasticus, vel Civilis, sed solum limitate, & respective in ordine ad peccata ab ipso ad tribunal pœnitentiæ allata, seu quatenus ei Pœnitens se submittit in ordine ad judicium sacramentale, ut de peccatis suis judicet secundum allegata, & probata. Pœnitens autem non peccat sequendo opinionem vere probabilem, quæ a Doctoribus probabiliter defenditur; nec consequenter tenetur Confessario subjicere opiniones suas probabiles, neque quoad hoc ei Confessarius tamquam subdito quidquam præcipere potest.

III. *De Confessario Doctore.*

COnfessarius vero ut Doctor, Pastor, & Medicus spiritualis Pœnitentis in consiliis dandis de futuro, inter opiniones oppositas probabiles, debet semper illam consulere, quæ utilitati spirituali Pœnitentis magis deservit, etiamsi contra suam propriam opinionem. *Ratio ex dictis patet.* Ex. g. Videt Confessarius Pœnitentem esse inquietum, & anxium in lectione Horarum, verba, versus, Horas, itidem repetere: Item in confessionibus repetendis, & multiplicandis: omnibus recensendis, & enumerandis, numeris, circumstantiis, &c. Tali consulere debet opiniones Doctorum laxiores, dummodo vere probabiles censeat: *Non, saltem sub mortali, requiri attentionem internam: Horas non physice, sed moraliter integre legendas, &c. sola mortalia esse confitenda: circumstantias aggravantes tantum non esse necessario explicandas: Quando non certo constat, ut quasi jurare possit, defectum fuisse in præterita confessione, confessionem non esse repetendam, &c.* At contra, si advertit Confessarius, Pœnitentem ex opinionibus laxioribus, etsi visis probabilibus, sensim declinare in libertates noxias, & pericula peccatorum, tenetur ei inculcare opiniones oppositas strictiores, & magis tutas: immo aliquando etiam præcipere. Quia revera tunc aliæ opiniones laxiores respectu hujus subjecti, & ratione periculi imminentis cessant esse practice probabiles, & tutæ. Ut si videat Confessarius, Pœnitentem super lectione Horarum, vel confessione peccatorum esse hominem plane incurium; sine omni affectu, vel emendatione, tenetur ei inculcare, & si opus esse videt, præcipere opiniones supradictas oppositas tutiores. Similiter etsi forte probabile sit, mulierem, ut placeat viro suo, uti posse profano illo ornatu moderno, & nuditate circa collum, & pectus, & juxta hanc opinionem confitentem absolvere debeat Confessarius, si tamen is advertat, eum ornatum fore causam ruinæ, vel proximum periculum peccati proprii, vel alieni in futurum, debet consulere, immo & præcipere, ut abstineat a tali ornatu, & nuditate, unde signanter supra posita fuit 48

IV. *Assertionis Limitatio.*

PEr se loquendo: hoc est, si aliunde nihil obstet, *Licitum est sequi opinionem quamlibet probabilem ex oppositis.* 49
Per accidens multa hic obstare possunt. I. Obstat error proprius. Ut si quis opinionem vere quidem in se probabilem, apud se tamen omnino improbabilem, & falsam judicet, utique non poterit illam sequi in praxi. II. Obstat periculum peccati per accidens adjunctum opinioni, quantumvis de se probabili, & honestæ, v. g. Probabilis, & vera est opinio, posse te juxta morem patriæ fœminas, præsertim cognatas, osculo excipere: posse Confessarium cum fœminis spiritualis instructionis, vel consolationis gratia, familiarius conversari (alia exempla habes immediate *num. præcedenti.*) Quod si tamen ex hujusmodi actione experiatur quis se labi, vel graviter tentari, tenebitur omnino abstinere, etsi opinio de se probabilis, & actio secundum se licita sit. Prævalet hic sententia Sapientis, *Qui amat periculum, peribit in illo.* III. Obstat possessio alterius partis, quæ omnino enervat probabilitatem oppositam. Quantumvis enim probabile sit, rem ab altero possessam esse tuam, non tamen eam licite tibi vindicare, vel occulte compensare potes, quin nec judex tibi adjudicare potest, donec tuam esse certo evincas. Idque semper verum esse credo, sive quæstio de facto sit, sive de jure, v. g. Sunt rationes, & opiniones utrinque probabiles, quod legatum ex testamento minus solemni sit validum, & invalidum: siquidem rem relatam jam bona fide possides, licite retines; quia juvat te possessio: at ab hærede possidente non vales licite auferre, vel occulte compensare; quia possessio juvat ipsum; quamvis oppositum opinentur Cardinalis de Lugo, & Joannes Sanch. apud Tambur. *in Decal. l.* 1. *c.* 3. §. 3. *nu.* 26. qui tamen non approbat, & merito: plura de hoc audies *cap. sequenti.* IV. Obstat etiam officium, vel pactum, ut non possis sequi opinionem quamlibet probabilem, sed cogaris sequi, vel minus probabilem, ut de Subdito, & Confessario jam audivisti *n.* 46. & 47. aut certiorem, ut de Ministro Sacramentorum, Medico, Judice, docebit te assertio sequens. Interim occurrit hic

Quæstio incidens notabilis.

An, quando fas est sequi aliquam opinionem probabilem in vita, etiam liceat sequi in articulo mortis.

50 AFfirmativam docent Joannes Sanchez *in Select. disput.* 10. *num.* 8. Cardinalis de Lugo *de pœnit. disp.* 7. *Sect.* 13. *num.* 273. & 275. Antonius a Spiritu Sancto *in Directorio Confessar. par.* 1. *tract.* 5. *disput.* 3. *Sect.* 8. apud non dissentientes Dianam *par.* 2. *tr.* 13. *resolut.* 9. & Gobat. *tr.* 1. *Clypei Judic. Clement. Sect.* 10. *num.* 162. Adeo ut neque in articulo mortis adigendi sint homines ad sequendas sententias magis tutas; vel magis probabiles, quamvis sic consulendum sit. Ratio est: quia opinio, quæ de peccato, & salute securam reddit conscientiam ad operandum in vita, tutam quoque reddere debet in articulo mortis; cum in utroque tempore æqualiter constringatur homo vitare peccatum: alioquin sequeretur, quod homines in articulo mortis deberent confiteri, se per decursum vitæ citra necessitatem in operando fuisse secutos aliquas Sententias minus probabiles, vel minus tutas, deberentque facere tunc restitutiones, solutiones, & ultimas voluntates ex norma tutiorum, vel probabiliorum sententiarum tantum, quod est contra omnem praxim, & usum & Pœnitentium, & Confessariorum. Quare *Antonius a Spiritu Sancto loc. cit.* securum reddit Pœnitentem in articulo mortis, qui cum sola attritione cognita suscipit Sacramentum Pœnitentiæ.

Contrariam tamen negativam sine dubio magis pie, & tute cum aliis docet Sanch. *lib.* 2. *Moral. c.* 1. *n.* 6. Nam eo articulo mortis, & aditu æternitatis omnino Charitas Dei, & suis ipsius exigere videtur, ambulare via, quoad potest, securiori. Idque maxime si agatur de necessariis ad salutem necessitate medii, v. g. de dolore requisito ad absolutionem validam: quia, licet opinionis probabilitas excuset de peccato formaliter, non tamen supplet necessaria necessitate medii. Quare placet judicium Gobati *ibid. num.* 164. esse Confessariis omnibus modis suadendum Pœnitentibus, ut in eo articulo sequantur tutiorem ex opinionibus contrariis, saltem necessariis necessitate medii. Quod si tamen Confessarius Pœnitenti etiam moribundo nulla ratione, vel obtestatione persuadere possit, usum opinionis practice tutioris, aut etiam probabilioris, ei non neget absolutionem, siquidem DD. tam communiter asserentes Confessarium debere sequi opinionem Pœnitentis vere probabilem, non excludunt, vel excipiunt articulum mortis.

ASSERTIO IX.

QUando habetur, & practicari potest sententia certa, vel probabilior practice, numquam licet sequi opinionem speculative tantum, vel minus probabilem, quoties agitur non de sola honestate actionis respectu operantis, sed etiam de valore, vel efficacia actionis ad aliquem effectum dubium cum periculo peccati, vel gravis mali, idque saltem vi pacti alicujus impliciti tali officio, vel exercitio annexi. Hanc nullibi sic legi: collegi tamen ex communi doctrina apud Layman, Marchant, Bardi, Tamburinum hic.

EXPLICATIO.

51 RAtio generalis est; quia quoties adest, & practicari potest in casu assertionis sententia certa, vel probabilior practice, opposita opinio practice, nec probabilis, nec tuta censeri debet, sed simpliciter improbabilis, & periculosa: atqui voluntarie relinquens sententiam certam, & tutam, nullaque urgente necessitate, sequens opinionem practice incertam, ac periculosam, convincitur se voluntarie exponere periculo peccati, & consequenter actu peccare, ergo, &c. Ubi nota differentiam hujus, & præcedentis assertionis. Quia nimirum ipsa honestas actionis pendet directe a prudenti dictamine rectæ rationis, recte, & licite sequimur quamcumque opinionem vere probabilem, & tutam, non obstante, quod sit minus probabilis, vel tuta, quam alia opposita, si nil aliud obstet, juxta *num. præc.* 49. annot. At vero valor, vel efficacia actus respectu sui effectus, non pendent directe, & principaliter a dictamine nostræ rationis, sed aliunde ex propriis principiis, v. gr. valor Sacramentorum ad causandam gratiam, ab institutione Christi per Ecclesiam tradita: efficacia medicinæ ad conferendam sanitatem, ex natura, & qualitate rei applicatæ, æquitas judicii, ex merito causæ, &c. dependet: atque ad ejusmodi actus valide, & cum effectu exercendos accedit distincta obligatio, Religionis, Charitatis, immo & justitiæ ex vi pacti saltem impliciti in tali officio, vel exercitio suppositi: uti mox per exempla explicabimus: & ideo in ejusmodi exercendis actibus non sufficit sequi quodcumque judicium rationis nostræ, quomodolibet probabile visum, sed oportet sequi judicium, vel opinionem, quoad fieri potest, certiorem, vel securiorem, ac certius excludentem periculum nullitatis cum peccato, vel gravi damno proximi.

Antequam ad particularia descendamus, observa, opiniones aliæ dicuntur tantum speculative probabiles, quibus opinamur de re operabili secundum se, abstrahendo a circumstantiis quibusvis particularibus, atque sine immediato ordine ad operandum: Ex. g. generatim aliquid posse, vel non posse esse, &c. Aliæ opiniones sunt probabiles practice, queis scilicet probabiliter, & cum sufficienti motivo opinamur de re operabili, cum immediato ordine ad operandum: utpote aliquid hic & nunc, in his circumstantiis licere, vel non licere. Et possunt de eadem re esse opiniones probabiles speculative, quæ tamen minime sunt probabiles practice, ut supponunt DD. communiter, & ratio clara est. Potest enim intellectus noster considerare objectum operabile secundum se præscindendo a circumstantiis, & sic judicare, esse licitum, vel rationi consentaneum: potestque illud rursus considerare ut hic immediate operabile in his circumstantiis, & ob hanc, vel illam circumstantiam judicare rationi dissentaneum, seu illicitum: ergo prius judicium opinativum fuit probabile tantum speculative, non practice. Ex. g. Probabile est speculative, dari materiæ parvitatem circa castitatem, quoad aliquos aspectus, vel tactus impudicos, minime tamen est probabile practice, immo certum esse peccatum mortale, saltem indirecte voluntarium, ob gravissimum, & proximum periculum in materia tam picea. Item esto probabile appareat venatori id, quod videt ibi, esse feram, inde tamen non fit probabile practice, quod possit ejaculari in illud, ob periculum homicidii. Item sit probabile mulieri, virum in bello esse occisum: inde tamen non fit probabile practice, posse nubere alteri, quia adhuc possidet prius Matrimonium, &c. Idem videbis evenire in sequentibus. 52

§. I. *De Ministro Sacramentorum.*

MInister Sacramentorum, quod essentialia, si fieri potest, tenetur semper sententiam certam, vel tutiorem sequi. *Ita generaliter communis DD.* Indicat D. Augustinus *lib.* 1. *de Baptismo*, contra Donatum dicens. *Graviter quis peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, eo solo, quod certis incerta præponeret.* Et aperte docet Scotus *in* 4. *d.* 3. *q.* 2. *n.* 10. Ubi circa materiam, & formam Sacramentorum has tres regulas præscribit. *Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. Si non adest possibilitas, via tutissima proxima est tenenda. Cessante impossibilitate, caute supplendum est, quod impossibilitas prohibeat.* Hæc Scotus. Exemplum ab omnibus affertur de Baptismo. Sententia certa, & tutissima est ex institutione, & usu, ac ordinatione Ecclesiæ ad valide administrandum Baptismum requiri hanc materiam, scilicet *aquam naturalem*: & hanc formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Nihilominus opiniones etiam speculative probabiles sunt, etiam confici posse in aqua rosacea, cervisia, lixivio, carnis brodio, &c. probabile enim est, hæc esse substantialiter aquam: aut in hæc forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Spirati*: quia videtur æquipollere formæ priori. Attamen quia hæ opiniones sunt mere speculativæ nihil adhuc dictantes de operando hic, & nunc: dicimus: 53

I. *Tenetur sequi sententiam certam, &c.* Adeo ut qui habita aqua naturali, & cognita debita forma, baptizaret in aqua rosacea, vel cum illa alia forma, peccaret mortaliter, gravissime, & multipliciter. 1. Contra Canonem, & ordinationem Ecclesiæ, in re tam gravi sine dubio graviter obligantem, contra quam nulla opinio potest esse practice probabilis, ut omnes fatentur. 2. Contra Charitatem, proximum sine ratione exponendo tanto periculo salutis spiritualis. Communis DD. cum Sanch. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 33. 3. Contra Justitiam, saltem si sit Minister ex officio obligatus suis ministrare Sacramenta, utique ex vi pacti officio suo annexi, certa, & non dubia. 4. Etiam per se, & contra virtutem Religionis, uti contra Sanch. cit. Vasqu. & alios, verius docent cum aliis Suarez 3. *p. to.* 3. *disp.* 21. *sect.* 4. Filliuc. *tr.* 21. *c.* 4. Laym. *cit. c.* 5. §. 3. Bardi *discept.* 4. *c.* 31. Ratio est. Quia omnino irrationabile videtur, & virtuti Religionis directe repugnans, absque ulla causa necessitatis, vel utilitatis, Sacramentum a Christo institutum ad salutem animarum exponere periculo nullitatis, seu ut invalide, & sine effectu significato, falso administretur: Sed hoc fieret in proposito, ut patet: ergo, &c. Excipiunt tamen Perez, & Joannes Sanchez, apud Dianam, *cit. p.* 2. *tr.* 3. *resol.* 2. casum, quo Ministro quis minitaretur mortem, aut aliud grave damnum, nisi, relicta sententia certa, juxta probabilem tantum conficiat Sacramentum, v. g. Baptismi in aqua rosacea: dummodo in contemptum Sacramenti, vel Religionis mortem non minitaretur. 54

II. *Si fieri potest.* Semper enim supponimus. *Quando practicari* 55

cticari potest sententia certa. *Quando ejus usus est in nostra potestate. Nisi necessitas aliud urgeat*: quando vero sententia certa practicari nequit, & necessitas urget, utique recurrendum erit ad opiniones saltem speculative probabiles, & tentandum, quantum prudenter tentari potest. Sic in casu extremæ necessitatis, si aliud nihil occurrat, nisi lixivium, cervisia, &c. ad baptizandum, formando conscientiam ita licere, potes, & debes ea adhibere baptizando puerum potius, in materia incerta cum periculo nullitatis Sacramenti, quam puerum sine Baptismo relinquere certæ damnationi. Similiter si nullus occurrat, qui formam sciat, nisi Vetula balbutiens, potest, & debet, quam potest, formam proferre: nec talis Baptismus, nisi sub conditione repetendus erit. Eadem ratione dijudicandum erit, qualiter moribundus præsente Parocho, contra certam sententiam, possit confiteri simplici Sacerdoti: si nimirum aliquid obstet ex parte Parochi, ut si videatur imprudens, indoctus, vel alia de causa ei confiteri horreat pœnitens, &c.

56 III. *Quoad essentialia*, scilicet dependentia ab ipsa institutione Christi. Nam quoad jurisdictionem, vel aliud quid simile dependens a voluntate Ecclesiæ, licite quis potest sequi opinionem vere probabilem, etsi minus certam. Ut si habens opinionem probabilem, quod vi privilegii tui, vel concessionis factæ a Papa, vel Episcopo, possis absolvere a tali casu, vel censura, assistere tali matrimonio, potes absolvere, vel assistere sine necessitate admonendi proximum de opinione contraria probabiliore. Quia quoties est probabilis opinio de similibus dependentibus ab Ecclesiæ potestate, ipsa ex consensu tacito, & de præsenti ratihabitione supplet, seu confert jurisdictionem certam; ut fuse docent DD. præsertim Sanch. *l. 3. de Matr. disp. 22. n. 65. & l. 1. in Decal. c. 9. n. 35.* Suar. Lessius, alii apud Tambur. *sup. cit. c. 3. §. 4. n. 2.*

57 IV. *Minister tenetur, &c.* Pænitens vero in usu passivo Sacramenti, quoad requisita ex parte sua potest sequi opinionem minus probabilem, & tutam, v. g. potest accedere cum attritione cognita, cum tamen probabilius, & longe tutius sit, requiri contritionem, saltem æstimatam; item potest omittere omnes circumstantias aggravantes tantum, ut jam concessimus supra *n. 47.* cum tamen haud dubie longe probabilius, & tutius sit, aliquas circumstantias aggravantes tantum necessario esse explicandas (uti *hujus tr. c. 3. sect. 4. ex communiori sententia docebimus*) ad validam confessionem, & absolutionem. Ratio disparitatis est. Quia minister in administratione Sacramenti, quoad essentialia requisita ex parte sua, scilicet materiam, formam, & intentionem, nullam habet difficultatem practicandi sententiam certam, vel tutiorem, ut supponit resolutio nostra: consequenter ad id recte obligari potest etiam ex virtute Religionis ob reverentiam Sacramenti, ut dictum est, *n. 53.* At vero Pœnitens qui ad requisita ex parte sua, *dolorem, confessionem, &c.* maximam potest habere difficultatem sequendi semper certius, & tutius, ad quod proinde non potest rationabiliter obligari: Neque ex virtute Religionis ob reverentiam Sacramenti: hæc enim non potest obligare cum tanto gravamine, juncto periculo deficiendi contra reverentiam Sacramenti: neque ex virtute Charitatis, vel Justitiæ, ut patet: multo minus ex ordinatione Ecclesiæ piæ Matris. Quinimo Concilium Tridentinum statuens ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri *Contritionem, vel saltem attritionem*, & peccata *in specie, & numero* necessario esse confitenda, moraliter, & practice certam reddit sententiam, quod sufficiat attritio cognita, & valde probabilem de circumstantiis aggravantibus tantum non necessario confitendis.

§. II. *De Medico, & Chirurgo.*

58 Medicus, & Chirurgus in medicinis applicandis tenentur sub mortali sequi sententias certas, & securas, relictis incertis, & dubiis, *secundum omnes*: quod si certa curatio non occurrat, tenentur sectari opinionem probabiliorem, posthabitis minus probabilibus; uti contra Azorium, & alios nonnullos docent communiter Doctores cum Navarro *Man. c. 25. n. 61.* Sanchez, *l. 1. Moral. c. 9. num. 40.* Vasquez, Bonacina, Layman, & alii apud Bard. *cit. cap. 30.* Ratio est. Quia ultra obligationem generalem Charitatis, qua tenemur meliori, seu efficaciori modo, quo possumus, auxilium ferre proximo graviter indigenti, hic etiam accedit obligatio justitiæ: cum enim æger, vel læsus committit se curandum Medico, vel Chirurgo; & hic illius curam suscipit, intercedit inter eos pactum, saltem implicitum, & virtualiter, de adhibendis remediis, quæ magis salutifera videntur, & hic, & nunc præ manibus haberi possunt: ergo Medicus, vel Chirurgus peccat contra pactum, adeoque etiam contra justitiam, si omisso medio certo, & securo, vel probabiliori, & securiori adhibeat medium minus probabile, incertum, vel periculosum, cum sic periculose agatur de salute corporali proximi: gravissime autem peccant, si solum experiendi gratia, incerta, & inexplorata medicamenta infirmis adhibeant, & ut quidam ait *experimenta per mortes quærant*, ut notat Layman, *hic §. 3. num. 15.*

Quando ergo præsto est medicina parabilis, quam constat vel probabile est, posse mederi citra periculum mortis inferendæ, vel accelerandæ; si occurrat autem & alia medicina, quam profuturam non ita probabile est, aut quamvis probabile sit posse mederi, non tamen sine periculo, ne sit mortifera, tenetur Medicus adhibere priorem medicinam tutam, vel tutiorem ob rationem dictam. Quod si vero ægrotus extreme laboret, ut certum, vel verosimillimum sit esse moriturum, nisi aliquo remedio adjuvetur, & nihil aliud occurrat, poterit Medicus adhibere quodcumque remedium, etsi minus securum, vel dubium, ne forte mortem acceleret: dummodo certe non constet, esse mortiferum, & probabilitas juvandi superet periculum nocendi, atque ipsius infirmi, vel consanguineorum consensus accedat. Quia cum ex una parte vita infirmi jam desperata sit, ex altera autem parte aliqua spes sit, vel probabilitas remedii: & adsit consensus aliquis in periculum illud accelerandæ mortis, prudenter, & sine injuria aget Medicus adhibendo ejusmodi medium dubium, & periculosum, Sanchez, Vasquez, Layman, *citati. Communis.* 59

§. III. *De Judice.*

Judex in ferenda sententia inter partes litigantes, in causis civilibus tenetur sequi opinionem probabiliorem, jurique conformiorem, inspectis allegationibus, & probationibus, sive quæstio sit de jure, sive de facto. Silvester, Sotus, Vasquez, Tannerus, alii cum Sanch. *cit. c. 9. num. 47.* Layman, *n. 16.* Bardi *c. 27.* Tamburinus, *cit. c. 3. §. 4.* Ratio est. Quia Judicis a Republica instituti officium, adeoque ex pacto tacito inito cum Republica obligatio est, ferre sententiam secundum merita causæ, & rectam rationem; atqui recta ratione per se constat, quod ea pars litigantium, quæ causam suam in judicio, sive de jure, sive de facto, probabiliorem ostendit, secundum leges, & rationes magis mereatur sententiam pro se, quam contra se; ergo Judex in ferenda sententia semper debet sequi opinionem probabiliorem, in favorem scilicet illius partis, pro qua stat opinio probabilior. *Confirmatur.* Alioquin sequerentur maxima incommoda in Republica. Facile enim Judex, affectu erga unam partem obnubilante intellectum, judicaret probabilem esse opinionem ex parte amici, cum revera non esset. Et lata sententia, quilibet se partem probabilem secutum fuisse facile prætendere posset; Quod utinam non fieret! sed gravissimo peccato, non tantum contra justitiam legalem, sed etiam contra justitiam commutativam; cum a Republica instituti Judices ad jus dicendum, & cuilibet æqualiter tribuendum, quod suum est, ipsi iniquissime lædant jus alterius, scilicet partis causam probabiliorem, & eo ipso plus juris habentis. 60

Quod si utriusque partis litigantis causa, tam de jure, quam de facto, æque probabilis sit, Valentia, Sayrus, & alii volunt in Judicis arbitrio positum esse, judicare causam, cui parti maluerit, sicut in arbitrio Collatoris beneficii est, quando concurrunt duo æque digni. Verum mihi omnino vera videtur opposita sententia, non esse in Judicis arbitrio totam causam adjudicare cui parti maluerit, sed debere concordare partes per transactionem, utpote dividendo rem controversam inter partes in re, vel in pretio, &c. Sanch. Laym. Bardi, Tamburinus, *supra, alii apud ipsos.* Ratio est. Quia, juxta juris regulam in judiciis non est habenda acceptio personarum; quis autem non videat, esse verissimam acceptionem personarum, & ab æquitate alienissimum, quando duæ partes æquale jus habent, & æque probabiliter probant, Judicem justitiæ Ministrum, uni totum adjudicare, & alteri totum abjudicare? ergo, &c. Confirmatur hoc ex propositione 26. inter damnatas ab Alexand. VII. *Quando litigantes pro se habent opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.* Atqui si tunc liberum esset Judici adjudicare causam, cui parti maluerit, non videretur esse ratio, cur non possit accipere pecuniam pro eo favore exhibita uni præ alio, certe ex justitia non debito; etsi enim Judex ex justitia teneatur ferre sententiam justam, atque pro ea ferenda tamquam pro re alias debita nihil accipere possit, certe tamen eo casu ex justitia non teneretur sententiam ferre pro uno potius, quam pro altero; ergo relinqueretur locus favori indebito; cur ergo pro eo favore nihil accipere posset Judex? ergo supponit Pontifex id non esse licitum. Dixi; *si causa utrinque tam de jure, quam de facto æque probabilis sit*; Excipiendum enim semper est, *nisi altera pars litigans esset in possessione bonæ fidei.* Quia possessio pro possidente facit rationes præponderare, adeo ut non amplius maneant rationes utrinque æque probabiles, sed melior evadat conditio possidentis. Dixi rursus, *in causis civilibus*; Nam in causis criminalibus, quando agitur de pœna infligenda, 61

genda, & maxime capitali, inter oppositas opiniones probabiles, semper sequenda est opinio favorabilis Reo, etiamsi alioquin minus probabilis videatur, juxta Regulam Juris Canon. 11. *in 6. Quando jura partium non sunt clara, sed obscura, declinandum est in favorem Rei*; Et etiam Leges civiles praecipiunt, ut in paenis accipiatur benignior interpretatio, testanturque, jura esse promptiora ad absolvendum, quam ad condemnandum. Denique etiam excipiendae sunt causae favorabiles, causae piae, & maxime Religionem concernentes juxta *L. Sunt personae, ff. de Relig. & sumpt. fun. Summa est ratio, quae pro Religione facit*: Ut bene observat Gobat. *tr. 1. Clypei Clement. Judic. Sect. 14. n. 211.*

§. IV. *De Consiliario, & Advocato.*

62 Consiliarii etiam in consiliis dandis tenentur sequi, quantum fieri potest, sententias certas, vel probabiliores. Ex communiori Vasq. *opusc. de Rest. c. 6. §. 3.* Franc. Bardi *disce pt. 4. c. 22. alii.* Ratio est. Quia Consiliarii in consiliis publicis de necessitatibus Principis, vel Reipublicae, v. g. dum consultatur de tributo aliquo imponendo sitne vera necessitate jussum, nec ne, habent se per modum Judicum inter Principem, vel Rempublicam, & subditos tamquam partes litigantes, ut consultivum judicium ferant; ergo sicut Judices inter partes litigantes, ita & Consiliarii inter Principem, & subditos, tenentur sequi sententiam certam, vel probabiliorem, in favorem scilicet illius partis, pro qua stat opinio probabilior; & graviter peccant contra justitiam, si ex affectu, vel respectu humano, juxta sententiam minus probabilem consulant in favorem unius, vel alterius partis. Ratio omnino eadem, quae de Judicibus; & incommoda e contrario secutura multo majora, ut consideranti patet. Caeterum in consiliis circa negotia externa Consiliarii jam non habent se per modum Judicum, sed mere Consultorum, ideoque Advocatorum conditionem partibus.

63 Advocatus autem in patrocinando partibus, non tenetur eligere partem, seu causam probabiliorem, sed licite suscipit defendendam causam minus probabilem, vel dubiam, dummodo non manifeste iniquam, sed probabilem judicet, etsi causam adversariam probabiliorem, & facilius obtinendam arbitretur. Communis DD. Nav. *c. 25. n. 28.* Sanch. *l. 1. Mor. c. 9. n. 51.* Laym. *cit. c. 5. §. 3. n. 17.* Bard. *c. 28. alii apud ipsos.* Ratio est. Quia quandocumque causa dubia vel controversa est, cuivis permittitur tueri seipsum, suamque partem, quamdiu potest, etsi causa sua minus sit probabilis, dummodo vere probabilis, & non manifeste iniqua appareat: & consequenter etiam permittitur ei litem cum adversario contestari, atque propositis juribus, ac rationibus suis, Judicis dirimentis sententiam postulare; atqui juxta regulam Juris 68. *in 6. Potest quis per alium facere, quod potest facere per se ipsum*; ergo etiam Advocato licebit defendendam suscipere partis litigantis causam etiam minus probabilem, & dubiam, dummodo manifeste iniqua non appareat, sed diligenter inspecta, an comperta causae sibi propositae aequitate, Clienti sincere aperiat, quantam probabilitatem, seu spem victoriae habeat; paratus quamprimum absistere, si in progressu litis iniquitatem manifeste deprehenderit; quo casu, si citra suam culpam causa cadat, salarium nihilominus jure merebitur. Ex communi DD. vide Layman, *loc. cit.*

64 Neque quoad hoc eadem est ratio de Judice, & Advocato. Quia Advocati officium non consistit in definienda, vel decidenda controversia, vel jure dicendo, sed ejus officii solummodo est uni parti litiganti assistere, & Judici praesentare jura, & rationes pro sua parte, ut iis inspectis, postea Judex videat, quid decernendum sit secundum jura. Et solet contingere, quod rationes, probationes, allegationes, quae a principio Advocato videbantur minus efficaces, quam adversariae, a Judice melius ponderante illas, existimentur validiores, & sic, ut dicitur, inter litigandum jus crescat. Unde neque Advocatus intendit judicem inducere ad peccatum, ut nimirum injuste judicet secundum opinionem minus probabilem, sed solum intendit repraesentare jura, & rationes suae partis, ut inde Judex absolute judicium justum ferat. Videtur tamen eadem de Judice, & Advocato ratio, quoad causam sanguinis, ut scilicet Advocatus non possit ex opinione minus probabili agere contra Reum de vita, vel honore, quando rationes pro ipso sunt magis probabiles. Quidquid enim sit de justitia, videtur omnino esse contra charitatem, proximo enim periclitanti, de vita maxime, debemus opem ferre, quantum possumus. Sotus, *de justitia l. 1. q. 8. art. 3. alii* Contrarium tamen docent Sanch. *cit. cap. 9. n. 53.* pluribusque allegatis Turrianus, Lorca apud Dianam *cit. par. 2. tr. 13. res. 4.* qui probabiliorem, & in praxi tutam censet sententiam. Ratio est: (inquit) Quia si cliens in hoc casu potest juste litigare: ergo & Advocatus illam causam potest patrocinari; cum non imprudenter agat, utpote quia ratione probabili ducitur. Dicendum igitur sine trepidatione posse Advocatum secundum opinionem probabilem patrocinari causae actoris, etiam in causa sanguinis, aut honoris, vel de causa civili maximi momenti: ut de omnium bonorum possessione, &c. Sic Diana, cui ego, quantum est ex justitia, omnino acquiescere cogor: at certe non quantum est ex charitate in causa sanguinis.

SECTIO IV.

De Conscientia Dubia.

SUMMARIUM.

65 *Dubium negativum, & positivum; ex parte actus, ex parte motivi.*

66 *Dubium speculativum, & practicum.*

67 *Dubium juris, & dubium facti.*

68 *Conscientia intrinsece, & extrinsece dubia.*

69 *Cum conscientia formaliter, & extrinsece dubia non licet operari.*

70 *In dubiis tutior pars est eligenda: quomodo hoc intelligendum?*

71 *In dubio practice practico semper eligenda est pars tutior;*

72 *Non vero in dubiis speculativis.*

73 *Cum conscientia extrinsece, objective, & speculative tantum dubia, practice tamen certa, & resoluta licite operamur.*

74 *Resolutio practica fieri debet cum ratione.*

75 *In dubio melior est conditio possidentis, non tantum in materia justitiae, sed & aliarum legum, ac virtutum.*

76 *Possessio tamen adjuvans in dubio sit bona fide capta. Exemplum in materia Justitiae.*

77 *Exemplum aliud in materia Matrimonii.*

78 *In dubio non praesumitur factum, sed demonstrari debet.*

79 Regula generalis: *quod certum, vel prius est, possidet & praesumitur.*

80 Regula 1. specialis, *si lex sit dubia, voluntas possidet: secus, si lex sit certa.*

81 *Exempla primae partis.*

82 *Exempla secundae partis.*

83 Regula 2. specialis: *in dubio facti fundantis legem, nemo possidet*: e contra: *in dubio facti supponentis legem.*

84 *Exempla primae partis.*

85 *Exempla secundae partis.*

86 Regula 3. specialis: *in dubio circa tempus inchoandae obligationis homo possidet: lex vero in dubio, circa tempus finiendi obligationem.*

87 *Exempla mixta utriusque partis.*

88 Regula 4. *in dubio* de modo *obligationis contractae, vel solutionis factae praesume, quod tibi favet.*

89 *Exempla obligationis contractae.*

90 *Exempla solutionis factae.*

91 *Dubia miscellanea.*

92 *Peccatum dubium.*

93 *Maleficium dubium.*

94 *Bellum dubium.*

95 *Subditus dubitans.*

96 *Quoad leges penales, etiam censurarum; & irregularitatum, tam in dubio juris, quam facti, nemo censendus est ligatus.*

97 *Declaratur exemplis.*

98 *Excepta tamen sola irregularitate ex delicto homicidii voluntarii, ubi dubie reus habendus est irregularis.*

99 *Quandocumque constat de corpore delicti, seu homicidii facti, & aliqua sua cooperatione.*

ASSERTIO X.

Conscientia dubia dicitur, quando intellectus de re agenda, vel non agenda, suspensus manens, nequit se in unam, vel alteram partem resolvere: Unde proprie non est conscientia, sed potius privatio conscientiae suspendens omne judicium, assensum, vel dissensum. Assertio certa, solum petit, ut fiat Dubiorum variorum brevis, & clara

EXPLICATIO.

I. *Dubium negativum, & positivum.*

Dubium dicitur Suspensio mentis inter duo contradictoria ut in neutram partem, nec assentiendo, nec dissentiendo se resolvere possit. Aliud dicitur negativum, aliud positivum, duplici ratione, ex parte actus, & ex parte motivi. 65

Ex parte actus. Dubium negativum, seu, ut vocant, in actu exercito est, dum quis apprehensa utraque parte, v. g. an aliquid liceat, vel non liceat, neutri parti assentiens, absque ullo actu positivo, suspensus manet. Dubium positivum, seu, ut vocant, in actu signato, est, dum quis apprehensa

hensa utraque parte, neutri volens, vel potens assentiri, vel dissentiri, actu aliquo positivo indicat, ac veluti *signat*, rem esse dubiam, vel incertam de veritate, vel falsitate. In proposito perinde est: at in materia fidei multum interest. Nam si negative solum dubites in materia fidei per se non peccas: at si positive dubites, & peccas, & accedente pertinacia, hereticus es.

Ex parte motivi. Dubium negativum dicitur, quo intellectus (utrovis modo prædicto) suspensus manet inter utramque partem, ex eo quod nullum omnino occurrat motivum, vel medium, nulla ratio, sive assentiendi, sive dissentiendi, sed intellectus mere ignoranter se habet, v. gr. An homines in hac civitate sint pares, vel impares. Dubium positivum dicitur, quo intellectus suspensus manet inter utramque partem, ex eo quod occurrant motiva, seu media omnino æqualia pro una, & pro altera parte, & sic dum ambæ partes, velut trahentes ad se intellectum, se mutuo impediunt, manet ipse intellectus velut suspensus in æquilibrio, quousque occurrat potior ratio pro una, quam pro altera parte, aut voluntas suo libero imperio intellectum ad uni potius, quam alteri parti assentiendum determinet, vel inclinet.

II. *Dubium speculativum, & practicum.*

66 DUbium mere speculativum est, quo dubitatur præcise de veritate aliqua: v.g. *An mundus potuerit esse ab æterno: An si Adam non peccasset, nihilominus Verbum incarnatum fuisset, &c.* Dubium practicum est, quo dubitatur de re operabili. Et hoc, aliud dicitur speculative practicum, quo dubitatur de re operabili, seu ipsa operatione; ejusve honestate, secundum se in abstracto, abstrahendo scilicet a circumstantiis particularibus, & sine immediato ordine ad operationem, seu praxim. *Ut, an matrimonium contractum sit validum: an census germanicus sit licitus: an die festo liceat bellare, pingere, iter agere: an die jejunii liceat sumere collationem vespertinam, &c.* Aliud dicitur dubium proprie, seu practice practicum, quo dubitatur de actione, ejusve honestate in particulari, seu hic, & nunc exercendæ in suis circumstantiis particularibus. *Ut, an debeam hanc confessionem repetere: an hic, & nunc liceat mihi pugnare, ludere, comedere.* Atque in hoc dubio formaliter consistit conscientia dubia.

III. *Dubium Juris, & dubium Facti.*

67 DUbium *Juris* dicitur, quo dubitatur de aliquo jure, lege, præcepto, statuto, &c. præsupposito ad honestatem actionis exercendæ. *Ut, an sit lata talis lex, quomodo obliget, an hunc etiam vel illum casum comprehendat: an hic, & nunc me in his etiam circumstantiis obliget, &c.* Idque rursus dividunt in speculativum, & practicum. Dubium *juris* speculativum vocant, quo dubitatur, non immediate de honestate actionis alicujus, sed de aliquo alio legitimo secundum jura, & leges. *Ut, an Baptismus collatus in nomine Christi sit validus: an matrimonium contractum sit validum: an bellum, in quo milito, sit justum: an quis in tali casu sit irregularis, v.g. si percussit Clericum non gestantem habitum: an res quam possideo mea sit, an aliena, &c.* Dubium *juris* practicum dicitur, quo dubitatur de obligatione, vel facultate legitime agendi, seu de ipsa honestate actionis, an licita sit, nec ne. Et hoc rursus aliud est, generale, & abstractum, id ipsum, quod *num. præced.* diximus *speculative practicum*: aliud est particulare, seu de hic, & nunc: & est ipsum supradictum dubium proprie, seu practice practicum: Dubium *Facti* denique dicitur quo dubitatur de aliquo facto, ejusque conditione aliqua spectante ad honestatem actionis exercendæ. *Ut, an votum emissum sit: an solutum: an Horæ recitatæ: an peccatum commissum sit mortale, vel veniale; an jam confessum, nec ne, &c.*

§. IV. *Conscientia intrinsece, & extrinsece dubia.*

68 COnscientia dubia proprie dicta, nimirum formaliter, & intrinsece dubia, consistit in ipso *dubio practice practico*, seu *dubio juris particulari*, quando nimirum intellectus de honestate actionis hic, & nunc exercendæ, an scilicet honesta sit, vel licita, nec ne, omnino manet suspensus, & in neutram partem se resolvit. Conscientia objective, seu extrinsece dubia (posses dicere conscientiam dubiam speculative, nisi nomen *conscientiæ* quid practicum sonans repugnaret) dicitur quando intellectus solum de ipso objecto secundum se manet dubius dubio scilicet speculativo juris, vel facti, non vero de ipsa honestate actionis hic, & nunc, dubio practico, v.gr. dubitas *speculative*, an res, quam possides, sit tua, *practice* vero an restituere tenearis: facta diligenti inquisitione, nec inventa ulla ratione potiori pro una, quam pro altera parte, sed perseverante dubio, an res sit tua, necne: denique ex illo principio: *In dubio melior est conditio possidentis*: resolvis te *non debere restituere, posse licite retinere, usurpare, &c.* Conscientia hæc manet dubia objective, & extrinsece, stante scilicet adhuc dubio speculativo, an res revera tua sit: at formaliter, & intrinsece non est dubia, sed resoluta: excluso scilicet dubio practico. Jam videndum est, quomodo cum ejusmodi conscientiis dubiis liceat operari. Difficilia, mi Lector, difficilia! animum bene advertas necesse est. Sit ergo

ASSERTIO XI.

CUm *conscientia formaliter, & intrinsece dubia, stante scilicet dubio practice practico, seu dubio juris particulari de honestate actionis hic, & nunc exercendæ, vel periculo peccati annexo, nunquam licet operari, sed semper peccatur pro ratione materiæ, & dubii.* Est certissima apud omnes, Significat Apostolus Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est.* Hoc est; Quod non fit ex certa credulitate, seu determinato judicio intellectus, licitum esse; quod hic, & nunc agitur peccatum est.

§. I.

RAtio fundamentalis est. Quia omnis sciens, & volens exponens se periculo peccati, peccat, & quidem eodem genere peccati, cujus periculo se exponit; uti docet communissima Doctorum cum D. Thoma, *Quod l. 8. art.* 13. Scoto, *in* 3. *d.* 25. *qu. un. & alibi.* Navarr. *in c. Qualitas, d.* 5. *de penit.* Ex illo *Eccl.* 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Atqui agens cum conscientia intrinsece, seu practice dubia de honestate actionis hic, & nunc exercenda, vel saltem periculo peccati annexo, is sciens, & volens exponit se periculo peccati: elegit enim actionem indiscriminatim, sive bonam, sive malam, quasi dicat, sit peccatum, vel non sit, perinde est, ego volo agere, &c. Ideoque eo ipso implicite censetur eligere malum: ergo eo ipso peccat, *pro ratione materiæ*, de qua agitur: *& pro ratione dubii.* Ut si dubitet, an talis actio, vel omissio sit peccatum mortale, & tamen operans, vel omittens peccabit mortaliter: si vero dubitet de veniali, tantum venialiter. Quod si dubitet generatim, & indistincte, an sit peccatum, vel malum, dic eodem modo, quo dictum est supra de conscientia erronea *n.* 17. Atque hic maxime locum habet, & commode explicandum venit, celebre illud dictum, 69

§. II. *In Dubiis tutior pars est eligenda.*

DIctum hoc habetur variis locis Juris Canonici: *cap. ad audientiam, cap. Significasti, cap. Petitio tua. Tit. de homicidio.* Ubi in dubio de facto homicidio a Clericis, & irregularitate inde contracta, Pontifex semper respondet: *Tutius eligendum esse.* Textus dabimus infra *n.* 96. Item *cap. juvenis de sponsalibus*: in alio casu matrimonii dubii respondet Pontifex, *in his, quæ dubia sunt, certius est tenendum.* Dictum hoc sine dubio universaliter, & semper verum est, quantum ad consilium, & perfectionem, semper enim consultius, & perfectionis est, in quovis dubio eligere partem tutiorem: at certe non semper necessarium, seu de præcepto, vel obligatione: hoc enim nullus dicet. Unde ante omnia in dicto illo *To tutior* pars, non debet accipi comparative ad positivum, scilicet *tutior, quam tuta*: quasi sensus esset, quando utraque pars dubii est tuta, adhuc tutiorem partem eligendam esse. Quod quamvis sit perfectionis, non tamen potest esse necessarium, cum liceat in operando sequi quamlibet partem vere tutam juxta dicta supra *n.* 43. Sed *To tutior* accipiendum est comparative ad oppositum, scilicet, *tutior, quam non tuta, non secura, periculosa, &c.* Ut sensus sit. Quandocumque una pars dubii est certa, tuta, secura, verum scilicet peccati periculum excludit, altera autem pars non est certa, tuta, secura, sed dubia, vel periculosa de peccato, ejusque periculo, tunc illam tutiorem eligendam esse. Et sic sine dubio verum est. Quemadmodum etiam si utraque pars dubii appareat periculosa de peccato, ut contingit in Sacerdote, qui ex officio tenetur baptizare, dubitat, an non infans æger aqua conspersus moriturus sit, minus malum, & periculum, eoque quasi tutius eligendum est, scilicet mortis corporalis potius, quam damnationis. 70

§. III. *In quibus ergo Dubiis necessario tutior pars eligenda.*

CErtum est apud omnes, necessario tutiorem partem eligendam esse in dubio proprie, seu practice practico, scilicet de actionis hic, & nunc exercendæ honestate, an hic, & nunc aliquid liceat, necne: v. gr. *hodie comedere carnes, &c.* stante enim tali dubio, una tantum pars tuta est, scilicet *abstinere*: altera autem pars, scilicet *comedere carnes*, simpliciter est non tuta, sed periculosa de peccato: ut dicit 71

dicit assertio, & probatur n. 69. Certum etiam esse debet, tutiorem partem eligendam esse in dubio speculativo, versante circa valorem, vel efficaciam actionis exercendæ, juxta late dicta Assert. præced. IX. per totam, de Ministro Sacramentorum, Medico, Judice, &c. Ulterius etiam tutiorem partem esse eligendam in aliis dubiis speculativis juris, & facti (excepta materia justitiæ, ubi melior est conditio possidentis) adeo ut stante dubio speculativo v. g. an hodie sit indictum jejunium, necessario aut jejunandum sit, aut dubium speculativum deponendum, docent Vasquez, Turrianus, Sayrus, alii apud Sanchez, l. 1. Moral. c. 10. n. 10. Ratio est: Quia alioquin adhuc te exponeres periculo peccati. Deinde Pontifices in Canonibus citatis in resolvendis casibus allegant illud dictum, *in dubiis tutior pars, via, semita tenenda, vel eligenda est*, tamquam regulam universalem.

§. IV. *In Dubiis speculativis non necessario tutior pars eligenda est.*

72 SEd stante dubio speculativo Juris, vel Facti, v. g. *an res hæc mea sit, an matrimonium valide contractum, an census germanicus sit licitus, &c.* si post diligentem inquisitionem dubium superari nequeat, absque ulla speculativa resolutione, poteris eligere partem minus tutam; scilicet *rem dubiam detinere; matrimonio dubio uti, &c.* Communior, & jam recepta Sententia Doctorum. Suarez, *de Censuris disp. 40. sect. 5.* Sanch. *l. 1. Moral. c. 10. n. 11.* Ratio est: 1. Quia opposita sententia nimis dura est, & difficilis in praxi. Ergo sine sufficienti fundamento non asserenda. 2. Lex invincibiliter ignorata, vel non sufficienter proposita, seu intimata non obligat, secundum omnes: atqui idem est de lege post sufficientem inquisitionem dubitare, ac eam ignorare: ergo in dubio Juris non est obligatio ad tutiorem partem. 3. Miles de Justitia belli dubius, potest nihilominus militare, *c. Quid culpatur, 23, q. 1.* ergo idem dicendum de aliis ejusmodi dubiis. 4. Secundum omnes, etiam adversarios, in dubio circa materiam justitiæ, v. gr. *An res quam hactenus bona fide possedi, sit mea, necne*; non est necessario tutior pars eligenda, sed licite eam retineo, licet id minus tutum sit: atqui peccati periculum non minus vitandum est in materia, & lege justitiæ, quam in materia, & lege cujuscumque alterius virtutis: ergo, sicut non obstante dubio ejusmodi speculativo in materia justitiæ, potest occurrere sufficiens ratio formandi conscientiam practice certam contra illud dubium; scilicet *non esse restituendum. Quia melior est conditio possidentis*: ac per hoc sufficienter evitatur periculum peccati; ita etiam in materia aliarum virtutum, & legum occurrere potest similis sufficiens ratio contra dubium speculativum formandi conscientiam practicam certam, se non obligari, v. g. qui invincibiliter dubitat de voto emisso, die festo, vel jejunio, se non teneri voto, festo, jejunio, &c. eo quod etiam in iis dubiis melior sit conditio possidentis suam libertatem (de quo paulo infra) atque per hoc æque vitabitur periculum peccati. Nulla ergo est ratio oppositæ Sententiæ, talem adhuc se exponere periculo peccati. Deinde Pontifices in citatis Canonibus supponunt quidem illam regulam, *in dubiis tutior pars est eligenda*: non tanquam legem universaliter obligantem, sed tamquam regulam convenientiæ: ob cujusm di majorem convenientiam recte statuunt in particulari dubio patrati homicidii, Clericum debere abstinere a Sacris, tanquam irregularem ob reverentiam tanti Sacramenti, & Sacrificii. Et hisce jam sensim introducta, præmunita, immo probata venit.

ASSERTIO XII.

CUm conscientia dubia extrinsece, & objective tantum, stante scilicet dubio speculativo Juris, vel Facti, formando conscientiam practicam contrariam licite operamur, si debitæ conditiones adsint. Est jam communis, & recepta Sententia, Sanch. *lib. 1. Moral. cap. 10. n. 9.* Laym. *cap. 5. §. 2.* Bard. *Discept. 5. cap. 2. alii apud ipsos.*

EXPLICATIO.

73 RAtio Assertionis ex dictis liquet. Quia in operationibus moralibus non tenemur immediate operari juxta judicia speculativa, sed juxta dictamina practica, seu hic, & nunc dictantia aliquid licere, vel non licere: ergo non obstante dubio speculativo de facto, vel de jure aliquo in communi, si conscientia practice resoluta hic, & nunc prudenter dictet aliquid licere agendum, vel non agendum, contra illud dubium speculativum licite operabimur. Quod autem contra dubium speculativum licite possimus nos practice resolvere, & amplecti partem minus tutam, jam probavimus *n. 72.* Restat nunc explicandum, qualiter resolutio practica contraria facienda sit. Et sane Assertio hæc maximi momenti, & innumerabilibus implicita difficultatibus, quas latissime persequuntur novissime P. Franc. Bardi, *de conscientia, Discept. 6. per totum*, & Thomas Tamburinus *in Decal. l. c. 3. §. 6. per tot.* discurrentes per omnes fere materias, Bone Lector, ego magno studio selegi tibi hæc pauca sequentia, quæ ad casus conscientiæ communius occurrentes expediendos magis necessaria, & sufficientia putavi. Conare bene capere.

§. I. *Stante Dubio speculativo, fiat resolutio practica cum ratione.*

AD hoc, ut contra dubium speculativum, intellectus prudenter se resolvat practice, adeoque voluntas licite agat: duo omnino necessaria sunt. Unum est, *semel pro semper*. Dubium speculativum verum, & invincibile sit; adeo ut adhibita debita, & pro conditione personæ, ac circumstantiarum moraliter possibili diligentia inquirendi veritatem, nihilominus dubium perseveret; alioquin si se resolvere, & veritatem cognoscere sciat, aut scire possit, ac negligat, non erit vere dubius, nec consequenter poterit formare conscientiam practicam, & agere contra dubium. Alterum est. Non solo voluntatis imperio potest deponere dubium practicum contra speculativum (nisi forte hoc ex futili motivo, vel scrupulo conceptum esset) sed necessario debet adesse aliqua causa rationabilis movens ad eligendam alteram partem, & formandam conscientiam practicam contra dubium speculativum, ut supponimus, rationabiliter conceptum, *uti docent Doctores communiter cum* Sanch. *cit. lib. 1. c. 10.* Exempli gratia. Dubitas *speculative*, an hac vigilia sit indictum jejunium: *practice* vero, an tenearis jejunare, carnibus abstinere, &c. Ante omnia debes adhibere moralem diligentiam ad vincendum dubium illud, & veritatem cognoscendam. Si deprehendas, esse indictum jejunium, utique teneberis conscientiam, & operationem conformare. Sin vero veritatem deprehendere nequeas, sed dubium speculativum maneat, tutissimum quidem esset, se adhuc practice conformare: scilicet jejunandum esse: at potes te etiam practice resolvere in alteram partem contra dubium, scilicet non esse obligationem jejunandi, &c. dummodo habeas aliquam causam rationabilem, vel motivum ad hoc, quale in particulari esset aliqua ratio verosimilis, exemplum bonorum, auctoritas viri fide digni, &c. Generatim vero ad ejusmodi practicas resolutiones contra dubia speculativa inserviunt illa duo solemnia dicta sequentia. 74

§. II. *In Dubio melior est conditio Possidentis.*

DIctum hoc varie repetitum in jure, secundum omnes locum habet in materia justitiæ: quando nimirum dubium est, an res aliqua sit hujus, vel illius dominii, seu proprietatis, & unus de facto bona fide possidet illam rem: tunc melior, seu potior est conditio possidentis, ut nec ipse eam restituere teneatur, nec ei etiam in judicio auferri possit. Insuper etiam habere locum in materia aliarum legum, & virtutum, contra Azorium, Sayrum, Vasquez, Turrianum, & multos a se citatos late docent Sanchez (eadem opera, qua aliud dictum supra *n. 72.*) *lib. 1. Moral. c. 10. n. 10.* Filliuc. *tr. 21. c. 4. n. 159.* Bonacina *de Restitut. disp. 1. q. 2. p. 2.* Caramuel *de conscientia dubia disp. 1. resol. 3.* Bardi *discept. 5. c. 4. alii apud ipsos.* Est jam communior, & recepta sententia, quam ut certam supponunt passim mei Layman, Marchant. Ratio est, quia eadem prorsus ratio militat in materia justitiæ, & in materia aliarum virtutum, ac legum. Sicut enim in materia justitiæ, urgente dubio, an sit res mea, nec ne: resultat quædam æqualitas inter obligationem restituendi, & potestatem, seu libertatem retinendi, & ideo accedente possessione huic parti, debet pars illa prævalere; ita in materia aliarum virtutum, ac legum, quando urget verum dubium, an quis obligetur aliquid facere, nec ne v. g. *Jejunare, audire Sacrum, &c.* resultat quædam æqualitas inter obligationem legis, & libertatem hominis. Quod si ergo consideratis omnibus, manet dubia obligatio legis, cum secluso illo ipso dubio certa sit libertas hominis, debet prævalere libertas hominis potiori conditione possessionis: idque etiam verum est, quando rationes in oppositum essent probabiliores, dummodo non ita efficaces, ut tollant probabilitatem partis possidentis, seu causæ disparitas adeo faveat non possidenti, ut vincat alterius possessionem. Vide Sanchez, *cit. n. 12.* 75

§. III. *Possessio adjuvans in dubio sit bona fide cœpta.*

UT in dubio melior sit conditio possidentis, debet possessio fuisse bonæ fidei ante exortum dubium, Exempli gratia, in materia justitiæ. Quando quis rem alienam tamquam suam bona fide accepit, & possedit, postea vero dubium 76

dubium oritur, an sit aliena, & restitutioni obnoxia, tenetur is quidem veritatem diligenter inquirere, & interea rem conservare: quod si facta diligenti, & judicio boni viri, sufficienti inquisitione, veritas non appareat, durante, & non obstante illo dubio speculativo juris, practice certo se resolvere potest, licere sibi rem illam retinere, usurpare, absumere, alienare: & quamvis postea aliena fuisse demonstretur, dominusque compareat, non tamen obligatur restituere, nisi quod adhuc extat, vel quantum inde ditior est factus. Communissima, & certa doctrina, Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.*41. *qu.*2. *& lib.*1. *Moral. c.*10. *nu.*9. *aliisque cit.* Laym. *lib.*1. *tr.*1. *c.*5. *§.*3. *nu.*21. Diana *par.* 4. *tr.*3. *resol.*25. Ratio est: quia in tali casu secundum jura, dubius non est spoliandus in foro externo: ergo neque in foro interno; quia forum internum semper externo conformari debet, quando externum forum falsæ præsumptioni non innititur, ut late probat Sanch. *c. l.*2. *de matr. disp.* 5. *n.* 20. & alii apud Dian. *cit.* Adde ex modo dictis, etiamsi eo casu possessor bonæ fidei speculative probabilius judicet, & magis inclinet, rem esse alienam, seu ad alterum pertinere, tunc tamen moralem certitudinem non habet, ad nullam restitutionem obligari, neque in tota secundum omnes, neque in parte, juxta scilicet inclinationem majorem, vel minorem, ut docuerunt Bannes, Ledesma, Salon, Coninch. & ipse Sanch. *cit. de matr. lib.*2. *disp.*41. *nu.*10. apud Dian. *cit.* Ita Molina *tom.*1. *tr.*2. *disp.*16. Idem Sanc. *se retractans lib.*1. *moral. c.*10. *n.*9. aliisque citatis Laym. *cit. n.*21. Dian. *par.*2. *tr.*15. *resol.*10. Ratio est: quia non tenetur quis jure possessionis suæ se ipsum ante omnem Judicis sententiam privare, nisi constet rem ad alterum pertinere, ut etiam indicat S. August. *lib. de fide, & operibus, c.*7. relatus, *c. si virgo* 34. *q.*1. dicens: *bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum:* dum autem certo non constat, rem esse alienam, tamdiu possessor ignorat se possidere alienum, & quamdiu partium jura incerta, vel obscura sunt, præsumptio est pro possidente: ergo &c. Confirmat praxis etiam bonorum: si enim aliquis rem bona fide tamquam suam possidet, & alius eam restitui petat, tamquam ad se pertinentem, si post diligentem inquisitionem ipsi certo non constet, quidquid inclinet, vel probabilius appareat, rem ad alterum pertinere, solet possessor judicium experiri, & antea non restituere, quam a judice cognita causa, condemnetur. Si autem partes eo casu Judicem non habeant res compositione transigenda erit, arbitrio bonorum.

Ex dictis sequitur, si quis in tali dubio a bonæ fidei possessore rem sine auctoritate Judicis auferat, ei injuriam, & injustum damnum inferre, & ad integram restitutionem obligari: sicut & in judicio a Judice ante cognitionem causæ in integrum restituendus erit, ut ex Navarro *c.*17. *n.*117. Sanch. *cit. disp.*41. *n.*26. & aliis notat Laym. *lib.*1. *tr.*1. *c.*5. *§.*3. *n.*21. At quid tandem, si possessor bona fide dubitans, rem esse alienam, dum postea neglexit culpabiliter investigare verum Dominum, unde postea impotens factus est ad eum amplius cognoscendum? talem teneri restituere, aut illi, cujus rem esse dubitat: aut eo ignoto, pauperibus, juxta proportionem dubii, & spei, quam ante habebat inveniendi Dominum, docent Sanch. *lib.*2. *Moral. c.*23. *n.*183. Molina *tom.*1. *disp.*39. *concl.*1. & alii apud Dian. *cit. p.*4. *tr.*3. *resol.* 29. Ipse tamen cum Castro-Palao *to.*1. *disp.*3. *punct.*2. *n.*9. probabilem censet sententiam oppositam Bonacinæ: *de contract. disput.*1. *q.*2. *punct.*2. *n.*8. talem nimirum non teneri ad restitutionem; tum quia quamvis peccaverit negligendo inquisitionem veritatis, tamen possidere cœpit bona fide, ut supponitur: sed melior est conditio possidentis: ergo, &c. Tum quia non constat, an damnum alteri intulerit, non inquirendo rei veritatem: qui autem dubitat, an sua actione, vel omissione fuerit aliis causa damni, non tenetur ad restitutionem: ergo &c. Sententia omnino probabilis: prior tamen tutior. At contra, si quis ab initio rem mala, vel dubia fide possedit, utpote dubitans esse forte alienam vel furtivam v.g. quia emit, vel dono accepit a persona suspecta, vel infami de furtis, jam assimilatur possessori malæ fidei, & post diligentem veritatis inquisitionem, perseverante dubio, non poterit totum retinere, sed tenetur restituere pro rata, & proportione dubii juris, quod alius in illam rem habere putatur: & si comparente vero Domino demonstretur fuisse aliena, tenetur restituere totum, in re, vel in æquivalenti, una cum fructibus rei, tamquam possessor malæ fidei, cui sua possessio nihil suffragari potest, etiam amisso pretio, quod pro re illa dubia dedisti, quia mala fide dedisti. Communissima DD. in materia de justitia: quos congerunt, & sequuntur Sanch. *lib.*2. *de matrim. disp.*41. *n.*24. Laym. *c.* 5. *§.* 3. *n.* 22. Dian. *par.*4. *tr.*3. *res.*27. Ratio est: quia ex una parte, qui rem aliquam accepit dubitans an accipiendi jus habeat, is non bonæ, sed malæ fidei possessor est, juxta illud principium: *mala fide contractum iniri, possessionem inchoari ab eo, qui initio dubitat, num contrahendi, possessionem capiendi jus habeat:* ergo perseverante hoc dubio, possessio ei suffragari non potest; ex altera autem parte, quia certus non est, rem ad alterum pertinere, & ipse dubium in ea jus habeat, ex titulo emptionis, vel donationis: ideo perseverante hoc dubio, non obligatur ad restituendum totum, sed tantum secundum dubii proportionem, donec comparente vero domino, res ipsius esse certo demonstretur. Sunt tamen casus, quibus quis rem dubie furtivam, vel alienam emptione, vel donatione accipere, juste possidere, & retinere potest. I. Si a possessore bonæ fidei accepit, intelligens nimirum venditorem, vel donatorem bona fide eam rem alienasse, quia post diligentem inquisitionem is non poterat deprehendere rem esse alienam: nam eo casu emptor succedit in jure venditoris, ut ex Molina, & Sanch. cit. notat Laym. *ibid. n.*22. *in fine*. II. Si quis dubitans, vel suspicans rem esse furtivam, eam emit, vel dono accipit, cum proposito eam Domino reddendi tamquam ejus negotium utiliter gesturus, & postea Domino reddens deducere potest pretium datum, dummodo pretium justum sit, & alias Dominus rem suam sine tantis expensis non esset recuperaturus. Ita Sanch. *loc. cit. num.*29.

Exemplum aliud in materia Matrimonii.

SI post matrimonium bona fide contractum, postea supervenit dubium de illius valore ob latentis alicujus impedimenti suspicionem. 1. Sic dubitans ante omnia adhibere debet moralem diligentiam inquirendi veritatem, & interim, dum spes est, veritatis cognoscendæ, a petendo debito abstinere debet: attamen alteri conjugi bona fide petenti reddere tenetur; ut in simili mox iterum dicam. 2. Facta sufficienti inquisitione, dubio perseverante, non solum alteri conjugi petenti debitum reddere potest, & tenetur; cum nemo privatus, alterum sui juris possessione privare possit, ob dubias, vel probabiles, non tamen certas rationes: Verum etiam 3. Ipsemet debitum licite exigere potest, ut contra Hurtad. & alios apud Dian. *cit. p.* 4. *tr.* 3. *resol.* 15. docet communis DD. cum Sanch. *lib.*2. *de Matr. disp.*41. *q.*4. *n.*46. Laym. *cit. §.*3. *n.*24. alii apud Dian. *ibid.* Ratio est: quia dubium superveniens bonæ fidei possessori obesse non debet: neque hic adest periculum peccati, seu fornicationis formalis; nam esto matrimonium reipsa esset nullum, attamen probabilis, & vincibilis ignorantia in bonæ fidei possessore a peccato excusat; atque ita colligitur ex S. August. *lib. de fide, & operibus c.* 7. quod refertur 34. *q.* 1. *c. si virgo & c.*2. *ut lite pendente:* ubi habetur, *quod conjugum alteruter accusatus* (de matrimonii defectu) *ante probatam accusationem, jure, quod habet in altero privari non possit.* Et expressius *c. inquisitioni de sent. excommunicationis*. 4. Quod si denique Matrimonii defectus alicui manifeste exploratus sit, jam nec reddere, nec petere poterit: *quin debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per commercium carnale peccatum operari mortale* (scilicet fornicationis, petendo vel reddendo putatitiæ conjugi) ait Innocentius III. *cit. c. Inquisitioni*. At valde difficile est, quod ibidem in fin. subjungit: *verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in altero, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam*. Hæc Pontifex. Varia est responsio DD. & Canonist. apud Laym. *cit. n.* 24. *fin.* Ipse autem facilius respondendum censet, ibi Pontificem loqui de illo, qui ab initio mala fide contraxit matrimonium; quia videlicet jam tunc dubitabat, vel dubitare debebat de ejus valore, ut proinde casus sit similis illi, de quo agitur *c. Dominus*, mox allegando. Contra vero, si quis matrimonium ab initio contraxit mala, vel dubia fide ob latentis impedimenti suspicionem perseverante dubio, ipse debitum petere non poterit, ob rationem datam: attamen alteri conjugi, quæ bona fide contraxerat, bona fide petenti reddere obligatur. Ita expresse resolvit Pont. Alexand. III. *c. Dominus, de secundis nuptiis:* ubi dubitant de valore matrimonii quod contraxerat, nondum habita certitudine de morte prioris conjugis, respondet: *Ei quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenus exigendum*. Communis DD. cum Sanch. *cit. n.* 42. Laym. Dian. *cit.* Porro si uterque conjux mala fide contraxit, scilicet gnarus, vel dubius de impedimento dirimente, jam neuter poterit petere; multo minus alteri petenti alter reddere tenebitur, ut omnes advertunt. Ratio clara est, quia jam neutri suffragatur possessio mala, vel dubia fide incæpta. At quid si conjuges eo casu habeant rationes aliquas probabiles, matrimonium valere, quamvis probabilius judicent, non valere? Posse ipsos reddere, & petere debitum, affirmat Sanch. *cit. disp.*42. *de matr. n.*9. Negat autem mordicus Merola apud Dian. *cit. p.*4. *tr.*3. *resol.*15. *fin.* qui utramque sententiam censet probabilem. Ego sententiæ Sanch. libens accedo propter rationem datam, *sect.*3. *de conscientia probabili*. Conformiter ad prædicta resolvendum erit in aliis materiis quibuscumque. His ita suppositis, jam statuamus 77

tuamus aliquot regulas *communes pro casibus* particularibus innumeris resolvendis.

§. IV. *In dubio non præsumitur factum, sed demonstrari debet.*

78 Dictum hoc habetur in jure civili *L. in bello, ff. de captivis postliminio reversis*. Atque universaliter verum est, quando dubitatur de facto principali aliquo, ut, *an voveris, percusseris, &c.* solo excepto, nisi in casu particulari jus aliud statueret, ut de facto homicidii in ordine ad irregularitatem: de quo infrà *n.98*. At verò, quando jam constat de facto aliquo principali, & dubitatur solùm de altero aliquo facto accessorio, vel secundario, non est universaliter verum, sed amplam habet exceptionem: Accipe hanc generalem. *In dubio tale factum præsumitur, quando de jure faciendum erat: aut si ita, ut ordinariè fieri soleat: aut si ita fieri sit favoribile facienti*. Ex Laym. *cit. c.* 5. *§.*4. *n.*32. & aliis. Quò spectat & alia regula Glossæ, *in L. de contrahenda, ff. de regulis juris*. In dubio non præsumitur actum aliquem, v.g. *donationis, & legati, c.* intervenisse. Si autem constet, tale aliquid actum potiùs, ut validum, quàm ut irritum pronuntietur. Quod si ergo constet, hominem quidpiam egisse, v. g. aliquid DEO yovisse: matrimonium contraxisse: testamentum condidisse: rem alienasse, aliumve contractum celebrasse, &c. & dubitetur solùm de accessoriis jure debitis, vel fieri solitis, ea meritò facta præsumuntur, v. gr. quòd adhibuerit sufficientem deliberationem, animo se obligandi, & implendi solemnitates de jure ad talem actum requisitas, &c. Quia nimirum rationabile est, ut magis existimetur aliquem munus suum rectè obiisse, atque in eo, quod agit, nihil necessarium omisisse: *Delictum enim, vel defectus non præsumitur, sed demonstrari debet*. Quæ maximè vera sunt in materia favorabili operanti. Quò etiam referri debet, quod quandocumque constat de actu externo ritè peracto v. gr. matrimonii contractu, Religiosæ professionis, testamenti, &c. in dubio præsumantur actus interni sufficientes, & requisiti adfuisse; nisi accedat alia præsumptio in oppositum, ob eamdem rationem. Ex dictis jam statuamus aliquot regulas communes pro casibus particularibus communiùs occurrentibus resolvendis.

Regula Generalis,

79 Illud *possidet, aut præsumitur in dubio, quod vel certum est, vel prius est, vel priori alicui regulariter accessorium, aut certè dubitanti magis favorabile*. Hanc rudem, ac velut rusticam regulam credo Confessario simplici sufficientem, certè facilè applicabilem ad plerosque casus: sanè non omnes, Quænam enim universalis regula istum casuum Euripum, ac voraginem contineat? certè neque illa, quam ex Soto tradit Sanch. *cit. l.* 1. *c.* 10. *n.* 13. & ex eo Bardi *discept.* 5. *c.* 5. a præsumptione fori externi petitam: quam tamen difficulter applicabis.

REGULÆ SPECIALES,

Prima,

80 Quandocumque *verè dubitatur de lege aliqua lata, promulgata, recepta, aut de vero certo ejus sensu, homo manet in possessione suæ libertatis contra legem*. Contrà. *Quandocumque constat, legem aliquam fuisse latam, promulgatam, receptam: dubitatur autem solùm de ejus obligatione pro tali, vel tali casu, vel de ejus abrogatione, Lex est in possessione suæ obligationis contra hominem dubitantem*. Ratio. Quia in primo certa est libertas, dubia obligatio: in secundo, certa est obligatio, dubia liberatio.

Exempla primæ partis,

81 I. Dubitas, an pro hac vigilia sit indictum jejunium, aut hodie hujus Sancti Festum: non teneris jejunare, vel Missam audire, &c. jam sæpiùs inculcatum. Item Germanus scit, in Quadragesima esse indictum jejunium, dubitat autem, an debeat servari cum abstinentia a lacticiniis, vel an liceat sibi vesci ovis, caseo, butyro: licitè iis vescitur. Etsi enim lex sit in possessione obligationis quoad jejunium, non tamen est in possessione illius stricti sensus, cui de facto universali usu in Germania derogatum est.

II. Item legis in Diana, vel alio Auctore, novam aliquam constitutionem Romæ editam, nescis autem, vel dubitas, an authenticè publicata sit in tua Diœcesi, vel Patria, non obligaris, Quia licèt facilè credam, leges Pontificias Romæ in locis solitis publicatas jam sortiri essentialem vim obligandi Christianos per totum orbem, ex communiori sententia; certum tamen puto, non habere vim actu obligandi in aliis partibus, nisi ubi obligatoriè publicatæ, vel intimatæ sunt, utpote per Legatos, Episcopos, Prælatos Regulares, respectivè, quibus in eo negotio credere tenemur: De hoc autem nobis constare debet. Marchant. *Tribun. p.* 2. *tr.* 2. *tit.* 8. *q.* 5. *in appendice*.

III. Dubitas, an lex aliqua præcipiens, vel prohibens, præsertim censuram, vel irregularitatem inducens, umquam usu recepta fuerit, & vim obligandi obtinuerit, utpote quia nihil constat de ejus usu, præsumi potest, non esse usu receptam: idque maximè, si videas alios communiter agere oppositum, adeò ut nec tu peccati damnari possis, si eam non observes. Ratio est: quia jam dubitatur de aliquo essentialiter requisito ad obligationem legis: dum enim dubitatur, an lex aliquando usu recepta sit, eo ipso dubitatur, an aliquando obligaverit, ideoque possessio non stat ex parte legis, sed pro subditis suam libertatem possidentibus: ita cum Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 19. *q.*12. Castro-Pal. aliisque citatis probabilem, & in praxi tutam censet Diana, *cit. p.* 4. *tr.* 3. *resol.* 14. Etsi contra sentiant Sanch. *tom.* 1. *lib.* 1. *moral. c.* 10. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 21. *c.*4. *nu.* 164. Bonacina, & alii apud Dian. *ibid.* eò quòd tunc præsumptio, & possessio videatur stare pro lege, quam constat esse latam, & dubitatur tantùm de ejus executione. Sed hoc negatur; dubitatur enim de ipsa obligatione legis aliquando habita, quæ nisi probetur, possessio stat pro libertate.

IV. Similiter quando verè dubitatur, an consuetudo aliqua hactenus observata in Communitate v. g. Festum aliquod celebrandi, jejunium, vel abstinentiam talis diei servandi, peregrinationem obeundi, habeat vim legis obligantis, an solùm devotionis, vel honestatis, potiùs inclinandum est in eam partem, quòd consuetudo sit devotionis, vel honestatis, quàm obligationis, quia generalis regula est, quòd in dubio nemo præsumitur velle obligari, neque expedit multiplicare præcepta, ubi moraliter certa non sunt, vel probabilia. Ita verbotenùs Suarez *de legib. l.*7. *c.*15. Rebellus, eosque sequens Diana *cit. resol.* 58. etsi oppositum sentiat Azorius *to.* 1. *l.* 5. *c.* 15. *q.* 5. & sine dubio tutiùs,

Exempla secundæ partis,

I. Constat esse legem latam de non portandis armis, de non comedendo, vel bibendo extra monasterium; dubito verò, an talis lex denuò abrogata sit, vel per non usum cessarit &c. teneor obligatione legis, pro qua stat possessio contra dubitantem. Quòd si tamen verè dubites, an talis lex unquam usu recepta fuerit, & vim obligandi obtinuerit, puta quia, nihil omnino constat de ejus usu, maximè si videas alios communiter agere contrarium, non potes peccati damnari, si tu quoque non observes, ut modò ante diximus. Item constat, rem, quam possideo, esse alienam vel restitutioni alioquin obnoxiam, dubitò verò, an præscribere, vel usucapere possim, ut restituere non tenear, manente dubio, teneor restituere, quia certa lex restitutionis non potest elidi per meum dubium, 82

II. Constat, me emisisse votum, vel juramentum, dubito autem, an dispensatum, vel irritatum sit, aut si dispensatum, vel irritatum sit, tamen dubia fuit potestas dispensandi, vel irritandi: certum est, me manere obligatum: quia certa obligatio voti, vel juramenti non potest tolli dispensatione, vel irritatione dubia quoad factum, vel valorem. At quid si dubitem, an votum illud, vel juramentum emissum sit ante, vel post annos pubertatis, & ideò an a Patre, vel Tutore meo irritari possit? Adhuc posse a Patre, vel Tutore meo irritari contra Salas, & quosdam alios docet communis, Suarez *de Relig. tom.* 2. *l.* 4. *c.* 6. *n.* 1. Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 32. *num.* 2. Joann. Sanch. Tamb. eosque citant, *resol.* 37. Ratio est: quia licèt votum maneat in possessione respectu ipsius voventis, eumque in eo dubio obliget, non tamen respectu irritantis: Pater enim retinet certam possessionem suæ potestatis dominativæ in filium ad ejus vota ante pubertatem edita irritanda: ergo quamdiu non constat de exemptione filii ab hac potestate Patris per certò elapsum tempus pubertatis, Pater non est privandus hac potestate sua. At ulteriùs, quid si dubium sit, an votum sit confirmatum a filio post annos pubertatis, ut sic amplius a Patre irritari nequeat? *Resp.* Sive dubitetur de ipsa confirmatione facta, sive solùm de tempore confirmationis factæ, an scilicet filius ante, vel post pubertatem votum confirmarit, adhuc poterit Pater irritare ob eamdem rationem, certam scilicet possessionem suæ potestatis dominativæ, qua per illam dubiam exemptionem privari non debet, ut latiùs videre potes apud eumdem Sanch. *c.* 1. *n.* 7. & 8.

III. Constat, hodie esse indictum jejunium, dubito verò, an me obliget ob laborem, vel iter peractum &c. teneor jejunare, quia certa obligatio, dubia excusatione tolli non potest, vel petenda erit dispensatio a Superiore, & generaliter quandocumque causa excusans ab obligatione legis certæ est dubia, dispensatione opus est. Communis

nis DD. Sanch. *l.* 2. *de Matr. disp.* 41. *n.* 37. Suarez *de Legibus l.* 6. *c.* 8. *n.* 7. Filliucius, aliique citatis Dian. *p.* 4. *tr.* 3. *resol.* 22. & 56. Quòd si tamen eo dubio ageretur de damno notabili salutis alicujus, nisi carnes comedat, vel iterato reficiatur, non opus fore dispensatione, docet Joan. Sanch. *in select. disp.* 51. *n.* 9. ita ratiocinans: existente causa manifesta non egere jejunantem dispensatione comedendi carnes, omnes fatentur: eodem ergo modo dubia causa existente, opus non erit dispensatione, cùm idemmet jus habeat aliquis ad fugiendum damnum certò venturum, atque illud de quo rationabiliter dubitatur, an sit futurum &c. sic ille apud Dian. *cit. resol.* 56. meritò addentem: *sed an probabiliter, videant alii:* Certè mihi probabile non videtur. Habet quidem quisque jus vitandi damnum etiam incertum, si tamen lex obsistat, dispensatio petenda est, atque id docet optima praxis Ecclesiæ, & Episcoporum: semper enim dubiè excusati ex testimonio Medici dispensationem petere coguntur. Quòd si tamen aliquis verè rationabiliter dubitans de damno secuturo ex jejunio sine dispensatione carnes comederet, secluso contemptu, non ausim statim damnare peccati mortalis.

IV. Eodemque modo resolvendum, quando dubia est causa excusans ab auditione Sacri, a recitatione Horarum &c. At quid si dubites, an ob infirmitatem v. gr. totum, vel saltem majorem partem sine nocumento valeas recitare? 1. Resp. cum Diana *cit. resol.* 67. eo casu te posse, & debere conformari judicio Medici, qui si asserat recitationem nocituram, certè deobligaberis; si secus, obligatus manebis, etiamsi possis solas Horas minores dicere, seu partem officii minorem; est enim inter sententias ab Innocentio XI. damnatas expressè etiam hæc 54. *Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* At quid si ipse Medicus dubitet, an graviter nocitura sit recitatio? Suarez cit. putat, te manere obligatum quia præceptum, ejusque obligatio est certa, & causa excusans dubia maximè, ideòque prævalet, & possidet præcepti obligatio. Sed Bonacina de *Horis Can. disp.* 1. *qu.* 6. *punct.* 1. *num.* 4. negat, te esse obligatum: Idque probabilius judicat Castro-Palaus apud Dian. *ibid.* non dissentientem. Ratio est, quia non teneris periculo gravis damni te exponere ob præcepti Ecclesiastici observationem: nam etsi ipsum damnum sit dubium, attamen periculum illius gravis damni non dubium, sed certum est; quo stante præceptum Ecclesiasticum non obligat, nec possidet, sed potius possidet præceptum naturale cavendi grave nocumentum proprium. Ergo rursus accedo sententiæ Suarez ob rationem præcedenti exemplo indicatam: ideòque ajo, opus esse dispensatione Superioris, quæ si haberi nequeat, tentandum esse, quousque periculum damni verè advertatur. Tandem quando in simili casu verè dubitas, an opus sit dispensatione Papæ, Episcopi vel Superioris te non obligari ad eam petendam, sed tutò procedere posse probabiliter docent Emmanu. Sà V. *dispensatio num.* 1. Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 4. aliique citatis Castro-Palaus & Barbosa apud Dian. *cit. res.* 46. contra Bonacinam putantem, talem se exponere periculo peccandi in legem Superioris. Ratio est; quia in tali casu, cùm incerta sit necessitas dispensationis, adest præsumptio pro libertate, neque alicui morali periculo faciendi contra legem te exponeres, quia non debes te censere legi adstrictum. Et concesso ex tutiori sententia, eo dubio opus esse dispensatione in casu alioquin Papali, adhuc poterit dispensare Episcopus, quia non videtur Pontifex sibi reservare casus dubios, sed certos, ait Castro-Palaus apud Dian. *ibid. fin.* Et in simili de votis iterum agam mox infrà.

REGULA SECUNDA.

83 IN *dubio facti fundantis legem, homo manet in possessione suæ libertatis.* Contra. *In dubio facti supponentis legem, lex manet in possessione obligationis.* Ratio Regulæ est eadem, quæ prioris.

Exempla primæ Partis.

84 I. *In pœnis.* Universaliter in omnibus juribus, & legibus pœnalibus, etiam censurarum, & irregularitatum, in dubio facti, quando verè invincibiliter dubitatur, an quis commiserit tale factum, propter quod constat esse decretam pœnam, censuram, vel irregularitatem, &c. nemo censendus est ligatus: excepta sola irregularitate, ex delicto homicidii voluntarii, constante corpore delicti, & non aliter: nam delictum commissum est factum fundans legem pœnalem, & quia in dubio specialiter non præsumitur delictum commissum, non potest inducere obligationem pœnæ. Sic si verè invincibiliter dubites, an homo a te percussus, fuerit Clericus, nec ne, & ideò an sis excommunicatus, non debes te censere excommunicatum, sed licitè audire Sacrum, aliaque omnia excommunicatis prohibita facere potes: Quia nimirum in dubio non præsumitur factum, & melior est conditio possidentis; cum ergo quilibet possideat jus communicandi cum fidelibus, in Sacris, & Politicis, non debet in dubio eo jure spoliari. Sed de his mox plura inferius assert. seq. Similiter si dubites, an alius sit excommunicatus, aut si scias, eum excommunicatum, dubitas tamen, an sit non toleratus, scilicet notorius percussor Clerici, aut jam nominatim denunciatus, non debes eum devitare, sed ut eum evitare tenearis, requiritur notitia moraliter certa notorietatis, vel denunciationis factæ. Ex communi Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 13. *c.* 7. *num.* 129. aliosque citans Dian. *cit. resol.* 35. & 71. Ratio iterum est: quia aliàs faceres illi injuriam, cum in dubio melior sit conditio possidentis. Excipe tamen, nisi ageretur de valore actus, ut si velles confiteri ei, quem dubitas, esse excommunicatum non toleratum: tunc enim abstinere deberes, ne te exponas periculo faciendi Sacramentum irritum, modo absque scandalo, vel alio periculo abstinere possis. Item si scias, hunc esse peccatorem, v. g. usurarium, concubinarium, sed dubitas, an sit notorius, seu publicus, vel occultus, adhuc non est ei deneganda Eucharistia, quia in eo dubio homo possidet libertatem accedendi ad hoc Sacramentum. Ita post alios Dian. *ibid.* Adde speciale non rarum in praxi, si dubitatur, an infans fuerit validè baptizatus ob materiam, vel formam, vel intentionem dubiam, v. gr. quia fuit ablutus in solo pede, vel in aqua artificiali, vel a Sacerdote, aut alio ebrio, balbutiente &c. etsi supervivens debeat rebaptizari sub conditione, attamen sic mortuus non est privandus Ecclesiastica sepultura, sed in loco Sacro sepeliri potest, & debet, ob eamdem semper rationem, ex communi Dian. *ibid. resol.* 69.

II. *In votis, & similibus:* Qui verò dubitat, an emiserit votum, fecerit juramentum, vel aliam promissionem Deo, vel homini, aut (quod frequentissimum) constat quidem, te aliquid mente decrevisse, dubitas autem invincibiliter, an nudè proposueris, an verè promiseris, ac animum te obligandi habueris, & omnibus consideratis nulla pro voto præsumptio appareat, non teneris obligatione voti. Uti contra Cordubam, Vasquez, Azorium, & alios sanè non paucos apud Dianam *p.* 4. *tr.* 3. *resol.* 10. docet jam communior, & in praxi tuta sententia, cum Suar. *tom.* 2. *de Religione l.* 4. *de voto c.* 5. Sanch. *l.* 1. *Moral. c.* 10. *du.* 2. Layman, Marchant. *citati.* Ratio est: quia nulla hìc est possessio pro voto, vel juramento, sed tota pro libertate voluntatis; nam illa facta fundant legem, quæ, quia in dubio non præsumuntur, non possunt fundare obligationem contra certam libertatem hominis. Et specialiter *Obligatio voti, juramenti, promissionis, adstruenda non est, nisi liquidò cognoscatur.* Arg. *L. Quidquid, de verb. oblig.* Adduut DD. citati, verum esse, etiamsi aliquis suspicetur, seu magis inclinet in eam partem, quòd vovisset, jurasset, promisisset, dum tamen incertus manet non teneri. Immo Sanch. *cit. num.* 37. addit, verum esse, etiamsi quis ob rationes utrinque occurrentes probabiliùs opinetur, se vovisse, dummodo etiam rationes probabiles habeat, quòd non voverit, posse, sequendo opinionem etsi minùs probabilem, & tutam, non implere. Ratio est: quia licèt pro voto fortiores urgeant rationes, & homo in eam partem magis inclinet, si tamen non sint adeo efficaces, ut assensum certum generent, sed rem adhuc relinquant dubiam, si altera pars adhuc appareat probabilis, omnino debet prævalere possessio certæ libertatis.

III. *Ambigua circa vota.* I. Constat quidem, me emisisse votum, sed dubito, an habuerim intentionem me obligandi, teneor ne voto? Omnino sic: quia possessio, & præsumptio stat pro voto: nam in dubio præsumitur quivis potius rectè vovisse, vel promisisse cum debita intentione essentiali promissionis, quàm stultè, & nugatoriè. 2. Dubito, an habuerim sufficientem deliberationem, utpote quia votum factum fuit in aliqua animi perturbatione, v. g. ob metum mortis, ex morbo, naufragio, latrocinio, aut ob vehementem passionem iracundiæ &c. maneo ne obligatus? Omnino manes: quia in his casibus rarò contingit defectus deliberationis requisitæ, & ideò ex communiter contingentibus præsumitur, debitam deliberationem adfuisse, tanquam aliquid alteri certò regulariter accessorium. Ita Suarez *de Relig. tom.* 2. *l.* 4. *c.* 6. *n.* 10. Sanch. *lib.* 4. *Mor. c.* 1. *nu.* 13. Laym. *cit.* Diana *p.* 4. *tr.* 3. *resol.* 11. 3. Dubito, an tunc temporis, quando vovi, habuerim usum rationis, aut defectum deliberationis, ex tenera ætate, quia valde puer vovi: Distinguendum cum Sanch. modo *cit. nu.* 14. si vovens septennium explevit tempore emissi voti, præsumendus est usus rationis in ipso (nisi occurrant præsumptiones in contrarium prævalentes) ac proinde obligabit votum, juramentum, vel alia promissio. Si autem tunc non explevit septennium, præsumitur regulariter defectus rationis, nisi in

si in raro casu de illo constaret, ac proinde non obligabitur. 4. Hoc ipsum dubito, an tunc expleverim septennium, necne, quando vovi? Respondebitur mox *regul.* 3. Interim obiter nota, non solum ejusmodi vota dubia irritari, vel dispensari à potestatem habente, verum etiamsi ejusmodi vota dubia emissa essent in materia reservata, utpote de castitate perpetua, aut Religione ingredienda, non censentur esse reservata Pontifici, quia cum reservatio sit odiosa, restringenda est ad casus certos, non extendenda ad casus dubios, sine dubio non ex mente Pontificis universalis Patris. Communis cum Suar. *cit. l.* 6. *c.* 26. *n.* 6. Sanch. *cit. l.* 4. *c.* 40. *n.* 26. Quare in ejusmodi, & quibusvis dubiis votis dispensare potest Episcopus, vel alius Privilegiatus.

IV. *Ambigua circa professionem*. Emisi professionem Religionis, sed, 1. dubito, an metus intercesserit, necne, præsumitur, non intercessisse, & professionem valere: ut in quovis actu decernitur, *L.* 2. *ff. de his, quæ metus causa*. 2. Constat, metum intercessisse, sed dubito, an juste incussus fuerit, an vere gravis, vel levis, ideoque professio valeat, necne? Iterum præsumendum est pro valore professionis, quia cum constet de professione, & excusatio dubia sit, possessio stat pro professione, & generaliter quandocumque dubitatur de valore professionis, judicatur in favorem Religionis. Communis DD. Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 7. *c.* 2. *n.* 6, Sanch. *de Matrim. l.* 7. *disp.* 37. *nu.* 12. Less. aliique apud Dian. *cit. resol.* 55. 3. Certe ex metu gravi injuste incusso, vel alia causa ficte professus sum, sed dubito, an intra quinquennium ratificaverim, necne? Distinguendum est, si ante lapsum quinquennium sic dubites, non teneris stare professioni, sed adhuc reclamare, & exire potes, servatis servandis, quia ante quinquennium elapsum, nec jus præsumitur ad ratificationem, ergo nec tu in dubio præsumere debes: ideoque in eo dubio possessio stat pro libertate. Contra vero, si post elapsum quinquennium primum sic dubites, teneris professione, quia jus, ipsumque *Conc. Trid. sess.* 25. *c.* 19. *de Regular.* præsumit, professum ratificasse suam professionem, si ante quinquennium non reclamavit: ergo & ipse professus dubitans, ita præsumere debet, & jam possessio stat pro Religione. 4. Volo ingredi, vel profiteri Religionem, sed dubito, an necessitas parentum sit gravis, ut mea ope necessario egeant, necne? Potes licite ingredi, & profiteri, & jam professus egredi non poteris secundum omnes, quia cum eo casu dubium sit præceptum, & obligatio succurrendi parentibus, possidet libertas filii ad ingrediendam Religionem. Vide late Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 4. *n.* 8. Et nos iterum suo loco *p.* 3. *de votis*.

Exempla secundæ Partis.

85 I. Dubitans, an Vesperas, vel alias Horas hodie persolverit: an votum suum, juramentum, vel aliam promissionem impleverit: an certæ alicujus obligationis remissio facta sit, vel hic, & nunc excusans causa adsit, &c. manet obligatus adhuc implere, secundum omnes, nemine contradicente, teste Tannero *hic disp.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 4. *num.* 48. Certa enim fuit obligatio, dubia vero exsolutio, vel liberatio, quæ, quia sunt aliquid facti, in dubio non præsumuntur: ideoque possessio, & præsumptio tota stat pro legis obligatione. Excipe tamen, nisi probabilem conjecturam habeas in contrarium, ut si dubitans de Hora aliqua recitata, meministi, te habuisse propositum recitandi, librum tenuisse, Horas incœpisse &c. præsumere poteris, te recitasse; idque maxime, si scias, te Horam aliquam recitasse, dubitas autem solum, an aliquem Psalmum dixeris: immo si sis timidæ conscientiæ, male faceres repetendo, aperis enim januam scrupulis, & ideo Confessarius tibi injungat, ut non repetas, & reliquum officium prosequaris, inquit benignus Homobonus apud Dian. *cit. resol.* 68.

II. Idque universaliter verum est, quandocumque ex parte operantis supponitur certa obligatio, vel debitum aliquid faciendi, & dubia sit impletio, etiam in materia justitiæ erga alterum, uti notat Vasquez 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 7. saltem quando solus debitor dubitat, an v. g. debitum solverit, rem alienam restituerit, &c. creditor autem non dubitet, sed vel existimet non esse sibi satisfactum, vel occulti sibi debiti ignarus sit. Tunc enim iterum possessio stat ex parte debiti certi, & solutio dubia non præsumitur. At, quid si uterque tam debitor, quam creditor dubitet de solutione facta? Debitorem adhuc teneri ad integram solutionem, affirmat Sanchez *cit. cap.* 10. *num.* 12. Eo quod creditor sit in certa possessione sui juris, quo per dubiam solutionem privari non potest. Contra, debitorem omni obligatione liberat Tanner. *cit. num.* 49. Eo quod in tali dubio melior sit conditio possidentis: utraque opinio probabilis, adeo ut eo casu, nec debitor condemnandus sit, si omittat, nec creditor, si exigat integram solutionem, ut notat Laym. *cit.* qui tamen longe probabilius resolvit, ad æqualitatem inter utramque partem servandam, debitorem teneri non ad integram solutionem, sed tantum ad partem debiti secundum proportionem dubii. Quia æquitas non patitur, ut debitor sine sua culpa, magno periculo subjaceat solvendi bis integrum debitum; creditor autem & ipse dubitans, una cum dubio binæ solutionis, nulli periculo expositus sit.

III. Titius, & Cajus eodem fere tempore rem habuerunt cum Anna, nata inde prole, jam dubitatur, quisnam eorum sit Pater, & prolem alere teneatur. Responsio communis est, utrumque obligari pro parte rata, & æqualiter; cum utrique constet de delicto, dubitent autem de excusatione. Sic Vasquez, Turrianus, Salas, & alii apud Dian. *sæpe cit. resol.* 31. Verum mihi probabilissima visa est sententia aliorum, neutrum obligari ad quidquam; nam licet constet de delicto, non tamen constat, sed dubium est, quisnam obligationem contraxerit, ideoque melior est conditio utriusque possidentis res suas. Adde, quod neuter infanti damnum intulerit, sed potius alteruter magnum bonum præstiterit; cum melius sit esse, quam non esse. Alia est ratio de duobus adulteris respectu mariti, qui natam ex adulterio prolem alere cogitur. Ita præter alios fuse Lugo *tom.* 1. *de justit. disp.* 13. *sect.* 2. *num.* 20. Opposita tamen sententia utrumque obligans ad partem est communior, & certe in praxi tutior. Vide Bardi *discept.* 6. *cap.* 9. §. 21. Similiter in Concilio per suffragia secreta conclusa est res injusta, in damnum Reipublicæ, vel privatæ personæ; dubito ergo, an meum votum fuerit ex primis majoribus sufficientibus, an vero ex posterioribus post damnum suffragiis sufficientibus jam conclusum, teneborne ergo restituere, vel saltem concurrere ad compensationem damni illati? Affirmat Petrus Navar. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 35. eo quod rursus certum sit delictum, & restitutionis debitum, dubia vero excusatio. Sed æquè probabiliter negant Rebellus, & Gordonus, eosque citans Diana *resol.* 36. eo quod sit dubia obligatio, ideoque melior conditio possidentis: utraque sententia probabilis.

IV. Ego nuper colludens Titio ad solutionem faciendam, per fraudem contra leges lusi, decipiens lucratus sum decem aureos, & insuper dubito, an non, si ego fraudem non adhibuissem, ipse lucratus fuisset, ad quid teneor restituendum? R. Te obligari solum ad restituendam illam pecuniam, quam per fraudem accepisti, & nihil amplius, scilicet aliam pecuniam, quam seclusa tua fraude alter forte lucratus fuisset. Ratio est: quia in tam incerto dubio melior debet esse conditio possidentis. Ita Lessius *l.* 2. *de justit. cap.* 26. *dub.* 2. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 27. *cap.* 7. *num.* 103. Salas, Bonac. aliosque citans Diana *resol.* 75. ubi recte advertit, si aliquis ludens dubitet, an hoc lucrum per fraudem acquisierit, eo dubio perseverante, debere restituere; quia nemo potest in dubio acquirere, & melior est conditio alterius possidentis jus suum. Plura vide in materia de restitutione, itemque de homicidii dubiis *tr.* 4. & 5.

REGULA TERTIA.

IN dubio circa tempus inchoandæ obligationis, homo manet in possessione suæ libertatis. Contra. In dubio circa tempus finiendi obligationem, lex manet in possessione obligationis: Ratio Regulæ eadem, quæ præcedentium. 86

Exempla mixta utriusque Partis.

I. Ipso die jejunii, v. gr. Sabbati, vel Vigiliæ, dubitans, an sonuerit hora noctis duodecima, vesci carnibus non potest, donec certior fiat. Certum enim est, legem obligare tota die naturali, usque ad horam noctis duodecimam, de qua dubitatur, nec in dubio præsumitur, ideoque possessio stat pro parte legis. Contra vero, die præcedente jejunium, v. g. Feria ante Cineres, in multam noctem cœnans, & dubitans, an impleta sit hora duodecima, libere potest pergere comedere, donec certior fiat (sicut & in dubio subsequenti altera die, censere potest, se non violasse jejunium) quia possessio stat pro libertate, cum certum sit, liberum esse homini comedere carnes tota illa die usque ad initium sequentis, quo certo jure non potest privari per dubium de finito tempore libertatis, vel inchoato tempore abstinentiæ. 87

II. At quid dicendum de Sacerdote sequenti die celebraturo, vel alio communicaturo? Resp. cum distinctione. In dubio antecedenti, an sonuerit hora duodecima, necne, Sacerdos celebraturus, vel alius communicaturus sequenti die, omnino cessare debet a cibo, & potu. Cum in tam gravi præcepto, reverentiam tanti Sacramenti concernente, tutior pars eligenda sit. Sanchez *l.* 2. *de Matrim. disp.* 41. Layman, & alii. At vero in dubio subsequenti, an hac nocte horam duodecimam excesseris edendo, vel bibendo, probabile recte censet Layman *num.* 36. Sacerdotem posse celebrare, vel alium communicare, etiam ex voluntaria devotione (quod si enim urgeret necessitas officii implendi, vel scandali vitandi, res certa est.) Eademque est ratio,

tio, si celebraturus, vel communicaturus dubitet, an os eluens, vel aliquid masticans, aliquid aquæ, vel succi demiserit. Quia lex Ecclesiastica de jejune communicaturis servanda, non videtur tam arctè constringere conscientias, in dubio præsertim facti, quod alias non præsumitur. Omnino probabiliter. Magis probabiliter adhuc resolvunt Sanchez uterque, aliisque citatis Diana *ibid. resol.* 19. Quando sunt diversa horologia in aliquo loco, & unum jam sonuit duodecimam, aliud vero non, eum, qui post sonitum primi horologii ante sonitum alterius comedit, & bibit, posse sequenti die communicare, vel celebrare, dummodo constet, aliud horologium sonuisse primo post esum, vel potum completum. Ratio est: Quia ejusmodi diversa horologia habent se sicut duæ opiniones probabiles, quarum utramlibet licet amplecti in praxi, & alias secundum jura in odiosis potest ad ultimum appellari.

III. Juvenis post diligentem inquisitionem dubitans, utrum expleverit annum ætatis vigesimum primum, a quo incipit obligari jejunio, manet in possessione libertatis, nec est adstringendus legi jejunii: cum certa sit ejus libertas usque ad illum annum expletum, expletio autem incerta. Contra senex dubitans, an expleverit annum sexagesimum, manet adstrictus legi jejunii, cujus obligatio certa est, dubia autem liberatio. Item dubitans, an habeat annos requisitos ad sacros Ordines suscipiendos, v. gr. vigesimum quartum completum pro Sacerdotio, interim abstinere debet, quia possessio stat pro lege Canonica certo prohibente ante expletos illos annos ordinari; expletio autem incerta, & dubia facta non præsumitur. Item, si moriatur Canonicus, aliusve Beneficiatus ultima nocte mensis Episcopalis, in dubio, an ante, vel post medium noctis decesserit, Provisio beneficii spectabit ad Episcopum, quia possidet mensis Episcopalis. Oppositum consequenter dicendum esset, si similiter moreretur ultima nocte mensis Papalis. Nisi putes, Pontificem nolle ad ejusmodi dubia extendi reservationem suam contra jus commune concedens Episcopo conferre omnia beneficia suæ Diœcesis, & sic adhuc Episcopum posse conferre. Ita sentire videntur graves Auctores apud Bardi *discept. 6. c. 6. §. 11.*

IV. Denique, in dubio ætatis sufficientis, & requisitæ ad contrahendam obligationem, v. g. septennii completi, vel pubertatis, per se quidem præsumitur ætas minor, quæ prior est: at vero post factum, quando nimirum constat votum emissum, sed dubitatur, an ante, vel post septennium impletum; aut constat, contractum bona fide factum, dubitatur autem, an ante, vel post annos requisitos impletos, omnino standum est pro voto, vel contractu. Quia semper præsumendum est pro valore actus potius, quam pro nullitate. Ex communi Sanch. *l. 4. Moral. cap. 1. nu. 4.* Quamquam quoad votum aliqui contra sentiant, & probabile puto, quando dubitatur de ætate, & simul de deliberatione sufficienti: tunc enim rationabiliter dubitatur de aliquo constituente essentiam voti in tam tenera ætate non facilè præsumendo. Castro-Pal. cum Tambur. *l. 1. cap. 3. §. 7. v. ætas, n. 7.* Denique jam supra indicatum est, quando dubitatur, an pueri habeant usum rationis, præsumendi sunt habere, si septennium certo expleverint; Secus, si nondum expleverint. At quid si certo constet, puerum ante septennium expletum vere habere usum rationis, & esse doli capacem, tenebiturne tempore debito abstinere a carnibus, confiteri, & alia hujusmodi? &c. Affirmative respondet Laym. *lib. 5. tract. 6. c. 4. n. 6.* aliique communiter loquendo de confessione puerorum. Omnino probabilius, & tutius: At certe satis probabiliter negat Joan. Sanchez apud Dian. *cit. resol. 52.* hac notabili resolutione: *quamvis ante septennium puer doli capax sit, nullo præcepto positivo obligari reor, cum leges positivæ ante illam ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri est solitum, non intendant obligare, & per accidens contingat in uno, vel altero puero usum rationis accelerari; in quo absque discordia puto consentire Doctores.* Ita Sanchez certe in ultimo deceptus, quem tamen sequitur Castro-Pal. aliique recentiores.

REGULA QUARTA.

88 *In dubio de modo obligationis contractæ, vel solutionis factæ, consideratis omnibus, & nullo obstante, præsumendum est id, quod dubitanti favorabilius, seu minus onerosum est.* Ratio est. Quia favores ampliandi, odiosa restringenda sunt; Et nemo in dubio præsumitur, se velle gravare, &c.

Exempla de modo obligationis contractæ, maxime in Votis.

89 I. Universaliter, quandocumque possessio non stat pro verbis voti, tenetur vovens in dubio ad id, quod minus est, ut probat bene Sanch. *l. 4. Moral. c. 16. n. 86.* Et hinc qui vovet aliquid, & dubitat, an sub mortali, vel veniali tantum obligare se voluerit, idque neque ex vi verborum, neque ex materiæ quantitate, vel parvitate dijudicari certo possit, judica, eum obligari sub veniali tantum, vel potius dispensa, ne scrupuli hæreant. Item, qui vovit rosarium, dubius, an integrum 15. decadum, an vero tertiam tantum partem, quinque, vel sex decadum promiserit, ad hanc solum obligatur: quia etiam tertia pars rosarii, vel corona sex decadum rosarium Virginis appellatur, & obligatio, cum sit dubia, strictè interpretanda est: Suarez *tom. 2. l. 4. c. 8. num. 5.* Laym. *l. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 31.* Diana *resol.* 10. alii apud ipsos. Addit Sanch. *l. 4. Moral. c. 13. n. 5.* Si quis vovit orationem, vel eleemosynam simpliciter, satisfacere, si oret unum *Pater* & *Ave*, aut det unum obolum: In quo exciperem, nisi tam modicum dare minimum dedeceret personam dantis. Eademque ratione, qui certus est, se emisisse votum Religionis, sed dubitat invincibiliter, an intenderit Religionem in communi, an vero hanc, vel illam in particulari, an strictiorem, vel arctiorem; potest ingredi quamlibet, quia possessio stat pro libertate quoad electionem. Insuper si dubitet, an promiserit solum ingredi, an etiam profiteri, non tenetur profiteri, & perseverare in Religione, sed satisfacit ingrediendo, & probationem subeundo, quia votum in dubio obligat ad id, quod minus est. Suar. *cit. c. 8. n. 7.* Sanch. *cit. c. 16. nu. 8.* & alii contra Navarr. *l. 3. cons. de votis num. 2.*

II. Qui certus est, se vovisse castitatem, sed immemor verborum suorum, seu formulæ vovendi, consideratis omnibus vere dubitat, an promiserit castitatem perpetuam, an vero temporalem tantum, usque ad tempus opportunum conjugii, potest eligere, quod minus est; & tempore opportuno matrimonium contrahere. Sanch. *cit. l. 4. cap. 16. à n. 16.* Idemque est, si dubitet, an promiserit castitatem omnimodam, an vero conjugalem tantum, tenetur ad hanc solum, quæ minor est. Similiter qui certo vovit; non accessurum se ad fœminam, non tacturum mulierem, &c. aut e contra fœmina, se non admissuram virum &c. & vere sine dolo dubitet, utrum de accessu fornicario, & illicito tantum, an vero etiam de conjugali, ac licito accessu intellexerit, non tenetur abstinere a nuptiis, sed potest adhuc matrimonium contrahere, eoque uti, quia rursus possessio stat pro libertate. Sanchez *lib. 2. de Matrimon. disp. 41. n. 33.* aliisque citatis Dian. *resol.* 10. Bardi *discept. 6. c. 1. §. 9.* & ita in similibus. In dubiis enim semper potest quis eligere minus, præsertim in voto, quod velut onerosum strictè interpretandum est.

III. Dixi autem, *si immemor verborum suorum &c.* nam quoties vovens est memor suorum verborum exterius, vel interius prolatorum, in dubio judicandum est juxta communem eorum intellectum. Unde si is, qui vovit Deo castitatem, absolute protulit, *voveo, vel promitto castitatem*: cum hæc verba perpetuitatem quamdam importent, omnino obligabitur ad perpetuam, & omnimodam, ut notavit Sanchez *l. 4. Moral. c. 13. citat.* & ibidem *c. 16. n. 114.* ad difficilem casum, quo quis dubitat, an voverit castitatem independenter, vel dependenter a Religione ingredienda, optime ita resolvit. Si vovens memor verborum in eis expressit, & Castitatem, & Religionem, v. g. dicendo, *voveo Deo castitatem servare, & religionem ingredi*, absolute censebitur castitas promissa principaliter, & per se, etiam independenter a Religione, quia, cum in dubio intentionis vota dijudicanda sint juxta communem verborum sensum, hæc pars possidebit in hoc dubio; si vero sola Religio expressa sit in voto, & dubitat vovens, an voluerit se etiam ad castitatem obligare; aut licet memor sit, suæ intentionis fuisse, se etiam obligare ad castitatem, dubitat autem, an dependenter, vel independenter a Religione, non obligabitur ad castitatem, nisi dependenter a Religione ingredienda, quia nulla apparet hic possessio pro voto castitatis, nisi dependenter a Religione, cum sola Religio expressa sit, & quando quispiam intendit, se ad utrumque principaliter velle obligare, solet utrumque exprimere. Ita vere Sanchez *loc. cit.*

IV. Qui certus est, se vovisse Ecclesiæ verb. gr. decem mensuras frumenti, vel vini, & duplex mensura, major, & minor in communi usu loci sit; dubitatur autem, de qua mensura intellexerit, debetur a vovente, vel hærede solum mensura minor, ut expresse habetur *c. ex parte de censibus*. Idemque est in simili de nummis v. gr. Taleris, vel Ducatis majoribus, & minoribus, ex voto, vel legato debitis, ut decernitur *L. Nummis, ff. de Legat.* Ratio est, quia de minoribus solum mensuris, vel nummis est certitudo, de majoribus autem est dubium: ergo pro illis tantum, non pro his stat possessio, & præsumptio, & hic proprius est sensus Regulæ Juris in 6. *in obscuris minimum est sequendum.* Docetque communis DD. Sanch. *cit. lib. 4. Moral. cap. 13. nu. 8.* Valentia, Azorius, Rebellus, aliique citat. Laym. apud Dian. *resolution. 48.* Similiter, qui vovit, vel legavit calicem Ecclesiæ, dubitat autem, an aureum, vel argenteum, vel cupreum, satisfacit dando argenteum, saltem

quoad

quoad cuppam, si mos loci ita ferat; quia talis calix est etiam cultui divino sacratus: ita cum aliis Layman, & aliis citatis. Eademque ratione, qui promisit vinum, vel frumentum Ecclesiæ, aut ad usum Sacrificii, aut pro sustentatione Ministrorum, aut Hospitali, vel pauperibus, & dubitat de qualitate, satisfacit dando mediocre, vel minus bonum: dummodo juxta morem loci decens, vel aptum sit ad usum intentum, Dian. *cit. in fine*. Excipe semper, nisi aliunde sit ratio suadens, vel præsumptio mentem voventis, vel promittentis fuisse, obligandi sese ad id, quod majus, vel melius est, vide Layman. Plures casus dubios congeram mox infra *num.* 91.

Exempla solutionis factæ.

90 I. Qui ex pluribus debitis diversæ rationis, Titio v.g. solvit unum aliquod, vix habet locum conscientia dubia, vel dubitatio, quodnam ex pluribus solutum maneat: constat enim, illud debitum prius extingui, quod magis gravat debitorem; quia quilibet censetur operari, quod sibi utilius est. Hinc debitum solvens in dubio censetur prius voluisse solvere pro debito oneroso, quam gratuito: maturato, quam maturando: liquido, quam non liquido: anterius, vel nomine proprio contracto, quam posterius, vel nomine alieno contracto: pro eo, de quo currit interesse, quam pro mero mutuo, &c. Quod si tamen solvas partem debiti, pro quo currit interesse, censeris pro interesse satisfacere, non pro capitali, quia ad indemnitatem creditoris, ita merito decernit, *l.* 1. *ff. de solut.*

II. At, quid si debeam tibi centum v.g. ex quocumque titulo justitiæ, sive ex contractu, sive ex delicto, & interim do tibi gratis centum, nihil exprimens, immo nihil cogitans de illo debito justitiæ solvendo, eritne per hoc extinctum illud debitum justitiæ, & ego liber ab alia solutione? Affirmant aliqui, quos tacito nomine allegat Sanchez *mox citat.* & sequitur Tambur. *lib.* 1. *Decal. c.* 3. *§.* 7. *v. solutio n.* 4. Ratio est: quia semper adest in homine voluntas generalis, & implicita satisfaciendi, prout potest per quemcumque actum suum quibusvis suis obligationibus, quas habet. Idque omnino verum esset in casu, quo debitor præsertim ex delicto fur, usurarius rationabiliter præsumit, vel probabiliter sibi persuadet, quod alter, si rem cognitam haberet, omnino contentus, & debitum libenter remissurus esset. Verum hac præsumptione seclusa per se loquendo,

III. Verior omnino est sententia negativa communis DD. nimirum tali modo non extingui debitum Justitiæ, sed debitorem remanere obligatum. Ita pluribus allegatis Sanch. *l.* 1. *Moral. c.* 13. *n.* 11. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 37. *nu.* 11. Laym. *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 12. *n.* 9. Ratio est: Quia debitum justitiæ non extinguitur nisi per solutionem, isto autem modo donatio fit, non solutio: donatio autem gratuita, & debitum justitiæ omnino inter se repugnant; sicut indicat Apostolus ad Roman. 11. dicens: *si autem gratia jam non ex operibus* (idest operum merito debita) *alioquin gratia jam non est gratia*, sed debiti solutio, vel restitutio. Neque refert, quod debitor ex justitia, si sui debiti memor fuisset, gratis non donasset, sed debitum exsolvere voluisset; quia actualis dispositio voluntatis, non conditionalis in contractibus attendenda est, juxta commune dictum; *conditionalia nihil ponunt in esse*. Limitat tamen hanc sententiam Laym. *loco cit.* his verbis; Nisi obligatio restituendi, puta pauperibus, ex Jure tantum Ecclesiastico promanet; tunc arbitror, probabiliter dici posse eleemosynas, quæ cum tali obligatione, quamvis non animo satisfaciendi factæ sunt, tamen ad eam extinguendam prodesse. Exemp. gr. Venit Canonicus ad confessionem, qui toto anno Canonicum officium recitare neglexit, & ideo ad pias causas trecentos aureos restituere deberet; tali obligatione a Confessario illi significata respondet, se, quamvis hujus obligationis immemorem, his diebus Statuam argenteam Ecclesiæ donasse, quæ trecentis, & amplius aureis æstimetur: puto, quod Confessarius contentus esse possit, tum quia non desunt DD. qui ita sentiunt, tum quia videtur esse virtualis intentio omnium dantium eleemosynas satisfaciendi per eas omnibus obligationibus, quas suis peccatis, ac negligentiis contraxerunt; tum denique quia Leges Ecclesiasticæ benigne interpretari debent. Sic Layman approbante Dian. & aliis communiter. Eadem ratio a fortiori erit in obligationibus aliis aliquid faciendi ex præcepto Ecclesiæ, ex voto, ex pœnitentia injuncta &c. ut si quis ex libera devotione visitaret Ecclesiam, Sacrum audiret, Rosarium recitaret, daret Eleemosynam, nullius obligationis memor, & postea primum recordaretur esse diem festum, quod eadem voverit, vel a Confessario imposita sint; jam censebitur per illam voluntatem generalem satisfecisse. Item, qui nihil aliud cogitans, eleemosynam centum aureorum v.g. per totum annum sparsim pauperibus distribuit, si dein advertat, se tantum debuisse reddere pauperibus, ob aliquam obligationem ad iterum largiendum non tenebitur. Sanchez, Layman *aliis citat.* Sed de hoc ex professo alibi.

IV. Verum enim vero, ut prædicta notabilis doctrina Layman, etiam hoc tempore probabilis maneat, alia necessaria limitatione indiget, ut nimirum intelligatur solum de obligatione restituendi pro Horis omissis jam antea contracta ante talem indifferentem solutionem, prout revera se intelligere Layman significat illis verbis: *his diebus &c.* minime vero de ejusmodi obligatione primum postea contracta: est enim hæc expressa inter propositiones damnatas ab Alexandro VII. Anno 1666. Propositio 33. ita sonans: *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit*: cujus rationem novissime optime dat Nicolaus Dubois Regius, & primarius Professor Lovaniensis, in examine dictarum propositionum; eo quod hæ eleemosynæ ante omissionem Horarum datæ non possunt habere rationem solutionis, vel compensationis, quia hæ supponunt jam contractum debitum: deinde illæ plerumque effectum suum consecutæ sunt, antequam per omissionem Horarum contrahatur obligatio, in quam proinde non possunt imputari. Quia tolleretur magna ex parte finis Constitutionum Conc. Lateranensis, & S. Pii V. qui fuit, per obligationem ejusmodi constringere negligentes: parum autem constringerentur, si permissum esset, per quascumque quandocumque factas eleemosynas satisfacere futuræ obligationi. Hæc doctissimus Nicolaus Dubois.

Dubia miscellanea.

Juxta hactenus late dicta in materiis odiosis resolvi potest in favorem operantis, vel pro valore actus. Ex.g. 91
1. Superior, quando dubitat, an causa dispensandi sit justa, necne; adhuc dispensare potest, quia declinandum est in clementiorem partem; idque exigit bonum, & suave regimen Ecclesiæ, esset enim multis scrupulis exposita potestas dispensandi, si ad solos casus certos extenderetur: vix enim unquam Superior, vel Confessarius privilegiatus auderet dispensare. 2. Quando dubitatur, an dispensatio impetrata a Papa sit valida, necne: aut an causa in dispensatione, vel gratia petenda tacita, vel falso expressa, sit facilis: ita ut sine illa non concederetur dispensatio, vel gratia; an vero sit tantum causa impulsiva, ita ut sine illa adhuc concederetur dispensatio, vel gratia; licet forte non tam facile, vel non gratis, &c. præsumendum, dispensationem, vel gratiam esse validam, & causam illam fuisse impulsivam tantum: ideoque obtentorem ea dispensatione, vel gratia licite uti posse, contra Baldum, Molinam, & alios, probabilissime docent Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 21. *n.* 20. Sanctarellus, Granado, Castro-Palaus, Portellus noster, eosque sequens Dian. *cit. resol.* 45. *&* 46. Ratio est: Quia in re dubia judicandum est in favorem valoris actus, ut potius valeat, quam pereat; quia præsumptio prævalet in eo dubio possessioni legis contrariæ: & per hoc corruit fundamentum oppositæ sententiæ. De dubio, an privilegium aliquod sit reale, vel personale, vide Dian. *cit. resol.* 51. 3. In dubio, an peccatum, vel casus aliquis sit reservatus, necne, præsumitur non reservatus, & potest absolvi a Confessario approbato quocumque tamquam non reservatus; quia reservatio est odiosa, ideoque est stricte interpretanda in favorem Pœnitentis, & Confessarii. Ita Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 15. Sanchez (sed limitate) *lib.* 1. *Moral. cap.* 10. Filliucius *tr.* 21. *c.* 4. *nu.* 172. aliisque citatis Portellus *de dub. Regul. v. casus reserv. num.* 7. Dian. *par.* 4. *tr.* 3. *resol.* 4. contra Armillam, Cordubam, & alios apud Sanchez citat. negativam tenentes, eo quod hæc pars sit tutior, & solius habentis potestatem absolvendi a reservatis sit judicare, an casus sit reservatus, necne: Sed ubi hoc scriptum est? 4. Idemque dicendum de dubio, an excommunicatio, vel censura aliqua, privatio, vel inhabilitas sit latæ sententiæ ipso facto incurrenda, an vero sententiæ ferendæ tantum per Judicem: judicandum enim est, esse tantum sententiæ ferendæ, quia odia sunt restringenda. Ita ex communiori Avila, Coninch. Hurtad. eosque secutus Dian. *ibid. resol.* 16. Denique, qui dubitat, an legitime sit natus, nisi id evidenter demonstretur, non tenetur sequi sententiam tutiorem, sed potest sequi sententiam mitiorem, præsumendo, se legitime natum, saltem in materia Justitiæ, v. grat. quando adeunda est hæreditas: ut probatur *ex L. filii, de his, qui sui, vel alieni juris sunt*, & docet communis DD. Sylv. Turrian. Malder. Castro-Pal. apud Dian. *cit. resol.* 6. Sed vide de hoc latius dicta de adulterio *par.* 4. *de Sacram. cap.* 2. *sect.* 4. *a num.* 554. Addo adhuc alia dubia specialia majoris momenti, sed pleraque remisi alibi tractanda.

I. Peccatum dubium.

92 CElebris controversia est, an peccata dubia: v. gr. si dubites, an heri Vesperas omiseris, an cogitationi turpi consenseris, ut dubia confitenda sint. Sed hæc jam fusius tradita sunt *3. par. de Sacram. in materia de Pœnit. c. 3. qu. 2. a n. 285.* ubi affirmativam tenui, & etiamnum teneo, ac omnimodis consulo in praxi. Ratio sumitur ex ipsa auctoritate Doctorum tanti nominis, & multitudinis: Antiquorum omnium, Recentiorum fere omnium, exceptis paucis *loc. cit.* recitatis. Ita enim docent D. Thomas *in 4. d. 21. q. 2. ad 3.* D. Bonaventura *ibid. par. 3. art. 2. q. 1.* Alensis *par. 4. q. 77. memb. 2. a 5.* Navarr. *c. 9. n. 14.* Sotus, Azorius, Suarez cum Sanchez *l. 1. moral. c. 10. n. 66.* Cardin. de Lugo *de Pœnitentia disp. 16. sect. 3. §. 3. toto* Bardi *discept. 6. c. 11. par. 4. §. 1. Alii apud ipsos.* II. Ex universali omnium fidelium consensu, & praxi in lege nova, cujus initium ignoratur. Semper enim probis omnibus persuasum fuit, & ab antiquis tamquam certum suppositum, peccata ista dubia eo modo, quo in conscientia habentur, esse necessario in confessione Sacramentali manifestanda: nuper ab uno, & altero Auctore res hæc in controversiam vocata est: qui contra communem sententiam Prudentium non possunt fundare practice probabile judicium, nisi ratione evidenti oppositum demonstretur, quod sane non fit. Nam III. Concilium Tridentinum ab Adversariis allegatum, potius favet huic sententiæ. Ita enim textus habet *l. c. Oportet a Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.* Et post subdit. *Nam venialia, quibus a gratia non excluduntur, quamvis utiliter in confessione dicantur, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Quibus verbis Concilium a necessario confitendis solum excludit peccata venialia, quæ a gratia Dei non excludunt, & ea mortalia, quæ post diligentem sui discussionem memoriæ non occurrunt: ergo peccata mortalia dubia, quæ post diligentem discussionem memoriæ occurrunt, secundum Concilium necessario sunt confitenda. Nam *exclusio unius est alterius inclusio*, ajunt Juristæ. *Confirmatur.* Concilium a necessario confitendis excludens venialia, eo quod iis a gratia Dei non excludamur, aperte supponit, omnia necessario confitenda esse, quibus a gratia Dei excludimur: atqui peccatis mortalibus dubiis, supposito, quod revera facta essent, revera excluderemur a gratia Dei, nihil enim facit ad amicitiam Dei præsens dubitatio de peccato præterito, an fuerit, necne: Nam sicut ex eo, quod dubitem, vel certo credam, me peccasse, si revera non peccavi, illud dubium me non excludit a gratia Dei: ita ex eo, quod dubitem, vel credam, me non deliquisse, si revera deliqui mortaliter, revera sum exclusus a gratia Dei non obstante illo dubio, vel judicio subsequenti, quod nullum potest habere influxum in actionem præteritam. Ergo etiam peccata mortaliter dubia manent necessario confitenda. Interim fateor semper, etiam negativam esse probabilem, non tantum extrinsece ab auctoritate DD. sed etiam intrinsece a ratione: an etiam satis tuta sit, viderint, qui experiri volunt: rationes in contrarium solutas vide *loc. cit.* non vacat hic omnia denuo repetere.

II. Maleficium dubium.

93 QUæstio est, an liceat adhibere medium aliquod ad causandum aliquem effectum, v. gr. febrim, vel alium morbum curandum, quando dubitatur, an medium illud sit naturale, vel superstitiosum, seu, an effectus talis fiat a causa naturali, vel a dæmone. Resp. breviter cum *distinct.* quando media illa adhibita, sunt res naturales, utpote herbæ, radices, lapides, in dubio præsumi potest, causare effectum naturaliter, & sic licite adhiberi, saltem cum protestatione contraria nolendi effectum, si non naturaliter, sed a dæmone causandus sit: quando autem media illa sunt res artificiales, signa, preces, characteres, funis, e quo fur suspensus fuit, &c. regulariter præsumendum est, esse superstitiosa, nonnisi dæmonis operatione ex pacto saltem implicito efficacia, ideoque iis uti illicitum simpliciter erit; quemadmodum & illicitum semper est, petere a mago, vel saga solutionem maleficii, quando dubitatur, an possit solvere sine novo maleficio. Ita communis DD. in hac materia: juvat interim audire Sanch. *l. 2. Moral. c. 40. n. 44.* si dubium est, an effectus a causa naturali proveniat, eo quod non constet, an vires naturalis causæ excedat, necne, censendus est potius, eum a causa naturali provenire; quia, cum innumeræ agentium naturalium vires nos lateant, non est, cur ex eo, quod virtus illa nobis dubia sit, effectum illum causæ naturali negemus, neque absque necessitate confugiendum est ad occultam mali angeli operationem. Si autem constet, effectum illum vires causæ naturalis excedere (ut si scheda appendatur collo contra febrim, pestem &c.) existimo, nisi maxima operantis sanctitas, & alia urgentissima judicia suadeant, eum a Deo provenire, censendum esse in dubio superstitiosum, & a dæmone provenire, etiamsi verba adhibita sint sacra; quia quotiescumque causa adhibita nequit effectum naturaliter producere, est superstitiosum, & ad tacitum cum dæmone pactum pertinet. Ita omnino Sanchez. At quid de nostris (ut vocamus) Flagellis dæmonum, Brevibus &c.? nam & ipsa ab aliquo Juniore Scriptore superstitiosis annumerari audivi. Certum est, illa, quemadmodum & alias res ab Ecclesia benedictas, licite adhiberi contra infestationes dæmonum, & maleficia avertenda, vel impedienda; at vero quando adhibentur ad curandos morbos hominum, vel animalium de facto contractos per modum causæ operantis cum certa spe effectus, certissimum est, esse superstitiosum: unde enim illa virtus, vel effectus? non a materia ut clarum est; non ab ipso Deo, vel Angelo ejus; ubi enim Promissio, Bulla, vel Diploma? ergo a dæmone: secus dicendum, & saltem tolerandum, si adhibeantur contra morbos solum per modum causæ impetratoriæ, ut ab ipso Deo effectus fiat intuitu Sacrarum Reliquiarum, & rerum ab Ecclesia benedictarum, ibi commixtarum cum sola pia spe, & fiducia in ipso Deo, Sanctorum, & Ecclesiæ meritis, dico, *saltem tolerandum esse*: nam certe consulendum non est, sed potius dissuadendum ob gravissimum periculum superstitionis.

III. Bellum dubium.

QUando causa belli dubia est, & controversa, v.g. de 94
Jure, vel Proprietate Regni, Provinciæ, Civitatis, vel alterius Juris post diligentem inquisitionem, & consultationem dubio perseverante, refert, an altera pars bona fide hactenus possederit, necne? si sic, bello justo locus esse non potest; nam dubium superveniens non nocet bonæ fidei possessori, neque cogi potest possessor ad rem restituendam, priusquam manifestum fiat, esse alienam: quare, si eo casu bello iniquo impetatur possessor, is tamquam vim passus injustam, non modo justo bello defensivo se defendere, & rem ablatam sibi vindicare, verum etiam bello offensivo injuriam illatam vindicare poterit, ut recte probat Victoria apud Layman mox cit. Quod si vero neutra pars litigans rem bona fide possideat, tunc unus alterum cogere potest, ut vel mutuo consensu Arbitri constituantur, vel res inter partes dividatur per transactionem, juxta proportionem dubii Juris, quod cuique competere videtur: quod si justæ huic petitioni alter satisfacere renuat, jam injustus esse incipit, ideoque bello peti poterit. Quod si tandem ob rationes utrinque occurrentes utraque pars suam causam justam esse certo existimet, necesse quidem tunc est alteram partem decipi; si enim invincibilis error sit, & non ex pravo affectu ortus, tunc quandoque fieri potest, ut bellum ex utraque parte sit justum formaliter, nimirum per accidens propter errorem, vel ignorantiam invincibilem alterius partis, ita pluribus allegatis Layman *lib. 1. tr. 1. c. 5. §. 2. a nu. 25.* & nos latius in materia de homicidio, ubi etiam de militibus in tali dubio militantibus, Vide etiam Dian. *p. 4. tr. 2. resol. 7.* & 50.

IV. Subditus dubitans.

QUadruplex hic potest esse dubium, duplex ex parte Su- 95
perioris, & iterum duplex ex parte Subditi. *Ex parte Superioris.* I. Quando est dubium de ipsa Jurisdictione Superioris præcipientis, an nimirum præcipiens sit verus, & legitimus Superior, necne; siquidem si præcipiens sit in possessione sui officii, vel dignitatis manet melior conditio possidentis, & est præsumptio pro Superiore: ideoque subditus obedire tenebitur. Ex communi Sanchez *lib. 6. Moral. c. 3. num. 29.* Layman, aliique citati. Ratio est. Quia cum is in possessione prælationis sit, non potest ob solum dubium certa possessione spoliari denegando ei obedientiam, donec certus sit defectus; etsi contrarium non improbabiliter doceant Vasquez, & Salas apud Dian. *resol. 8.* consentientem, nimirum subditum eo casu non teneri obedire. Ratio est. Quia subditus tunc tantum habet obligationem obediendi Prælato, quando Prælatus habet jus, & potestatem certam præcipiendi, sed in nostro casu est dubium de ejus potestate legitima: ergo &c. Verum ego priori communi sententiæ omnino adhæreo, præsertim ob gravissima inconvenientia ex praxi contrariæ sententiæ oritura, ut quivis facile computabit. Denique si præcipiens non esset in possessione suæ prælationis, & officii, utique denegari poterit ei possessio, & obedientia, donec de legitima electione, vel confirmatione constaret; alioquin eo casu, perseverante post debitam inquisitionem dubio, manebit possessio pro libertate subditi, qui proinde obedire non tenebitur. II. Quando constat de Jurisdictione Superioris præcipientis, & solum dubitatur, an ejus Jurisdictio,

dictio, vel potestas ad talem casum, vel materiam se extendat, iterum manet possessio ex parte Superioris præcipientis, & præcepti: ideoque subditus obedire tenebitur, secundum omnes. Ratio est eadem: Quia nimirum certa est potestas, & præceptum, excusatio vero dubia; & multo majora sequerentur inconvenientia in quovis regimine, si in tali dubio, satis frequenter occurrente, liceret subdito non obedire. Excipe tamen casum, quo subditus ita dubitans timeret, obediendo sibi, vel tertio aliquid magnum in vita, fama, honore, vel rebus eventurum, ut si v.g. Superior præceptive interrogaret subditum de proprio, vel alterius delicto, & esset dubium, an juridice ita interrogari possit, tunc enim subditus non tenetur illi obedire verum fatendo. Ita Lessius *lib.* 2. *c.* 4 *dub.* 9. Vasquez, Henriquez, Medina apud Dian. *cit. resol.* 9. Ratio est: tum quia in dubio favendum est Reo; tum quia licet subditus non sit in possessione libertatis, est tamen in possessione suæ securitatis, & Juris naturalis, quo potest se, & alium a damnis, & periculis conservare; contraria autem obligatio dubia est. Eademque ratione, contra Less. *lib.*2. *cap.*33. *dub.*8. cum aliis probabilissime resolvit Molina *tom.* 3. *tract.*2. *disp.*674. *num.*7. quando tributa sunt nova, & non constat de eorum justitia, non deberi a subditis in conscientia, sed posse defraudari, modo perjuria, & mendacia non interveniant: Immo denegari posse cessante scandalo. Ratio est. Quia in dubio melior est conditio populi possidentis, etsi non libertatem, attamen pecunias, & res suas; & omnia ista nova tributa præsumuntur injusta, quando de contrario non constat: unde *cap. quamquam de censibus in* 6. dicitur, tributa regulariter esse contra Jura, tum Canonica, tum Civilia. Et *c. pervenit de censibus* ait Pontifex *Necesse est scire prius causam, propter quam census sit solvendus, quam solvatur.* Sic Molina. Itemque alii apud Dian. *resol.* 39. & nos ex professo in septimo præcepto. *Ex parte subditi*. III. Quando est dubium speculativum, utrum res præcepta secundum se sit licita, necne, rursus manet possessio ex parte Superioris, & præcepti, & subditus tenebitur, conformando suam conscientiam practice præcepto Superioris obedire; cum certum sit posse eum præcipere, incertum vero, & dubium, an hic, & nunc non recta præcipiat. Unde in dubio, an bellum sit justum, necne, subditus semper potest, & jubente Principe etiam tenetur militare. Quia judicium de justitia, vel injustitia belli, non spectat ad subditum, sed ad Principem, vel Rempublicam, pro cujus proinde justa causa merito præsumere, & conscientiam suam practice conformare potest, & debet subditus. Externus vero, & liber non potest tunc licite militare, nisi judicet saltem præsumptive, & intrinsece probabilem, & justam esse causam belli. Communis DD. apud citatos, & nos in materia de homicidio. Excipe rursus, nisi & ipse Superior dubitet de honestate actionis, quam præcipit, aut de excessu suæ potestatis in præcipiendo: tunc enim subditus id sciens, & similiter dubitans non tenebitur obedire, quia tunc Superior temerarie præciperet, seque, & subditum obedientem periculo peccati exponeret: ergo &c. Ita contra alios cum aliis Castro-Pal. apud Dian. *cit. resol.* 9. *fin.* IV. Quando est dubium practicum, utrum hic & nunc liceat obedire Superiori præcipienti in aliqua materia, certum est apud omnes, stante tali dubio, subditum non posse obedire: quia exponeret se periculo peccati. Quomodo autem teneatur illud dubium deponere, ita distinguendum est. Quod si Superior sit vir doctus, & prudens, subditus tenebitur dubium deponere, & obedire simpliciter, præsumendo, quod Superior rem melius perpenderit. Quod si vero Superior sit indoctus, & imprudens, temere solens effutire præcepta, tunc subditus, vel per seipsum inquirendo veritatem, aut viros doctos consulendo, debebit se extricare a dubietate. Quod si in casu urgenti, neque hoc ipsum fieri possit, dummodo non cognoscat manifeste esse peccatum, debebit deposito dubio, Superiori obedire ob sæpe dictam rationem.

ASSERTIO XII.

96 *IN omnibus legibus pœnalibus, etiam censurarum, & irregularitatum, non tantum in dubio juris, quando dubitatur, an pro tali facto, vel casu aliqua pœna, censura, irregularitas quacumque lege decreta sit: ubi universaliter vera est* Regula prima tradita sup. *nu.* 80. *sed etiam in dubiis facti, quando scilicet vere dubitatur, an quis commiserit tale factum, propter quod constat, decretam esse pœnam, censuram, irregularitatem, nemo censetur ligatus, excepta sola irregularitate ex delicto homicidii voluntarii* Communior jam, & secura sententia Suarez *de censuris disp.* 40. *sect.* 5. & 6. Sanchez *l.* 1. *Moral. c.* 10. *latissime* Fillinc. *tr.*21. *c.*4. Laym. *hic* 5. *§.* 4. *num.* 39. Bard. *discept.* 6. *c.*7. *§.* 2. *alii apud ipsos.*

§. I.

RAtio assertionis est. Quia in dubio factum non præsumitur, & specialiter: *Nemo in dubiis præsumitur deliquisse. L. merito, ff. pro soc.* Ergo delictum aliquod facto, vel eventu completum esse, indeque consequens pœna, non præsumi, sed demonstrari debet. II. Leges pœnales, & censuræ tantum feriunt delictum simpliciter, sed delictum dubium non est delictum simpliciter; ergo &c. III. Omnia jura clamant: *Reum dubium esse absolvendum: In dubio neminem condemnandum: In pœnis benigniorem interpretationem faciendam: Odia restringi, favores ampliari oportere, &c.* Quæ sicut in aliis legibus pœnalibus, & foro externo, ita sane etiam in censuris, ac irregularitatibus ex delicto (nisi jura aliud exprimant) & foro conscientiæ, locum habere debent: quod si enim Judex neminem punire debet, sed absolvere, si delictum ob quod juris pœna decreta est, dubium, vel sufficienter cognitum non sit, multo minus in foro conscientiæ aliquis se ipsum condemnare, & pœnam in se exequi cogitur, v.g. abstinere a Sacris tanquam excommunicatus, suspensus, irregularis, donec delictum certum, & exploratum sit. IV. Specialiter. Non est statuenda irregularitas, nisi in casibus a jure expressis, *c.*15. *qui, de sententia excommun. in* 6. sed quod in dubio facti aliquis irregularis censeatur, de solo homicidio voluntario in jure expressum est, locis citandis *n. seq.*98. quando nimirum constat, & Clericum percussisse, & percussum mortuum esse; sed NB. *c. significasti de Homicidio. Si discerni non possit, ex cujus ictu percussus interiit: IN HOC DUBIO, tamquam homicida debet haberi, cum IN HOC CASU cessare sit tutius, quam temere celebrare*, ergo particularis illa decisio, quod in dubio homicidii irregularitas præsumatur, cum odiosa sit, non debet extendi ad alios casus, sicut nec debet extendi ad casum dubium mutilationis, vel homicidii justi, in bello v.g. Quia Pontifices loquuntur de homicidio simpliciter, & prohibito.

§. II. *Exempla*.

COgnita quacumque lege pœnali contra adulterium, incestum, sacrilegium, &c. quamdiu verum dubium est, an commiseris, utpote quia nescis, an persona complex fuerit ligata, consanguinea, sacra, in neutro foro, interno, & externo, obligari poteris. II. Vere dubitans, an homo ille Clericus sit, quem percussisti, quamvis temere percusseris, non sine suspicione, vel formidine, esse forte Clericum, si tamen postea veritatem deprehendere non possis, non debes te excommunicatum reputare. Quia licet constet de facto percussionis, non tamen constat de percussione Clerici, quæ sola punitur excommunicatione. *Can. si quis suadente*. III. Similiter ratione: si quis etiam temere, & mala fide sacrum Ordinem suscepit dubitans, v.g. utrum ætatem requisitam habeat; an legitimo natus sit; an uxor unica virgo accesserit, si postea veritatem deprehendere non possit, non est censendus irregularis, vel suspensionis censuram incurrisse: quamvis sic temere suscipiens peccarit, & perseverante dubio, nisi necessitas urgeat, a sacro ministerio abstinere debeat, donec certior fiat v.g. de ætate legitima, quamdiu scilicet certiorem fieri posse spes est. Ex communi Laym. *cit. §.* 4. *nu.* 38. IV. Contra vero, si constet, quempiam excommunicatum, suspensum, irregularem fuisse, dubitet autem, utrum absolutus, vel dispensatus sit, abstinere tenetur. Quia possessio stat ex parte legis, & absolutio, vel dispensatio facta in dubio non præsumitur, juxta Regulam primam *Excommun.* ubi dicit: *Semel excommunicatus, semper præsumitur excommunicatus. Nam qualitas posita, quæ ex solo cursu temporis non tollitur, præsumitur existere, donec probetur sublata.* 97

§. III. *Assertionis exceptio*.

IN solo ergo dubio commissi homicidii voluntarii dubitans habetur irregularis, idque ex speciali constitutione Pontificum, ob specialem deformitatem, & indecentiam, si postea innotesceret, homicidam ad sacri Ordinis ministerium accessisse. Habetur in jure Canonico *Tit. de Homicidio*, diversis locis *l.*1. *ad audientiam*. Posito casu de Presbytero, qui famulum cingulo percutiens; cultro e cingulo pendente vulneravit, qui postea superveniente morbo obiit: dubitantibus autem, utrum mors ex vulnere, an vero ex morbo tantum secuta sit, & ideo Presbyter sit habendus irregularis; respondet Pontifex, quod sic: nisi appareat, illum alia infirmitate obiisse. *Quia sententia tutior in dubiis est eligenda*. II. *c. significasti*. Posito simili casu de Presbytero, qui furem ornamenta Ecclesiæ auferentem ligone percussit, postea a supervenientibus Parochianis cum gladiis, & fustibus penitus occisum. Hinc orto dubio utrum ex sola percussione Parochianorum, an vero ipsius Parochi obierit, ideoque Sacerdos 98

dos esset censendus irregularis? respondet Pontifex, quod sic, cum certum sit de vulnere a Parocho inflicto, rationem addens. *Certum in hoc casu cessare fit tutius, quam temere celebrare, pro eo, quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur.* III. *Petitio tua.* Proponit Clericus casum: se cum cæteris Clericis, & Laicis occurrisse irruentibus hostibus Crucis Christi, & aliquos percussisse, sed dubitare, an aliquos occiderit, & an irregularis sit; respondet Pontifex: *si de interfectione cujusquam illum sua conscientia remordeat, a ministerio Altaris abstineat, cum sit consultius in illo dubio abstinere, quam temere ministrare.* IV. Consimiles casus certæ irregularitatis esse possunt. Aliquis applicavit causam ad abortum jam animati, effectu, ac vero homicidio secuto, postea dubitat, an causa illa a se applicata fuerit sufficiens, vel efficax ad abortum causandum, an vero causatus fuerit vi alterius causæ, v.g. compressione Prægnantis. Item Titius venenum porrexit cuidam, ut interiret, & eo inscio, eidem ab alio efficacius venenum propinatum fuit, quo accepto, paucis post diebus mortuus est: dubitat ergo Titius, an venenum suum etiam efficax fuerit ad mortem, necne, an potius alterius venenum solum mortem causarit. Item Titius alteri consilium dedit ad occidendum Cajum: homicidio patrato, comperit Titius, ipsum occisorem gessisse capitales inimicitias cum Cajo; dubitat ergo, an homicidium secutum fuerit vi sui consilii, an potius vi solius privatæ alterius inimicitiæ, &c. In his, & similibus casibus, dubitans habendus erit irregularis in utroque foro: omnes enim ejusmodi casus manifeste comprehenduntur sub allegatis Canonibus, ut intuenti, & applicanti patet: uti ex communi notat Bardi *discept. 6. c. 7. §. 5. & 8.*

§. IV. *Exceptionis Limitatio.*

99 Exceptio vera esse debet, quandocumque constat de *corpore delicti*, seu homicidii facti, & aliqua sua cooperatione: quando nimirum certum est, hominem esse occisum occasione suæ actionis, dubitat autem, an sua actio fuerit efficax, vel sufficiens ad causandum homicidium, forte etiam aliunde, seclusa sua actione, secuturum, talis dubitans irregularis omnino habendus est, & interim a Sacris abstinere debet. Communis DD. apud Laym. *cit. §. 4. a n. 30.* Bardi *cit. §. 3.* Nam de ejusmodi casibus expresse tantum loquuntur Canones allegati: semper enim supponitur homicidium factum fuisse: & solum dubitabatur, utrum Clerici illi sufficienter, vel efficaciter cooperati sint ad homicidium. Idemque est in aliis casibus *ibidem num. præcedenti* subjectis. Contra vero, quando non constat, sed vere dubitatur de ipso *corpore delicti*, seu an homicidium revera secutum sit, etsi constet de causa aliqua applicata: v. gr. scit aliquis se percussisse, explosisse in hostem, venenum alicui applicasse, &c. dubitat autem, an aliquis inde mortuus sit: scit quispiam, se causam applicasse, consilium dedisse, aut aliter induxisse efficaciter fœminam ad abortum faciendum; dubitat autem, an abortus secutus sit: vel si constet abortum esse factum, dubitatur, an fœtus fuerit animatus; ideoque homicidium patratum: necne: debet quidem omnem possibilem diligentiam adhibere ad cognoscendam veritatem, interim abstinendo a Sacris, quantum potest: quod si vero frustra adhibita diligentia dubium invincibile perseveret (quamvis adhuc præsumptionem juris esse pro irregularitate doceat communior, & tutior sententia Soti, Navarri, Sanchez, &c.) probabilem tamen, & tutam puto sententiam fere communem Recentiorum apud Dianam, *p. 7. tr. 5. ref. 24.* Bardi *cit. §. 4.* Tamburin. *cit. §. 7. v. Irregularitas n. 2.* Nimirum talem invincibiliter dubitantem, post debitam inquisitionem eximendum esse a pœna irregularitatis. *Ratio est.* Quia odiosa restringi convenit, non ampliari: atqui Canones allegati omnes (ex quorum constitutione præcise inducitur irregularitas in dubio homicidii) loquuntur solum in casu, quando constat de corpore delicti, seu homicidii patrati, & solum de cooperationis sufficientia dubitatur: ergo non sunt extendendi ad casum, quo de ipso corpore delicti, seu homicidio secuto ambigitur.

SECTIO V.

De Conscientia scrupulosa.

SUMMARIUM.

100 *Conscientia scrupulosa, seu scrupulus definitur sic.*
101 *Quod sit, inani ratione nixa.*
102 *Apprehensio* (proprie loquendo)
103 *Indeque natus timor, & anxietas mentis.*
104 *Alicubi peccatum esse; vel fuisse, ubi revera nihil est.*
105 *Contra scrupulum proprie dictum, quivis potest, & sæpe tenetur operari immediate, & directe.*
106 *Contra scrupulum vero late sumptum mediate tantum.*
107 *Remedium generale, & efficax contra scrupulos.*
108 *Objectio, seu scrupulus generalis scrupulosorum.*

ASSERTIO XIV.

Conscientia scrupulosa, seu Scrupulus (sic dictus, quod instar scrupuli, seu lapilli calceis inclusi, pedemque vexantis, animo insidens eum vexet, & agitet) *est inani ratione nixa apprehensio, indeque natus timor, & anxietas mentis, alicubi peccatum esse, vel fuisse, ubi revera nihil est.* Ex communi DD. Voce tantum differunt, reipsa coincidunt diversæ aliorum definitiones: Utpote, S. Antonini *p. 1. tit. 3. c. 10. §. 9. Est quædam vacillatio cum formidine ex debilibus conjecturis, &c.* Vasq. *hic disp. 67. c. 2. Esse levem quamdam suspicionem, seu existimationem ex levibus ortam rationibus, seu fundamentis.* Marchant. *Trib. p. 1. tract. 5. Tit. 6. q. 1. Est anxietas, & titubatio mentis conscientiam torquens, & turbatam reddens ex levibus, & incertis conjecturis.* Clarior, & expeditior est nostra definitio, cujus breviter hæc esto *Explicatio.* 100

§. I.

Est *inani ratione nixa*, seu ut alii loquuntur; *ex debilibus, levibus, incertis conjecturis, rationibus, fundamentis.* Ex quo capite tripliciter potest fieri scrupulus. I. Cum judicio determinato aliquid esse peccatum, quod revera non est. Quod judicium falsum, quatenus ex inani motivo procedit, animumque affligit, & anxiat, potest sane dici scrupulus, vel conscientia scrupulosa, late loquendo: proprie vero est conscientia erronea vincibilis, ut advertit etiam S. Ignatius in fine libelli Exercitiorum de Scrupulosis. II. Potest fieri scrupulus, cum vero dubio practico, sit ne hoc peccatum, necne, ex inani motivo, suspicando forte esse peccatum, absque ullo determinato judicio, quod sit, vel non sit peccatum. Et sic rursus est scrupulus late sumptus, proprie autem est dubium, vel conscientia dubia. III. Et proprie fit scrupulus, cum habito, vel sufficienter proposito judicio determinato, aliquid non esse peccatum, sola ex levi motivo apprehensione peccati mens anxiatur, & timet, forte esse peccatum. Et hinc dicitur 101

§. II.

Inani ratione nixa *apprehensio.* Scrupulus enim, vel conscientia scrupulosa proprie dicenda est, quando intellectus neque determinate judicat: neque dubitat practice aliquid esse peccatum: sed potius habito judicio non esse peccatum sola *apprehensione*, vel suspicione mali ex inani motivo, titubat, fluctuat, anxie formidat esse, vel fuisse peccatum v.g. *forte se consensisse tali suggestioni, &c.* Uti bene advertit Greg. de Valentia *l. 2. hic q. 14. punct. 4.* dicens: Etsi scrupulus nonnumquam accipiatur tam pro dubitatione de malitia, quam pro opinione, quod aliquid sit malum, tamen proprie conscientiam scrupulosam nihil aliud esse, quam anxiam quamdam formidinem, ne forte idipsum sit malum, quod tamen licitum existimatur. Ratio sumenda est ex communi æstimatione hominum, scrupulum proprie ita intelligentium. Unde recte notat Layman, *hic c. 6. n. 1. Judicium hominis vere scrupulosi esse, si contra sapientium, immo & proprium judicium, tale quidpiam agere peccatum non esse, nihilominus inquietus fit.* Sola scilicet apprehensione mali timens, & formidans, ne forte peccet, aut peccarit. Unde scrupulosi plerumque in aliena causa recte judicare solent sine formidine, & alios absolvere a peccato: at vero, si idem casus ipsis eveniat, statim formidare incipiunt peccatum subesse. Et jam hinc patere tibi debet differentia conscientiæ scrupulosæ ab aliis conscientiis hactenus explicatis. 102

§. III.

Indeque natus metus, *seu anxietas mentis.* Quamvis enim, secundum omnes, conscientia scrupulosa, seu scrupulus formaliter, & principaliter consistat in actu intellectus modo explicato; non tamen in eo sistit, sed complete consistit in tali intellectus apprehensione, suspicione, vacillatione, seu titubatione alicubi peccatum esse, quatenus simul in voluntate causat, & conjunctum habet metum, formidinem, anxietatem, &c. de eodem peccato. Unde scrupulus adæquate sumptus, spectat ad utramque potentiam, intellectum scilicet, & voluntatem. Qua ratione recte intelligitur doctrina verissima Cajetani *tom. 1. opusc. Tractat. 31. Resp. 13. dub. 7. Scrupulum contingere posse, aliquando ex parte appetitus, uti evenit, quando quis timet in aliquo actu peccare, & ignorat causam:* (ex sola nimirum prævia vana apprehensione mali, sæpe enim scrupulosus non potest reddere rationem, vel motivum timoris, & anxietatis suæ.) 103

suæ.) Aliquando ex parte rationis, cum oritur ex aliqua ratione apprehensa, & apparente: inani tamen, levi, futili.

§. IV.

104 A*Licubi peccatum esse, vel fuisse, ubi revera nihil est.* Sicut enim qualibet conscientia, ita & scrupulosa, quamvis principaliter versetur circa actiones hic, & nunc exercendas, tamen, hæc maxime, se extendit ad actiones etiam præteritas, dum scilicet inaniter apprehendit, & anxie metuit, forte se peccasse, forte suggestioni consensisse, forte alic ubi peccatum fuisse, forte peccata præterita nondum remissa esse, etiam post adhibita debita media; sorte ipsa media doloris, confessionis, non sufficienter adhibita fuisse. Quem actum communiter remorsum scrupulosum vocant, & plerumque vitiosus est. Sic bene advertit Vasquez, *cit. disp.67. c.2. n.8. Sunt aliqui nimium scrupulosi circa præterita peccata, de futuris autem cavendis parum solliciti.* In quem sensum etiam verissime dixit Sylvester, *v. scrupulosus initio. Scrupulosus est duplex. Quidam enim est scrupulosus in recognoscendis peccatis præteritis, & timoratus in vitandis futuris, & iste communiter bene finit. Quidam vero est scrupulosus in recognoscendis præteritis, & in cavendis futuris negligens, & efferatus, & iste videtur æternæ damnationi propinquus.* Hæc ille.

ASSERTIO XV.

105 Q*Uilibet licite potest, & tenetur sæpe operari contra conscientiam scrupulosam, seu scrupulum proprie dictum etiam immediate, & directe: mediate vero solum contra scrupulum late sumptum:* nimirum deposito prius scrupuloso judicio, vel dubio practico, & formato contrario judicio practico, quod liceat ita operari. Ex communi doctrina Navar. *c.27. n.282.* Sanch. *l.1. Mor. c.10. n.80.* Laym. *cit. c.6. n.2.* Marchant. *cit. q.2.* Sumitur ex *c. Inquisitionis, de sentent. Excomm.* Ubi, quæsito, an conjux scrupulum habens de validitate Matrimonii teneatur abstinere ab ejus usu, respondet ultimo Pontifex. *Conscientia levis, & temerariæ credulitatis explosa, potest non solum reddere, sed etiam exigere debitum conjugale.*

§. I. *Contra scrupulum proprie dictum immediate, & directe agendum.*

106 R*Atio patet ex definitione.* Conscientia enim scrupulosa, seu scrupulus proprie dictus est solum inani ratione nixa apprehensio, indeque natus metus, aliquid esse peccatum, v.g. comedere die festo ante Sacrum auditum; cum qua vana apprehensione, & formidine stare potest, immo plerumque de facto stat judicium prudens oppositum, non esse peccatum: atqui recta ratione utique potius sequendum est in operatione judicium prudens, quam vana apprehensio contraria: ergo semper licite operamur contra scrupulum proprie dictum, etiam immediate, & directe, nimirum adhuc stantem, & quantumlibet remurmurantem: immo plerumque scrupulosus tenetur ita contra operari ad liberandum se a periculis, & molestiis scrupulorum, quas ordinarie experiuntur scrupulosi; uti sunt anxietates perpetuæ, tædia rerum spiritualium, pericula desperationis, vel amentiæ, &c.

§. II. *Contra scrupulum late sumptum, mediate tantum agendum.*

107 S*Crupulus enim late sumptus,* quo nimirum intellectus ex inani motivo determinate judicat, vel practice dubitat aliquid esse peccatum (jam dictum est *n.101.*) non est proprie conscientia scrupulosa, sed spectat ad conscientiam erroneam vel dubiam: contra quas quamdiu durant, numquam licet operari: alioquin peccatur juxta rationem judicii, vel dubii: prius ergo deponendum est inane illud judicium, vel dubium, & formandum contrarium judicium practicum, *non esse peccatum, &c.* atque ita mediate contra scrupulum operandum. Eadem ratione a fortiori, qua *sect.3. & sect.4.* supra diximus contra opinionem etiam probabiliorem, & contra dubium speculativum, practice resolvendum, & operandum esse. Advertit tamen recte *Marchant. l. c.* Post factum non esse facile credendum scrupulosis, etsi affirment, se ex determinato judicio, vel practico dubio operatos esse aut consensisse, &c. Sicut enim in uno turbati sunt, ita etiam turbari poterunt in alio.

§. III. *Remedium generale scrupulorum.*

108 E*Fficacissimum, & fere unicum contra scrupulos remedium est,* ut scrupulosus judicio, ac consilio docti, & experti Confessarii, vel Directoris sui, non obstantibus quibuscumque motibus, & trepidantis rationis suæ argumentis, omnino se subjiciat, & acquiescat, judicium, ac operationem suam audacter conformet, fortiter agat, ac velut agonizet contra scrupulos suos, donec tandem subsidant, & cessent. Ita uno ore consulunt Doctores. *Ratio est.* Quia quilibet in propria causa solet esse cæcus. Ergo persuadeat sibi scrupulosus, quod unusquisque consilio Confessarii sui, vel alterius viri docti, ac probi tuto acquiescere possit. Addit recte Navarr. *lib.5. Consil.2. de pœnit. & remiss.* Postquam scrupulosus unius Confessarii, vel boni viri responsum, vel exemplum accepit, quod non debeat alios consulere, ne animum assuescat ad anxietates inutiles diutius fovendas. Unde & Confessarius scrupulosi curam gerens. 1. Ante omnia exigat promissionem firmam suis consiliis acquiescendi, & obtemperandi. 2. Doceat, certitudinem moralem requiri ad actiones humanas præsertim peccaminosas; unde numquam judicandum, aliquid esse peccatum mortale, aut in se peccatum consensisse, nisi id certe constet. Sententias item laxiores, dummodo probabiles judicet, proponat, juxta dicta supra *n.48.* 3. Non permittat Confessiones repetere, nisi afferat defectum certum, de quo quasi jurare possit Pœnitens. Esto enim fuisset aliquis defectus, non tamen teneretur cum tanto suo damno omnimodam Confessionis integritatem procurare, cum ab ea minores interdum difficultates excusent, uti cum Coninch. notat Laym. *cit. c.6. n.2. remed. 6.* 4. Doceat scrupulosum, juxta consilium Sap. *6. Sentire de Domino in bonitate.* Neque existimare, eum Legislatorem tam rigidum, & durum, ut bonæ voluntatis hominibus peccata adscribat, & pœnas decernat, nisi certo se reos sciant. Neque Deum, vel Ecclesiam suis præceptis efficere velle, ut homo in tantas anxietates, & denique in stultitiam, vel desperationem cadat, quod scrupulosis denique contingit, &c. Sed contra hæc est

§. IV. *Scrupulus Generalis scrupulosorum.*

A*Junt: Si morti proximus essem, non auderem, cum hoc scrupulo saltem non confessus excedere, & coram Judice severissimo comparere.* Confirmant: D. Gregorius Epist. ad S. Augustinum Anglorum Episcopum, ait: *Bonarum mentium est, ibi etiam culpas cognoscere, ubi culpa non est.* I. Resp. Sylvester v. scrupulosus, *q.3. In illo articulo multa faceret homo, quæ tamen necesse non est, neque expedit facere in vita, quia homo tandem desperaret, vel fatuus fieret.* 2. Sanc. autem *c. l.1. Mor. c.10. n.81.* recte respondet, etiam in illo articulo consultius esse scrupulosis, ut scrupulos contemnant: quos scilicet neque Judex justus judicaturus est. 3. Ad dictum D. Gregorii respondent *Navarr. Gers. & alii.* Esse quidem signum animi ad bonitatem propensi, per se tamen bonum non esse, sed scientiæ, atque judicii defectum. 4. Aliter respondet Laym. *cit. S. Gregorium* ibi nomine culpæ intelligere quemlibet defectum, quem in se ipso homo agnoscere, ac verecundari potest. Nam proposita erat quæstio, utrum mulier, dum menstrua patitur, ad Ecclesiam, & S. Communionem accedere possit: Respondet Gregorius: *Si ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est, sed si percipiat, non judicanda. Bonarum quippe mentium est, ibi etiam aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est. Quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa. Unde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est, ut esuriamus.* Hæc S. Doctor. Non ergo locutus fuit de culpa peccati proprie dicta. Denique ultra conscientiam scrupulosam, aliam assignant dictam fatuam, vel hypocondriacam: & nihil aliud est, quam fatuitas mentis, & delirium partiale, ex pravo humore, vel alia mala dispositione cerebri proveniens, qua homo in fatuos discursus, & actiones prorumpit. Exempla nimis nota. Verum hæc ex Theologia ablegand a est ad Scholas Medicorum. 109

CAPUT II.

DE ACTUS HUMANI

Natura, Requisitis, & Impeditivis.

SUMMARIUM.

1 *Actus humani Descriptio.*
2 *Actus humanus, liber, moralis, in re coincidunt, & solum diverso respectu differunt.*
3 *Debet esse actus creaturæ rationalis.*
4 *Ad actum humanum quatuor requiruntur.*

ASSER-

ASSERTIO I.

1 *Actus humanus est Actus creaturæ rationalis cum ratione liber*. Facilis descriptio reipsa coincidit cum aliis communiter assignatis.

§. I.

Actus humanus, *actio*, *operatio humana*, tripliciter dici potest. I. Latissime actus humanus dici potest omnis actio, quæ fit ab homine, sive propria ea homini sit, sive communis cum brutis: ut comedere, bibere, ambulare & ex solo naturæ impulsu. II. Magis proprie, actus humanus dicitur omnis actio, quæ fit a solo homine, ut loqui, ridere, intelligere, velle, &c. qui ideo solent vocari *actus hominis*. III. Proprie, in proposito, actus humanus dicitur, qui fit ab homine, ut homo est, seu modo homini proprio, nimirum ex prævia deliberatione, & libera electione. Qua ratione actus puerorum, & amentium, etsi fiant ab homine, non tamen dicuntur actus humani, quia non fiunt ab homine, ut homo est, rationis, & libertatis actu compos, per deliberationem, ac liberam electionem.

§. II.

2 *Actus humanus*, *Actus liber*, *Actus moralis*, reipsa coincidunt: & solum differunt diversa ratione, vel respectu. *Actus* enim *humanus* dicitur, quatenus est proprius hominis, non tam quoad substantiam, quam quoad modum operandi homini proprium, scilicet ex deliberatione, & electione, ut jam dictum est. *Actus liber* dicitur, quatenus procedit a principio operandi indifferenti ad agendum, vel non agendum, positis omnibus ad agendum requisitis. Adeoque libertas actus consistit in respectu ad voluntatem liberam, atque ita indifferentem ad agendum, & non agendum. *Actus moralis* dicitur, quatenus procedit a principio morali, scilicet regulabili per regulas rectæ rationis: ideoque moralitas actus consistit in *regulabilitate per rectam rationem*, quæ dicit respectum ad voluntatem liberam, & ulterius ad intellectum, quatenus per regulas rectæ rationis est regulativus, seu directivus voluntatis in suis actionibus. Vides hæc omnia in re coincidere. Jam cape descriptionem datam.

§. III.

3 *Actus Creaturæ rationalis*. Actus enim illi, qui in homine dicuntur *humani*, revera conveniunt omni rationali creaturæ, etiam Angelis: quorum proinde actus volumus comprehensos. *Cum ratione*, id est, prævia cognitione, & deliberatione intellectus secundum regulas rectæ rationis. *Liber*, qui scilicet positis omnibus ad agendum requisitis possit libere fieri, vel non fieri; cujus proinde absolute dominus sit, in eliciendo, continuando, vel omittendo, abrumpendo. Unde ab aliis definitur Actus humanus, *qui ex deliberatione libere fit: cujus homo per liberam electionem dominus est:* nec male ab aliis, esse *actus hominis voluntarius*, *& liber*, vel omissio ejus.

§. IV.

4 Omnes autem consentiunt cum *S. Thoma* 1. 2. *qu*. 1. *art*. 1. ad actum humanum quatuor requiri. Ut conveniat homini quatenus homo: ut dictum est. Ut sit sub dominio, seu potestate hominis. Ut fiat cum ratione, seu prævia cognitione, & deliberatione. Ut fiat a libera voluntate. Conformiter quatuor præcipue hoc capite explicanda sunt. 1. Principium Actus humani, scilicet Liberum arbitrium obiter tangendum. 2. Ratio, seu cognitio requisita ad actum humanum. 3. Voluntarium, ac liberum requisitum ad actum humanum. 4. Impedientia illud voluntarium, & liberum requisitum ad actum humanum.

SECTIO I.

Principium actus humani, liberum Arbitrium, obiter tangitur.

SUMMARIUM.

5 *Datur in homine liberum arbitrium.*
6 *Idque formaliter est ipsa sola voluntas hominis.*
7 *Libera tam quoad exercitium,*
8 *Quam quoad specificationem.*

ASSERTIO II.

5 *Datur in homine liberum arbitrium, formaliter est ipsa voluntas libera, quoad exercitium quidem, quoad omnia objecta bona, vel mala; quoad specificationem vero quoad objecta bona, & mala particularia tantum*. Assertio hæc speculativa ex Philosophia, & Theologia petita, breviter tibi, quantum opus habes, insinuanda est.

§. I.

Datur in homine liberum Arbitrium. Definitur a D. Augustino l. 2. de Peccatorum meritis, *Facultas innata animæ rationali, qua homo potest eligere unum præ alio, vel unum, idemque acceptare vel non acceptare*. Hoc est: Intellectualis substantiæ potestas, positis omnibus ad agendum requisitis agendi, vel non agendi. *Asseritur* vero contra Hæreticos ab omnibus Orthodoxis. De fide. Definita in variis Concilis, etiam novissimo Trid. *sess*. 6. c. 6. *Probatur* 1. Ex Scriptura Num. 30. *in arbitrio viri erit, ut faciat, sive non faciat*. Deuter. 30. *Testes hodie invoco cœlum, & terram; quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & diligas Dominum Deum tuum*. Josue 24. *Optio vobis datur: eligite vobis, quod placet*. Eccles. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris, extende manum tuam, &c.* Et in nova Lege. Luc. 9. *Si quis vult venire post me, &c.* 1. Cor. 7. *Quod vult, faciat, non peccat, Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens voluntatis suæ, & hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit, &c.* Quid clarius? II. Ultra Auctoritatem omnium SS. Patrum, quos late recitat Bellarm. *De gratia, & libero Arbitrio, l. 4. c. 6.* Ratione communiter assignata ab iisdem Patribus, & Doctoribus. Quod si enim homo careret libero arbitrio, quo pro libitu posset agere, & non agere, sed omnia ageret necessitate naturali, frustra essent omnes leges, & præcepta, admonitiones, consilia, quibus tamen plena sunt sacra Volumina, & utraque Jura. Neque homo actibus suis bonis præmium, neque actibus malis pænam mereretur, neque ob ullum delictum juste puniri posset; quæ omnia sunt absurda. Sequela patet. Quia frustra præcipitur, vel prohibetur, aut consulitur, ut fiat, vel non fiat, quod, vel necessario fit, & non potest non fieri; vel necessario non fit, ut non possit fieri. Neque ullus meretur laudem, vel præmium ob factum, quod non potuit non facere, neque juste puniri potest ob factum, quod non potuit non facere, &c. Denique efficacissime argumentaberis; si proterve negantem libertatem hominis, tamdiu bene fustiges: donec fateatur te habere liberum arbitrium, & pro libitu posse cædere, vel non cædere, adeoque a cædendo cessare.

§. II.

Liberum arbitrium formaliter est ipsa sola voluntas hominis. Communis DD. cum Scot. *in* 2. *d*. 25. *& alibi*. Ratio sumitur ex data definitione liberi arbitrii, Sacra Scriptura, citatis locis, & SS. Patribus: Ubique enim liberum arbitrium tribuitur voluntati, & explicatur per actus voluntatis, utpote, *Velle, eligere, acceptare, non velle, &c.* Et clarissime Augustin. *l. de Eccl. dogmatibus, c.* 2. *Liberum arbitrium est voluntas rationalis*. Quamquam verum liberum arbitrium formaliter sit ipsa voluntas, non male tamen ab aliis radicaliter constituitur in intellectu, quatenus nimirum ipsa voluntas in libere volendo necessario pendet a certa propositione intellectus, ut mox videbis, *n*. 7. *&* 8. Intellectus ergo, secundum se quidem potentia naturalis, necessario tendens in objectum sufficienter propositum, quemadmodum visus in applicatum coloratum, attamen comparatus ad voluntatem, denominatur liber duplici respectu. Primo *radicaliter*, quatenus voluntas in libere volendo dependet ab ipso, ut modo dictum est. Secundo *participative*, quatenus ipsemet in operando hic, & nunc subest imperio, motioni, & applicationi voluntatis. Ex. gr. Ut voluntas libere amet Deum super omnia, necessario intellectus prius proponit Deum, ut summum Bonum super omnia amandum. Quod vero intellectus hic, & nunc hoc objectum potius, quam aliud consideret, aut quod contra naturalem rationem credat, & firmiter assentiatur Deum Unum in Essentia, & Trinum in Personis, opus est imperio, motione, vel applicatione voluntatis. Et hac ratione actus intellectus, (quemadmodum, & aliarum potentiarum) a voluntate participative fiunt liberi, morales, boni, mali, meritorii, demeritorii, ut in sequentibus amplius intelliges. 6

§. III.

Quoad exercitium, &c. Libertas *exercitii* dicitur Potestas voluntatis indifferens ad agendum, & non agendum, positis omnibus ad agendum requisitis. Unde dicitur etiam liber- 7

libertas *contradictionis*: quia est indifferentia ad duo contradictoria, *scilicet agere, non agere; velle, non velle*: Atque hanc libertatem habet homo pro hoc statu quoad omnia prorsus objecta, tam ipsum ultimum finem, quam media quæcumque. Quia nimirum nullum omnino objectum in hac vita tam necessario apparet prosequendum, ut omissio actus circa illud non etiam aliquam rationem boni habeat; quin ipsam etiam beatitudinem, in hac vita, nec libet, nec expedit semper actu appetere.

§. IV.

8 *Quoad specificationem, &c.* Libertas *specificationis* dicitur indifferentia voluntatis, qua positis omnibus ad agendum requisitis, potest sic agere, vel oppositum agere, seu hunc, vel alium contrarium actum exercere circa idem objectum, unde etiam dicitur libertas *contrarietatis*: Quia est ad actus *specie diversos*, & positive *contrarios*. Ut; *velle, nolle; amare, odisse; consentire, dissentire, &c.* Atque hanc libertatem habet homo circa omnia objecta bona, & mala particularia tantum. Quia nec ullum est particulare objectum, quod homini in hac vita adeo bonum appareat, ut non etiam in eo reperire, & intellectus proponere possit aliquam rationem mali: Quin etiam ipsum Deum in se undequaque optimum, & infinite bonum, respective ad operantem, homo apprehendere potest, ut malum sibi, quatenus pœnam infligit, concupitis obstat: atque ea ratione odisse, prout de facto oderunt damnati. Neque contra ullum objectum in hac vita adeo undequaque malum apparet, ut non etiam in eo intellectus reperire possit aliquam rationem sibi boni, vel convenientis. Quin ipsa privatio boni particularis, v.g. mors propria, vel aliena, ob certam rationem, puta, quia majori malo apprehenso liberat, aut inimicum tollit, bona, & appetenda judicari, & de facto appeti potest. Non autem habet hanc specificationis libertatem homo circa bonum, & malum, ut sic, seu circa ipsam felicitatem, & miseriam in communi conceptam. Uti docet *communis DD. cum S. Thom. 1. 2. q. 10. art. 2.* Ratio est. Quia objectum adæquatum voluntatis, volentis quidem est bonum, seu conveniens: nolentis autem, est malum, seu disconveniens, juxta illud D. Dionysii *c. 4. de divin. nomin. Nemo intendens ad malum operatur*. Et *Nemo sponte est miser*. Et tritum est illud Augustini. *Beati esse volumus; miseri autem esse, nec volumus, sed neque velle possumus*. Atqui in bono, seu felicitate, ut sic, non reperitur ulla ratio mali, neque in malo, seu miseria, ut sic reperitur ulla ratio boni: ergo voluntas circa illa non est libera quoad specificationem, ut possit etiam nolle bonum vel velle malum, ut sic: sed si circa tale objectum agere velit, quoad specificationem necessitabitur ad tantum *volendum* bonum, seu felicitatem, & quodcumque objectum propositum sub sola, & præcisa ratione boni, v.g. beatitudinem æternam: & tantum *nolendum* malum, seu miseriam, & quodcumque objectum propositum sub sola, & præcisa ratione mali, v.g. damnationem, vel ipsum peccatum formaliter.

SECTIO II.

Ratio, seu Cognitio requisita ad actum humanum.

SUMMARIUM.

9 *Ad actum humanum requiritur advertentia ad ipsum actum; &*

10 *Cognitio omnium ad eum, qua talis est, concurrentium, utpote objecti, & circumstantiarum.*

11 *Ac insuper aliqua deliberatio.*

12 *Quæ aliud non est, quam discursus intellectus, formalis, vel virtualis.*

13 *Et saltem ut bonus esse possit, judicium practicum de honestate ejus.*

ASSERTIO III.

Ad actum humanum moraliter bonum, vel malum requiritur advertentia ad ipsum actum; cognitio omnium ad eum, qua talis est, concurrentium; aliqua deliberatio, formalis, vel virtualis, & denique, saltem, ut bonus esse possit, judicium practicum de honestate actus. Certa apud omnes.

§. I.

9 *Requiritur advertentia ad ipsum actum.* Quia actus humanus debet esse in pleno dominio, & potestate operantis. Sed nullus actus potest esse in dominio, & potestate operantis, ut nimirum eum elicere, vel non elicere, continuare, vel abrumpere possit, nisi advertat ad ipsum actum: unde primæ intellectus cogitationes, & motus primo primi, qui ex sola apprehensione objecti, absque ulla sui advertentia in voluntate, vel appetitu sensitivo, exurgunt, ut iræ, delectationes, &c. non possunt esse actus humani, nec liberi, nec boni, nec mali moraliter, secundum omnes: ergo ad hoc requiritur advertentia ad ipsum actum, ut nimirum quis sciat, vel advertat se saltem actum, bonum, malum, elicere, vel habere. Quia autem non potest cognosci actus bonus, vel malus, nisi per ordinem ad objectum, & circumstantias, hinc

§. II.

Requiritur Cognitio omnium ad eum actum, qua talis est, concurrentium, utpote objecti, & circumstantiarum; 10
Ratio est evidens. Quia actus humanus debet voluntarie tendere in objectum, ideoque objectum debet esse volitum, & consequenter præcognitum, ut tale, scilicet, ut affectum his circumstantiis, in quantum ad actum humanum, bonum, vel malum concurrit: Alioquin quacumque ratione aliquid ad actum concurrens non est cognitum, nec consequenter volitum, eadem ratione actus non erit voluntarius, nec consequenter humanus, bonus, vel malus. Exemplo id manifestum fiat, *Titius occidit Patrem gladio*. Ad hoc ut actus iste parricidii sit humanus, & voluntarius, debet in primis cognitum esse objectum, ut nimirum sciverit esse hominem, quem percutit, & non invincibiliter putaverit esse feram. Deinde debet cognita fuisse circumstantia illa *quid*, nimirum illum hominem, quem percutit, esse patrem suum, & non invincibiliter putaverit esse alium hominem, verb. gr. inimicum suum. Tertio debet esse cognitum instrumentum, nimirum se gladio percutere, & non inculpate putarit esse baculum, nervum, arundinem, &c. Alioquin, in primo, occisio erit, non homicidium: in secundo, homicidium erit, non parricidium: in tertio, percussio tantum, & nulla occisio erit voluntaria, vel actus humanus. Atque hæc quidem cognitio objecti, & circumstantiarum jam sufficeret ad actum humanum, si illorum bonitas, vel malitia semper clare, & distincte proponeretur sine admixtione oppositi. Et hinc

§. III.

Requiritur deliberatio. Ratio iterum est. Quia actus humanus debet tendere in objectum, ut practice cognitum secundum suam bonitatem, vel malitiam: (nihil enim volitum, nisi præcognitum.) Atqui non potest practice cognosci, ut operabile secundum bonitatem, vel malitiam, absque aliqua deliberatione; quia, ut *supra n. 8.* indicatum est, nullum objectum particulari homini in hac vita proponitur, & apparet ita omni ex parte bonum, adeoque hic, & nunc necessario prosequendum, si felix esse velit, quin simul appareat admixta aliqua ratio mali: & e contra v.g. intellectus in objectis virtutum proponit quidem rationem boni honesti, propter quam appetenda sint, simul tamen mox reperit rationem aliquam mali, utpote molestiæ, difficultatis, contrarietatis ad appetitum, &c. propter quam fugienda videantur. Similiter in objectis vitiorum, proponit sane rationem mali inhonesti, seu turpitudinem, & reatum, propter quam rationem fugienda sunt; at occurrit simul aliqua ratio boni convenientis, scilicet utilis, vel delectabilis, &c. propter quam rationem amplectenda videantur: quare tunc humanæ rationis officium est, conferre utrinque rationes convenientiæ, & disconvenientiæ, & sic *deliberare*, quid cui in operatione præferendum sit: Et sic ergo, ad actum humanum, ut voluntarius fiat, bene, vel male, requiritur *deliberatio aliqua, formalis, vel virtualis*. Explico. 11

Deliberatio, vel consultatio nihil aliud est, quam discursus intellectus de re quapiam agenda, vel non agenda, considerando rationes in utramque partem, ut jam jam exemplificatum est. *Formalis* quidem, & explicita his fere actibus absolvitur. 1. Est apprehensio simplex objecti *furti, v. g.* ejusque alicujus bonitatis, vel malitiæ, puta, esse bonum utile, ac malum inhonestum. 2. Est consultatio velut speculativa, sitne absolute objectum illud, *furtum*, censendum potius bonum, vel malum, (hic stat dubium speculativum, sive deinde sequatur, sive non sequatur resolutio ejus speculativa juxta dicta, *c. 1. sect. 4. assert. 12.*) 3. Est consultatio practica; sitne objectum illud, *furtum*, mihi hic, & nunc amplectendum, ob rationes bonitatis, an fugiendum potius, ut malum, ob rationes malitiæ propositas (hic stat dubium practicum.) 4. Denique vi Synderesis, ratio practice concludit, furtum omittendum esse, ut simpliciter malum, quæ conclusio, seu dictamen practicum est ipsa recta conscientia. Ejusmodi autem deliberatio formalis, & explicita, secundum omnes prædictorum actuum differentias, quamvis sæpe fiat; non tamen semper necessaria est, sed frequenter sufficit deliberatio *virtualis*, & implicita, ut dum quis facta apprehensione objecti boni, vel mali, ob evidentiam rei, vel acumen intellectus, aut bonam

nam dispositionem voluntatis, ex Synderesi, absque alio discursu, statim concludit, hoc bonum agendum, hoc malum fugiendum, &c. vide dicta, *c.* 1. *sect.* 1. Et hinc.

§. IV.

13 **D***Enique saltem, ut bonus esse possit actus humanus, requiritur judicium practicum de honestate actus*: quo nimirum intellectus post deliberationem in utramque partem practice concludat hic, & nunc, hoc esse bonum, vel licitum, hoc malum, vel illicitum. *Ratio patet*. Quia absque illo judicio practico, stante adhuc deliberatione, intellectus maneret practice dubius: cum dubio autem practico de honestate actus, non potest fieri actus bonus, sed semper fit actus malus, juxta dicta *cap.* 1. *sect.* 4. Atque hinc intelliges, quid sit deliberate; vel ex deliberatione agere, bene, vel male. Deliberate enim agere dicitur, qui ex prævia deliberatione de re agenda, vel non agenda, consideratis rationibus in utramque partem, atque formato judicio practico conscientiæ, quod hic, & nunc fieri conveniat, operatur: & si quidem operatur juxta formatum judicium, dicetur agere deliberate, bene, & ex deliberatione: sin vero contra judicium agat, dicetur agere deliberate male, at non ex deliberatione: si absque deliberatione, vel judicio practico agat, dicetur agere imprudenter, & plerumque male. Hæc latius explicabimus, & applicabimus *infra de peccatis præsertim c.* 5. *& 6.* Itaque postquam intellectus practice, facta deliberatione, conclusit, aliquid agendum, vel non agendum, ut bonum, vel malum, conveniens, vel disconveniens ad propositum finem, manet in arbitrio, & libera potestate voluntatis, illud bonum propositum acceptare, vel non acceptare, aut etiam acceptare oppositum malum inconveniens, interim tamen etiam ab intellectu sub aliqua alia ratione boni convenientis, utilis, vel delectabilis propositum: quin etiam ipsa voluntas intellectum movet, & impellit ad rationes in oppositum excogitandas, ponderandas, & secundum illas contrarium sibi favorabile, vel delectabile judicandum, ut monet etiam *Layman, hic l.* 1. *tr.* 2. *c.* 2.

SECTIO III.

Voluntarium, ac liberum requisitum ad actum humanum.

SUMMARIUM.

14 Explicatur *voluntarium, & volitum.*
15 *Voluntarium imperfectum, & spontaneum.*
16 *Voluntarium perfectum, ac liberum.*
17 *Cui contradictorie opponitur*, non liberum.
18 *Liberum a coactione, & necessitate.*
19 *Actus humanus debet esse voluntarius, & liber simpliciter.*
20 *Voluntarium elicitum, imperatum, imputatum.*
21 *Voluntarium actuale, virtuale, habituale.*
22 *Digressio utilis bene notanda.*
23 *Voluntarium directe, & indirecte.*
24 *Quæ requirantur ad voluntarium indirecte.*
25 *Quando committatur peccatum indirecte voluntarium.*
26 *Voluntarium expressum, & tacitum.*
27 *Quando verum sit illud* (qui tacet consentire videtur.)
28 *Corollaria ex dictis.*

Explicatio Terminorum.

§. I. *Voluntarium, & Volitum.*

14 **V***Oluntarium* proprie (*effective* dicunt alii) dicitur omne id, quod a voluntate procedit, seu quod ideo fit, quia voluntas aliquo modo vult, vel velle censetur. *Volitum* autem (voluntarium objective vocant alii, minus proprie) dicitur omne voluntatis objectum, ad quod scilicet volitio aliqua terminatur, sive deinde a voluntate procedat, sive non. Sic Deus ipse, serena aura, bonum vinum, &c. *volita* nobis sunt maxime; nemo tamen proprie dixerit *voluntaria*. Quia nullo modo a voluntate nostra procedunt. *Voluntarium* ergo secundum vocem quidem, soli homini voluntate prædito proprium, quoad rem ipsam dividitur in imperfectum, prout idem est, ac spontaneum, & perfectum liberum.

§. II. *Voluntarium imperfectum, & spontaneum.*

15 **S***Pontaneum* hominibus, brutisque commune, in homine dictum *voluntarium imperfectum*: definitur ab Aristotele. 3. Eth. *c.* 1. Esse id, *cujus principium est in agente cognoscente singula, in quibus est actio*. Duo ergo essentialiter requirit. Unum, ut fiat, seu procedat a principio intrinseco ipsius agentis, & non ab aliquo intrinseco, adeoque excludat omnem externam vim, vel coactionem. Si enim ab alio violenter movearis, traharis, impellaris, non erit tibi motus iste voluntarius, vel spontaneus. Alterum est, ut etiam fiat ex prævia cognitione singulorum ad talem actum concurrentium: utpote objecti, finis, ac aliarum circumstantiarum: ut jam supra *n.* 10. explicatum fuit.

Voluntario ergo, & spontaneo sic explicato, contradictorie opponitur *non voluntarium, non spontaneum*: quod dicitur omne id, quod alicui fit eo non volente, seu ad id sponte, & ab intrinseco non cooperante: adeoque convenit cuicumque rei, etiam irrationali, & insensibili. Vere enim lapis *non voluntarie, non spontanee* projicitur sursum. Contrarie vero opponitur *involuntarium, invitum, coactum, violentum*: quod est omne id, quod alicui fit renitente voluntate, appetitu, vel inclinatione ejus. *Involuntarium* proprie convenit soli homini: *Invitum, & coactum* solis cognoscentibus, & appetentibus etiam brutis: *violentum* etiam, & proprie rebus inanimatis. Omne ergo *involuntarium &c.* est etiam *non voluntarium*: non e contra quodvis *non voluntarium*, est etiam *involuntarium*, etiam in eodem homine. Unde fit, ut omnis actio hominis necessarie fit, aut *voluntaria*, aut *non voluntaria*, non item, aut *voluntaria, aut involuntaria* ex. g. Turpis motus absque omni advertentia excitatus in parte sensitiva, est *non voluntarius*. Quia nihil voluntarium, nisi præcognitum: sed neque etiam adhuc est *involuntarius* positive, quia in incognito non potest voluntas resistere. Erit autem involuntarius, si post advertentiam, renitente, & nolente voluntate, perduret. Applica, si nosti differentiam inter album, non album, & nigrum; doctum, non doctum, & stultum, &c.

§. III. *Voluntarium perfectum, ac liberum*

DIcitur, & est id, quod a principio operantis intrinseco, ex prævia cognitione ita fit, ut tamen positis omnibus ad agendum requisitis, possit etiam non fieri, vel ejus oppositum fieri: ideoque ultra duo requisita ad voluntarium imperfectum, seu spontaneum, ut scilicet fiat *a principio intrinseco, & ex prævia cognitione*: tertio requirit indifferentiam sui principii ad agendum, vel non agendum, aut etiam oppositum agendum, positis omnibus ad agendum requisitis. Seu, quod idem est, requirit libertatem exercitii, & specificationis: quam explicatam habes supra *n.* 7. *&* 8. v. gr. proposito vino libere vis bibere: quia potes etiam non velle, aut ob causam nolle. 16

Voluntario perfecto, ac libero modo explicato, contradictorie opponitur *non liberum*, quod scilicet non fit a principio ita indifferenti, ut positis omnibus ad agendum requisitis possit fieri, & non fieri: adeoque convenit omni rei; sicut *non Voluntarium* supra. Contrarie vero eidem opponitur *necessarium*, seu naturale: & est id, quod a suo principio, positis omnibus ad agendum requisitis, naturæ ordine necessario fit, ita ut non possit non fieri: uti suas actiones omnium causarum naturalium, non tantum inanimatarum, & irrationalium, ut ignis, brutorum, &c. sed etiam in homine actiones potentiæ vegetativæ, & sensitivæ, sensuum externorum, & internorum, atque etiam ipsius intellectus; intellige secundum se, & quatenus ab illis potentiis elicitive procedunt: Nam quatenus subsunt imperio libero voluntatis, libertatem participant, non quatenus sunt actus eliciti suarum potentiarum, sed quatenus fiunt, & sunt actus imperii a voluntate: ut infra magis intelliges. 17

§. IV. *Liberum a coactione, & a necessitate.*

LIberum a coactione dicitur, quod fit a principio intrinseco, & prævia cognitione, seclusa solum vi, vel violentia extrinseca, & hoc coincidit cum spontaneo. Liberum a necessitate dicitur, quod fit a principio intrinseco, & prævia cognitione, seclusa etiam necessitate naturali, ita scilicet, ut positis omnibus ad agendum requisitis, non necessario debeat fieri, sed fieri, vel non fieri possit. Et est ipsum liberum perfectum modo supra positum. Aliter Authores. Aliud vocant liberum simpliciter, scilicet a necessitate naturæ, de quo modo diximus: aliud vocant liberum secundum quid, & a necessitate legis tantum, illud nimirum, quod sub nulla obligatione legis est, sed licite agi, vel omitti potest, uti cælibatus, professio Religionis, & alia, quæ de consilio, seu opera supererogatoria vocantur. 18

ASSERTIO IV.

A*Ctus humanus debet esse Voluntarius, & liber simpliciter, non tantum a coactione, seu violentia extrinseca, sed etiam a coactione seu determinatione intrinseca ad necessario agendum, positis omnibus ad agendum requisitis*; Unanimis Doctorum Catholicorum, ac SS. Patrum. Quinimo a S. Pio V. & Gregorio XIII. in speciali Bulla, damnantur hæ propositiones, ut hæreticæ: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit*. Et: *Sola violentia re-* 19

pugnat libertati hominis naturali. Ut merito olim censuerit D. Thom. q. 6. de malo, a. un. *Hæresim esse, non solum apud Theologos, sed etiam apud Philosophos, dicere, ad liberam electionem, seu actum humanum non requiri libertatem a necessitate*.

EXPLICATIO.

Ratio patet ex ipso nomine, & notione actus humani. Omnium enim sensu & consensu actus humanus dicitur, quod sit ita proprius homini, ut sit in ejus libera potestate, ac dominio, quod fiat, vel non fiat, duret, vel non duret: atqui ad hoc necessario requiritur, ut sit voluntarius, & liber simpliciter, non solum a coactione, sed etiam a necessitate: quod si enim actus, positis ad agendum requisitis, necessario fiat, ut non possit non fieri, sicut fit calefactio ab igne, visio ab oculo aperto, &c. jam non erit in libera potestate, & dominio hominis, ut fiat, vel non fiat: ergo, &c. Hic commode explicandæ veniunt voluntarii, ac liberi variæ divisiones ad praxim, & varios casus resolvendos admodum necessariæ.

§. I. *Voluntarium elicitum, imperatum, imputatum*.

20 Voluntarium *elicitum*, seu actus voluntatis elicitus, dicitur omnis actus voluntatis, ex prævia cognitione, ab ipsa voluntate immediate productus, & in ea velut subjecto immanens. *Ut velle, nolle: amare, odisse: consentire, dissentire: imperare, revocare: &c.* Voluntarium *imperatum*, seu actus voluntatis imperatus, dicitur omnis actus, non immediate productus a voluntate, sed ad ejus imperium, ordinationem, consensum, factus ab aliis potentiis, ut puta, intellectu, phantasia, appetitu sensitivo, sensibus, potentia loco motiva: ut voluntate volente, vel consentiente aliquid *cogitare, credere, studere, ambulare, esse, bibere, &c.* Voluntarium *imputatum*, seu *interpretativum*, dicitur omne id quod nec immediate fit a voluntate, neque ab ea positive, directe, vel expresse imperatur, aut volitum est, tamen ob aliquam rationem, quia nimirum, vel ad id voluntarie causam dedit, ut fieret, vel, cum potuisset, & debuisset impedire, ne fieret, non impedivit; ideo voluntati *imputatur*, & quasi *interpretatur* voluntarium: ideoque comprehendit omne voluntarium indirectum, & tacitum mox explicanda, & exemplificanda *n. 23. & seqq.*

§. II. *Voluntarium actuale, virtuale, habituale*.

21 Voluntarium *actuale*, seu *actu* est, quod hic, & nunc actu elicitur, vel imperatur a voluntate, v. g. nunc *volo celebrare, baptizare, orare, &c.* dicitur intentio actualis, quæ duplex esse potest: aut explicita, qua intenditur aliquid in terminis, seu conceptibus distinctis: qualis est illa Sacerdotum formula. *Ego volo celebrare Missam, & conficere, ac consecrare Corpus, & Sanguinem Domini Nostri JESU Christi, &c.* aut implicita, qua intenditur aliquid in conceptu confuso, seu in aliquo generali volito, Ut consecraturus, baptizaturus, absoluturus, &c. intendat *facere id quod Christus instituit, vel quod Ecclesia his facit vel intendit*. Si Clericus a Prelato missus ad suscipiendos Sacros Ordines, intenderet solum obedire, seu facere id, quod jussit Superior, nullo alio elicito actu, interim dum ordinatur.

Voluntarium, *virtuale*, seu *virtute*, dicitur id, *quod vi actus præteriti nondum revocati in operatione morali perseverat*. Atque adeo tria requirit. 1. Ut aliquando præcesserit volitio, seu intentio actualis. 2. Ut illa intentio hactenus non fuerit revocata. 3. Ut illa intentio adhuc perseveret in operatione morali, hoc est, ut revera vi illius præcedentis actualis intentionis fiat opus, vel actus intentus, isque humanus, & moralis, nimirum ab homine persistente in ea mentis dispositione, qua moraliter agere, ejusque actiones sub ejus arbitrii potestatem cadere possint. Ut si Sacerdos modo actu intendens *celebrare, baptizare, orare*, postea vi illius actus numquam revocati pergit ad locum, paramenta induit, cæremonias agit, verba profert, &c. interim dudum cessante priori actu, etsi nullum alium actum intentionis eliciat, neque prioris actus actu recordetur, dummodo adhuc maneat in ea dispositione mentis, ut reflectens se, vel interrogatus quid, vel quare agat, statim priorem actum intentionis suæ allegaret: adhuc facta consecratio, baptismus, oratio erunt sufficienter voluntaria, valida, immo & meritoria, quantum est ex hoc capite.

Voluntarium *habituale* tantum dicitur, quod solo habitu ex præcedentibus actibus acquisito perseveret, absque omni prorsus influxu in aliquam moralem operationem, utpote perseverans etiam in homine nihil, vel non moraliter operante, dormiente, ebrio, amente. Ut in exemplo allato; si Sacerdos post illam actualem intentionem, etsi numquam revocatam, in somnum, ebrietatem, amentiam incidat, & in ea dispositione verba consecrationis, &c. proferat: aut licet mentis compos maneat, tamen ab illo priori actu nihil penitus amplius moveatur, ut ne interrogatus quidem eum allegaret, non erit ea actio amplius voluntaria virtualiter, vi præcedentis actus, sed solum, & ad summum habitualiter: quia non erit amplius actio moralis. Jam vides, quid sint, & qualiter differant intentio *actualis, virtualis, & habitualis tantum*. Et quoad ista, nota simul differentiam inter conferentem, & suscipientem Sacramentum. Quia enim in agente conferente Sacramentum requiritur voluntas, & intentio effective, ut quid concurrens ad causandum effectum Sacramenti, ideo necesse est, ut intentio, si non actu, saltem virtualiter, & moraliter perseveret in actione Sacramentali; at vero in suscipiente Sacramentum requiritur voluntas, & intentio solum dispositive ad recipiendum effectum Sacramenti, ideoque sufficere potest intentio habita, nec revocata, saltem habitualiter perseverans. Sic sæpius vidisti eos, quos constat habuisse intentionem suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ, nec revocasse postea sensibus destitutos, lethargo, vel phrenesi correptos, &c. nihilominus absolutos esse: quemadmodum in simili etiam baptizari possent, & deberent.

Digressio utilis.

Utique, *religiose Lector*, pro certo habes, ad bene, & meritorie operandum necessarium esse, ut non modo homo ipse gratia, & Charitate præditus sit, verum etiam ipsa actio a Charitate imperetur, seu referatur ad Deum, ut ultimum finem *cui*: intentione, aut actuali, explicita, vel implicita, quod optimum, & consultissimum est: aut saltem virtuali, nimirum vi præcedentis intentionis, ac imperii Charitatis, adeo tamen ut imperium, seu intentio præcedens sit vera causa actionis subsequentis, & hæc vere fiat ex vi, & motione præcedentis intentionis, adhuc virtute perseverantis, saltem ut re reflectens interrogatus, cur, opereris hoc, *ores, studeas, scribas*, statim recitata priori intentione, diceres *propter Deum, ad ejus placitum, ad gloriam Dei &c.* Quod si ergo quis mane v. g. proponat hoc die, hæc, illa, ac omnia opera sua facere ex Charitate, & propter Deum ad ejus gloriam, is quidem ipso facto exercet actum præstantissimum Charitatis, & Religionis, eoque præstantiorem, quo magis extensum objectum habet: at vero, si postea temporibus suis, prorsus immemor matutini propositi sui, & absque ulla omnino relatione, vel dependentia ad illud propositum, sed mere ob alias causas, v. g. ob metum pœnæ, ex arida consuetudine, ex humano respectu, &c. operetur, oret, studeat, laboret, &c. tunc illæ actiones, sicut revera non sunt amplius actus Charitatis imperati, neque vi illius propositi, ut virtualiter intentæ, factæ, ita neque vi illius meritoriæ esse poterunt. Ita communiter Doctores, cum D. Bonavent. *in 2. d. 41. art. 1. q. 3.* Bellar. *lib. 5. de Justificat. c. 19.* Et optime explicat Joann. Bussæus. *Virid. Virt. V. intentio recta, c. 4.* Verba ejus adnumero. Tu pondera. *Ad meritum boni operis requiritur, ut vel tunc, cum fit actio, imperetur a Charitate, atque ad Deum ut finem supernaturalem, ac ultimum referatur, vel certe nascatur ab actu imperato a Charitate, atque in Deum antea relato; quod est virtute referri. Tunc enim dicitur opus aliquod virtute in Deum relatum, cum intentio antegressa vere est causa illius, ut fiat. Quare si quis generali tantum intentione, initio anni, mensis, vel diei omnia futura opera ad gloriam DEI offerat, ut quidam laudabiliter faciunt, non ideo dicetur, virtuali intentione obtulisse, singulisque bonis operibus, licet in gratia constitutus, vitam æternam promeruisse*. Hæc ille verissime. Assuesce ergo, *religiose Lector*, sæpius per diem, saltem ante quodlibet opus notabile, orationem, studium, laborem, etiam cibum, recreationem, somnum, &c. elicere intentionem actualem, est res facilis praxis; sed longe utilissimæ, de qua lege, & relege, R. P. *Hieremiæ Drexelii Amussim*: interim vide, an hæc placeat; Actus singulos ordiri a signo Crucis, & vers. *Deus in adjutorium, &c.* ac Doxologia, *Gloria Patri, &c.* atque etiam ita finire. Ita finiamus hanc digressionem, & ad lineam revertamur. 22

§. III. *De Voluntario directe, & indirecte, &c.*

Voluntarium *directe, & in se* dicitur, quidquid per se procedit a voluntate, seu omnis actus, qui per se intenditur, elicitur, imperatur, vel admittitur a voluntate: ut si deliberate odisti hominem, vis occidere, occidi imperas, occidere volenti consentis, &c. de hoc nulla difficultas. Voluntarium *indirecte*, seu *in alio*, seu *in sua causa* dicitur, quidquid per accidens tantum procedit a volunta- 23

luntate, seu quod quidem secundum se, & in se non intenditur, elicitur, vel imperatur a voluntate, tamen ratione alicujus alterius per se voliti prævidetur necessario consequi, ideoque voluntati voluntarium censetur, & velut imputatur, unde & voluntarium interpretativum dicitur *supra n.* 20. Idque iterum duplex est. I. Voluntarium indirecte *in causa positiva* est, quando homo voluntarie ponit causam, ex qua prævidet, vel prævidere deberet, secuturum talem effectum: aut etiam de facto jam sequi experitur. Ut, qui indulget cogitationi vel lectioni turpi, &c. sentiens periculum proximum secuturæ pollutionis, is, quamvis directe minime velit, immo omnino nolit, indirecte tamen censetur velle pollui, ideoque secuta pollutio erit voluntaria indirecte. II. Voluntarium indirectum *in causa negativa* dicitur, quando homo, seu voluntas, cum posset, & deberet, solum non aufert causam prævisi effectus, vel alio modo non impedit, quominus effectus prævisus, sequatur, sive in se, sive in alio; ut si ab aspectu non amoveas imaginem turpem: non extinguas candelam præviso incendio, &c. Exempla nimis obvia.

Quænam requirantur ad voluntarium indirecte.

24 AD hoc ut ex causa posita, vel non ablata, effectus secutus censeatur voluntarius indirecte, atque ad peccatum imputetur, tria requiruntur. I. Ut operans sciat, & advertat, aut certe scire debeat, seu inculpabiliter non ignoret, ex tali causa a se posita, seu non ablata consecuturum talem effectum vel ejus adesse grave periculum. Quod si enim id nullo modo sciat, vel expertus sit, effectus secutus non poterit censeri etiam indirecte voluntarius, quia nullo modo cognitus, nullo modo volitus: ut si quis ad satietatem bibens, ignarus fortitudinis vini, postea inebriatur, &c. II. Ut etiam possit impedire talem effectum, causam auferendo, vel non ponendo. Si enim non possis auferre causam, non imputabitur tibi effectus voluntarius, vel culpabilis, secundum omnes. Ut si necessario equitans advertas periculum pollutionis, vel ea de facto contingat. III. Ut etiam debeat impedire effectum non ponendo, seu auferendo talem causam: Quod si enim nulla lege charitatis, vel justitiæ tenearis non ponere talem causam, vel abstinere a tali actione, ex qua prævides effectum secuturum, quin potius sit obligatio in oppositum; effectus secutus sane physice adhuc erit voluntarius indirecte, in causa scilicet voluntarie posita, at non erit voluntarius moraliter, neque ad culpam imputari poterit. Ut: si Confessarius audiat confessiones fœminarum, aut legat libros de tali materia pro necessaria instructione: si Chirurgus medeatur in partibus verecundis, si etiam commoditatis tantum gratia equites, &c. & immineat periculum carnis: quia nulla lege ii tenentur abstinere a tali actione, quin potius ex officio debent agere, ideo effectus quicumque secutus (secluso semper consensu, quo fieret voluntarius directe) omni culpa voluntaria vacabit. Similiter, etsi scias, & possis auferre causam, vel aliter impedire aliquem effectum, si tamen non teneris aliqua lege charitatis, vel justitiæ, permissio quidem ipsa poterit tibi esse voluntaria, at vero effectus secutus nullo modo censebitur tibi voluntarius, nec consequenter, ut causæ morali ad culpam imputabitur. Quia permissive, & negative tantum se habenti ad aliquem effectum, effectus secutus numquam imputatur ut causæ morali, nisi ille habeat obligationem aliquam impediendi illum. Alioquin sequeretur absurdum, nimirum omnium hominum, dæmonumque peccata Deo esse voluntaria, atque ut morali causæ imputanda, cum sciat, & possit, tamen impedire nolit; nimirum quia impedire non tenetur, sed potius, ut causa universalis permittere debet singulas causas suos motus agere. Si caupo apponens vinum se inebriaturis, etsi sciat, & possit, quia tamen non tenetur impedire ebrietates, & alia secutura, ei nec voluntaria, nec ad culpam imputari poterunt, secus si esset Superior Potitantium.

Quando committatur peccatum indirecte voluntarium.

25 PEccatum indirecte voluntarium tunc committitur, quando culpabiliter posita, vel non ablata causa (cum quis scilicet, *& sciat*, *& possit*, *& debeat* auferre) effectus prævisus factus est voluntarius indirecte, & non tunc, quando reipsa effectus sequitur. Exempla disce. 1. Quando potitans advertit, se ulteriori potu inebriandum, insuper expertus sit, se in ebrietate solere rixari, & occidere, & tamen vult ulterius bibere, hoc ipso puncto peccat mortaliter, & ebrietatis, & homicidii indirecte voliti peccato: & non amplius tunc quando actu rationis usu destituitur, aut plene jam ebrius rixatur, & percutit. 2. Qui vesperi decumbens voluntarie vacat turpibus cogitationibus, prævidens, vel expertus jam sciens secuturam in somno pollutionem, tunc quidem peccat mortaliter peccato impudicitiæ, & mollitiei, at sine dubio non amplius tunc, quando dormienti reipsa turpitudo contingit. 3. Qui die Dominico, vel festo mane voluntarie se inebriat, aut somno dedit prævidens omnino Sacrum negligendum, tunc quidem peccat mortaliter contra præceptum Ecclesiæ, non autem, quando ipso jam ebrio, vel dormiente, Sacrum reipsa negligitur. 4. Qui sciens, & volens per frequentatos actus contrahit consuetudinem blasphemandi v. g. tunc quidem dupliciter peccat mortaliter, at non amplius tunc quando vi involuntarie remanentis consuetudinis, ac quasi naturali impetu, omnino inadvertenter in blasphemias prorumpit. Eademque ratio est, quandocumque quis sciens & volens potuit, vel non abstulit causam effectus prævisi, sive indirecte tantum, ut in exemplis allatis, sive etiam directe intenderit talem effectum, & postea, eo non amplius volente, sequitur effectus. Potuit enim homo interim se revocare, de peccato dolere, & se in Dei gratia constituere: Impossibile est autem, hominem in gratia constitutum peccare vi præcedentis actus: aut quando effectus, ut fiat, vel non fiat, non est amplius in hominis potestate: ut si venenum propinasti, lapidem projecisti, sagittam ejaculatus es etiam directa occidendi intentione: ergo etiam tunc peccatum committitur, non quando effectus sequitur, sed quando culpabiliter causa ponitur, aut non aufertur. *Ex communi Layman, hic tr.* 2. *c.* 3. *n.* 5. Cæterum negari non potest, peccatum tale aliquo modo compleri effectu secuto saltem in ordine ad judicium Sacramentale, ideoque ordinarie necessarium est in confessione explicare, an talis effectus homicidii, pollutionis, &c. secutus sit, nec ne; partim ut intelligatur gravitas peccati commissi quantum nimirum fuerit periculum, cui se operans exposuit partim etiam ut intelligatur obligatio contracta restitutionis, censuræ, irregularitatis, &c. quæ etiam post confessum, & remissum peccatum remanent. Unde speculative tantum probabilis est opinio *Suarez*, eum, qui tegulam ex tecto projecit cum periculo præviso occidendi hominem, satisfacere, si hoc ipsum fateatur in confessione, nec debere exprimere, an mors secuta sit, necne; quia tunc solum peccavit, quando causam posuit, non vero postea, quando non amplius est in potestate, quin effectus sequatur, tametsi maxime velis impedire, ideoque in se coram Deo neque majus neque minus peccatum videtur, sive effectus sequatur, sive non.

§. IV. *Voluntarium expressum, & tacitum in ordine ad externam manifestationem.*

VOluntarium *expressum* dicitur, quod verbis, vel signis æquivalentibus explicite significatur, ac velut exprimitur. Ut dum Superior expressis verbis quidpiam præcipit, prohibet, concedit, negat: dicetur voluntas expressa, consensus expressus, &c. Voluntarium *tacitum*, quod etiam fictione juris, interpretativum vocant, dicitur quod absque expressione verborum, vel signorum æquivalentium, solum ex facto aliquo, vel omissione voluntarium esse ostenditur, vel intelligitur, adeoque comprehendit omne voluntarium indirecte ex causa positiva, & negativa, & insuper silentium. Ut si Superior, vel Paterfamilias, concedat, non auferat, non prohibeat, aut tacendo dissimulet nimium potum Suorum, censebitur tacite consentire in ebrietatem, rixas, ac alia mala inde ordinarie consequentia, vel prævisa, quo spectat tritum illud: 26

Qui tacet, consentire videtur. Reg. 43. *in* 6.

NOn universaliter verum est: ut statim notat ibidem. Reg. 44. *Qui tacet non fatetur; sed nec utique negare videtur*. Etenim taciturnitas, seu silentium, de se neque assensum, neque dissensum significat, nisi accedant aliæ conjecturæ, quas affert *Sanchez lib.* 1. *de Matrim. disput.* 5. *&* 6. & ex eo *Layman hic cap.* 3. *num.* 3. I. Tacens consentire videtur, si agatur de ejus favore, vel commodo; non item, si agatur de ejus gravamine, incommodo, præjudicio. Ita si alio quidpiam tibi promittente vel donante taceas, censeberis consentire: at vero si quidpiam ab alio tibi donari, vel promitti petas, isque taceat, non contradicat; non ideo censebitur consensisse. II. Tacens consentire censetur; si consentire nolens, negare, vel contradicere deberet: non item, si respondere, vel contradicere non teneatur. Sic Reus in judicio ad objectum crimen jussus respondere, si taceat, fateri præsumitur, *cap. si post. de confessione in* 6. Item sedens in Concilio, vel capitulo, si iniquæ Constitutioni, vel Electioni non reclamat, si utiliter possit, censetur consentire; *Communis DD. apud Layman cit.* III. Si quis ex duobus sibi objectis, unum tantum negat, alterum tacite fateri, si unum tantum fateatur, alterum tacite negare censetur, *cap. Nonne de præ-* 27

de præsumptionibus. Ubi ponitur auctoritas D. Gregorii *hom. 18. in Evang. Duo Christo illata fuerunt* (Samaritanus es, & dæmonium habes) *Unum negavit, alterum tacendo consensit*. IV. Principis ergo, Prælati, Superioris, &c. scientia, & patientia, seu taciturnitas, consensus æstimatur, quando citra periculum alicujus incommodi, vel scandali impedire, aut contradicere posset: secus si impedire absque incommodo non possit. Sic Prælatus, vel Superior, sciens aliquid fieri contra leges, vel statuta, seu tale, quod absque licentia sua fieri non posset, si taceat, & toleret, cum commode contradicere posset, censetur tacite consentire, vel licentiam dare: ejusque licentiam, consensum, ratihabitionem subditus præsumere potest. Vide *Layman cit. c. 3. num. 4.*

Corollaria ex hactenus dictis.

28 I. OMnis ergo, & solus actus deliberatus voluntatis elicitus, imperatus, vel imputatus, qui nimirum formaliter, vel interpretative, actu, vel virtute, directe, vel indirecte, expresse, vel tacite saltem sit voluntarius, ac liber, est actus humanus, moralis, bonus, vel malus. Omnis enim, & solus talis actus est in libera potestate agentis, ac regulabilis secundum rectam rationem. II. Nullus actus intellectus, vel alterius potentiæ a voluntate, secundum se potest esse humanus, cum sic fiant naturaliter, ac necessario: sed solum fiunt actus humani, ac liberi participative a voluntate, quatenus nimirum ab ea, vel directe voliti imperantur, vel admittuntur, vel eidem saltem, ut indirecte, & interpretative voliti imputantur. III. Prima cogitatio intellectus in quovis negotio, non potest unquam esse actus humanus, bonus, vel malus moraliter, cum nullo modo possit esse volitus primus intellectus actus, alioquin daretur processus in infinitum: cum nihil sit volitum, nisi præcognitum. IV. Etiam primus motus voluntatis, absque intellectus ad ipsum advertentia insurgens, (& a fortiori omnis primus motus, vel actus cujuscumque alterius potentiæ) non potest esse actus humanus, nec bonus, nec malus moraliter. Quia non est in potestate voluntatis, nec consequenter regulabilis per rectam rationem. Hæc magis sigillatim applicabuntur, *infra præsertim c. 5. & 6.*

SECTIO IV.

Impedientia voluntarium, ac liberum, ideoque & ipsum actum humanum.

QUatuor communiter enumerantur: *Ignorantia*, *Violentia*, *Metus*, & *Concupiscentia*. Quia enim voluntarium debet procedere ex prævia cognitione, hinc ei repugnat ignorantia. Et quia debet procedere a principio intrinseco; hinc ei repugnat violentia. Et quia liberum debet procedere a principio indifferenti ad agendum, & non agendum, hinc illud impedire videntur metus, & concupiscentia. Nunc singula percurramus.

SUBSECUTIO I.

De Involuntario ex Ignorantia.

SUMMARIUM.

29 *Ignorantia est carentia notitiæ alicujus rei.*
30 Ex parte subjecti: *alia est negativa, alia privativa, alia positiva.*
31 Ex parte objecti: *alia est ignorantia* juris, *alia* facti.
32 Ex parte effectus: *alia est antecedens, alia concomitans.*
33 Ex parte voluntarii, & culpæ: *alia est invincibilis, alia vincibilis, levis, lata, affectata.*
34 *Ignorantia invincibilis, antecedens tam juris, quam facti excusat ab omni culpa.*
35 *Sicut etiam invincibilis concomitans.*
36 *Nulla vero vincibilis factum ex ea omnino excusat.*
37 *Sed solum minuit, saltem non affectata.*
38 *Ignorantia facti, & juris, ac pœnæ simul, non tantum invincibilis, & vincibilis (non crassa, lata, vel supina) excusat a pœna per leges decreta.*
39 *Si vero est ignorantia solius pœnæ, non vero Juris, vel facti; pœna adhuc incurritur, si non sit censura, vel pœna extraordinaria, & exorbitans.*

29 IGnorantia, nomine, & re nihil aliud est, quam carentia notitiæ, seu cognitionis alicujus rei. Ejus variæ sunt divisiones.

I. Ex parte Subjecti.

Ignorantia negativa, privativa, positiva.

IGnorantia *negativa*, seu *puræ negationis* dicitur carentia notitiæ in subjecto ex natura, vel statu suo non apto habere talem notitiam. Ut ignorantia Dei in lapide, bruto, infante, amente. Ignorantia *privativa*, seu *meræ privationis* dicitur privatio, seu carentia notitiæ in subjecto ex natura, & conditione sua apto habere talem notitiam, ut si homo adultus nesciat, quæ secundum statum suum scire posset, vel etiam deberet. Ignorantia *positiva*, seu *pravæ dispositionis* dicitur carentia notitiæ veritatis cum positivo contrario errore. Ut si nescias, Christum esse Deum, putans purum esse hominem. Si nescias animal a te repercussum esse hominem, putans esse feram. 30

II. Ex parte Objecti.

Ignorantia Juris, & ignorantia Facti.

IGnorantia *juris* est, qua ignoratur lex, ejusve obligatio. Ut si nescias, pro tali Vigilia jejunium Ecclesiasticum indictum esse. Ignorantia *facti* est, qua ignoratur factum aliquod, seu res particularis, ejusve conditio ex qua actio moralis quoad suam bonitatem, vel malitiam dependet. Ut si nescias, non advertas, non recorderis, hodie esse diem veneris, vel Vigiliæ, aut carnem esse, quod comedis &c. Nam nomine ignorantiæ, etiam inadvertentia, inconsideratio, oblivio comprehenduntur. 31

III. Ex parte Effectus.

Ignorantia antecedens, & concomitans.

IGnorantia *antecedens*, & *causa operis est*, quæ si abesset, effectus non fieret. Ut si occidisti amicum, ratum esse feram, & ignorans esse hominem, ac amicum tuum, ex ignorantia tamquam causa occidisti, quia si non ignorasses minime occidisses. Hujus signum est, inquit Aristoteles. 3. Ethic. *c. 1. Quia facti te pœnitet, postquam ignorantia remota fuit*. Ignorantia *concomitans* tantum, & *non causa operis*, dicitur, cum qua tantum, non ex qua, vel propter quam fit effectus, adeo ut etiamsi illa abesset, effectus adhuc fieret. Ut si inimicum, quem maxime occisum velles de facto occidisti, ignorans tamen esse hominem, vel inimicum tuum, sed putans esse feram: non ex ignorantia tamquam causa, sed solum cum ignorantia concomitante occidisti: quia tamen etsi non ignorasses, adhuc occidisses. Cujus signum est, quia postquam cognovisti, non doles, sed gaudes. 32

IV. Ex parte Voluntarii, & Culpæ.

Ignorantia invincibilis, & vincibilis, levis, lata, affectata.

IGnorantia *invincibilis*, & *inculpabilis*, etiam *justa*, *probabilis*, & *antecedens* dicta est, quæ morali studio vinci, vel tolli, acquirendo oppositam notitiam, non potuit: utpote, quia vel nunquam venit in mentem cogitare, vel dubitare de tali re, vel etiamsi in mentem venisset, tamen morali, & ordinaria adhibita inquirendi diligentia cognitio veritatis acquiri non potuisset. Et hæc simpliciter non est voluntaria, nec directe, nec indirecte: ideo etiam *antecedens* dicta, quia omnem actum voluntatis antecedit. Ignorantia *vincibilis*, & *culpabilis*, etiam *injusta*, *improbabilis*, & *consequens* dicta est, quæ morali adhibita diligentia superari, acquirendo oppositam notitiam, potuisset, & debuisset; ideoque tria requirit. I. Ut sit de re cujus notitia, vel scientia in tali persona, in talibus circumstantiis haberi possit. II. Ut venerit in mentem cogitare, vel dubitare de tali re. III. Ut ignorans teneatur scire illam rem, utpote spectantem ad suum statum, vel officium, atque ad evitandum peccatum: alioquin, defectu hujus tertii, ignorantia quidem vincibilis erit, at culpabilis non erit. Hæc ergo ignorantia semper est aliquo modo voluntaria directe vel indirecte, ideoque etiam dicta *consequens*, quia actum aliquem voluntatis subsequitur. Atque hinc 33

Ignorantia culpabilis, & vincibilis, alia dicitur *affectata*, & est directe voluntaria, cum quis data opera vult ignorare & ideo non inquirere veritates, sive ob tædium discendi, sive ut liberius peccare, vel legis ignoratæ transgressiones excusare possit. Ut si data opera, & ex proposito nolis discere præcepta Dei, vel Ecclesiæ, aut Regulæ tuæ, ob dictas causas. Alia est ignorantia culpabilis non affectata, & indirecte tantum volita, qua quis non quidem vult ipsam igno-

ignorantiam in se, sed solum non vult adhibere sufficientem, ac debitam diligentiam inquirendi, & cognoscendi veritatem, ideoque eo ipso indirecte velle ignorantiam convincitur. Et hæc alia dicitur *lata*, *crassa*, *supina*, ad quam superandam, veritatemque cognoscendam, nulla prorsus diligentia, vel cura adhibita est: qualis plerumque esse solet ignorantia earum rerum, quæ communiter ab ejusdem status, vel conditionis hominibus cognoscuntur, vel etiam cognosci debent. Alia dicitur ignorantia culpabilis non lata, vel crassa, sed *levis*, ad quam nimirum superandam, aliqua non tamen sufficiens diligentia est adhibita, vel tam facile superari non potuit. Hæc autem in particulari, consideratis circumstantiis, prudentis judicio discernenda. Nulla enim potest tradi regula generalis.

ASSERTIO V.

V*oluntarium, adeoque actum humanum, & peccatum omnino tollit ignorantia quævis invincibilis, juris, vel facti, non tantum antecedens, sed etiam concomitans: non item tollit, sed minuit tantum, ignorantia vincibilis, & culpabilis, saltem non affectata*. Communis doctrina, uti docebit explicatio.

§. I.

34 I*Gnorantia invincibilis, & inculpabilis, saltem antecedens, & causans opus omnino tollit voluntarium, atque excusat ab omni culpa*. Omnes cum S. Thoma 1. 2. *q.76. ar.3.* docet etiam S. Augustinus *l.3. De lib. Arbitrio, cap.8. & alib.* Ratio manifesta est ex assertione præcedenti. Quia omne voluntarium sufficiens, & requisitum ad actum humanum necessario debet esse præcognitum, & quacumque ratione non est præcognitum, ea ratione non potest esse voluntarium, sed ignorantia quævis invincibilis, & inculpabilis, juris, vel facti, saltem antecedens, sicut ipsamet omnino involuntaria, & inculpabilis est, ita rem, seu objectum involuntarie, & inculpabiliter reddit incognitum, & consequenter eadem ratione involuntarium: Etenim ignorantia facti (ut si quis die veneris comedat carnes, nesciens vel non advertens esse diem veneris, aut esse carnem, quod comedit) reddit incognitum, & consequenter involuntarium actum, vel circumstantiam prohibitam: Ignorantia autem juris (ut si hodie comedas carnes, nesciens esse prohibitum, *ut supra num. 31.*) reddit incognitum, & consequenter involuntarium actum, quoad ipsam prohibitionem, seu malitiam: ergo ea ignorantia omnino tollit voluntarium in actu saltem causato, in quantum ignoratur, & consequenter etiam omnem culpam, seu peccatum; quia peccatum adeo voluntarium est, ut si voluntarium non sit, eo ipso peccatum non sit.

§. II.

35 N*On tantum ignorantia antecedens, sed etiam concomitans &c. ut supra*. Communis Suarez, Vasquez, Azorius, alii cum Sanchez *lib. 1. Moral. cap. 16.* Layman *c.4. num.8.* Ratio eadem est, quæ supra. Quia ignorantia invincibilis, & inculpabilis, etiam concomitans tantum, & non causans opus, vere, & invincibiliter reddit incognitum id, quod cum ignorantia agitur: ut si inimicum occidisti, invincibiliter ignorans esse hominem illum, quantumvis alioquin maxime velles occidere, vel occisum, de facto tamen vere, & invincibiliter ignorasti, eum esse hominem inimicum tuum, & consequenter tunc eo actu simpliciter non potuisti velle illum occidere: ergo ignorantia etiam concomitans invincibilis vere tollit voluntarium, & actum cum tali ignorantia factum reddet simpliciter non voluntarium, & consequenter etiam non peccaminosum, seu ab omni culpa excusatum. Neque obstat, quod ita occidens cum ignorantia concomitante, tantum ita affectus sit, quod si sciret, adhuc faceret: Deus enim non imputat homini peccata, quæ faceret, si hoc, vel illud in mentem ei veniret, sed divinæ gratiæ adscribendum est, quod id animo de facto non incidat. Uti ex D. Augustino recte docent Suarez *lib.3. de juramento c.7.* & Sanchez *lib.3. Moral. c. 5.* ubi recte refutant Cajetanum, Navarrum, Lopez, & alios volentes perjuria ver. gr. hic & nunc ex contracta consuetudine omnino indeliberate facta, nihilominus esse peccata mortalia ex eo, quod licet assuetus adverteret, & deliberaret, tamen adhuc pejeraret, quod falsum esse eadem ratione convincitur. Denique quod si actus homicidii v.g. factus cum ignorantia concomitante tantum, aut habeat adjunctum actualem affectum, vel propositum adhuc occidendi, etiamsi constaret, esse hominem inimicum suum, aut postea comperto, revera fuisse hominem inimicum suum, sequatur gaudium, complacentia, approbatio: manent sane illa voluntaria, & peccata seorsim homicidii interni: at ipse actus, ut homicidii externi, sicut de facto est incognitus, ita involuntarius negative scilicet, seu non voluntarius, & consequenter non peccaminosus manet.

§. III.

N*On item tollit ignorantia vincibilis, & culpabilis &c.* 36
Omnes cum S. Thom. *citat. a. 4.* Rationem habes, *c. 1. num. 2. de Conscientia erronea*. Adde; Illud voluntarium simpliciter, saltem indirecte, & peccaminosum, censetur, quod ita procedit a voluntate, ut potuisset, & debuisset etiam non procedere: sed quod fit ex ignorantia, vel cum ignorantia vincibili, & culpabili quacumque, ita procedit a voluntate, ut non procedere, seu vitare potuisset, & debuisset: potuit enim, ut supponimus, & debuit voluntas facere inquiri veritatem: eaque cognita, non facere illum actum, consequenter eo ipso, quo voluntas advertenter ignorans aliquid, v. grat. hodie esse diem jejunii, & cum possit, & debeat, negligens inquirere, ac cognoscere veritatem, & tamen eligit operari, v. gr. comedere carnes, censetur etiam saltem indirecte eligere, & velle objectum, quale de facto est, scilicet malum, vel prohibitum: ergo ignorantia vincibilis, & culpabilis quæcumque non tollit voluntarium, nec consequenter peccatum in toto: sed

§. IV.

M*Inuit tamen, saltem non affectata:* Seu ut loquuntur 37
Doctores, excusat a peccato, non in toto: sed in tanto. *Communissima*. Ratio est: Quia per se loquendo, & in genere voluntarii, id semper minus est voluntarium, quod indirecte tantum est voluntarium, quam quod etiam directe voluntarium est: sed quidquid fit ex ignorantia, quantumvis vincibili, & culpabili, etiam crassa, vel supina, saltem non affectata, est tantum indirecte voluntarium: ergo minus voluntarium, & consequenter etiam minus culpabile, seu minus peccatum, & quidem proportionaliter, quo minus voluntaria, & culpabilis est ignorantia, uti est ignorantia levis, eo minus erit peccatum, utpote leve, & veniale: e contra quo magis voluntaria, & culpabilis est ignorantia, uti est supina, crassa, lata, vel huic similis, eo magis relinquet actum voluntarium, & peccaminosum, ideoque non excusabit a mortali toto, sed solum a tanto. Ignorantia affectata denique, directe voluntaria, & malitiosa, cum procedat ex magna voluntatis propensione ad malum, saltem tunc, quando expresse intenditur, & opposita cognitio respuitur, ut quis sine ullo conscientiæ remorsu liberius peccet, qua ratione dicunt impii apud Job *c.21. Recede a nobis scientiam viarum tuarum nolumus*: Talis, inquam, ignorantia censetur non minuere, sed potius augere voluntarium, & peccatum. Cum talis censeatur adeo adhærere peccato, ut etiam horreat scientiam avocantem a peccato; uti docent Doctores communiter cum S. Thom. *cit. c.4.* Navarro *in c. sciendum d. 2. de Pœnit. num.4.* Sanchez *l. 1. moral. c. 17.* Layman *c. 4. num. 9.* Contrarium tamen docent D. Bonaventura, Corduba, Azorius, alii cum Filliucio *tr. 21. c. 2. p. 7.* Nimiam etiam ignorantiam affectatam minuere aliqualiter voluntarium, & peccatum: idque eadem ratione supra, etiam hic urgente. Quia revera etiam, quod fit ex ignorantia affectata, est indirecte tantum voluntarium quia de facto non est cognitum, quantumvis voluntarie ignoratum: Et *Confirmatur efficaciter*. Voluntas tanto minus libere vult, quanto magis ab objecto trahitur ad unam partem; sed ignorantia etiam affectata eo ipso, quod occultat malitiam objecti, adulterii, v. gr. homicidii &c. facit voluntatem magis trahi ab objecto illo: e contra, si intellectus ostenderet malitiam objecti, utique retraheretur, & retardaretur ab illo amplectendo, cum voluntas naturaliter refugiat malum: ergo, &c. Videntur tamen hæ sententiæ facile conciliari posse cum distinctione voluntarii dicendo: ignorantiam affectatam minuere quidem voluntarium perfectum, ac liberum respectu illius actus ignorati, uti convincit ratio assignata: augere tamen, & quidem malitiose ex proposito voluntarium ut spontaneum in ordine ad liberius peccandum, non solo illo actu, sed quovis alio occurrente, durante illa ignorantia. Ideoque hæc affectata ignorantia merito nihil patrocinatur delinquenti tam in interno quam externo foro maxime.

QUÆSTIO INCIDENS.

Qualiter Ignorantia excuset a Pœna per Leges positivas decreta.

I. *De Ignorantia Facti, & Juris, ac Pœna simul.*

38 Respondetur I. Ignorantia invincibilis, & juris statuentis pœnam, & facti, sicut ab omni culpa, ita etiam ab omni pœna excusat, & liberat. *Omnes*. Quia nimirum pœna decernitur ob culpam, ergo cessante culpa tamquam causa, cessare etiam debet pœna, tamquam effectus v. g. Si percussisti Clericum, inculpabiliter ignorans eam percussionem esse ab Ecclesia prohibitam sub pœna excommunicationis, aut nesciens, vel non advertens illum esse Clericum, sine dubio non incurris pœnam excommunicationis, vel quamcumque aliam in simili casu. II. Etiam ignorantia facti, aut ipsius juris statuentis pœnam, vincibilis, & culpabilis quæcumque non crassa, vel supina excusat a pœna per legem decreta: ut si in exemplo allato, dubitans, vel suspicans forte esse Clericum, absque sufficienti inquisitione credas non esse & percutias, non incurris censuram, & sic in similibus. Communis Doctorum, Sotus, Suarez, alii cum Sanchez *lib.9. de Matrim. disp.32. n.31.* Layman *lib.1. tr.4.c.20.n.3.* Ratio est, quia ignorantia quæcumque non crassa censetur levis: ideoque sicut culpæ gravitatem minuit, & venialem reddit, ita æquum est, ut & pœnam minuat, immo tollat, si pœna sit latæ sententiæ: si vero sit sententiæ ferendæ a Judice, is aut veniam delicti dare, aut aliam mitiorem arbitrariam imponere debebit, uti notat Laym. cit. III. Ignorantia Juris, vel facti crassa, lata, supina, sicut non excusat a mortali peccato, ita neque a pœna per legem decreta, etiam si gravis illa sit. *Communis Doctorum ex c. de const. in 6.* Excipe, nisi pœna decreta sit cum hujusmodi formulis: *Qui scienter, temerarie, ausu temerario contra fecerit, vel contra facere ausus fuerit, vel præsumpserit, &c.* Tunc enim etiam ignorantia crassa, vel lata, at non affectata excusabit, uti cum communi Doctorum late docet Sanchez *cit. disp.32. a n.36.* Exemplum, præter alia, habes in Jure *c.1. de eo, qui cognovit.* Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec a matre debitum petere, nec filiam umquam poterit habere uxorem. Ex quo colligit Sanch. *cit. n.47.* etiam ignorantiam facti crassam excusare ab incurrenda pœna privationis juris petendi debitum eum, qui consanguineam uxoris suæ cognovisset. Denique ignorantia affectata, quia scientiæ æquipollet, nullam peccantibus excusationem adfert: uti jam supra *n.37.* in fine notatum.

II. *De ignorantia solius Pœnæ, non Juris, vel facti.*

39 Respondetur. I. Qui non ignorat legem latam, seu factum aliquod lege esse prohibitum, ignorat autem annexam pœnam: si illam legem prævaricetur, non culpæ solum, sed etiam pœnæ reus efficitur ordinarie. Ut si scias præceptum Ecclesiasticum de annua Communione Paschali, etsi ignores pœnas annexas, iis tamen juste puniris, si prævariceris. Si sciat maritus, lege Ecclesiastica specialiter interdictam esse copulam cum consanguinea uxoris intra secundum gradum (idemque est de cognatione spirituali) etsi ignoret annexam pœnam abstinendi a petendo debito, eam tamen incurrit, &c. Ex communi Molina *tr.5. de Justit. disp.71.* Sanch. *supra n.21.* Layman *n.6.* contra Navarrum *c.23. n.47.* & alios apud Tambur. *lib.1. in Decal. c.2. §.10. n.12.* quorum opinionem etiam probabilem censet Sanchez *loc. cit.* Ratio nostræ sententiæ est. Quia omnibus notum est, transgressorem justæ legis juste puniri pœna aliqua, seu ordinaria a lege statuta, seu arbitraria judicis: ergo qui voluntarie legem transgreditur, eo ipso implicite censetur consentire in pœnam, si qua lege decreta sit, saltem ordinariam, & non exorbitantem, consequenter juste ad illam obligatnr. II. Excipitur in primis censura omnis, utpote excommunicatio, suspensio, interdictum. Nullus enim incurrit censuram propter delictum, etiam contra notam legem, si ignoret illi annexam esse censuram ignorantia quavis non crassa, vel affectata. Uti ex communi late probant Sanch. *supra n.13.* Navarr. Suar. alii cum Layman *lib.1. tr.4. p.1. c.5. nu.8.* Ratio alibi assignanda est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia: nullus autem potest censeri vere contumax contra legem Ecclesiæ cum comminatione tantæ pœnæ aliquid præcipientis, vel prohibentis, delinquens, si ipsam pœnam ignoret. Unde probabilius censet Layman proxime citatus, eo casu adhuc incurri irregularitatem, non tantum ex defectu, de quo nemo dubitat, sed etiam ex delicto, v. gr. homicidii voluntarii, quia irregularitas etiam ex delicto non imponitur ob contumaciam, sed potius propter turpitudinem culpæ, qua criminosus, secundum Ecclesiæ Canonem inhabilis redditur ad Sacrum Altaris Ministerium. Contra tamen etiam non incurri cum multis aliis probabiliter sustinet Sanch. *cit. n.17.* III. Excipienda etiam est pœna extraordinaria, exorbitans, seu admodum gravis plus, quam delictum absolute spectatum mereatur. Ratio in prima responsione insinuata est. Quia in talem pœnam ignorans nullo modo censetur consentire, si legem transgrediatur. Ut si peregrinus transeat per regionem, in qua sub pœna mortis, vel alia gravissima, prohibita est venatio ferarum: non erit tanta afficiendus pœna, si legem notam quidem violet, sed ignorans gravitatem pœnæ. Unde etiam resolvit Sanch. *lib.4. in Decal. c.22. n.19.* Si quis voveat non fornicari, v.g. sub pœna profitendi Religionem, & postea, etiam memor voti, sed immemor pœnæ, fornicetur, non obligabitur pœna, quia est exorbitans. Votum enim obligat ad modum legis; lex autem non obligat ad pœnam exorbitantem ignoratam. Secus in nostra sententia dicendum, si pœna voto annexa non exorbitans, sed moderata fuisset, v. gr. oratio, jejunium &c. Quod tamen ipsum non improbabiliter etiam admittunt alii *respons.* 1. allati.

SUBSECUTIO II.

De Involuntario ex Violentia.

SUMMARIUM.

40 *Violentia quid, & quomodo inter se conveniant, & differant violentum, coactum, involuntarium, & necessarium.*
41 *Violentia in actibus voluntatis elicitis positive non tollit voluntarium.*
42 *Sed solum in imperatis, seu potius imperabilibus.*
43 *Tollit omne voluntarium.*
44 *Adeoque & omnem culpam, seu peccatum.*

Violentia est Vis ab extrinseco illata alicui cogens ad aliquid agendum, vel patiendum contra ejus naturalem, vel elicitam inclinationem, seu appetitum. Non omnino conveniunt, sed nonnihil differunt inter se.

Violentum, coactum, involuniarium, necessarium.

Violentum definitur ab Aristotele 3. Ethic. *c.1. Cujus principium est extra, passo non conferente vim.* Quod 40 debet intelligi, non tantum negative, sed etiam positive, hoc est; passo vi, vel virtute sua intrinseca non modo non cooperante, sed etiam renitente, ac resistente actioni violentæ. Alioquin illuminatio aeris v. g. esset ei violenta. Hoc convenit omnibus rebus, etiam inanimatis, & potius dicitur, quod est contra naturalem rei inclinationem, ut motus lapidis sursum. *Coactum* etiam requirit, ut sit a principio extrinseco, & contra inclinationem passi potius elicitam, ideoque solis cognoscentibus competit, hominibus, brutisque commune. *Involuntarium*, præterquam quod ipsa voce soli homini competat, principaliter tantum requirit, quod fiat contra inclinationem voluntatis renitentis, sive deinde sit a principio etiam extrinseco, sive ab intrinseco, ut motus primo primi post advertentiam repugnante voluntate perdurantes, vere sunt involuntarii, at non coacti, quia non a principio extrinseco. *Necessarium* contra dicitur, quod fiat a principio determinato ad unum sive intrinseco, sive extrinseco, & quidem semper secundum naturalem inclinationem, non tamen semper secundum inclinationem elicitam. Ut motus naturales hominis, voluntati aliquando non voluntarii, aliquando involuntarii, aliquando voluntarii. Vide dicta *num.17.*

ASSERTIO VI.

Violentum, *seu coactum, non in actibus voluntatis elicitis, active, & positive, sed imperatis tantum tollit omne voluntarium, omnemque culpam.* Certa apud omnes.

§. I.

Non *in actibus voluntatis elicitis; ut velle, nolle, amare, odisse &c.* In his enim repugnat violentari voluntatem. 41 Quia violentum est a principio extrinseco, & contra inclinationem passi: atqui omnis actus voluntatis elicitus est a principio intrinseco scilicet ipsius voluntatis, & maxime secundum inclinationem ipsius, cum sit ipsa ejus elicita, & actualis inclinatio in objectum, si unum horum desit, hoc ipso non erit actus elicitus voluntatis. Aut dato, quod Deus prævie possit determinare, & cogere voluntatem ad eliciendum aliquem actum, renitente ipsa, erit sane ille actus involuntarius, at minime violentus, quia non a principio extrinseco immediate, ut vides: ergo implicat voluntatem violentari, vel cogi quoad actum aliquem elicitum, nimirum *active, & positive.* Quia sine dubio potest volun-

voluntas a Deo violentari. 1. *passive* ad recipiendam aliquam formam contra ejus naturalem, vel elicitam inclinationem, uti de facto experiuntur animæ damnatæ. 2. Etiam *negative*, ad non agendum, seu non producendum aliquem actum, ad quem maxime inclinatur. Potest enim Deus subtrahere suum concursum, sine quo nullum potest actum elicere.

§. II.

42 SEd *imperatis tantum*, vel potius imperabilibus aliarum potentiarum, præsertim externarum actibus, ac moribus voluntas violentari, vel cogi potest, quatenus contra ejus inclinationem, & imperium potentiæ, vel membra externa possunt a principio extrinseco illata vi compelli, vel compesci ad agendum, non agendum, vel patiendum aliquid: hoc autem fieri posse, immo de facto fieri, nimis notum est; ergo &c. Quamquam nec sic quidem ipsæ potentiæ, seu membra ad agendum directe violententur, sed indirecte tantum, & applicative, v. g. oculus vi apertus non violentatur ad eliciendam ipsam visionem, quam necessario elicit, sed solum quoad applicationem potentiæ ad objectum. Sed de his satis.

§. III.

43 TOllit omne *Voluntarium*. Immo debet reddere simpliciter involuntarium, ex ipsa definitione violenti, & coacti, quod nimirum fiat a principio extrinseco contra ejus naturalem, vel elicitam inclinationem; utpote appetitu, seu voluntate non modo minime cooperante, vel consentiente, verum etiam omnimodis resistente, renitente, nolente. Alioquin eo ipso, quo voluntas quomodolibet expresse, vel interpretative consentiret ad aliud extrinsecum sibi illatum, jam cessaret esse violentum simpliciter, & inciperet esse voluntarium saltem secundum quid. Quia, ut optime notat S. Thomas 1. 2. *q.* 6. *art.* 5. *Licet, qui volens patitur, non conferat agendo, confert tamen volendo pati.* Unde Passio Christi, quamvis eatenus fuerit violenta, quatenus causata fuit ab extrinseco principio contra inclinationem naturalem, ac elicitam appetitus inferioris, non tamen fuit simpliciter violenta, & voluntaria, sed potius voluntaria simpliciter, quatenus acceptata a promptissima voluntate Christi, secundum rationem superiorem, & voluntatem Divini Patris.

§. IV.

44 OMnemque *culpam*, seu peccatum tollit prædicta violentia, vel coactio: cum nihil possit esse peccatum, nisi voluntarium. Nullo ergo modo peccat. 1. Qui violenter aperto ore, vinoque infuso inebriatur. 2. Qui violenter inclusus cogitur omittere Sacrum. 3. Qui violenter tractus ad Idola per vim curvatur genibus, prosternitur, manus cum thure violenter prunis admoventur (ut quandoque factum SS. Martyribus) non committit Idololatriam formalem, ut habetur *c. Majores de Baptismo.* 4. Virgo vi oppressa non peccat, neque virginitatis Laureolam amittit, ut ex S. Augustino, & aliis Patribus habetur causa 32. *q.* 5. *c.* 3. Verum in his, & similibus casibus violentiæ, ad evitandum peccatum, duo necessaria sunt. Unum, ut violentiam passus v. g. Virgo oppressa, habeat constantem voluntatem contrariam: quamprimum enim quocumque modo consenserit, jam cessabit violentia, & incipiet voluntarium, atque peccatum. Alterum, ut impediat exterius; v. g. resistendo corporis conatu, atque connisu, quatenus utiliter potest, & rationabiliter debet. Alioquin eo ipso, quo tantum potest, & debet, non impedit, censebitur consentire interpretative, adeoque peccare, uti colliges ex *Deut. c.* 22. ubi stuprata in domo jubetur lapidari; in agro non. Quia nimirum in domo utiliter clamare potuisset: quod cum non fecerit, sponte consensisse merito præsumitur.

SUBSECUTIO III.

De Involuntario ex Metu.

SUMMARIUM.

45 *Metus est instantis, vel futuri mali causa mentis trepidatio.*
46 *Metus alius est ab intrinseco, alius ab extrinseco.*
47 *Alius gravis, alius levis.*
48 *Alius reverentialis.*
49 *Metus quicumque non perturbans rationem, non causat involuntarium simpliciter.*
50 *Adeoque nec per se tollit actum bonum.*
51 *Nec in toto excusat a peccato.*
52 *Nisi quandoque indirecte, quatenus in casu gravissimi mali lex subinde obligare cessat.*
53 *Et quacumque ratione excusat a culpa, in toto, vel in tanto eadem etiam excusat a pœna.*
54 *Nec infirmat promissiones, vota, contractus, &c.*
55 *Nisi sit gravis, & injuste incussus ad extorquendum actum.*
56 *Unde probabilissime etiam ipso jure naturæ, irriti sunt non tantum omnes omnino contractus, vel promissiones tali metu extortæ.*
57 *Sed etiam vota, quævis non jurata.*
58 *Non tamen juramenta.*
59 *Nec Sacramenta, sic collata, & suscepta (excepto matrimonio.)*

MEtus definitur a JurIsta *in l.* 1. *ff. De eo, quod metus causa. Instantis, vel futuri mali causa mentis trepidatio.* Adeoque agere ex metu, est ex timore mali imminentis, vel futuri aliquid agere, quod alias agere nollet. 45

Metus ab intrinseco, & extrinseco.

MEtus *ab intrinseco* profectus dicitur, cum quis ad avertendum aliquod malum a causis naturalibus, vel fortuitis imminens aliquid agit, quod alias nollet. Ut si metu naufragii merces e navi projicias, peregrinationem voveas, vel morte plectendus ex justitia, meretricem in matrimonium ducas, ut alicubi mos est. Metus *ab extrinseco* incussus dicitur, qui a causa libera, seu ab homine directe incurritur ad aliquid agendum, quod alter alias nollet, & potest esse vel *justus*, incussus scilicet a persona, quæ juste potest, & debet incutere: ut si is, qui sponsalia contraxit, volens resilire sine justa causa, a Magistratu Ecclesiastico intentata excommunicatione, compellatur ad matrimonium contrahendum: Si Princeps, intentato extremo supplicio compellat ad leges servandas. Vel *injustus*, incussus scilicet ab eo, qui nullum habet jus incutiendi; Ut si latro mortem intentet, nisi pecuniam des, vel promittas: Si alius mortem, vel aliud grave malum minetur, nisi filiam suam uxorem ducas, &c. 46

Metus gravis, vel levis.

MEtus *gravis justus, probabilis, & cadens in constantem virum* dicitur, quo grave malum vitæ, famæ, vel fortunæ timetur imminens, vel intentatum, quale nimirum malum etiam viro forti, & constanti merito sit formidabile. Uti est metus mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, servitutis, exilii, carceris diuturni, gravis infamiæ, violenti stupri, amissionis status honorifici, amissionis omnium bonorum, vel notabilis partis, & denique excommunicationis injustæ, & alia his æqualia: eaque inferenda, aut propriæ personæ, aut valde conjunctæ, parenti, uxori, liberis. Universaliter autem metus, ut justus censeatur, necesse est, ut sit majoris mali, quam id, quod metus causa suscipitur, v. g. mortis metu dare pecunias, metus justus est, in contrario esset metus injustus. Metus *levis injustus, improbabilis* dicitur, *& non cadens in constantem virum*, qui ob leviora mala imminentia & intentata suscipitur. Verum de his universalis Regula tradi non potest, sed prudentis judicio dijudicandum est, consideratis circumstantiis, præsertim personæ tam passæ, quam incutientis metum, sexus, ætatis, &c. Minor enim metus requiritur in fœmina, quam in viro; in juvenili, quam in matura ætate. Vide Navarr. *l.* 1. *consil.* 10. *n.* 3. Sanch. *l.* 4. *de Matrim. disp.* 3. *per totam.* 47

Metus Reverentialis.

MEtus reverentialis dicitur, quo filius timet offensionem Parentum, pupillus Tutorum, subditus Principis, Monachus Prælati, Clericus Episcopi, uxor mariti. Hic metus, quamvis secundum se consideratus gravis non sit, atque in foro externo censeatur levis, revera tamen sæpissime evadit gravis, & injustus; ut si sit gravis, & diuturnæ offensionis, si accedant minæ, preces importunæ, imperiosæ, protervæ, timor malæ tractationis in futurum &c. prudentis judicio trutinanda. Placet judicium P. Marchant. *in resol. notabili casuum de Sacramento Ordinis casu* II. Exscribo tibi totidem verbis. 48

I. *Resp. metum reverentialem etiam respectu matris, maxime si conjungatur sollicitationibus importunis, & aliis similibus mediis reputari, & æquivalere in adolescente filio familias timorato, & meticuloso sub cura parentum degente, & ab iis dependente, metui cadenti in constantem virum. Hanc sententiam docet, & pluribus allegatis Auctoribus, tamquam probabiliorem sequitur Sanch. l.* 4. *de matrim. disp.* 5. *n.* 5. 7. 8. *Et majori ratione eamdem sequuntur, qui asserunt matrimonium,*

nium, & professionem annullari per preces importunas una cum metu reverentiali conjunctas, sicut annullantur per minas cum eodem metu &c.

II. Pro qua resolutione perfecte penetranda, advertendum est, metum cadentem in constantem virum ex tribus mensurari debere. I. Ex persona metum inferente, cui nimia obligatio debetur, ut est parens, maxime, si magna auctoritate, animositate, austeritate, gravitate polleat apud filios, ita ut magno illis timori sit, & formidini. II. Ex persona metum patiente, quæ de se timida, & pusillanimis est, ut constat de filiis familias, qui interdum plus timent oculum parentum, plusque feriuntur apprehensione indignationis, molestiæ, & aversione ipsorum, quam gravi malo ab externa persona illato. III Ex objecto vel modo inferendi. Etsi enim interdum nec minæ, nec verbera interveniant, torvus tamen vultus, indignatio, timor diminutæ dilectionis, vel damni alicujus in dispositione bonorum, vel durioris tractationis, & hujusmodi sæpe metum cadentem in virum constantem causant: ut proh dolor! frequenter experimur in filiis familias, qui inviti ad Religiones, & status capessendos, contra propriam voluntatem, velut coguntur.

III. Ex quibus quidem capitibus, cum sæpe metus, qui in uno censetur levis, in alio gravissimus reputetur, Jure decretum est, ut ubi aliqua dubietas suppetit, arbitrio Judicis, vel Personæ gravis, in foro externo, in interno autem arbitrio Confessarii, aut viri prudentis relinquatur, ut tenent communiter DD. cum Glossa in c. cum dilectus. De his, quæ vi &c.

IV. Ubi igitur constat de gravi metu reverentiali, accedentibus sollicitationibus gravibus, ratione quarum filius familias reformidat indignationem gravem, aversionem, torvum vultum, duriorem tractationem, privationem alicujus portionis notabilis in distributione bonorum, vel amicitiæ, maxime ubi pater, vel mater multa auctoritate in proles pollent, judicandum est, juxta circumstantias rerum & personarum de metu reverentiali æquivalente metui cadenti in virum constantem. Dixi in resolutione: Etiam respectu matris. *Solent enim matres sæpe animosiores esse, & severiores in proles, ac imprudentiores, ita ut indignatio matris apprehensa plus torqueat sæpe, quam Patris: utpote quod matres soleant frequenter etiam Patres ad indignationem adversus filios concitare. Hoc notat etiam Sanch. sup. disp. 6. n. 3.* Hactenus Marchant, quæ bene observa ad varios casus applicanda.

ASSERTIO VII.

Metus quicumque non perturbans rationem, non causat involuntarium simpliciter, sed mixtum simpliciter, scilicet voluntarium, & secundum quid tantum involuntarium: adeoque per se non tollit actum bonum, nec in toto excusat a peccato; nec infirmat promissiones, vota, contractus, nisi sit gravis & injuste incussus ad extorquendum. Hæc assertio sane magni momenti est, & ad casus late patens, ideoque accuratior debetur explicatio.

§. I.

49 *Non causat involuntarium simpliciter.* Omnes cum Aristotele 3. *Ethic. cap.* 1. Ratio est. Quia voluntarium est, quod deliberate fit ab agente cognoscente singula, sed omnis ex quocumque metu agens, v. g. metu mortis dans pecuniam latroni, metu naufragii ejiciens merces, &c. is deliberate omnino consideratis omnibus, tamquam hic, & nunc bonum sibi eligit pecunias dare, vel merces ejicere: ergo metus, quicumque relinquat actum ex eo factum vere voluntarium, consequenter *non causat involuntarium simpliciter*. Contra. Involuntarium etiam est, quod fit cum aliqua noliti.ne, seu aversione actuali, vel virtuali voluntatis, sed id, quod quis ex metu agit, alioquin minime acturus, semper fit cum actuali, vel virtuali nolitione, aversione, displicentia, ac tristitia voluntatis, uti experientia notissimum est: ergo metus reddit actum etiam aliquo modo involuntarium: ideoque *mixtum* ex voluntario, & involuntario, *Ulterius*. Illud, quod voluntas simpliciter, efficaciter, & actu vult, & exequitur, & solum inefficaciter, ac conditionate nollet, nisi aliquid urgeret, hoc simpliciter est voluntarium, ut ex terminis patet, sed sic est in proposito: dum enim mercator metu naufragii ejicit merces, simpliciter, efficaciter, & actu vult, atque exequitur ejectionem, & solum inefficaci, & conditionata nolleitate, ac aversione nollet ejicere, nisi metus urgeret gravioris mali; ergo metus causat voluntarium simpliciter, & secundum quid tantum involuntarium. Unde Juris Cons. *in l. si mulier ff. de eo, quod metus causa* dicit. *Si metus causa adii hæreditatem, puto me hæredem fieri. Quia, quamvis, si liberum esset, noluissem, coactus tamen volui.*

§. II.

Per se non tollit actum bonum. Eo ipso nimirum, quo metus relinquit actum voluntarium simpliciter, etiam relinquit bonum, si nihil aliunde deficiat: at bene adverte, dummodo involuntarium secundum quid admixtum, seu nolleitas, aversio, displicentia illa talis actus tendat in actum non ut bonus vel præceptus est, ut quis ita comparatus sit, ut nisi metus urgeret, nollet agere bonum, servare legem, sed transgredi, ac peccare vellet, quæ nolleitas, vel velleitas sine dubio inficit actum; sed solum tendat in actum, vel omissionem ejus, ut est difficilis, molestus, appetitui contrarius: ut quis ita affectus sit, ut nisi metus urgeret, solum non vellet, vel non moveretur subire talem molestiam, vel carere tali voluntate, quæ nolleitas, aversio, displicentia, vel repugnantia tantum abest ut inficiat actum, quin ejus bonitatem, ac meritum augere possit: virtus enim tendit in ardua. 50

Unde collige, quid sentiendum sit de eo; qui ex metu gehennæ præcepta Dei servat, non sine admixto involuntario secundum quid, seu nolleitate, & aversione aliqua. Quod si enim metus gehennæ, sit causa finalis, & principalis motiva implendi opus præceptum, adeo ut quis positive nollet, aut per modum propositi efficacis secum statueret, non implere opus præceptum, nisi metus gehennæ urgeret, talis metus omnino servilis, & malus ipsum opus inficeret. Eo enim casu homo solam pœnam timet super omne malum, ac seipsum, & proprium commodum amat super omne bonum, quod repugnat Charitati divinæ. At vero, si metus gehennæ sit solum causa secundaria impulsiva ad implendum præceptum, adeo ut quis solummodo non vellet, non moveretur hic, & nunc ad servandum præceptum, & superandam, subeundamque molestiam, & difficultatem, a qua simplici nolleitate, vel displicentia abhorret, nisi metus gehennæ extimularet: talis metus, & actus inde factus non est vitiosus, sed honestus, ac virtuosus esse potest. Potest enim talis metus provenire ex habitu, & virtute spei Theologicæ, cum ejusdem virtutis sit, bonum suum prosequi, & fugere oppositum malum.

§. III.

Nec in toto excusat a peccato. Eo ipso nimirum, quo metus relinquit voluntarium simpliciter, in actione alias mala, etiam relinquit peccatum simpliciter: contra tamen, eo ipso, quo metus, admixto involuntario secundum quid, ipsum voluntarium minuit, etiam minuit culpam, seu excusat a peccato *in tanto*, proportionabiliter, eo magis, quo gravior, vel injustior est metus. Ratio primi est. Quia nullus metus justus, & excusans actum aliquem esse potest, nisi sit majoris mali, quam id, quod metus causa suscipitur, atqui peccatum etiam minimum, majus est malum omni alio malo, etiam morte, &c. teste *S. Augustino l.* 1. *de Civit. Dei c.* 18. relato *c. ita ne* 32. *q.* 5. ergo nullus metus, quantumvis gravissimi mali potest excusare a peccato, cum juxta commune dictum, præstet millies mori, quam Deum vel levissime offendere. Quare neque pro tuenda vita propria, vel aliena, officiose mentiri fas esse, recte docet idem *S. Augustinus in Psal.* 5. *relatus c. Ne aliquis* 32. *q.* 1. Ratio secundi, quod metus excuset in tanto per se manifesta est. Insuper 51

Potest metus gravissimi mali totaliter excusare a peccato indirecte, quatenus in casu tanti mali, vel periculi ipsa lex obligare cessat, ad quod discernendum accipe has veluti regulas. I. Nullus omnino metus cujuscumque mali, etiam mortis atrocissimæ, excusat in lege naturali quoad illas actiones, quæ sunt intrinsece, & ex objecto malæ, sic ut nulla ratione cohonestari, vel licite fieri possint, uti sunt mendacium, odium Dei, abnegatio fidei, blasphemia, idololatria, accessus ad non suam, pollutio, occisio directa innocentis, &c. Et quamvis metus gravis minuens voluntarium, etiam in his minuat culpam, certe tamen, si adsit debita advertentia, numquam a mortali extenuabit usque ad veniale, quia malitia intrinseca gravis ab eis inseparabilis est, supposito sufficienti voluntario, uti cum aliis bene notat Tamburinus *lib.* 1. *in decal. c.* 2. §. 9. *n.* 1. II. Metus tamen gravis mortis, &c. excusat etiam in lege naturali quoad illos actus, qui aliqua ratione cohonestari, seu in aliquo casu licite fieri possunt, cessante scilicet tunc obligare ipsa lege naturali. Sic lex homicidii cessat obligare, quando imminet periculum propriæ mortis ab injusto invasore. Lex furti cessat obligare in casu extremæ necessitatis. Lex restitutionis cessat obligare, quando timetur grave damnum vitæ, vel famæ propriæ. Sic excusantur Christiani ad Turcas remigantes contra Christianos, famuli cooperantes non proxime Dominis ad injustitias, vel alia peccata metu mortis, &c. *Communis doctrina.* III. Similis me- 52

metus gravis etiam excusat in transgressione legis divinæ positivæ respicientis bonum, seu utilitatem propriam operantis: ut de integritate confessionis, de confessione præmittenda ante Communionem, de observatione votorum, festorum, &c. Cum enim hæc, & similia divinitus jubeantur ob bonum spirituale operantis, non præsumitur bonus Deus velle obligare cum tanto rigore, & periculo operantis; Secus est de legibus divinis principaliter respicientibus bonum commune Ecclesiæ: uti sunt omnia Christi positiva præcepta de administratione Sacramentorum in debita materia, & forma, Consecratione in duplici specie, Sigillo Confessionis, &c. in quibus nullo metu excusatur transgrediens. Suar. Vasq. apud Bonacin. *disp.* 2. *de peccat. q.* 8. *p.* 2. IV. Metus vero gravis mortis, &c. per se semper excusat in transgressione legum, & præceptorum humanorum Ecclesiasticorum, & Politicorum: quia hæc ex mente Legislatorum numquam censentur obligare cum tanto rigore, neque vero obligare possunt, quia non essent justæ, & rationabiles leges. *Communis doctrina in materia de legibus*. Dico autem *per se*. Per accidens enim lex humana, vel præceptum potest obligare, & de facto obligat etiam cum certo periculo ac dispendio vitæ, famæ, fortunæ, nullo omnino metu excusante, quandocumque concurrit aliqua lex superior ita obligans. Utpote in primis, quandocumque ex legis humanæ observatione majus Reipublicæ bonum speratur, vel ex ejus neglectu majus malum Communitatis timetur, quam æstimari debet periculum, vel dispendium vitæ, famæ, vel fortunæ unius hominis. Ut si summus Pontifex Sacerdoti præcipiat, ut etiam cum vitæ periculo fidem Paganis prædicet, ob speratum lucrum animarum. Si Episcopus Parocho, Princeps Medico inhibeat tempore pestis, ne fugiat: si belli Dux militi præcipiat, ut stationem servet, tueatur præsidium sibi commissum, hostem, aggerem, murum aggrediatur, tenetur parere etiam cum evidentissimo mortis, vel mutilationis periculo. *Secundum omnes*. Deinde quandocumque transgressio humanæ legis, vel præcepti cessura est in contemptum Legislativæ potestatis, fidei, aut Religionis Christianæ detrimentum, grave scandalum, ac ruinam spiritualem proximorum, aut peccatum proprium. Tunc enim ipsa lex naturalis obligabit ad observationem legis humanæ, & transgressionem intrinsece malam constituet, uti bene notant Sotus, Suarez, alii cum Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 5. Sic ergo metus mortis, vel alterius gravis mali per sequidem semper excusat in legibus positivis, & præceptis Ecclesiæ, utpote de jejunio servando, audienda Missa in die festo: de celebrando cum talibus paramentis sacris: de excommunicati segregatione; v. g. versans inter hæreticos, die jejunii licite potest comedere carnes, aut die festo omittere Sacrum, ne agnitus Catholicus grave periculum, vel damnum incurrat: at si comestio carnis proponeretur in contemptum Religionis, aut ad professionem sectæ hæreticæ, utpote dicendo; *quisquis est aversus a fide Papistica, nobiscum carnes comedat, &c.* Jam Catholicus obligabitur cum certo vitæ periculo abstinere: quia in iis circumstantiis carnes comedens ipso facto fidem negaret, quod est intrinsece malum. Similiter distinguendum est, si Tyrannus morte intentata compellat Sacerdotem celebrare non jejunum, vel sine sacris vestibus Ecclesiastico jure requisitis. Eadem ratione excommunicatus non tenetur cum periculo vitæ, vel famæ abstinere a Communione fidelium etiam in Sacris: quin etiam Sacerdos, vel Parochus occulte excommunicatus tenebitur celebrare, vel Sacramenta ministrare, cum ex officio petitur, & absque sui infamia, vel aliorum scandalo negare nequit, uti docent *Auctores citati, cum Sanch. lib.* 1. *Moral. c.* 18. Secus dicendum, si ad id metu urgeretur in contemptum Ecclesiæ. Ita denique aliquis metu mortis, vel alterius gravis mali adactus licite contrahet matrimonium cum consanguinea, affine, aliove impedimento jure positivo dirimente, cum intentione faciendi, quantum facere licet: vel, *si nihil obstet:* Non tamen licite consummabit ante impetratam dispensationem, quia esset copula fornicaria lege naturali prohibita, & intrinsece mala. *Sanch. l.* 7. *de Matr. disp.* 16. *Laym. cit. n.* 10. *Communis*.

53 Tandem metus quacumque ratione excusat a culpa, seu peccato in toto, vel in tanto, eadem ratione etiam sine dubio excusabit a pœna ei delicto decreta, vel decernenda. Quin etiam, qui ex gravi metu mortis, infamiæ &c. transgreditur legem, vel præceptum Ecclesiæ, esto in re alias lege naturali prohibita a peccato etiam mortali non excusetur, non tamen incurrit censuram annexam. Ut si quis gravi metu contrahat, & consummet matrimonium cum consanguinea, non incurrit excommunicationem in jure latam. *Clement. un. De consag. & affinit.* Ratio est, quia ad censuram incurrendam requiritur contumacia, & interpretativus contemptus: qui autem ex gravi metu peccat, alioquin non peccaturus, quamvis adhuc vere peccet, non tamen potest censeri contumax, aut ex contemptu Ecclesiasticæ potestatis delinquere, sed potius ex mera infirmitate. *Ita ex communiori Suarez lib.* 3. *de leg. c.* 30. *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 9. ubi his contrarium locum difficilem Juris Can. explicat.

§. IV.

NEc infirmat, *vel invalidat promissiones, vota, contractus &c.* Ratio generatim est. Quia voluntarium sufficiens ad actum humanum perfectum, & peccatum mortale, per se loquendo est etiam sufficiens ad contrahendam obligationem promissionis, voti, contractus &c. nisi specialis lex, vel ratio obstet: sed id, quod fit ex metu quocumque non perturbante rationem, adhuc est simpliciter voluntarium, ac sufficiens ad actum humanum, ac peccatum mortale, ut hactenus *num.* 1. 2. & 3. declaratum: ergo per se loquendo, etiam est sufficiens, ad contrahendam ejusmodi obligationem, consequenter non invalidabit promissiones, vota, contractus &c. saltem (eatenus omnes conveniunt.) 54

Nisi sit gravis, & injuste incussus Metus ad extorquendum actum.

I. NIsi *sit metus incussus* ab extrinseco nimirum. Certum enim est, nullum metum ab intrinseco profectum, quantumvis gravem, invalidare vota, vel contractus, ut si metu mortis in naufragio, vel tempestate, tempore pestis, vel periculosi morbi, aut a justitia juste inferendæ voveas peregrinationem, Religionem, vel aliud; promittas, vel jures puellam pauperem ducere, vel dotare, &c. votum, vel promissio omni jure valebunt, & obligabunt. Quia nimirum sufficienter voluntaria ab intrinseco, & nihil eis obstat ab extrinseco. *Juxta communissimam Doctorum sententiam*. Excipe semper. Nisi metus adeo gravis esset, ut etiam usum rationis, ac deliberationem impediret, quod tamen raro accidit, & in dubio non præsumitur, sed probandum est. 55

II. Metus incussus *ad extorquendum actum*. Quod si enim metus quantumvis gravis, & injuste incuteretur non ad extorquendum actum talem, sed ad alium finem: ut si ad evadendum manus tyranni, latronis, inimici mortem minitantis, tu sponte aliquid Deo voveas, vel promittas: si ad evadendam mortem seu juste, seu injuste inferendam, tu sponte eligas, Judicis, vel lictoris filiam ducere, vel dotare, pecuniam dare, &c. Votum, contractus, promissio omni jure valida erunt, & obligabunt, ob eamdem rationem supra datam. Et quia licet metus injuste incussus fuerit occasio, non tamen fuit causa vera ita vovendi, vel promittendi, sed sola libera voluntas, quæ tale medium ad evadendum malum imminens elegit, præter intentionem metum incutientis. *Sanch. lib.* 4. *moral. c.* 3. *n.* 4. *Marcant. Tribun. p.* 2. *tract.* 3. *tit.* 4. *q.* 1. *dub.* 2. *Communis*.

III. Metus *gravis*, seu cadens in constantem virum, consideratis prudentis judicio circumstantiis, juxta prænotata *a nu.* 47. Metus ergo consideratis circumstantiis vere levis, nec cadens in hominem constantem, nullo jure irritat actus, vota, contractus, juxta communem, & veram Doctorum sententiam, quam docet Sanchez *lib.* 4. *Moral. c.* 3. *n.* 24. *Et lib.* 4. *de Matrim. disp.* 17. Ratio solida est. Quia metus revera levis, etiamsi injuste incussus, est in potestate operantis ex metu, ut eum facile repellere, illique non acquiescere possit, ideo enim est, & dicitur levis, atque a gravi differt: ergo qui eum, cum facile possit, non repellit, sed acquiescit, præsumitur etiam in foro conscientiæ, omnino libere consentire, promittere, contrahere, &c. ideoque libere volens non pati notabilem injuriam, quæ sufficere debeat ad irritandum actum; secus est de dolo etiam levi, quem homo ex se non potest repellere, sicut metum levem, ideoq; merito actum saltem in parte rescindi postulat. Itaque non solum votum solemne Religionis, matrimonium, sponsalia, verum etiam quævis alia vota, contractus, promissiones, donationes, &c. facta ex metu levi, etiamsi injuste contra libertatem admoto, v. g. a filio, vel filia familias, uxore, subdito, ex mero metu reverentiali erga Parentes, Maritum, Prælatum, quo præcise verentur eis contradicere, absque alio timore gravis offensionis, vel gravis mali, (quo evaderet metus gravis juxta prænotata *a n.* 48.) in utroque jure valida sunt, & obligationem pariunt, atq; sic accepta juste retinentur, ob rationem dictam. Quamvis contra sentiant Less. Card. Lugo, Castro-Palaus, & alii apud Tamburinum *cit. l.* 1. *c.* 2. §. 6. & 7. Nimirum contractus, matrimonium præsertim, etiam ex metu levi injusto extorta in foro conscientiæ irrita esse, & rescindi: etsi de matrimonio probabile censeat etiam Sanch. *l. c.* Verum in re tanti momenti, & periculi non recedendum a communi sententia censeo.

IV. Metus gravis, *& injuste* incussus. Metus enim, quantumvis gravis, juste incussus non irritat actum extortum: idque non solum certissimum est, quando metus juste incutitur alicui ad extorquendum id, quod alias debitum est: ut si Magistratus Ecclesiasticus sub pœna excommunicationis, aut

aut Civilis sub pœna mortis, vel carceris compellat stupratorem ad ducendam, vel dotandam virginem defloratam: aut si debitori tuo mineris justam accusationem de crimine patrato, nisi debitum tandem solvat, sed etiam verum est, quando metus justus incutitur intra, vel extra judicium, ad præstandum quidpiam alias indebitum, & liberum: ut si Judex juste damnaturus sit ad mortem, nisi velis vovere Religionem, aut pauperem puellam ducere, &c. Si mineris homicidam, vel furem juste accusare, nisi aliquid Deo voveat, filiam tuam ducat, pecuniam det, vel promittat, &c. *Sanch. ll.cc. de Matr. lib. 4. disp. 13. Moral. l. 4. c. 3. n. 21. Bas. Pontius, Less. Lugo, alii apud Tambur. cit. §. 7. n. 3.* Ratio est: Quia tota ratio irritandi tales actus esset injuria illata ad extorquendum; atqui hic nulla fit injuria alteri, quin potius favor, & beneficium, non enim sub coactione, sed solum sub conditione proponitur tibi, ut si evitare velis malum, cui tu libere causam dedisti tamquam minus malum eligendo, voveas, ducas, des, promittas, &c. Oportet quidem matrimonium, & vota maxime libera esse, sed, intellige, libertate non læsa, vel impedita injuste, non vero libertate omnimoda, & quodvis obstaculum excludente, ut patet mille aliis casibus. Interim tamen fateor, non improbabilem esse sententiam in his contrariam Bonacinæ, Coninch. & aliorum apud Tambur. *cit. n.* 4. Nimirum matrimonium, & vota sic extorta irrita esse ob apparentem injuriam contra libertatem illorum actuum. His ita declaratis, & suppositis, sit,

ASSERTIO VIII.

Et Regula Generalis.

Metus vere gravis, & injuste incussus ad extorquendum actum irritat omnem actum requirentem consensum promissorium ad inducendam obligationem ex justitia seu Religione secluso juramento, ipso jure naturæ: non item actus requirentes solum consensum in opus præsens. Hæc assertio collecta ex Doctoribus mox in particulari citandis, est contra Sanchez, Navarrum, & alios cum Layman. *Hic c. 6. n. 8.* qui volunt, vota, ac contractus metu gravi, & injusto extortos jure naturæ esse validos, quia simpliciter voluntarii, tamen facile rescindendos a Judice, quia per injuriam extorti: & favent jura civilia. Interim consentiunt cum communi, & certa sententia, vota solemnia, matrimonium, & sponsalia metu gravi, & injusto extorta irrita esse per declarationem Ecclesiæ in jure Canonico.

§. I. *In Contractibus.*

56 Non tantum contractus sacer matrimonii, item sponsalia, promissio, vel datio dotis, item promissio, vel traditio bonorum Ecclesiæ, verum etiam omnis omnino contractus, etiam onerosus; ut venditionis, emptionis, mutui, maxime vero gratuitus, ut donationes, legata, testamenta, ac universaliter omnis promissio, vel traditio rei, alias obligatoria, ex metu gravi, & injusto extorta: ipso jure naturæ irrita sunt, & invalida, nullamque ne naturalem quidem obligationem justitiæ pariunt in metum passo, neque ullum jus conferunt extorquenti, vel acceptanti. Ita Molina *disp.* 267. Rebellus *p.* 2. *l.* 1. *quæst.* 5. *conclus.* 5. *universaliter quoad contractus etiam onerosos.* Basil. Pontius *l.* 4. *de Matr. c.* 6. *n.* 4. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *res.* 118. Tambur. *c.* 2. §. 5. *n.* 15. & 20. *alii plures apud ipsos.* Ratio est. Quia naturali juri, rationi, & æquitati omnino repugnat ex injuria oriri justitiam, seu jus quodpiam: quod nimirum homo per injuriam, & injustitiam, injusto, & gravi metu incusso extorquens alterius promissionem, vel consensum, possit sibi acquirere jus, & alteri imponere obligationem etiam naturalem justitiæ; ergo fatendum est, talem exactionem, & acceptionem intrinsece, quoad substantiam, adeoque ipso jure naturali injustam esse, ac invalidam, non secus ac furtum, vel rapinam, atque acceptantem nullum omnino acquirere jus ad rem, vel in re, sed secundum communissimam, etiam Adversariorum sententiam, tali metu extortum, & acceptum in conscientia sine mora restituere obligatur, tamquam injuste acceptum: Quod si ergo nullum jus exigentis, nulla erit obligatio promittentis, vel consentientis: cum hæc sint correlativa, si nulla obligatio, consequenter nulla promissio, contractus nullus quicumque; qui definitur; *ultro, citroque obligatio.* Unde *Pontius cit. c.* 8. contra Sanch. bene probat, ejusmodi contractus irritos esse, non solum jure naturæ, & in foro conscientiæ, sed etiam jure positivo, & in foro externo: requiri tamen ad illorum rescissionem sententiam Judicis, non tamquam irritantis, sed solum irritos declarantis. Neque plus probant jura civilia ab Adversariis allegata, aut si dicant, tales contractus esse validos, loquuntur de metu levi, saltem secundum præsumptionem fori.

§. II. *In Votis.*

Vota non tantum solemnia professionis Religiosæ, sed etiam simplicia quæcumque non jurata, metu gravi & injusto extorta ipso jure naturali invalida sunt, in utroque foro, unde ut non serventur, nulla indigent relaxatione. 57
Sotus l. 7. de Justit. q. 2. a. 1. & alii apud Sanch. *infra cit.* Marchant. *Tribun. to. 2. tr. 3. tit. 4. q. 1. dub. 2.* Significat etiam S. Bonaventura *in 3. disp. 39. ar. 3. qu. 2.* dicens, *Deus vult sacrificia voluntaria, non coacta.* Ratio ergo est: tum quia votum debet esse spontaneum Dei obsequium; unde quam maxime liberum esse convenit: tum quia a jure, & æquitate naturali, divina præsertim, omnino alienum videtur, quod Deus acceptet ut obligantem promissionem hominis ab alio homine per malitiam metu gravi, & injusto extortam; ut si frater fratrem intentata morte compellat, resignata hæreditate, vovere Religionem: si Parentes filios gravi, & injusto metu compellant intrare Religionem, &c. Eo ipso enim, quo Deus acceptaret ejusmodi promissionem injuste extortam, censeretur approbare injuriam, & iniquitatem injuste extorquentis: ergo etiam jure naturæ irrita sunt ejusmodi vota injuste extorta. Et quidquid sit de hoc, certum est, irrita esse declarata ab Ecclesia *c.* 1. *Perlatum. De his, quæ vi:* juxta communem Doctorum cum Sanchez *l. 4. Moral. c. 3. nu.* 12. Insuper *in Conc. Trid. sess. 25. c. 18. de Regular.* excommunicationis sententia lata est in eos, qui virginem, aliamve mulierem, ad monasterium ingrediendum, aut professionem emittendam injuste coegerint, de quo late Sanchez. *citat. c. 4. per totum.* Ex his recte infert Sanch. *cit. c. 3. n.* 18. & docet noster Marchant. *supra n.* 48. *allegatus*: initiatum Ordine sacro ex metu viri constantis injusto, non teneri voto castitatis (idemque est de debito divini officii) Ordini annexo. Atque ita posse sine ulla dispensatione ad nuptias transire, si nolit in Ordinis sacri usu permanere: Quod si tamen, cessante metu, vel semel Ordine sacro usus esset, jam resilire nequibit, quia usus ille esset Ordinis ratificatio.

§. III. *In Juramentis.*

Juramenta etiam per injuriam metu gravi, & injusto extorta valida sunt, & obligant ex virtute Religionis ob reverentiam divini Nominis, & Numinis in testimonium, ac velut fidejussionem promissionis factæ alias licitæ invocati, secundum communem Doctorum sententiam ex *c. si vero, de Jurejurando, & c. ad Audientiam de his, quæ vi.* Ubi ratio indicatur. Quia omne juramentum voluntarium non vergens in interitum salutis, sed licite, & honeste servabile validum est, & licitum: tale autem juramentum simpliciter est voluntarium ex dictis, & quamvis consensus non esset sufficienter voluntarius in promissionem vi extortam, ad inducendam obligationem justitiæ, supponitur tamen sufficienter voluntarius ad invocationem divini Nominis, & ad inducendam obligationem ex virtute Religionis. Deinde etiam non vergit in interitum salutis; sed licite, & honeste servari potest, licet peccet extorquens, & acceptans: ergo &c. Quod si ergo ita jurasti latroni dare pecuniam, Usurario usuram, &c. nec usus es aliqua æquivocatione v. g. *dabo, si debeo*, obligaris juramento, sed ob injuriam illatam, aut relaxationem petere, aut solutas pecunias in judicio repetere potes. Si jurasti etiam non repetiturum: iterum teneris, & actionem civilem instituere non potes; potes tamen instituere actionem criminalem accusando de crimine ad vindictam, aut certe denuntiare Judici, ut ex officio procedat. *Gloss. in cit. c. ad Audientiam.* Quod si etiam hæc dejerasti, non poteris tamen etiam dejerare denuntiationem charitativam ad criminis emendationem, aut ad publicam, aliisque perniciosam injuriam latronis, vel usurarii avertendam; aut maxime si ultro in judicio interrogeris. Hæc ex Layman *l. 4. tr. 3. q. 7.* in reverentiam divini Nominis. Quamvis sciam, tali juramento valorem, & obligationem denegare alios cum *Azorio to. 1. lib. 11. c. 7. q. 2.* 58

§. IV. *In Sacramentis.*

Valida sunt omni jure etiam ex metu quocumque gravi, ac injusto collata, & suscepta non ficte Sacramenta omnia, excepto matrimonio. Quia hoc solum essentialiter in contractu consistens requirit consensum promissorium ad inducendam obligationem justitiæ: reliqua Sacramenta solum requirunt consensum voluntarium in opus præsens. Valide ergo baptizatur, metu gravi, & injusto impulsus: obligatur autem ad fidem Christi, & obedientiam Ecclesiæ, non vi alicujus consensus injuste extorti, sed vi absoluti juris divini, quo adultus tenetur suscipere fidem Christi sufficienter propositam, & in ea obedire Ecclesiæ etiam antecedenter ad Baptismum, vel in casu, quo Bapti- 59

ptiſmus ſuſcipi non poſſet. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* Valide ſuſcipit Ordinem ſacrum metu gravi, & injuſto adactus: at non obligatur voto caſtitatis, vel debito Horarum, ut *n.* 57. dictum. Valida eſt abſolutio Sacramentalis metu gravi, & injuſto extorta: quin jure naturæ etiam valida videtur ſimilis extorta abſolutio ab excommunicatione, interdicto &c. ſed merito invalidata eſt ab Eccleſia *c. un. de his, quæ vi in 6.* Valida denique eſt etiam ſententia alioquin juſta Judicis; etſi metu gravi, & modo injuſto extorta, cum nihil ad valorem deſit. At quid de diſpenſatione, collatione juriſdictionis, beneficii, privilegii, &c. ſimili metu gravi, & injuſto extortis? Invalida eſſe, ſequitur ex noſtra Aſſertione hactenus declarata. Valida eſſe e contra, docent *Sanchez, & alii adverſarii*, nec improbabiliter, fateor. Lege Card. de Lugo, *to. 2. de Juſtitia diſp. 22. ſect. 7.*

SUBSECTIO IV.

De Involuntario ex Concupiſcentia.

SUMMARIUM.

60 *Concupiſcentia eſt paſſio, vel motus appetitus ſenſitivi, bonum delectabile proſequentis, aut malum fugientis.*
61 *Alia eſt antecedens, alia conſequens.*
62 *Nulla concupiſcentia, ſeu paſſio, ſive antecedens, ſive conſequens reddit actum involuntarium.*
63 *Sed potius voluntarium imperfectum, ſeu ſpontaneum auget.*
64 *Voluntarium vero perfectum, ac liberum minuit, & quandoque omnino aufert.*
65 *Antecedens quidem effective, ſubſequens vero a poſteriori, & notificative.*

60 Concupiſcentia hoc loco dicitur paſſio, ſeu motus appetitus ſenſitivi proſequentis aliquod bonum delectabile: ut *amor, deſiderium, ſpes, audacia, gaudium*, ſeu voluptas, & delectatio: aut contra fugientis malum oppoſitum: ut *odium, fuga, timor, deſperatio, triſtitia & ira maxime*. De his conſulenda Philoſophia in libris de anima. Ad propoſitum ſolum diſtinguenda eſt

Concupiſcentia, ſeu Paſſio antecedens, & conſequens.

61 Antecedens paſſio dicitur, quæ ex ſola apprehenſione objecti delectabilis, vel contrarii, abſque ulla deliberatione intellectus, vel conſenſu voluntatis exurgit, vel durat in parte ſenſitiva, ac proinde ſic ſecundum ſe nec meriti, nec demeriti, ſeu peccati capax eſt. *Conſequens* paſſio dicitur, quæ deliberato arbitrio, & conſenſu voluntatis, vel jam excitata admittitur, vel etiam ex propoſito excitatur, ut ad promptiorem, ſeu intenſiorem operationem deſerviat. Sunt enim paſſiones velut animæ calcaria, & cotes, quibus humanæ actiones concitatæ magis vigent, & fervent ſive ad bonum, ſive (quod frequentius) ad malum. Videndum hic ſolum generatim, quomodo ejuſmodi paſſiones ſe habeant ad voluntarium, ſeu liberum in actibus humanis: particularia differimus tractanda *infra c. 6. de peccatis internis tot.*

ASSERTIO IX.

Concupiſcentia, *ſeu paſſio quæcumque antecedens, vel ſubſequens non reddit actum involuntarium, ſed voluntarium quidem imperfectum ſpontaneum: voluntarium vero perfectum, ac liberum minuit, & quandoque omnino aufert.* Communis Doctrina ex Ariſtot. ſæpe citato D. Thoma 1. 2. *q.* 6. *a.* 7. Scoto in 4. *d.* 29. & alibi.

§. I.

62 *Non reddit actum involuntarium.* Ratio manifeſta eſt. Quia involuntarium eſt, quod fit a principio extrinſeco, aut ſaltem contra inclinationem voluntatis, ſeu cum nolitione, averſione, diſplicentia, ac quadam triſtitia illius: at quod fit ex paſſione concupiſcentiæ, ſimpliciter fit a principio intrinſeco, & ſecundum inclinationem voluntatis, naturaliter ſcilicet inclinatæ in appetibilia appetitus ſenſitivi, & tantum abeſt, ut fiat cum nolitione, vel averſione voluntatis, quin potius ejuſmodi paſſiones ſuperent, & abſorbeant nolitiones, & averſiones voluntatis, alioquin cum opere arduo, vel malo conjungi ſolitas, ut experientia notum eſt, præſertim in iracundis, ac libidinoſis: ergo &c.

§. II.

63 *Voluntarium imperfectum, ſeu ſpontaneum auget potius.* Quia illud eſt, quod fit a principio intrinſeco ex prævia cognitione: Atqui paſſio concupiſcentiæ, voluptas, ira, &c. non ſolum non impedit, ſed potius trahit voluntatem, ut principium intrinſecum, majori cum impetu ferri in objectum concupitum, juxta illud Jacobi: *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus.* Neque ejuſmodi paſſiones turbant, vel impediunt rationem, quantum ad cognitionem objecti concupiti, quin potius alliciunt, detinent, & occupant intellectum in conſideratione ſolius objecti concupiti, eumque impediunt, & turbant, quantum ad deliberationem, & conſiderationem oppoſitorum, ut notum eſt: ergo augent potius voluntarium ſpontaneum. Sed contra; eo ipſo

§. III.

Voluntarium perfectum, ac liberum minuit, & quandoque omnino aufert. Ratio jam patet. Quia liberum conſiſtit in indifferentia voluntatis ad volendum objectum propoſitum nimirum ab intellectu cum indifferentia ſub mixta ratione boni, & mali: atqui experientia notiſſimum eſt, quod paſſiones illæ concupiſcentiæ. I. & impediant intellectus deliberationem, & judicium indifferens, ac faciant, quod intellectus magis æſtimet, ac ponderet rationes, ac motiva pro parte concupita: minus vero ponderet, ac velut cæcutiat circa rationes in oppoſitum: immo poteſt vehementiſſima paſſio concupiſcentiæ, vel iræ adeo intellectum perturbare, & ſola objecti concupiti conſideratione occupatum excæcare, ut non poſſit omnino deliberare, conſiderare, vel apprehendere rationes in oppoſitum, ut fit in furioſis, vel ebriis. II. Et conſequenter etiam impediant, & quandoque omnino tollant indifferentiam voluntatis ad volendum, & nolendum, ſed omnino fortius inclinent, & trahant ad partem concupitam, & quandoque toto impetu, & quaſi mere naturaliter rapiant in illam partem: ergo paſſiones illæ ſemper impediunt, & quandoque etiam omnino auferunt voluntarium perfectum, ac liberum, & conſequenter etiam proportionaliter minuent, vel omnino tollent culpam, ſeu peccatum; ſicut e contra etiam virtutis meritum circa objectum bonum, ut notat etiam Layman *hic c. 5. in fine.* Et jam communis perſuaſio eſt, minus libere egiſſe, minus deliquiſſe, aliqua venia dignum eſſe, qui aut aliorum perſuaſione, vel blanditiis, aut propria gravi paſſione, vel tentatione victus in malum conſenſit, peccato infirmitatis potius, quam malitiæ. 64

§. IV.

Concupiſcentia, ſeu paſſio conſequens, nimirum voluntarie excitata, vel acceptata a voluntate, ſi quidem comparetur ad voluntatem antecedentem, excitantem, vel admittentem, effectus eſt, non cauſa voluntarii, ideoque effective non auget, nec minuit illud: dicitur tamen augere voluntarium, & conſequenter peccatum a poſteriori, & notificatorie, ut optime explicat D. Thomas 1. 2. *q.* 77. *art. 6.* dicens, *Signum eſt magnitudinis ejus,* (peccati) *Quia demonſtrat intenſionem voluntatis ad actum peccati, quo ſenſu verum eſt, quod quanto quis majori libidine, vel concupiſcentia peccat, tanto gravius peccat.* Hæc Sanctus Doctor. Eademque eſt ratio quoad actus bonos, & virtuoſos: ut ſi excites in te magnum miſericordiæ affectum, quo abundantius ſuccurras egeno: aut contra concites magnum odium, vel iram, quo atrocius invadas inimicum. Quod ſi vero paſſio ſubſequens voluntaria referatur rurſus ad alios actus ſubſequentes, jam evadit paſſio antecedens, & ut talis ſe habebit reſpectu actuum ſequentium, a voluntate antecedente non intentorum, ſed vi paſſionis ipſius cauſatorum, juxta dicta ſuperius. 65

CAPUT III.

DE BONITATE, ET MALITIA

Actum humanorum; eorumque Comparatione, & Regulis externis, obiter.

Materia hoc capite examinanda, ſcholaſtica potius eſt, quam moralis: ne tamen omnino mancus videar, delibabo, qua potero brevitate, illa ſaltem, quæ pro moralibus intelligendis magis utilia, & neceſſaria videbuntur, & more ſolito locis opportunis ad moralia, & caſus applicabo. Et quia ad bonitatem, & malitiam, aut indifferentiam actus humani non tantum objectum, finis, & circumſtantiæ concurrunt, ſed etiam regulæ extrinſecæ, commode ſub uno capite hæc omnia breviter (quantum Theologo morali ſufficit) expediuntur per ſex diſtinctas Sectiones. Qua in re ſit hæc generalis.

SE-

SECTIO I.

De Bonitate, & Malitia actuum humanorum in genere.

SUMMARIUM.

1 *Bonitas moralis actus humani est ejus rectitudo, seu perfectio, & integritas, conformata, & commensurata.*
2 *Ad rectam rationem, seu actuale dictamen conscientiæ.*
3 *Vel ad legem extrinsecam per illud dictamen voluntati applicatam.*
4 *Malitia e contra est privatio ejusdem rectitudinis actui inesse debitæ.*
5 *Regula generalis.*

ASSERTIO I.

Bonitas moralis actus humani est rectitudo actus secundum rectam rationem, vel legem. Malitia vero moralis est privatio rectitudinis secundum rationem, vel legem debitæ inesse actui, vel potentiæ. Hanc ex communi doctrina, etiam Scoti, credo sufficere Theologia Morali obiter intellectam, brevis ergo, & clara sit explicatio.

§. I.

1 *Rectitudo Actus*: hoc est: Perfectio, seu integritas actus conformata, & quasi commensurata suæ regulæ. Duplex enim est bonitas moralis, absoluta, & respectiva. Bonitas moralis absoluta, & quasi fundamentalis est ipsa perfectio, seu integritas actus, secundum quam ipsi nihil deest eorum, quæ, in quantum humanus, & liber est, habere debet: sicut e contra malitia moralis opposita consistit in defectu, seu privatione ejusmodi perfectionis, & integritatis, qua nimirum actui, vel potentiæ aliquid deest eorum, quæ secundum rectam rationem habere deberet. Uti optime explicat S. Thomas 1. 2. *q.* 18. *ar.* 1. concludens: *Omnis actio, in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de bonitate: in quantum vero deficit ei aliquid de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit a bonitate, & sic dicitur mala*: Et docet Scotus *in* 2. *d.* 40. *a.* 1. Ubi dicit bonitatem actus moralis esse *aggregationem omnium convenientium actui secundum rectam rationem*. Et clarius *in* 3. *d.* 36. *q. un.* dicit: Quod bonitas actus moralis sit quasi quidam decor illius, includens debitam proportionem ad omnia, ad quæ debet actus proportionari: ad potentiam, ad objectum, ad finem, ad tempus, ad locum, ad modum, &c. Bonitas moralis respectiva, & quasi formalis omnium consensu, & calamo consistit in *conformitate* aliqua *ad rectam rationem, vel legem*, ut sequitur.

§. II.

2 *Secundum rectam rationem*. Hic aliqui cum Suarez *in Metaph. disp.* 10. *sect.* 2. intelligunt rectam rationem veluti radicalem, & in actu primo, nimirum ipsam naturam, seu substantiam rationalem. Alii communiter etiam Scotistæ cum Scoto supra intelligunt rectam rationem in actu secundo, seu ipsum actuale dictamen rectæ rationis practicæ, quod dicitur *conscientia*. Utrumque verum puto, & dicendum quod bonitas moralis formaliter, & in actu exercito consistat in conformitate actus ad dictamen rectæ rationis: objective vero, & velut in actu signato consistat in conformitate actus ad substantiam rationalem, quatenus nimirum per cognitum sibi lumen naturale, legem naturalem, Synderesim, &c. operativa est: sicut e contra malitia moralis in opposita difformitate, vel conformitatis privatione similiter distinguenda. Ideo enim actus formaliter, & exercite bonus est v. g. dare eleemosynam, aut malus, v. g. furari, quia conformis est, aut difformis actuali dictamini rectæ rationis. Et ideo recta ratio dictat talem actum esse bonum, aut malum, quia supponit, & saltem natura prius judicat, ipsum objectum in se esse bonum, aut malum, per conformitatem, aut difformitatem ad aliquam aliam regulam intrinsecam, certe nullam aliam assignabilem, nisi ipsam substantiam rationalem ita operari naturaliter exigentem, vel refugientem: quod nimirum ita operari conveniat, vel disconveniat, deceat, vel dedeceat substantiam rationalem ergo, &c. Video, non satis capis ista. En tibi clariorem regulam extrinsecam.

§. III.

3 *Vel legem*. Actus enim moralis, bonus, vel malus dicitur, quatenus fit a principio regulabili per regulas rectæ rationis, alioquin defectibili: atqui experientia notissimum est, non solum ipsam voluntatem humanam esse defectibilem in operando, seu eligendo bonum præ malo, honestum præ inhonesto: sed etiam ipsum intellectum, seu rationem esse defectibilem in dijudicando bono, & malo, honesto, & inhonesto, decente, vel dedecente substantiam rationalem: & ideo positæ sunt leges extrinsecæ velut regulæ, quæ regularent, ac dirigerent simul, & intellectum ad recte judicandum, & voluntatem ad recte operandum conformiter ad substantiam rationalem: ergo bonitas, & malitia actus humani objective, & secundario saltem consistit etiam in conformitate, aut difformitate ad legem Dei æternam; a qua omnis alia lex derivatur. Atque adeo in omni actu bono moraliter, præter bonitatem illam absolutam, & fundamentalem, quæ est perfectio, seu integritas actus in suo esse morali *nu.* 1. explicata, est duplex bonitas respectiva, una primaria, sed quasi Philosophica, scilicet conformitas ad rectam rationem jam *nu.* 2. explicata: altera secundaria quidem Philosophica, sed maxime Theologica, scilicet conformitas ad legem, præsertim divinam æternam, modo assignata. Eodem modo e converso in omni actu malo moraliter reperitur quadruplex malitia opposita bene expressa in definitione mox explicanda.

§. IV.

Malitia moralis est. I. Privatio rectitudinis. Hic jam involvitur malitia moralis absoluta, quæ est privatio perfectionis, seu integritatis actus debitæ explicata *n.* 1. *II. Rectitudinis secundum rectam rationem, vel legem*. Exprimitur duplex malitia respectiva: una Philosophica, & primaria, ac velut intimior actui, quæ consistit in difformitate, seu privatione conformitatis ad rectam rationem explicatam *n.* 2. Altera Theologica, consistens in privatione conformitatis ad legem, præsertim divinam æternam, cujus potissima habetur ratio in Theologia; ut *infra c.* 4. *sect.* 1. explicante definitionem peccati, & iterum notabimus. *III. Rectitudinis debitæ inesse*. Non enim privatio cujusvis rectitudinis potentis inesse actui est malitia moralis, seu peccatum: Sed illius tantum rectitudinis, quæ secundum rectam rationem, vel legem *deberet inesse*. *IV. Actui, vel potentiæ*. Ut nimirum comprehendatur omnis malitia peccati, non tantum commissionis, ubi rectitudo deberet inesse actui: sed etiam omissionis, ubi rectitudo deberet inesse potentiæ obligatæ ad actum non omittendum. Hic etiam facile comprehendes actus ita intrinsece malos, ut nullius capaces sint bonitatis, vel rectitudinis, ut odium Dei, blasphemia, mendacium, quibus proinde non potest inesse privatio, sed inest mera negatio rectitudinis: inest tamen privatio vera rectitudinis debitæ ipsi potentiæ, seu voluntati, quæ secundum rectam rationem, & legem, quam maxime deberet istos omittere. Sed scio aliter explicari a Scotistis: at forsan non pro captu tuo. Hoc solum advertas velim, nos in actu malo, seu peccato non negare etiam malitiam positivam, quæ consistit in positiva difformitate, seu relatione disconvenientiæ, vel repugnantiæ ad rectam rationem, vel legem: quam Scotus quodlibet. 18. *qu.* 1. relationem dissonantiæ vocat: sed hæc tunc solum proprie habetur, quando peccatur contra actualem dictamen rectæ rationis. At vero malitia privativa, seu privatio rectitudinis, vel conformitatis hactenus explicata universalis est omni peccato, sive quis peccet cum actuali dictamine practico contrario, sive sine illo, utpote cum dubio practico. Jam porro videndum est, a quonam actus humanus sumat hanc suam bonitatem, & malitiam extrinsece, & causaliter. 4

Semper præ oculis habenda.

Actus humanus sumit suam bonitatem, & malitiam extrinsece, & causaliter ab objecto, fine, & circumstantiis. Atque ut bonus moraliter sit, omnia hæc concurrentia, objectum, finem, ac circumstantias, bene cognita esse necesse est: Ut vero malus moraliter sit, sufficit unum aliquid eorum malum cognitum esse, juxta celeberrimum, & receptissimum dictum *D. Dionysii* lib. de divinis Nominibus *c.* 4. *Bonum est ex integra causa, malum vero ex defectu cujuslibet*. Hæc porro sigillatim explicanda sunt. 5

SECTIO II.

Bonitas, & Malitia moralis ex objecto.

SUMMARIUM.

6 *Actus humanus bonitatem, aut malitiam* (in genere moris) *sibi essentialem, ac*
7 *Specificam, seu primariam, solum accidentaliter, & extrinsece adhuc ulterius determinabilem, sumit*
8 *Ab objecto bono, vel malo, ut tali cognito.*
9 Hoc est: *sub bonitate, vel malitia, præcepto, vel prohibitione ab intellectu voluntati ostenso, bonitate quidem directe, malitia vero indirecte volita, vel intenta.*

ASSER-

ASSERTIO II.

Actus humanus sumit suam bonitatem, aut malitiam essentialem, ac specificam ab objecto bono, vel malo cognito, bonitate quidem directe, malitia vero indirecte volita, vel intenta. Communis DD. cum D. Thoma 1. 2. 1. 2. *qu.* 18. *art.* 2. Scoto cit. Quodl. 18. *art.* 1. Explico:

§. I.

6 Bonitatem, *aut malitiam essentialem*, ac primariam. Quia sicut omnis actus in esse naturæ accipit primario suam essentiam, & specificationem ab ipso objecto, in quod tendit; ita etiam omnis actus humanus, & moralis in esse moris, seu quatenus conformis, vel difformis est rectæ rationi, hanc suam moralem essentiam, ac specificationem, adeoque essentialem, ac specificam bonitatem, aut malitiam primario sumere debet ab ipso objecto, quod in se bonum, vel malum, conforme, vel difforme est rectæ rationi. Adeo ut si objectum bonum sit certa quadam habitudine conformitatis ad rectam rationem, vel legem, etiam actus circa illud objectum moraliter bonus erit, certa quadam specie virtutis: ut dare eleemosynam in specie misericordiæ, &c. Contra vero, si objectum malum sit certa quadam ratione dissonantiæ ad rectam rationem, vel legem, etiam actus circa tale objectum malus erit in certa specie: ut furtum in specie injustitiæ. Itaque

§. II.

7 Bonitatem, ac malitiam *specificam*: bonitas, & malitia actus desumpta ab objecto licet revera specifica completa essentialiter, nihilominus adhuc recte dicitur bonitas, ac malitia *generica*, vel *ex genere*, respectu circumstantiarum: non quod quasi essentialiter contrahatur per bonitatem, ac malitiam desumendam a circumstantiis, tamquam per differentias specificas, hoc enim impossibile est: sed quod illa bonitas ac malitia ab objecto, accidentaliter adhuc determinabilis sit per bonitates, & malitias accidentaliter convenientes ex circumstantiis, v. g. dare eleemosynam ex objecto habet bonitatem essentialem specificam completam specie virtutis misericordiæ: attamen per finem, & circumstantias potest ipsi aut advenire nova bonitas, ut si fiat ad gloriam Dei, aut potest nova malitia corrumpi, ut si fiat ad captandam vanam gloriam. Et hac ratione recte Scotus *in* 2. *d.* 7. triplicem distinguit bonitatem moralem: *genericam*, quæ provenit ex objecto secundum se sumpto, modo jam explicato: *specificam*, seu virtuosam, quæ convenit actui sumpto in suis debitis circumstantiis: & *specialem*, gratuitam, seu meritoriam, quæ convenit actui, ut facto ab homine in statu gratiæ, & charitatis, ratione cujus meritorius est vitæ æternæ.

§. III.

8 Ab *objecto bono, vel malo*. Bonitas ergo, & malitia moralis formaliter quidem est in ipsis actibus voluntatis elicitis, vel imperatis, fundamentaliter vero est in ipsis objectis, & causaliter ab objectis, ut dictum est, ad eum modum proportionaliter, sicut veritas, & falsitas formaliter est in ipsis actibus intellectus, fundamentaliter vero, & causaliter est in ipsis objectis, quæ quia ita se habent, vel non ita se habent, sicut cognoscuntur, vel repræsentantur, causant cognitionem veram, vel falsam. Unde actus humani alii dicuntur boni, vel mali intrinsece, & ex objecto per se: ut amare Deum, & proximum &c. sunt actus boni intrinsece, & ex objecto per se: quia ex natura, & objecto suo naturalem conformitatem habent ad rectam rationem, seclusa etiam omni alia lege. Et licet etiam legibus præcipiantur, non tamen ideo boni sunt, quia præcipiuntur; sed ideo præcipiuntur, quia tam boni sunt. E contra odium Dei, & proximi sunt actus intrinsece mali, & ex objecto per se, quia ex natura, & objecto suo naturalem habent deformitatem contra rectam rationem, seclusa etiam omni alia lege. Et licet etiam legibus prohibeantur, non ideo tamen mali sunt, quia prohibiti, sed ideo prohibiti, quia mali sunt. Alii actus dicuntur boni, vel mali ex obligatione legis tantum, & sumunt suam bonitatem, vel malitiam ex objecto per accidens, scilicet ratione legis per accidens supervenientis tali materiæ: ideoque præcise boni sunt, quia præcipiuntur, aut mali, quia prohibentur, v. g. die jejunii abstinere, vel vesci carnibus. Unde actus per se mali, cæteris paribus, semper graviora peccata censendi sunt, quam actus mali ex sola prohibitione legis. Vide *Marchant. Tribun. p.* 1. *tr.* 3. *tit.* 3. *q.* 2.

§. IV.

9 Ab *objecto bono, vel malo cognito*, utique semper necessario secundum bonitatem, vel malitiam, cum nihil possit fieri volitum, nisi præcognitum. At quoad volitum bonum, & malum, hoc discrimen est. Ad hoc, ut actus sumat bonitatem ab objecto bono, & honesto cognito, debet objectum esse volitum, ut bonum, & honestum est, seu debet appeti a voluntate intuitu ipsius bonitatis, ac honestatis saltem implicite, & virtualiter, ad minimum sic, ut voluntas eo actu ita disposita sit, ut nullo modo agere vellet, si non esset bonum, & honestum, vel si esset licitum. Unde voluntas exercens aliquem actum, etsi secundum se, & ex objecto suo honestum, (exempla obvia,) nulla tamen prorsus habita ratione ipsius honestatis, sed præcise propter ejus utilitatem, vel delectationem, forte etiam actura, etiamsi minime honestus, vel etiam inhonestus esset, revera non faceret actum honestum. Ratio autem est: quia bonum est ex integra causa: atqui objectum est causa bonitatis actus, non materialiter sumptum, sed formaliter, ut bonum honestum est: & sicut objectum volitionis ut sic, est bonum ut sic, ita sane objectum hujus in specie volitionis bonæ honestæ est bonum honestum in specie; ergo, &c. At contra vero, ad hoc, ut actus sit malus ex objecto minime necesse est, ut tendat in objectum ut malum, vel inhonestum est: seu ut fiat propter ipsam inhonestatem, vel turpitudinem directe volitam, & intentam, hoc enim impossibile est. Quia *Nemo intendens ad malum, operatur*: sed sufficit velle objectum, quod de facto proponitur ut malum, inhonestum, vel turpe, tametsi voluntas quam maxime præscindat, excludat, nolit, & detestetur ipsam malitiam, vel turpitudinem: Quia eo ipso, quo voluntas vult actum circa objectum delectabile, vel utile, actu tamen propositum, ut malum inhonestum, indirecte convincitur velle ipsam etiam malitiam, vel turpitudinem peccati. Ratio e converso est: quia malum est ex quolibet defectu. Adeoque ut actus circa objectum malum malus fit, non opus est voluntatem omnia velle in objecto, etiam ipsam malitiam, sed sufficit velle ipsum objectum, vel aliquid in objecto, quod de facto proponitur, vel cognoscitur esse malum.

SECTIO III.

Bonitas, & malitia moralis ex fine.

SUMMARIUM.

10 *Finis hic est id*, cujus gratia aliquid fit. *Alius operis, & intrinsecus; alius operantis, & extrinsecus.*
11 *Actus internus etiam primariam, & specificam bonitatem vel malitiam sumere solet a fine: externus vero solum secundariam, & accidentalem.*
12 *Finis ab aliis circumstantiis in hoc præcipue differt, quod is semper directe, & primario sit volitus; illæ vero indirecte, & secundario.*
13 *Regulæ generales circa finem.* Particularius autem.
14 *Actus bonus propter finem bonum accipit ab eo novam speciem bonitatis; immo tot, quot ei diversi fines præfiguntur.*
15 *Sicut e contra, actus malus ob finem malum accipit duplicem malitiam, unam ab objecto, aliam a fine: immo tot quot fines diversi præfiguntur.*
16 *Actus bonus propter finem malum, amissa bonitate ex objecto, fit simpliciter malus.*
17 *Actus malus a nullo fine bono bonus fieri potest, sed est, & manet semper malus.*
18 *Actus indifferens a fine bono fit bonus; a malo malus; ab indifferenti manet indifferens.*

Finis dicitur id, *cujus gratia aliquid fit*: seu id propter quod consequendum operamur. Alius dicitur finis *operis, & intrinsecus*, & est id, ad quod ipsum opus, vel actus ex natura sua ordinatur, atque in ipso opere, vel ejus objecto intrinsece includitur, ut dare eleemosynam pauperi, miseriæ corporalis sublevandæ gratia: studere, sciendi: mederi, sanandi: furari, habendi: fornicari, delectandi gratia. Et universaliter, actus moraliter boni finis intrinsecus dicitur ipsa honestas, actus mali vero, voluptas, vel utilitas, conjuncta inhonestati: juxta paulo ante dicta *nu.* 9. Alius dicitur finis *operantis*, & extrinsecus, quem nimirum operans mero arbitrio suo operi præstituit. Ut dare eleemosynam ob vanam gloriam captandam: studere ob divitias, vel honores consequendos. Porro duo circa finem concurrunt actus: Intentio, & Electio. Intentio est actus voluntatis efficaciter volentis consequi finem per media opportuna: ideoque habet suam bonitatem, aut malitiam ab ipso fine, non ut finis est, sed præcise, ut objectum est, juxta dicta *sect. præced.* Electio, vel usus dicitur omnis alius actus, qui fit, vel ordinatur ad, & propter alium finem consequendum tamquam medium: & de hoc quæritur, quomodo sumat suam bonitatem, & malitiam a fine bono, vel malo, propter quem fit. 10

ASSER-

ASSERTIO III.

Actus humanus sumit suam bonitatem, & malitiam; internus quidem primariam specificam: externus vero secundariam, & accidentalem tantum a fine, propter quem fit. Communissima.

§. I.

11 Ratio assertionis est. Quia universaliter omnis actus accipit suam specificationem, non tam ab objecto materiali, in quod tendit, quam potius ab objecto, vel motivo formali, secundum quod tendit in objectum: atqui finis intentus est verissime objectum, & motivum formale, secundum quod, seu propter quod voluntas actu interno vult per actum externum tendere in tale objectum: ergo actus humanus internus sumit primariam, & specificam suam bonitatem, & malitiam a fine, in quem tendit. Unde & Aristoteles ab omnibus receptus. 5. *Ethic. cap.* 2. ait: eum, qui furatur adulterandi gratia, magis adulterum esse, quam furem. Quia juxta alium ejusdem dictum; *Propter quod unumquodque tale, ipsum est magis tale.* At in proposito, propter adulterium furtum est volitum: igitur adulterium magis volitum est. Atqui ulterius ipsi soli actui interno per se primario competit intendere finem, & propter finem agere eligendo media, & imperando actus externos in ordine ad talem finem, actibus vero externis mere per accidens est, quod ita eligantur, ordinentur, & imperentur ad talem extrinsecum finem: ergo finis actui interno tantum tribuit bonitatem, vel malitiam primariam specificam, actibus vero externis imperatis solum secundariam, & accidentalem, tamquam mera circumstantia. Unde

§. II.

12 Finis recte quidem numeratur inter circumstantias nomine CUR, & est verissima circumstantia respectu actuum externorum, quibus sicut quævis alia circumstantia, seu directe, seu indirecte volita, accidentariam tantum bonitatem, vel malitiam tribuit: differt tamen singulariter ab aliis circumstantiis, respectu actuum internorum. Finis enim semper directe, & primario est volitus, ac intentus, ideoque tamquam objectum, & motivum formale primariam, & specificam bonitatem, aut malitiam tribuit actui interno, & hoc mediante solum secundario, & accidentalem actui externo volito propter illum finem, ut dictum est. Aliæ vero circumstantiæ *Quis, quid, ubi, &c.* ut circumstantiæ solum indirecte, & secundario sunt volitæ cum actu externo, vel objecto ita circumstantiato, ideoque bonitatem suam, aut malitiam accidentariam primario tribuunt actui externo, & hoc mediante, secundario solum actui interno volenti actum externum, vel objectum cum talibus circumstantiis, v. g. Circumstantia rei sacræ in furto sacrilego, malitiam suam primario tribuit furto externo, & secundario solum afficit, & malum reddit actum internum, quo quis, cognita ea circumstantia, nihilominus vult furari. Cæterum, quod si aliæ etiam circumstantiæ directe volitæ, & intentæ sint, ut si velis ideo furari rem, quia sacra est, aut cognoscere talem, quia aliena est, respectu actus externi quidem manebunt circumstantiæ, ut finis, accidentalem tantum malitiam tribuentes: at respectu actus interni desinunt esse circumstantiæ, & fiunt objectum saltem partiale principale, ideoque illi actui interno jam primariam quandam bonitatem vel malitiam tribuunt, sicut finis. Et hac ratione intelligenda est sententia Cajetani, & aliorum, qui volunt actum internum nullas habere circumstantias, eo quod omnis circumstantia actus externi, respectu interni, induat rationem objecti. Quod verum est de circumstantiis directe, & primario volitis, ut modo dictum fuit. Non item de circumstantiis indirecte, & secundario volitis. An enim hæ objectum potius, quam circumstantiæ actus interni dicendæ sint, vana est lis de nomine. Sat hactenus speculationi datum: porro moralia consectemur.

§. III. *Regulæ generaliores circa finem.*

13 Finis bonus non reddit actum bonum, nisi careat omni malitia ex objecto, & aliis circumstantiis. Quia: *bonum est ex integra causa.* Finis autem malus semper reddit actum malum, etsi alias ex objecto, & omnibus aliis circumstantiis optimum. Quia *malum est ex quolibet defectu.* Et universaliter verum est: *Cujus finis malus est, ipsum quoque malum est.* Non contra: Cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est: ob eamdem rationem. Ex quibus enascitur alia triplex regula. I. Finis bonus ex se bono, vel indifferenti tribuit bonitatem. II. Nullus finis bonus actum de se malum, bonum efficit. III. Omnis finis malus malum efficit actum ad se ordinatum. Verum clarioris doctrinæ gratia in re maxime morali, ac communissimæ praxis, operæ pretium est, ut fiat

§. IV. *Applicatio particularis finis.*

Nota: actum septem modis posse esse propter finem: seu, quod idem est: Intentio finis septem modis potest se habere ad electionem mediorum.

I. *Actus bonus propter finem bonum.*

Accipit a fine novam speciem bonitatis, immo tot species bonitatis accipit, quot ei diversi fines boni præfiguntur: v. g. dare eleemosynam pauperi ad honorem Dei, simul ac ad satisfaciendum pro peccatis: ex objecto habet bonitatem eleemosynæ, seu misericordiæ: ex fine autem duplici, aliam duplicem habet bonitatem, scilicet virtutis Religionis, & Pœnitentiæ. Omnis ergo actus bonus propter finem bonum duplicem ad minus bonitatem habet unam ex objecto, alteram a fine, & vera est communior sententia; nimirum Electio boni medii ordinati ad bonum finem duplicem habet bonitatem, unam a fine, alteram ab objecto, seu medio electo. Quod a fine habeat, omnes consentiunt: quod etiam a medio electo, probatur: Omnis actus voluntatis tendens in objectum bonum, & honestum, qua tale est, ita ut ipsa ejus bonitas, & honestas per se intendatur, sumit inde bonitatem: atqui electio medii boni, v. g. temperantiæ ad conservandam castitatem, &c. tendit in objectum bonum, & honestum qua tale, seu ut bonum, & honestum est hujus virtutis, seu propter ipsam ejus specialem propriam bonitatem, & honestatem: ergo electio talis boni medii ab ipso medio, seu objecto proprio, habet bonitatem propriam, & quidem formalem, non materialem tantum, ut male vocant adversarii: quia bonitas per se intenta ab agente, est formalis bonitas: nec obstat, quod non appetatur ultimate propter seipsam, sed ulterius propter alium finem bonum. Nam si appeteretur propter seipsam, non referendo ad alium finem, utique esset bonitas formalis electionis ex objecto: sed hanc bonitatem non tollit, vel destruit, sed potius perficit: quod ulterius referatur ad alium finem bonum: neque enim hoc facit illum actum minus, sed potius magis conformem rectæ rationi: ergo electio boni medii ad bonum finem retinet propriam formalem bonitatem ex objecto, seu medio electo. Denique alioquin sequeretur, quod ille non melius operaretur, qui eligeret medium melius, perfectius, & excellentius ad bonum finem, v. g. castitatem præ conjugio; quam qui eligeret medium minus perfectum, puta, conjugium præ castitate: quia idem finis eamdem tantum utrivis bonitatem communicaret: consequens est inconveniens, ergo dicendum est, electionem habere etiam propriam bonitatem ab objecto, seu medio electo bono: dummodo etiam ipsa ejus bonitas, seu honestas sit per se directe intenta, ac volita, juxta generatim dicta supra *n.* 9. Alioquin, si aliquid, etsi bonum, minime tamen attenta ejus bonitate morali, præcise, ut medium utile arriperetur ad aliquem finem bonum, v. g. abstinentia a vino, & calidis ad tuendam castitatem, fatendum erit, habere unam, & totam bonitatem ex fine, nullam vero ex medio electo. 14

II. *Actus malus propter finem malum.*

Duplicem accipit malitiam, unam ab objecto, seu medio malo electo, aliam a fine malo præfixo, & intento: immo tot malitias, quot fines mali diversi præfiguntur; easque aliquando quidem specie diversas, utpote diversis virtutibus repugnantes, ut si velis furari adulterandi gratia: occidere alterum, ut bona auferas, uxore potiaris: &c. aliquando vero solo numero diversas, eidem scilicet virtuti repugnantes, ut huic furari claves, scalas, instrumenta, ut alteri fureris pecunias. Aliquando vero etiam eamdem numero malitiam constituunt; quando scilicet malitia medii ejusdem speciei cum fine malo ex natura sua per se, vel ordinarie conjuncta esse solet: ut tactus impudici in ordine ad fornicationem. Illi enim per se ad fornicationem ordinantur: eamque ordinarie præcedere solent, tamquam media, dispositiones, & inchoationes actus principalis intenti, ideoque cum ipso actu idem numero peccatum constituunt, ut proinde in Confessione, explicato actu principali fornicationis, opus non sit explicare tactus, & actus prævios ordinarie præcedere solitos. *Ex communi doctrina, Suarez 3. p. tot. disp.* 22. *alii.* Cæterum, ut actus malus propter finem malum sumat duplicem malitiam ex objecto, & ex fine, minime opus est, ut ipsa malitia, seu objecti, seu finis per se volita, & intenta sit, sicut in actu bono propter finem bonum: sed sufficit esse cognitam, ideoque volitam indirecte: ratio data est *supra nu.* 9. 15

III. *Actus*

III. Actus bonus propter finem malum.

16 DEstructa bonitate ex objecto, simpliciter redditur malus ex fine: seu ut dici solet, intentio prava, seu finis malus depravat, seu vitiat, & corrumpit opus, ac electionem cujuscumque medii: Et. *Cujus finis malus est, ipsum quoque malum est*. Ad hoc autem necesse est, ut opus, vel electio medii vere afficiatur ab intentione mali finis, ac fiat primario, & directe propter illum malum finem tamquam veram causam finalem motivam: ut, si ita velis dare eleemosynam ad captandam vanam gloriam, aut pauperi puellæ ad finem inhonestum, ut nisi pravum ejusmodi finem intenderes, omnino positive eleemosynam dare nolles. Tunc enim sine dubio vitiatur actus eleemosynæ, etsi ex objecto optimus. Quia malum est ex quolibet defectu: gravis autem, & pravus defectus est, actus etiam bonum principaliter fieri propter finem malum. Secus dicendum, si intentio finis mali haberet se solum consecutive, vel concomitanter, vel etiam ut causa impulsiva tantum ad actum bonum. Ut si absoluta bona intentione velis orare Deum, & primo post orationem, vel interim dum oras, simul vanamgloriam captas, vel etiam antecedenter solum impelleris ad orandum a vanagloria: non quod principaliter intendas per orationem consequi vanamgloriam, & aliter orare positive nolles, sed solum, quod hic, & nunc non velles forte, vel non movereris ad orandum, nisi te vanagloria impelleret, ne aliis minus religiosus, vel devotus videaris: oratio illa manebit moraliter bona, immo etiam meritoria, quia proprie non afficitur ab illa Intentione prava, quæ, quia venialiter tantum mala est, non tollit statum merendi, nisi respectu actionis, quam inficit: alioquin certe puerorum, & Religiosorum etiam Tyronum actibus bonis plerumque negandum esset meritum.

IV. Actus malus propter finem bonum.

17 ESt, & manet malus, neque ab ullo fine quantumvis bono ullius bonitatis capax est. Ut si fureris, ut des eleemosynam. Eccli.34. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata*. Et Apostolus Rom. 3. dicit justam esse damnationem eorum, qui dicunt: *Faciamus mala, ut veniant bona*. Ex quibus D. Augustinus *Enchiridii c.22.* ostendit, mentiri, ut alteri prosis, semper esse peccatum. Et *lib. contra mendacium c.7.* Universaliter concludit. *Ea, quæ constat, esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt*. Ratio semper eadem est. Quia *Bonum est ex integra causa: malum ex quolibet defectu*. Magnus autem defectus est malitia ipsius objecti. Neque solum mala manet electio medii mali ad finem bonum, verum etiam inficit, & malam reddit ipsam intentionem *efficacem*, *& determinatam* finis boni per tale medium malum, ut si velis dare eleemosynam efficaciter, & determinate per furtum rei alienæ, &c. non solum velle furari ad dandam eleemosynam, sed etiam velle dare eleemosynam per tale medium, furtum scilicet, peccatum erit, secundum omnes. Quod si vero quis intenderet finem bonum, v.g. dare eleemosynam, recuperare sanitatem, &c. volitione solum simplici, vel efficaci indeterminata, ad certum medium, sed solum in confuso, *per media opportuna, vel congrua*, & postea alio distincto actu eligat medium malum, utpote furtum ad eleemosynam, superstitiosum medicamen ad sanitatem, hæc posterior electio non poterit inficere intentionem priorem simplicem, vel indeterminatam. Animadvertendum etiam hic est. I. In legibus positivis, intentio boni & necessarii finis sæpe excusat a transgressione. Ut si die festo velis laborare ad succurrendum pauperi, cui aliter commode succurrere nequis: aut negligere Sacrum, ut servias infirmo, &c. quia in tali casu censentur leges illæ Ecclesiasticæ cessare obligare. II. Negari non potest universaliter intentionem boni finis aliqualiter minuere culpam electionis mali medii, cujus malitiam aliqualiter occultat sub specie boni prætenti, ideoque minus cognitam, & voluntariam reddit. Qua ratione D. August. *l. contra mendacium c.8.* dicit. *Pejor est, qui concupiscendo, quam qui miserando furatur*. Nec contradicit idem *tom.10. hom.7. relatus c. forte 14. qu.5. Si totum fur tribuat pauperibus, quod abstulerat, addit potius, quam minuat delictum*. Verum hoc enim est per accidens tantum: Quia fur rem alienam, quam deberet restituere, pauperibus largiendo contumens, reddit se impotentem restituere eamdem rem, vel in æquivalenti, supposito, quod aliunde non habeat. III. Fatendum omnino est, hac in re sæpissime ignorantiam, bonam fidem, ac simplicitatem omnino excusare a peccato, secundum omnes. De mendaciis in scripta relaptis, atque adeo commendatis multorum, consulendi sunt Interpretes, & Doctores in propria materia.

V. Actus indifferens propter finem bonum.

18 PRimam, & unicam bonitatem suam habet a fine bono: ut ambulare devotæ peregrinationis causa; comedere, bibere, dormire ad reficiendas vires in servitio Dei, &c. solam, & unam bonitatem habet virtutis Religionis. Vide D. Gregor. *l. 18. Moral. c. 6.* Ubi ad propositum bene explicat illud Christi. Matth. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit*. Potest etiam fieri actus bonus propter finem indifferentem, ut oratio, eleemosyna, &c. pro impetranda sanitate, &c.

VI. Actus indifferens propter finem malum.

HAbet etiam unicam malitiam ex fine, ut ambulare, loqui, donare, luxuriæ causa. Sicut e contra, si fieret actus malus propter finem indifferentem, ut medium magicum pro sanitate; &c.

VII. Actus indifferens propter finem indifferentem.

UT ambulare, comedere, bibere, fricare barbam solius refectionis, vel recreationis gratia: in specie omnino manet indifferens. An etiam in individuo, *infra n.31.* memtio fiet. Ex dictis adnota, quando in confessione explicanda sit intentio finis: Quando nimirum intentio mali finis afficiens actum, mortalis est, ut in 2.4.6. casu, alias non.

SECTIO IV.

Bonitas, & malitia moralis ex circumstantiis.

SUMMARIUM.

19 *Circumstantiæ sunt particulares conditiones, ipsum actum, operantem, vel objectum accidentaliter afficientes, & quasi* circumstantes.

20 *Actus humanus etiam internus efficax, non inefficax, sumit malitiam a circumstantiis cognitis, & etiam indirecte tantum volitis.*

21 *Bonitatem vero nonnisi a circumstantiis cognitis, & directe intentis.*

22 *Circumstantiæ aggravantes tantum dicuntur, quæ solum augent, vel minuunt bonitatem, vel malitiam intra eadem speciem: mutantes vero speciem, quæ actui novam, & diversam bonitatis, vel malitiæ speciem afferunt.*

23 *Circumstantiæ communiter sex numerantur, hoc versu:* Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

24 Quis, *non personam ipsam operantem, sed ejus conditionem, & qualitatem significans, sæpe mutat speciem.*

25 Quid *pariter non ipsum objectum, sed ejus conditionem, vel quantitatem significans, etiam sæpe speciem mutat.*

26 *Similiter* ubi, *qualitatem loci denotans, sæpe actui novam malitiæ speciem addit.*

27 Quibus auxiliis, *quævis media, causas, vel occasiones operandi significans, aliquando auget tantum malitiam, aliquando etiam mutat speciem.*

28 Quomodo *actionis modum magis, vel minus voluntarium, ac liberum, intensum, vel remissum, &c. significans, plerumque solum auget, vel minuit bonitatem, vel malitiam actus.*

29 Quando *proprie qualitatem temporis Sacri, vel non Sacri significans ratione sui, & per se loquendo, parum confert actui.*

CIrcumstantiæ dicuntur actuum humanorum, ac moralium particulares, & accidentales conditiones, & affectiones, sic vocatæ, quod actum humanum, operantem, & objectum accidentaliter afficiant, & quasi *circumstent*. Accipe exemplum in actu bono, & malo, Eleemosynæ, & Furti. 19

De substantia eleemosynæ tantum sunt homo dans, egenus accipiens, & ipsa traditio pecuniæ, vel alterius medii apti ad sublevandam miseriam corporalem egeni. Hic vero tam ipsum actum, quam operantem, & objectum variæ circumstantiæ possunt afficere, & magis, vel minus bonum, vel etiam malum actum efficere. Utpote; *Quis* dat? dives, an pauper? *Quid* dat? multum, an parum? suum, an alienum? *Cur* dat? an ad debitum bonum, an ad indebitum malum finem: *Quomodo* dat? an magno, vel parvo affectu? An cum indignatione, exprobratione, &c.

Similiter in furto, de substantia actus sunt homo accipiens, res aliena, & ejus ablatio invito domino. Hic rursus actum, operantem, & objectum variæ circumstantiæ afficere possunt, & furtum reddere magis, vel minus malum, licet nunquam bonum. *Quis*? Dives, an pauper? an gravi, an etiam extrema necessitate laborans? quo casu furtum omnino cessaret. *Quid*? an multum, parum, pecuniam, rem sacram, vel prophanam: *Ubi*? an in loco sacro, vel prophano? *Quibus auxiliis*, an armata manu, instrumentis prohibitis, mediis magicis? *Cur*? an etiam ad alium malum finem?

finem? *Quomodò?* an ex proposito, vel subita subreptione, an occulte, vel dolo, an palam, cum violentia, læsione, effractione? *Quando?* an tempore belli, famis, &c.

ASSERTIO IV.

Actus humanus, etiam internus efficax, sumit suam bonitatem, & malitiam etiam a circumstantiis cognitis, & aliquo modo volitis, semper quidem accidentalem actui, sed aliquando aggravantem tantum, aliquando vero etiam speciem mutantem. Communis doctrina.

§. I.

20 *Actus humanus, etiam internus efficax, &c.* Omnis quidem actus internus efficax, & inefficax sumit bonitatem, aut malitiam a circumstantiis quibusvis directe volitis, & intentis, at primariam, ac specificam tamquam ab objecto saltem partiali principali, non tamquam a circumstantia, ut supra *n.* 12. notatum est. Solus autem actus internus efficax, non item inefficax, sumit bonitatem, aut malitiam a circumstantiis indirecte tantum volitis, juxta *communem Doctorum apud Vasquez hic disp.* 57. *c.* 2. *Tanner. tom.* 2. *disp.* 2. *qu.* 5. *dub.* 7. Ratio est. Quia actus internus inefficax, simplex velleitas, complacentia, delectatio morosa, &c. fertur in objectum præcise, ut objective proponitur in intellectu, ideoque facile abstrahit a circumstantiis annexis quamvis cognitis. Unde qui morose delectatur de ligata, consanguinea, Sacra, &c. præcise, ut fœmina formosa est, committit actum simplicis impudicitiæ, vel fornicationis mentalis, ut proinde in confessione circumstantias personæ explicare opus non sit. At vero actus internus efficax tendit in ipsum actum externum, ut subjective exercendum circa objectum, prout est a parte rei: ideoque minime potest abstrahere a circumstantiis annexis, sed volens actum, necessario simul vult circumstantias annexas cognitas, v. grat. efficaciter concupiscens fœminam, quam scit, vel quomodolibet apprehendit ligatam, consanguineam, sacram, vere committit actum adulterii, incestus, sacrilegii, proinde necessario explicandum in confessione. Unde ulterius, qui efficaciter concupisceret aliquam conceptu confuso, cujuscumque conditionis, aut aliquam quamcumque ex tota congregatione, in qua scit multas esse ligatas, consanguineas, &c. vere committeret peccatum qualificatum necessario aperiendum in confessione. Quod si vero quis conceptu plane abstracto concupiscat fœminam in genere, nihil plane cogitando de ejus qualitate, probabilius committit actum simplicis fornicationis tantum. Quia licet non habeat circumstantiam fœminæ solutæ, habet tamen totam, & solam malitiam simplicis fornicationis, & nullam aliam. Debet tamen explicare in confessione, se concupivisse fœminam in communi, non ob exprimendam aliquam specialem malitiam, sed ne mentiatur exprimendo certam personæ concupitæ qualitatem. Sic recte *Tamb. l.* 1. *Decal. c.* 1. §. 4. *n.* 14. & 15. Quamvis aliter sentiat *Sanch. l.* 1. *Moral. c.* 8. *n.* 5. quem vide.

§. II.

21 *Sumit bonitatem, & malitiam a circumstantiis cognitis, &c.* Ratio jam insinuata est. Quia actus humanus externus efficax in individuo tendit in objectum prout cognoscitur esse a parte rei affectum suis circumstantiis, quæ proinde conditiones individuantes actionum humanarum dicuntur: ac proinde omnis voluntarie eliciens talem actum in individuo in his circumstantiis censetur, etiam indirecte saltem velle omnes ejus circumstantias cognitas, & per se conjunctas actui, operanti, vel objecto: atqui constat, illas circumstantias esse aliquando bonas, & honestas; aliquando vero malas, & prohibitas ad talem actum, (ut circumstantia loci sacri est optima ad orationem, pessima ad furtum) adeoque actum voluntarie ad se tendentem, aliqua bonitate, vel malitia afficient: ergo actus humanus sumit suam bonitatem, & malitiam etiam a *circumstantiis*, utique *cognitis*, & ideo *aliquo modo volitis*, scilicet, vel directe, vel indirecte. Ubi notandum discrimen est, quoad bonitatem, & malitiam: nam ad hoc, ut actus sumat bonitatem a circumstantia bona, v. g. ut orans in loco sacro, dans eleemosynam personæ sacræ, vel religiosæ, addat actui novam bonitatem Religionis ex circumstantia loci sacri, vel personæ sacræ, omnino necesse est, ut ipsa circumstantia bona cognita, per se directe, explicite, vel implicite volita, ac intenta sit. Alioquin, si quamvis cognita, tamen nullo modo attenta, vel etiam præcisa, seu exclusa sit, nullam poterit conferre bonitatem. At contra, ut actus sumant malitiam ex circumstantia mala (per se tamen conjuncti actui, vel naturaliter consequentes) sufficit, illam esse cognitam, nec opus est, esse per se directe ullo modo intentam, vel volitam. Sic furans scienter rem sacram, aut violans personam sacram, contrahit malitiam sacrilegii ex circumstantia rei, vel personæ sacræ, etsi illam circumstantiam per se minime velit, & intendat, quinimo quam maxime nollet esse sacram. Ratio utriusque assignata est supra de volitione ipsius honestatis, ac malitiæ objecti, *nu.* 9. hic facile applicanda. Cæterum a circumstantiis per accidens tantum actui conjunctis, vel consequentibus, nullam actus recipit malitiam, nisi ipsa per se directe volita, ac intenta sit, ideoque objectum actus potius, quam circumstantia evadat. Alias enim nullo modo erit volita: non directe ut supponitur: nec indirecte, quia non necessario sequitur actum, vel objectum volitum. Sic prædicatio Christi, & Apostolorum multas habebat consecutas blasphemias, & peccata Judæorum, bene prævisa; at quia per accidens tantum sequebantur ex mera malitia Judæorum, nulla inde prædicationi accessit malitia. Sic, suadente necessitate, vel utilitate gravi, licite potes petere administrationem Sacramenti a tuo Parocho, quem concubinarium scis administrando peccaturum, aut mutuum ab usurario, quem prævides non nisi cum usuræ crimine mutuaturum, &c. Ut notant etiam *Scot. in* 4. *d.* 5. *qu.* 2. *Navar. c.* 13. *n.* 18. Sed de his in materia de scandalo.

§. III.

*Actus ergo humanus sumit bonitatem, & malitiam ex circumstantiis *semper quidem accidentalem actui, aliquando tamen aggravantem tantum*, seu intra eamdem speciem majorem, vel minorem: *aliquando vero speciem mutantem*, seu diversæ speciei a bonitate, vel malitia substantiali actus. Atque exinde circumstantiæ aliæ dicuntur aggravantes tantum, aliæ vero speciem mutantes, stylo communissimo. 22

Circumstantiæ aggravantes tantum dicuntur, quæ solum augent, vel minuunt bonitatem, vel malitiam actus intra eamdem speciem virtutis, vel peccati: quando nimirum circumstantia addita actui, in suo conceptu non involvit aliam speciem bonitatis, vel malitiæ, distinctam a bonitate, vel malitia ipsius actus, sed eamdem solum auget, vel minuit. Ut sunt generatim. 1. Majus, vel minus voluntarium, & libertas actus. 2. Major, vel minor intensio, vel vehementia actus. 3. Major, vel minor duratio, vel mora actus boni, vel mali. 4. Major, vel minor quantitas materiæ, vel objecti: exempla habes infra in circumstantia. *Quomodo*, & supra *de ignorantia, metu, concupiscentia*.

Circumstantiæ speciem mutantes dicuntur, quæ actui novam, ac diversam speciem bonitatis, vel malitiæ afferunt: quando nimirum circumstantia addita actui, ex se habet propriam, ac specificam bonitatem, vel malitiam, seu conformitatem, vel difformitatem ad rectam rationem distinctam a bonitate, vel malitia propria specifica ipsius actus, ideoque, actum ex materia unius virtutis, vel vitii, transfert in materiam alterius virtutis, vel vitii. Sic circumstantia personæ sacræ pauperis per se intenta actui eleemosynæ addit bonitatem virtutis Religionis: actui vero fornicationis addit malitiam sacrilegii. Tritissimum est exemplum in peccato carnali. Si enim fiat inter solutos, est simplex fornicatio. Si a vel cum ligata, est adulterium. Si a vel cum persona Deo sacra, est sacrilegium. Si inter consanguineos, vel affines, est incestus. Si cum Virgine invita, est stuprum. Si cum vi illata, est raptus. Si contra naturam cum seipso, est mollities. Si cum eodem sexu, est sodomia: Si cum diversa specie, est bestialitas. Hæ enim circumstantiæ omnes diversas plane malitias afferunt actui luxuriæ, contra diversas omnino virtutes, ac diversa præcepta, sub motivo diversarum virtutum obligantia, ut intuenti patet. Huc etiam spectant circumstantiæ, quæ actum destructa bonitate efficiunt malum, ut supra de fine explicatum est *num.* 16.

§. IV.

Circumstantiarum tam speciem mutantium, quam aggravantium sufficiens est numerus septennarius vulgari versu comprehensus, quamvis alii numerum addant. 23
Per quæ, quoties, loco *auxiliis*.

Quis. Quid. Ubi. Quibus auxiliis. Cur. Quomodo. Quando.

I. QUIS.

Significat, non ipsam personam operantem secundum se: hæc enim est de substantia, & non circumstantia actus sed conditionem, seu qualitatem personæ operantis, an soluta, vel ligata; Clericus, an Laicus, &c. Hæc circumstantia sæpissime mutat speciem, & novam malitiæ speciem confert in peccatis. Ut si persona ligata peccet carnaliter; non jam 24

jam solum contra castitatem, sed etiam contra justitiam delinquit adulterio: si Sacra voto solemni castitatis adstricta, etiam contra Religionem sacrilegio. Si Prælatus, vel Parochus suis opem debitam ferre negligat, peccat non tantum contra charitatem, vel misericordiam, sicut alius, sed etiam contra justitiam. Si filius Parenti subditus Principi, Prælato, Magistratui injuriam inferat, peccat non simpliciter contra justitiam, sed etiam contra pietatis, & observantiæ virtutem: Et sic de cæteris. Interdum vero intra eamdem speciem solum auget, & aggravat malitiam. Sic cæteris paribus, gravius est peccatum fidelis, quam infidelis. Clerici, vel Religiosi, quam laici: Superioris, quam subditi: Sancti, quam non sancti: Item ejus, qui multa a Deo singularia beneficia accepit: qui sæpius jam veniam consecutus relabitur, &c. ob annexam implicitam ingratitudinem: Item gravius est furtum divitis, quam pauperis; aut contra, factum pauperi, quam diviti: &c. Sed de his plura suo loco. Eadem circumstantia interdum etiam actui bono addit novam speciem bonitatis, ut justitiæ, si Parochus officium sedulo exequatur: aut Religionis, ut si jejunium ex voto serves: aut humilitatis in persona excellente, &c.

II. *QUID.*

25 SIgnificat simpliciter non ipsum objectum actus, quippe quod spectat ad substantiam actus; sed conditionem, vel quantitatem objecti, vel materiæ, circa quam actio bona, vel mala versatur. Hæc circumstantia actui malo sæpe novam confert speciem malitiæ, ut fornicationi cum aliena conjuge, furto rei sacræ, percussioni Clerici, occisioni Patris, accedit nova species injustitiæ, sacrilegii, parricidii, seu impietatis. Aliquando vero intra eamdem speciem actionis malitiam auget. Ut si injuriam inferas homini innocenti, vel sancto; pauperi fureris. Et generaliter huc spectat quantitas major, vel minor materiæ, quæ sicut peccati malitiam auget in furto v.g. ita recti operis bonitatem auget, v.g. in eleemosyna. Eadem circumstantia interdum actui bono novam bonitatis speciem addit, ut si pauperi Sacerdoti intuitu Sacerdotii sacri des eleemosynam, addis misericordiæ bonitatem Religionis, ut jam bis indicatum.

III. *UBI.*

26 SIgnificat qualitatem loci, sacri, prophani, publici, privati, &c. Et quandoque actui novam malitiæ speciem tribuit. Sic circumstantia loci sacri, seu Ecclesiæ, malitiam sacrilegii tribuit in primis cuivis humani sanguinis effusioni per homicidium, mutilationem, vulnerationem. Et cuivis voluntariæ effusioni humani seminis per quemcumque coitum: etiam licitum extra casum gravis necessitatis, ac pollutionem voluntariam, idque non solum jure Ecclesiastico, sed probabiliter etiam jure divino naturali; cum reverentiæ loci sacri, specialiter ordinati, ac consecrati ad cultum divinum, & Sacrificium Agni immaculati, & innocentissimi, ex natura sua quam maxime repugnare videatur effusio cruenta sanguinis, & fœdissima, *Vasquez, alii cum Suarez tom.* 1. *de Relig. l.*3.*cap.*7. etiam tactus, & actus valde fœdos in Ecclesia non posse excusari a sacrilegio mortali, ideoque eo casu circumstantiam loci sacri in confessione aperiendam esse: id tamen negant alii communiter, *Cajetan. Navarr. Sanchez, Vasq. &c. cum Diana p.*2. *Tr.*17. *res.*23. Eadem circumstantia malitiam sacrilegii tribuit furto facto in loco sacro, sive sit rei sacræ, sive non, ex lege Ecclesiastica tantum, *cap. quæsivit* 7. *qu.*9. *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro: aut sacrum de non sacro, aut non sacrum de sacro*. Extra hos casus vix ulla alia peccata, etiam detractiones, turpiloquia, aspectus lascivi, &c. censenda sunt contrahere malitiam sacrilegii mortalis contra Religionem, & reverentiam loci sacri. Cæterum peccata facta in loco publico, & coram multis, ordinarie habent annexam malitiam scandali contra charitatem, ideoque necessario explicandam in confessione, una cum numero scandalizatorum quoad fieri poterit. Eadem circumstantia loci interdum intra eamdem speciem malitiam actus auget tantum, ut si publice coram pluribus alicui detrahas, vel calumniam struas, augebitur malitia injustitiæ, de quo infra iterum. Similiter exemplificari potest in actibus bonis.

IV. *QUIBUS AUXILIIS, vel PER QUÆ.*

27 SIgnificat quævis media, causas, vel occasiones peccandi, (aut etiam bonum agendi, de quo nulla difficultas) ut sunt. I. Instrumenta peccandi; quæ aliquando addunt novam speciem malitiæ; ut si pecunia furtiva fornicatus es; si medio magico damnum intulisti; si lusu prohibito alterum decepisti. Aliquando vero intra eamdem speciem malitiam augent tantum, ut si armata manu prædatus es; si armorum genere ad lædendum, vel cruciandum exquisito, vel prohibito alium invadas, &c. II. Alios homines, quos jussu, consilio, suasu ad peccati societatem perduxisti, ubi præter malitiam illius peccati, ad quod alios induxisti, etiam contrahitur malitia scandali necessario explicanda in confessione; excepto casu, quo vir fœminam non multum invitam ad peccatum induxit; tunc enim sufficit dicere fornicatus sum, ex quo facile est intelligere ipsum sollicitasse; secus, si fœmina virum sollicitasset; ut notat *Diana, p.*3. *tr.*4. *res.* 114. III. Occasiones voluntariæ peccatorum, quæ solum aggravant malitiam peccatorum; immo idem numero peccatum fiunt, quando quis voluntarie se exposuit periculo peccandi, v.g. fornicandi, simul efficaciter volens peccare, & mox peccat: tunc sufficiet dicere: *Ex proposito fornicatus sum*. Secus est quando quis exponens se periculo peccandi, tunc nondum proponeret peccare, sed postea periculo victus, nova intentione peccaret: tunc enim erunt duo distincta peccata necessario enumeranda in Confessione, *Sanchez, l.* 1. *Moral. c.*8.

V. *CUR.*

SIgnificat finem bonum, vel malum, jam late explicatum *sect. præc.*

VI. *QUOMODO.*

SIgnificat modum actionis magis, vel minus voluntarium, ac liberum: intensum, remissum, violentum, 28
moderatum, &c. Hæc circumstantia plerumque sicut bonitatem in actibus bonis, amoris, doloris, &c. ita & malitiam in peccatis solum intra eamdem speciem auget. Sic gravius peccatur ex certa deliberata, ac libera malitia, quam ex infirmitate, passione, metu, ignorantia vincibili, &c. de quibus multa *cap. præc.* Item si majori intentione, ac vehementia indulgeas odio, iræ, aliisque peccatis: si longiori mora peccatis inhæreas: quo spectat in peccato carnali uti modis nimiis, & extraordinarie lascivis, dummodo talis modus aliunde speciem non mutet, ut si inciperent contra naturam, &c. Eadem tamen circumstantia modi interdum actui addit malitiam specie diversam; ut in furto violento, malitiam rapinæ, scilicet contumeliæ specialis contra observantiæ virtutem: in stupro violento, malitiam raptus: Item in omni peccato facto ex formali contemptu, seu directa non obediendi voluntate, malitiam formalis inobedientiæ; & in omni peccato facto in benefactorem Deum, vel hominem, expressa voluntate vilipendendi beneficium acceptum, malitiam formalis ingratitudinis, ut bene explicat *S. Thomas* 3.*p. qu.*88. *art.*3.

VII. *QUANDO.*

SIgnificat proprie qualitatem temporis sacri, vel non 29
sacri. Et hæc circumstantia confert actui bonitatem, vel malitiam solummodo per accidens, quando nimirum actus specialiter est præceptus, vel prohibitus intuitu ipsius temporis sacri. Ut diebus festis feriari, diebus jejunii carnibus abstinere, bonum est ex lege præcipiente: sicut e contra iis diebus laborare, aut carnes comedere, malum est ex lege eo tempore prohibente. Item quando actus fieret ex speciali, & directa intentione, honorandi, vel inhonorandi tempus sacrum. Ut si die festo, tempore Adventus, quadragesimæ speciali devotione exerceas bona opera intuitu sacri temporis, ac mysteriorum eo tempore in Ecclesia celebratorum; exerces specialem actum virtutis Religionis. At contra si die, vel tempore sacro committas peccatum aliquod directa intentione inhonorandi sacrum tempus, aut in contemptum temporis sacri, sine dubio peccas mortaliter peccato speciali contra Religionem: atque in confessione necessario aperiendo; *secundum omnes*. At vero secluso omni præcepto, vel contemptu, ac per se loquendo, circumstantia sacri temporis non multum confert ad malitiam peccati; unde neque in Confessione explicanda est an nimirum festo, vel profesto die peccaveris etiam carnaliter juxta communem Doctorum sententiam, *Navar. Man. c.*6. *n.*11. *Laym. hic c.*8. *in fine. Diana p.*1. *tr.*7. *resol.*32. *alii apud ipsos*. Nec est paritas inter tempus, & locum sacrum. Quia locus tamquam res permanens consecrationis, moralisque sanctitatis capax est; cui proinde mali operis exercitium secundum rectam rationem repugnat; & vere etiam a male agere volentibus facile vitari potest. At vero tempus res continuo transiens, nec ulla unquam sui parte simul consistens, non ita capax est consecrationis moralis sanctitatis, sed dicitur sacrum, vel sanctum per accidens ratione sacrorum mysteriorum, ac sanctarum operationum, quæ eo tempore recoli, vel fieri solent, nec solæ sanctæ actiones fieri debent tempore sacro, nec male agere volens, illud vitare posset.

Quamvis contrarium doceant *S. Antonin. Alens. Med. alii cum Lessio l.2. de Justit. c.45. dub.4.* & communis piorum persuasio sit, peccata carnalia facta summis Festis Nativitatis Christi, Cœnæ Domini, Paschæ, &c. item die Confessionis, Communionis, continere peculiarem saltem aggravantem malitiam, atque adeo in confessione explicanda. Laudanda ejusmodi timoratæ conscientiæ, & consulenda praxis, non tamen urgenda. Quæ circumstantiæ necessario sint explicandæ in confessione, late videre potes *p.3. Theol. sacram. de Pœnit. p.3. q.4 a nu.248.*

SECTIO V.

De comparatione actuum humanorum: scilicet an detur actus indifferens in specie, & in individuo: & an externus addat distinctam bonitatem, vel malitiam interno efficaci in ordine ad essentiale præmium, vel pœnam.

SUMMARIUM.

30 *Datur actus humanus non tantum in specie indifferens,*
31 *Sed probabilius etiam in individuo.*
32 *Actus externus dupliciter se habere potest ad internum.*
33 *Actus externus juxta probabilem sententiam Thomistarum nihil moralitatis addit interno.*
34 *Juxta vero probabiliorem Scotistarum, novam, & distinctam ei bonitatem, vel malitiam addit.*

ASSERTIO V.

Datur actus humanus non tantum in specie indifferens, sed probabilius etiam in individuo. Pariter: (comparando actum moralem internum cum externo, & e contra) *Actus externus actui interno efficaci probabilius per se addit distinctam bonitatem, vel malitiam moralem ad essentiale præmium, vel pœnam.* Assertio hæc alias duplicanda, propter numerum tamen consuetum Paragraphorum in unam congesta, est communis Scotistarum, & RR. ut patebit.

§. I. *Datur Actus humanus in specie indifferens, nec bonus, nec malus, moraliter.*

30 Certum est apud omnes cum *S. Thom. 1.2. q.18. art.8. Scoto in 2. dist.41. qu. un.* Ratio manifesta est. Quia deliberate *loqui, ambulare, comedere, bibere, &c.* sunt veri actus humani: & tamen ex specie, & objecto suo, secluso fine, & aliis circumstantiis, nec præcepti, nec prohibiti, adeoque nec boni moraliter, cum nullam dicant specialem conformitatem ad rectam rationem, vel legem: & æque possint fieri mali, ac boni: neque mali moraliter cum nullam dicant specialem difformitatem ad rectam rationem, vel legem, & æque possint fieri boni, ac mali: ergo sunt actus humani indifferentes in specie ex objecto suo. Sed numquid etiam poterunt esse indifferentes in individuo, exerciti scilicet hic, & nunc in suis circumstantiis particularibus?

Adverte autem. Actus indifferentes in specie, aliqui spectant ad exercitium rationis humanæ, ut puta ad manifestandos, vel exequendos conceptus, ac motus internos: & hi natura sua postulant, ut in individuo exerceantur rationabiliter ad finem necessitatis, vel utilitatis alicujus honeste, *Ut loqui, scribere, cantare, ambulare, &c.* Quod si ergo ita rationabiliter fiant in individuo, boni erunt: si secus, eo ipso erunt mali, & ad minimum otiosi: de quibus nota est sententia Christi. Matth. 12. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de illo in die judicii.* Verba enim instituta sunt ad communicationem humanam utilem, ac honestam: quod si ergo absque omni fine utili, ac honesto, omnino gratis, & otiose proferantur, jam carebunt sua rectitudine debita, & conformitate ad rectam rationem, ideoque moraliter mala, & peccata evadunt. Alii actus indifferentes in specie spectant ad naturam, & vitam humanam conservandam, ac tuendam; ut *comedere, bibere, dormire, mederi, &c.* Et hi etiam natura sua postulant, ut in individuo exerceantur in modo, & medio convenienti ad dictum finem: atque si ita fiant, omnino boni, & honesti erunt; si secus, mali. In his ergo nullus erit actus indifferens in individuo. Alii denique sunt actus indifferentes in specie, ita ut neque in individuo ex natura sua exigant aliquam peculiarem honestatem, vel conformitatem ad rectam rationem in ordine ad modum, vel medium, vel in ordine ad ullum finem honestum, nisi ad summum ad aliqualem commoditatem, vel relevationem naturæ. *Ut fricare barbam, scalpere dentes, expuere, emungere, deambulare in cubiculo, &c.* Et de his potissimum potest, & debet esse sequens.

§. II. *Datur actus indifferens etiam in individuo.*

Ita probabilius docent D. Bonaventura *in 2. dist.42. art.1. q.3.* Scotus *ibid. & quodl.18. art.1.* cum suis omnibus, & ex aliis Vasquez, *tom.1. disp.52. cap.6.* alii apud ipsum, Docuit etiam expresse S. Hieronymus *Epist.11. ad Augustinum*, iis verbis: *Sunt namque indifferentia inter bonum, & malum, sicut Philosophi disputant. Est enim bonum continentia, malum luxuria: & inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi stercora, capitis purgamenta manibus projicere. Hoc neque bonum, neque malum est sive enim feceris, sive non feceris, neque justitiam habebis, neque injustitiam.* Hæc Sanctus: an non expresse loquens de actu in individuo? *sive feceris, sive non feceris, &c.* Violentia ergo est abstractio actus ad speciem. Ratio autem est. Quia hic, & nunc deliberate fricare barbam præcise ad sedandum pruritum est actus humanus in individuo: sed non est bonus moraliter, quia nullam dicit peculiarem conformitatem ad rectam rationem neque ex objecto, neque ex fine omnino indifferenti, aut alia circumstantia, & alioquin in homine existente in gratia posset esse meritorius vitæ æternæ, immo etiam materia voti; quia esset melius fricare, quam non fricare: &c. quæ inconvenientia sunt. Neque est malus moraliter; quia neque ullam habet peculiarem difformitatem ad rectam rationem, vel legem: neque otiosus censeri debet, cum habeat congruum finem, etsi indifferentem: alioquin posset esse sufficiens materia absolutionis Sacramentalis. Quis autem unquam quantumvis delicatæ conscientiæ confitetur, se fricasse barbam ad sedandum pruritum tantum, aut quis Confessarius sanæ mentis solos ejusmodi actus confitentes absolveret? ergo dantur actus indifferentes in individuo etiam. Fundamentum præcipuum oppositæ communis aliorum sententiæ est. Quia tenemur, omnes actus nostros ex objecto non malos referre ad finem bonum, ac honestum. Sed ubi præceptum tale? Aliqui assignant illud 1. *Cor.* 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Verum hic consilium, non præceptum agnoscunt Patres, & Interpretes communiter. Alii dicunt, hoc præceptum contineri in primo præcepto Decalogi: *Deo soli serviendum est.* Mirum sane, immo ridiculum, hominem toties, & singulis quasi momentis peccare contra primum præceptum Decalogi, quoties deliberate barbam fricat, expuit, movet, &c. absque relatione ad gloriam Dei. Alii denique cum Tannero hic dicunt, hoc esse præceptum naturale: quo homo ex natura sua habet, ut deliberate agens agat rationabiliter, seu secundum rectam rationem, adeoque non otiose, sed propter aliquem finem bonum. Et hoc est directe petere principium. De hoc enim ipso quæritur, an homo semper teneatur agere propter finem bonum moraliter, an vero non etiam rationabiliter saltem negative, seu non irrationabiliter agat propter finem aliquem indifferentem, ut in exemplo allato fricare barbam ad sedandum pruritum: id nos asserimus, cum nulla appareat ratio vel lex in contrarium sine qua nullum est asserendum peccatum. 31

§. III. *Quomodo se habeat actus humanus externus ad internum, quoad bonitatem, & malitiam moralem.*

Resp. dupliciter. I. Actus externus, v.g. dare eleemosynam, vel furari, considerari potest, ut objectum actus interni, scilicet volitionis efficacis dandi, vel furandi: & hac consideratione actus externus habet bonitatem, vel malitiam fundamentalem, priorem formali bonitate, vel malitia actus interni: ideo enim velle dare est bonum, velle furari est malum, quia ipsum dare eleemosynam est bonum conveniens rectæ rationi: & ipsum furari est malum disconveniens rectæ rationi. II. Actus externus consideratur, ut executio, vel effectus actus interni, quippe qui ideo fit, quia voluntas actu interno efficaciter vult, vel imperat, & hac consideratione, etiam actus externus habet formalem bonitatem, aut malitiam moralem, ac imputabilem ad meritum, ac præmium; aut peccatum, ac pœnam. Hic porro certum est apud omnes. 1. Actum externum in sua bonitate, ac malitia necessario pendere ab actu interno. Etenim bonitas, & malitia moralis per se primario solum competit actui interno voluntatis elicito, & nonnisi secundario, & participative actui externo, ut a voluntate imperato, vel eidem imputato: ut de ipsa libertate supra *c.2.* dictum fuit. 2. Certum est, bonitatem, ac malitiam actuum internorum perfici, & compleri aliquo modo per actus externos; posito enim actu externo martyrii v. g. vel furti, dicitur bonitas martyrii completa, sicut & malitia furti: & quacumque de causa non posito actu externo, non dicitur completa bonitas, vel malitia, ut omnes fatentur. 3. Certum est, actum internum, & externum bonum, vel malum moraliter, in genere moris non facere numerum, sed consti- 32

constituere unum numero moraliter actum, vel peccatum. Quia nimirum actus internus efficax natura sua petit perfici, vel compleri per actum externum efficaciter volitum, quo proinde posito, unus numero actus moralis completus, ac consummatus efficitur. Unde etiam in confessione, secundum omnes sufficit explicare actum externum: v. gr. *furatus sum tot*: inde enim sufficienter manifestatur voluntas interna efficax furandi: at non sufficit solum explicare actum internum, seu propositum furandi, vel adulterandi, quia sic vere non exprimeretur peccatum consummatum, nec posset intelligi, quam firma, & efficax fuerit voluntas peccandi: neque gravitas injuriæ proximo illatæ: neque obligatio inde contracta restitutionis, item contracta censura, vel irregularitate, &c. 4. Certum item est, actum externum addere distinctam bonitatem, vel malitiam actibus internis non tantum inefficacibus, de quibus nemo dubitat, sed etiam efficacibus aliquibus per accidens: puta, quia actus externus in causa est, quod actus internus bonus, vel malus diutius continuetur, magis intendatur, sæpius repetatur: aut quia actus externus novas, ac speciales difficultates habet, ad quas superandas opus est novis, & vehementioribus actibus, imperiis, ac motionibus voluntatis, &c. in quibus omnes consentiunt. At nunc his suppositis sit breviter:

§. IV. *Actus externus actui interno efficaci probabilius per se addit distinctam bonitatem, vel malitiam in ordine ad essentiale præmium, vel pœnam.*

33 Sententia *negativa* quidem est D. Thomæ cum Suis, & Recentioribus communiter *apud* Vasquez, *hic disp.* 76. *cap.*2. ac alios passim. Favent SS. Patres, August. *lib.*1. *de lib. arb. cap.*3. dicens. *Si quis habet voluntatem concubandi cum uxore aliena, & non datur facultas, coram Deo tam reus est atque si opere complesset*. Chrysostom. *homil.*26. *in Matth. Sola voluntas remuneratur pro bono, ac condemnatur pro malo*. Gregor. *hom.*5. *in Evang. Exteriora namque nostra Deo, quantumlibet parva, sufficiunt: cor namque non substantiam pensat*. Bernardus *Epist.* 77. *ad Hugonem Vict. Voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas*. Fundamentum præcipuum, & quidem verum, ut fatear, satis solidum, ac minime contemnendum est. Quia sicut tota libertas, ac moralitas, ita sane tota bonitas, & malitia moralis actui externo præcise communicatur ab actu interno: ergo huic ille nullam potest addere distinctam bonitatem, vel malitiam moralem. Sed

34 *Affirmativam*, ut probabiliorem, docet Scotus *in* 2. *d.*42. *qu.*4. & *Quodl.*18. *art.*3. cum suis omnibus. Alensis etiam *par.* 4. *qu.*77. *memb.*3. *art.*5. cum aliis. Favet S. Augustinus *lib.*13. *de Trinitate cap.*5. dicens: *mala voluntate sola quilibet miser efficitur: sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur. Profecto quamvis, & sic male volendo miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum, quæ perperam voluisset, habere potuisset*. Hæc Augustinus, manifeste loquens, non de miseria pœnali, quia qui malignum desiderium suum implere non potest, potius plus habet pœnæ, quam qui implere potest; sed de miseria culpæ: adeoque censet, actum externum superaddere actui interno aliquam malitiam, seu reatum culpæ, qua miserior fit, qui malum desiderium implet, quam qui implere nequit. Et tritum est illud Glossæ *in cap.*20. *Exodi*. Vers. *Non mœchaberis. Qui ergo opus adjicit voluntati, iniquitatem addit iniquitati*. Fundamentum oppositum est. Quia licet bonitas, & malitia moralis actus externi tota dependeat ab actu interno, revera tamen in actu externo distincta est a bonitate, ac malitia actus interni: Non enim solum efficaciter velle; sed etiam ipso facto v.g. orare, eleemosynam dare, martyrium subire &c. bonum est, & conforme rectæ rationi: nec solum efficaciter velle, sed etiam actu furari, occidere, mæchari, &c. malum est, & difforme rectæ rationi, ac legi divinæ: ergo cum actui interno accedit actus externus, accedit simul aliqua conformitas; vel difformitas ad rectam rationem, vel legem, & consequenter aliqua distincta bonitas, vel malitia formalis, ac voluntaria, etsi omnimodis dependens ab actu interno. Deinde per se, ex terminis, a ratione absonum videtur, non plus mereri apud Deum illum, qui ipsum opus bonum exequitur: v.g. martyrium ipso facto perfert, quam illum, qui martyrium sola voluntate efficaci desiderat. Et fatentur adversarii, actum externum martyrii mereri apud Deum præmium accidentale Laureolæ, quod non potest mereri solus actus internus, quantumvis efficax: sed nullum omnino præmium datur a Deo, nisi ratione alicujus bonitatis: ergo &c. Similiter a ratione alienum videtur tantumdem pœnæ demereri in foro Dei illum, qui solum efficaciter proposuit actum malum, homicidium, adulterium, furtum; ac illum, qui tale crimen actu perpetravit: & quod huic, etiam per se, & secluso damno proximi, vel scandalo, in confessione non sit injungenda major pœnitentia, quam illi: credo etiam adversarios majorem imponere pœnam ob mollitiem, fornicationem, ebrietatem &c. consummatam, quam solum efficaciter propositam, & impeditam. Patres in contrarium allati solum loquuntur de merito, & peccato, præmio, & pœna absolute sumptis, non autem comparative quoad quantitatem, ut sensus sit, hominem solo actu interno efficaci, cum non potest exire in actum externum, nihilominus mereri præmium, ac pœnam æternam, ac si opere complesset, non autem dicunt, quod tantumdem præmii, vel pœnæ mereatur. Qua ratione etiam explicari debet illud Jacobi 2. *Quicumque totam legem implevit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Intellige nimirum quoad substantiam reatus, & pœnæ, sine dubio non quoad quantitatem.

SECTIO VI.

De Regulis actuum humanorum.

Regula actionum humanarum: id nimirum, quo certificamur de rectitudine, vel obliquitate, seu de ipsa bonitate, vel malitia actionis humanæ, alia dicitur intrinseca, quæ scilicet reperitur in ipso operante; & est ipsum dictamen rectæ rationis, seu conscientiæ, jam late explicatæ, *cap.*1. per totum: alia dicitur extrinseca, quæ scilicet non est in ipso operante formaliter, sed eum extrinsece, & objective dirigit ad operandum, & sunt ipsæ leges divinæ, ac humanæ, ac tandem generalis, & ultimata est ipsa voluntas divina. De his hic generatim aliqua per quatuor Subsectiones ad praxim necessaria, atque utilia explicanda sunt.

SUBSECTIO I.

Quinam Actus humani cadant sub lege, vel præcepto humano.

SUMMARIUM.

35 *Humana lege, vel præcepto per se directe præcipi, vel prohiberi potest omnis, & solus actus humanus externus.*
36 *Bonus, vel malus moraliter, si non ex se, & ex objecto, saltem ex fine præcepti, utpote*
37 *Necessarius, vel ut plurimum valde utilis ad bonum commune, vel observantiam status cujuslibet Communitatis.*

ASSERTIO VI.

Lege, vel præcepto humano per se directe præcipi, vel prohiberi potest omnis, & solus actus humanus externus bonus, vel malus moraliter, fieri, vel omitti necessarius, vel ut plurimum valde utilis ad bonum commune, vel observantiam status cujuslibet communitatis, vel subditorum. Communis doctrina in materia de legibus.

§. I.

Omnis, & solus actus humanus externus: qui nimirum 35 supposito voluntario, ac libero sufficienti, & requisito ad actum humanum, actu externo sensibili consummatur: adeo ut nullus actus mere internus per se directe præcipi, vel prohiberi possit humana lege, vel præcepto. D. Thom. 1. 2. *qu.*91. *art.*4. & *qu.*100. *art.*9. *ac alibi* Navar. *cap.*13. *nu.*38. Suarez *l.*4. *de legibus cap.*12. Lessius *l.*2. *c.*37. *dub.*11. Tanner. *hic disp.*5. *dub.*2. Layman *cap.*4. *nu.*5. *Alii innumeri apud ipsos*. Quamvis alii contra sentiant apud Lessium *loc. cit.* nonnihil faventem. Ratio communiter assignata est: Quia humana potestate, lege, vel præcepto illud tantum potest præcipi, vel prohiberi directe, de quo homo humana virtute potest cognoscere, & judicare transgressores, punire, &c. Alioquin frustra feretur lex, vel præceptum Communitatis, si cognosci non posset, an serventur: atqui de actibus mere internis, quippe suapte natura insensibilibus, & latentibus nullus homo humana virtute cognoscere, vel judicare potest: juxta illud Reg. 16. *Homines vident ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor*. Et *c. erubescant d.*32. dicitur *Secretorum solus Deus cognitor, & Judex est*. Unde &c. *Sicut de simonia*, dicitur, *Ecclesiam non judicare de occultis*. Et ibidem *c. Tua nos*, inquit Innocentius Papa III. *Nobis datum est de manifestis solummodo judicare*; ergo tantum actus externi per se directe præcipi, vel prohiberi possunt, minime vero actus mere interni, ut sunt cogitationes, proposita, volitiones, & mere interno, & nullo signo, vel conatu sensibili exterius significata, vel manifestata, alioquin jam possent cadere sub legem, vel pœnam humanam, etiam effectu non secuto. Cæterum sermo est de legibus, vel præceptis humanis ex pura potestate gubernativa in subditos latis, & secluso voto obedientiæ. Prælatus

latus enim Regularis majori potestate pollet in suos subditos Religiosos ratione voti obedientiæ, quod, quia Deo principaliter fit, ad actum etiam mere internum se extendere potest, & quandoque etiam debet. Quia ergo Religiosus principaliter Deo vovit, obedire suo Prælato in omnibus, quæ secundum Regulam, & Ordinis consuetudinem præcipiuntur, quæque ad puram Regulæ, & Status sui observantiam conducunt, ideo Prælati regulares possunt etiam lege, vel statuto præcipere aliquos actus etiam mere internos; utpote orationem mentalem statis horis, examina conscientiæ, &c. utpote generaliter ad observantiam status religiosi summe necessaria. Item ut Sacrificia, orationes, jejunia Deo offerantur ad peculiarem aliquam intentionem: ut pro benefactoribus, specialiter commendatis &c. ita ut contraveniens peccet, etiam pro ratione materiæ, mortaliter. Nec est subtilizandum, an peccet contra præceptum, an potius occasione præcepti contra votum: hoc enim pejus illo.

§. II.

36 **B**Onus, *vel malus moraliter*. Intelligendum est, non quod actus omnis cadens sub præceptum, vel prohibitionem humanam, jam debeat esse bonus, vel malus secundum se ex objecto, & secluso præcepto, vel prohibitione humana; sed ita, ut saltem possit esse bonus, vel malus ex fine, propter quem præcipitur, vel prohibetur. Ut bene explicant *Cajetanus*, *Sotus*, *Valentia*, *alii cum Tamnero hic disp. 5. q. 9. dub. 2.* Itaque humana lege, vel præcepto præcipi, vel prohiberi possunt non tantum actus boni, & mali jam cadentes sub præcepto divino naturali, vel positivo: ut alienum restituere, a furto, latrocinio, adulterio, blasphemia abstinere, &c. cum nihil prohibeat idem pluribus legibus, vel titulis deberi, neque solum actus boni virtutum, alioquin liberi, ut jejunia, festa, auditio Missæ, sed etiam actiones de se indifferentes, præcipiuntur, vel prohibentur ad finem virtutis necessariæ Communitati, constituendo illas medium, & materiam talis virtutis, v. gr. ut publicæ preces tempore Paschali stando perficiantur: ne die festo Mercaturæ, vel Judicia exerceantur, ad finem virtutis Religionis, & Cultus Divini: ut die Veneris, & Sabbati carnibus abstineatur ad finem Temperantiæ, &c. adeo, ut qui contra fecerit, vere peccet contra Religionem, vel Temperantiam, quippe cujus intentione, & motivo actiones illæ, etsi de se indifferentes præceptæ sunt, vel prohibitæ. Nulla autem humana lege, præcepto, aut præcipi possunt actus mali, & lege divina naturali, vel positiva prohibiti, aut prohiberi actus boni lege divina in talibus circumstantiis præcepti: ut omnes consentiunt.

§. III.

37 **N**Ecessarius, *vel ut plurimum valde utilis ab bonum commune*, &c. Ratio est. Quia finis potestatis, legis, ac præcepti cujusvis humani est dirigere Communitatem, & subditos ordinare ad bonum commune, juxta cujuslibet statum, & obligationem: ideoque illa tantum recte præcipi, vel prohiberi possunt, & debent, quæ facere, vel omittere necessarium, aut valde utile est ad bonum commune &c. non autem illa, quæ huic fini necessaria, vel multum utilia non sunt. Hinc lege humana, ac lege Ecclesiastica, cujus finis est bonum commune spirituale animarum, præcipi, & prohiberi possunt ea omnia, quæ ad salutem animæ, & exactam observantiam mandatorum Dei necessaria, ac utilia sunt, utpote, aut ipsa præcepta divina exequendo, declarando, aut de se indeterminata determinando ad certum tempus, & modum, ut de Cultu divino, Pœnitentia, Eucharistia &c. aut alia ad observantiam mandatorum Dei necessaria, & utilia præscribendo, v. g. cæremonias sacras, jejunia &c. His enim quatuor finibus omnibus lex Ecclesiastica continetur. Similiter lege civili ea omnia, & sola præcipi, vel prohiberi possunt, quæ ad finem boni communis naturalis, seu temporalis felicitatis humanæ, pacis, & incolumitatis Reipublicæ, atque civium necessaria sunt, vel utilia, sive in materia justitiæ, sive aliarum virtutum, quæ non est hujus loci prosequi.

§. IV.

38 **V**El *ad observantiam status cujuslibet Communitatis*. Utpote peculiaris Religionis, Congregationis, Collegii &c. Ratio eadem est. Prælati ergo Religiosorum legibus, statutis, præceptis suis ea dumtaxat possunt præcipere, vel prohibere suis Religiosis subditis, quæ necessaria, vel ut plurimum valde utilia sunt ad observantiam status sui, & Regulæ, quam professi sunt. Non ergo possunt præcipere, ut arctius vivant, quam Regula postulet, vel ad ejus observantiam valde utile sit. Non possunt in communi præcipere opera mere supererogatoria, quantumvis bona, & meritoria v. g. ut toties in septimana jejunent, disciplinas faciant, & alia hujusmodi, quæ nec in eorum Regula continentur, nec ad ejus observationem conducunt. Multo minus poterunt præcipere opera ex objecto, & circumstantiis omnino indifferentia, atque inutilia. *Communis Doctrina D. Th. 2. 2. qu. 186. art. 9. Sylvester*, *Angelus*, *Layman*, *alii passim*. Quo spectat celebris sententia D. Bernardi, *l. de præcepto*, & *dispens. c. 8. Nihil præcipiat mihi Prælatus eorum, quæ non promisi: Nihil prohibeat eorum, quæ promisi: nec augeat, nec minuat votum meum sine mea voluntate*. Excipitur autem hic Religio Fratrum Minorum S. Francisci: cujus Regulæ speciale, & formale præceptum est, *c. 10. Præcipio firmiter Fratribus universis, ut obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino observare, ET NON SUNT CONTRARIÆ ANIMÆ SUÆ, ET REGULÆ NOSTRÆ*. Adeo ut nobis possint præcipere ea omnia: & nos teneamur obedire in omnibus illis, quæ non sunt *contra animam*, seu Conscientiam, & *Regulam*. Ita expresse declarant Summi Pontifices, Martinus V. & Leo X. in suis constitutionibus. Hujus verba sunt: *Volumus*, & *mandamus*, *prout in dicta Regula continetur, ut omnes*, & *singuli Fratres*, *in omnibus*, *quæ non sunt contra Deum*, *animam suam*, & *Regulam Fratrum Minorum*, *teneantur obedire*. Arctissima ergo est obedientia Fratrum Minorum: unde quod in aliis Religionibus non posse fieri dictum est; in hoc Ordine etiam opera mere supererogatoria, aut indifferentia præcipi possunt. Quinimo eadem illa opera, quæ in aliis Religionibus sunt supererogatoria, aut indifferentia, quia ad observationem eorum status non conducunt, in nostro Ordine supererogatoria, vel indifferentia non sunt, sed omnia valde utilia ad perfectam observationem Regulæ, quoad obedientiam perfectissimam in ea præceptam: adeo ut etiam teneamur obedire in iis, quæ ad solum perfectæ obedientiæ exercitium, & omnimodæ abnegationi propriæ voluntatis conducunt: qualia sunt etiam opera supererogatoria, atque indifferentia; quippe quæ etiam sunt ex *OMNIBUS*, *quæ non sunt contra animam*, & *Regulam nostram*. Immo, quo minus sæpe opus injungitur, eo magis conducit ad exercitium perfectæ obedientiæ, & abnegationis propriæ voluntatis. Lege *Franc. Mayron. Quodl. 12. concl. 15.*

SUBSECTIO I.

Qualiter Actus interni cadant sub humana lege, vel præcepto.

SUMMARIUM.

39 *Lege humana indirecte etiam præcipi, vel prohiberi possunt actus interni ad substantiam moralem exteriorum necessario requisiti*, in genere, *vel*

40 In specie: *ut intentiones, v. g. ut in contractibus, administratione*, & *susceptione Sacramentorum, in oratione*, & *cultu divino*.

41 Et singulariter *gravis est quæstio, an ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ in dicendis Horis, audienda Missa* &c. *requiratur ad substantiam orationis interna intellectus attentio*.

42 *Ubi sine dubio verior*, & *in praxi omnino consulenda est sententia affirmativa*.

43 *Negativa tamen est etiam multorum (ab extrinseco saltem practice; ab intrinseco vero solum speculative) probabilis*.

44 *Alii autem actus interni cum externis nullam necessariam connexionem habentes, humana lege præcipi, vel prohiberi non possunt*.

ASSERTIO VII.

HUmana lege, *vel præcepto indirecte etiam præcipi, vel prohiberi possunt actus interni, qui* & *quatenus requiruntur ad actuum externorum directe præceptorum, vel prohibitorum moralem substantiam in genere, vel in specie: non item aliis*. Ita communior, & sine dubio verior sententia Theologorum, quos una cum Adversariis recitabo infra §. 3.

§. I.

IN *genere*. Omnis lex præcipiens, vel prohibens aliquem actum, necessario indirecte saltem etiam præcipit, vel prohibet omnia necessario requisita ad moralem substantiam illius actus: Atqui omnis humana lex, vel præceptum necessario solum præcipit, ac prohibet actus humanos voluntarios, ac liberos, ad quorum moralem substantiam *in genere* necessario requiruntur actus interni voluntatis, seu voluntas, & propositum talem actum externum faciendi, vel omittendi, qui actus interni sunt forma essentialis, ac principium formale actuum humanorum externorum, ut humani, 39

ni, ac liberi sunt, secundum omnes: ergo præcipiens, vel prohibens actus humanos externos, etiam indirecte præcipit, vel prohibet illum actum internum, seu voluntatem, & propositum talem actum externum faciendi, vel omittendi: quod quidem esse extra controversiam fatetur in aliis contrarius *Vasq. disp.* 160. *n.* 10. Exempli gratia Ecclesia die festo præcipiens audiendum Sacrum, vel aliud opus externum, consequenter indirecte etiam præcipit voluntatem, ac propositum audiendi Sacrum, vel aliud opus externum exequendi, adeo ut qui deliberate nollet audire, seu haberet propositum non audiendi Sacrum, revera peccaret mortaliter contra legem Ecclesiæ. Similiter Ecclesia prohibens die Veneris comedere carnes, consequenter indirecte etiam prohibet voluntatem, ac propositum edendi carnes, adeo ut qui die Veneris solum absolute, & efficaciter vellet, vel proponeret comedere carnes, revera peccet contra legem Ecclesiæ mortaliter. Unde *c. Nulli d.* 19. dicitur. *Nulli fas est velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta.* Ubi adverte pro his, & sequentibus omnibus, *semel pro semper*, quantum ad praxim in ordine ad forum conscientiæ, omnino perinde esse, sive dicatur actus illos internos præcipi, vel prohiberi indirecte a lege humana, an vero, posita lege humana, a lege divina naturali, vel positiva, quod contrafaciens peccet contra legem humanam, an occasione legis humanæ contra legem divinam naturalem, vel positivam. Sufficit certum esse, occasione legis humanæ etiam interno actu peccari mortaliter, quomodocumque tandem in foro conscientiæ. In ordine autem ad forum, & judicium externum Ecclesiæ non posse peccari solo actu interno nimis quam notum est.

§. II.

40 IN *specie*. Humana lex, vel præceptum præcipiens actus humanos externos, consequenter indirecte etiam præcipit illos actus internos, qui ad moralem substantiam actuum externorum *in specie* necessario incurrunt, ut sunt peculiares intentiones actuum. Exempla sunt. I. *In Contractibus*. Potestas Ecclesiastica, vel civilis juste præcipiens aliquem conntractum, v. g. ut, qui Virginem defloravit, eam aut ducat, aut dotet, &c. consequenter indirecte etiam præcipit actum, seu consensum internum, atque intentionem sese obligandi necessario requisitam ad substantiam moralem talis contractus in specie. Quis enim neget Ecclesiam, vel Rempublicam posse præcipere suis subditis, ut vere, & non ficte, seu fraudulenter contrahant? cum ad utramque gubernationem, ac commune bonum maxime pertineat, ut contractus veri, & non ficti, vel fraudulenti fiant, adeoque cum vero interno consensu, ac intentione requisita ad substantiam contractus. II. *In administratione Sacramentorum*. Quicumque lege, vel præcepto Superioris jubetur Sacramentum ministrare, baptizare, absolvere, celebrare, &c. eo ipso indirecte jubetur, & sine dubio tenetur habere intentionem baptizandi, absolvendi, consecrandi, &c. quia ejusmodi intentio est de intrinseca substantia operis præcepti, sine qua non Sacramentum, sed sacrilegium fieret, secundum omnes. III. *In susceptione Sacramenti*. Lex Ecclesiastica præcipiens fidelibus annuam Confessionem, consequenter etiam indirecte præcipit actum internum doloris, ac propositi emendationis: item expressionem omnium peccatorum, etiam mere internorum, atque occultissimorum. Quis enim dicat satisfacere præcepto annuæ Confessionis in conscientia eum, qui ficte, vel non integre confitetur? aut quid juvat dicere cum Adversariis, eum quidem satisfacere præcepto Ecclesiæ, attamen peccare mortaliter contra præceptum divinum de integritate Confessionis? prout supra generaliter advertimus. IV. *In oratione, & cultu divino*. Præceptum Ecclesiasticum de audienda Missa Dominicis, & festis diebus ab omnibus fidelibus, & recitandis Horis Canonicis a Clericis, Beneficiatis, Religiosis, omnino indirecte etiam præcipit actum internum devotionis alicujus saltem ex parte voluntatis, ut nimirum Missa audiatur, Horæ recitentur cum pia intentione aliqua explicita, vel implicita ea actione, vel recitatione colendi Deum: ea enim intentio pia est de intrinseca substantia operis præcepti. Præcipitur enim actus Religiosus verus, verus cultus Dei, vera oratio, atqui sine actu interno devotionis, seu piæ intentionis ad colendum Deum nullus est actus Religiosus, nulla oratio, nullus cultus Dei verus, sed fictitius, & mortuus omnis actus externus, sicut homo sine anima mortuus est. Quis autem neget Ecclesiam præcipere posse suis Ministris, & fidelibus, ut vere, & non simulatorie Sacramenta ministrent, & suscipiant, vere, & non simulatorie orent, & Missas audiant, ac psallant? Atque in his terminis, & quantum ad intentionem colendi Deum, puto rem esse certissimam apud omnes, ea solum inutili quæstione de modo loquendi, an ea obligatio sit ex vi præcepti humani, an potius ex jure divino, supposito præcepto humano, quæ nihil ad rem, ut supra generatim advertimus. Sed hic ulterius.

§. III.

SIngulariter, quæstio, & controversia gravissima est de attentione ex parte intellectus (a nobis jam fuse deducta *in* 1. *p. Theol. Sacr. tr. append. de Horis Can. sect.* 2. *a n.* 72. *per tot.* hic tamen in gratiam Lectoris ob quotidianum usum breviter repetenda.) Utrum nimirum ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico de recitandis Horis, Missa audienda, &c. requiratur non tantum intentio voluntatis interna ad colendum Deum, sed etiam attentio intellectus ad rem præsentem, utpote in recitationem Horarum ad verba recitanda, vel ad sensum, vel ad mysteria, vel saltem ad finem Deum, in auditione Missæ ad actiones celebrantis, & ad mysteria, vel saltem ad finem Deum; excludendo voluntarias distractiones mentis ad alia objecta his adversantia: adeo ut voluntarie distractus toto, vel notabili tempore non satisfaciat, sed mortaliter peccet contra præceptum Ecclesiæ: in qua quidem magni momenti quæstione: 41

Supponendum ut certissimum, quod Ecclesia præcipiens suis recitationem Horarum Canonicarum Ministris, præcipiat veram orationem, verum cultum divinum, seu verum actum Religionis, quo Deus vere colatur (eadem est ratio de auditione Missæ.) Ratio inter alias solida est. Quia Ecclesia illo præcepto per se, & principaliter intendit satisfacere duplici suæ obligationi. I. Obligationi generali Religionis, scilicet colendi Deum nomine totius populi Christiani. II. Obligationi speciali justitiæ seu intentioni Fundatorum: Atqui ipsa Ecclesia sine dubio tenetur colere Deum vero cultu Religionis externo, atque interno, cui obligationi intendit satisfacere præceptorie deputando certos Ministros, qui ipsius, & totius populi Christiani nomine, per officia a se instituta, statis temporibus Deum colant, atque intentio Fundatorum Ecclesiarum, ac Beneficiorum sine dubio fuit, ut Deus vero cultu Religionis, vera oratione, ac Laude divina colatur, cui etiam obligationi Ecclesia absolute tenetur, & suo præcepto intendit satisfacere per Horas Canonicas rite a suis Ministris persolvendas: ergo Ecclesia præcipit veram orationem, seu verum cultum divinum, & consequenter non solam externam materialem pronunciationem verborum quantumvis accuratam, quæ sine omni interno actu vera oratio, seu verus cultus divinus dici nullo modo potest. Sane liquida sunt verba Præcepti *c. Dolentes: Districte præcipientis in virtute sanctæ obedientiæ, ut Divinum Officium diurnum pariter, ac nocturnum, quantum illis Dominus dederit,* STUDIOSE *celebrent, &* DEVOTE. Ubi significanter Glossa. STUDIOSE *quoad officium oris*, DEVOTE *quoad officium cordis*. Unde neminem reperi, qui negaret ad satisfaciendum præcepto requiri aliquam internam devotionem voluntatis, seu intentionem ad colendum Deum. Ubi jam advertis ab omnibus concedi aliquem actum internum per se requisitum ad actum externum præceptum cadere sub præcepto humano. Controversia ergo fundamentalis esse debet, utrum etiam attentio intellectus sit de substantia veræ orationis, seu veri divini cultus, ut proinde indirecte etiam cadat sub præcepto præcipiente veram orationem, verum cultum divinum. His ita positis,

Sententia affirmativa, & sine dubio verior est D. Thomæ *in* 4. *d.* 15. *q.* 4. *art.* 2. Navarr. *c.* 14. *de Oratione n.* 19. Sotus, Cajetanus, Sylvester, Azorius, Suarez, Lessius, Layman, Caspensis, alii, & ex professo solide meus Marchant. *Tribun. p.* 2. *tr.* 2. *p.* 2. *tit.* 3. *sect.* 4. *q.* 1. Fundamentum est. Quia Ecclesia potest præcipere actum internum saltem indirecte, quoties actus internus est de substantia actus externi per se præcepti, ad hoc ut sit actus virtutis, & idoneus ad finem præcepti supernaturalem; atqui attentio interna est de substantia veræ orationis, seu veri cultus divini, qualem præcipit Ecclesia: ergo, &c. Hanc Sententiam ut verissimam, & omnino veram amplector, atque ita *confirmo a priori*. Ex Communi Doctorum Sententia, & omnium sensu, in omni oratione jure divino naturali requiritur attentio interna, adeo ut omnis voluntaria distractio in oratione proprie dicta, sit aliquod peccatum, non quidem nisi veniale, quando oratio non est obligatoria, nisi forte sub veniali: mortali autem, quando oratio jure divino esset obligatoria sub mortali, ut nominatim fatentur *Valentia tom.* 3. *disp.* 6. *qu.* 2. *p.* 6. *de Religione lib.* 3. *c.* 4. *Lessius lib.* 2. *de Justit. cap.* 37. *dub.* 11. Quod ergo sit aliquod jus divinum obligans ad orationem, seu cultum divinum, de se tamen indeterminatum, sed determinandum ab Ecclesia quoad modum, & tempus, utique ipsum jus divinum, ut sic determinatum ab Ecclesia adhuc obligabit sub peccato, etiam mortali ad attentionem internam; atqui Ecclesia sub præcepto obedientiæ præcipiens suis Ministris, ut Horas Canonicas tamquam veram orationem, & cultum divinum, *studiose celebrent, & devote*, est mera executrix, & determinatrix juris divini naturalis de colendo Deo, satisfaciendo fundationibus ad divinum officium factis, utrumque enim est juris naturalis, hoc justitiæ, illud Religionis: ergo

præceptum illud saltem indirecte, & vi legis divinæ latentis determinatæ vere obligat sub peccato, & quidem in materia tam gravi, mortali ad attentionem internam. Nihilominus *Sententia negativa* etiam multorum est, & satis gravium Doctorum. *D. Antonini, Durandi, Paludani, Medinæ, Sylvestri, Tabienæ, Rosellæ, Angeli, aliorum, quam novissime late asserunt præter alios Diana par.1. de Horis res.2. Caramuel in Regulam S. Benedicti a n.13. v.3. Jo: de Lugo de Eucharistia disp.22. sect.2. Tambur. Decal. l.4.c.2.§.1. a n.19. Et opusc.3. de Sacrific. Missæ lib.2.c.5.* Fundamentum est, quia Ecclesia non potest præcipere, vel prohibere actus mere internos, saltem ad substantiam moralem actus externi per se præcepti non requisitos. Supponunt attentionem non esse de substantia veræ orationis: & sane Auctores modo allegati variis rationibus speculative optime defendunt, & confirmant, ut fateri cogar doctrinam hanc, non tantum extrinsece ab Auctoritate, sed etiam intrinsece a ratione omnino esse probabilem speculative. At vero practice veram orationem, quæ sit verus Dei cultus cum sincera intentione colendi Deum, cum vera devotione, seu elevatione mentis in Deum, denique Religiosum cum Deo colloquium consistere posse absque omni attentione interna in homine, qui voluntarie distractus circa objecta quælibet etiam mala, ne quidem de Deo cogitare vult, non patiar mihi persuaderi in æternum nec quæso, tibi persuaderi sine, Religiose Lector. Repugnat sane in Scriptura Sacra optime fundatus sensus Sanctorum Patrum, & Piorum omnium. Audias aureum D. Jo: Chrysostomum *hom.79. ad Pop. Antioch.* in hæc omnino verba differentem. *Quæ enim excusatio, aut venia dabitur nobis, si cum amicis loquentes adsumus animo, mentemque adhibemus: cum Deo vero colloquentes animo in rebus indignis peregrinamur? Possetque tam fœda, ac turpis esse peregrinatio illa mentis, ut duplicis sceleris, seu lethalis culpæ labem haberet: Unam verbi causa, cogitati, optatique stupri, seu homicidii, alteram insignis injuriæ, qua Divinæ Preces, Psalmi, Sacræque Scripturæ verba tunc afficiuntur.* Hæc Sanctus loquens de oratione in genere, quid dicturum putas de ipso Officio divino?

§. IV.

44 NOn item alii. Actus nimirum interni, qui cum actibus externis præceptis, vel prohibitis nullam omnino necessariam connexionem habent, neque ad eorum substantiam moralem ullo modo concurrunt, nulla humana lege, vel præcepto præcipi, vel prohiberi possunt: Non enim directe, ut probatum est *n.35.* Neque indirecte ratione actus externi præcepti, vel prohibiti, quippe cum quo nullam necessariam, vel moralem connexionem habere supponuntur, sed manent æque occulti, ut nullo modo actu externo prodantur, ac si nullum omnino respectum ad actus externos haberent. Non ergo ab homine præcipi, vel prohiberi potest, ut quis jejunet v.g. ex interno amore ad talem Sanctum: ne quis domo egrediatur ex interno affectu pravo fornicationis v.g. vel homicidii. Quia illi actus interni cum externis nullam omnino connexionem habent, nec ratione actuum externorum se produnt, ut cognosci possint. Potest tamen lege, vel præcepto humano imponi pœna excommunicationis, v.g. in foro conscientiæ incurrenda ob factum externum supposito certo actu, vel intentione interna tamquam conditione *sine qua non*, non tamquam materia præcepta, vel prohibita. Sic in Jure Canonico *Clem.1.* excommunicantur Inquisitores, qui ex odio, gratia, avaritia omittunt contra aliquem procedere in causa fidei. Et *Clem.1. De statu Monachorum* excommunicatur Monachus Benedictinus, qui sine licentia Præpositi animo accusandi illum ad Curiam Regiam se confert. Et *c. commissa de electionibus in 6.* constituitur, ut qui Parochialem Ecclesiam obtinuerit, sine voluntate ascendendi ad Sacerdotii Ordinem, beneficium ipso jure amittat, & fructus non faciat, &c. Sed de his raro contingentibus vide *Suarez l.4. de Legib. c.13.* Et *l. de Censur. disp.4. sect.2. & ex ipso Laym. cit. supra.* Verum alia hic emergit celebris, & ad praxim utilissima quæstio, digna ut ei fiat

SUBSECTIO I.

Quali intentione actus humanus conformari debeat legibus, & præceptis. SEU. *Qualis intentio requiratur ad impletionem cujuscumque legis, vel præcepti.*

SUMMARIUM.

45 *Ad legem, vel præceptum quodvis implendum ordinarie necessaria est intentio faciendi ipsum opus præceptum.*
46 *Exceptio late patens, in foro præsertim externo.*
47 *Non tamen requiritur intentio satisfaciendi præcepto.*
48 *Resolvuntur exinde varii casus.*
49 *Nec etiam requiritur intentio finis præcepti.*
50 *Sicuti nec intentio applicandi fructum, vel effectum operis præcepti;* per se loquendo, & secluso voto, vel contractu.

ASSERTIO VIII.

AD implendam legem, vel præceptum quodcumque necessaria est intentio faciendi ipsum opus præceptum: non item intentio satisfaciendi præcepti: non intentio applicandi fructum, seu effectum operis præcepti per se, & secluso voto, vel contractu. Hæc tota sequitur ex assertione præcedenti. 45

§. I.

NEcessaria est intentio faciendi ipsum opus præceptum. Hoc est, ut quis voluntarie exerceat, adeoque velit, ac intendat exercere talem actum, seu tale opus, quale præceptum est. Quod si ergo quispiam faciat opus præceptum, v.g. Missæ intersit, Horas recitet, &c. 1. Materialiter tantum absque omni intentione, vel voluntate faciendi opus pium, vel colendi Deum eo opere: 2. Dormiens in somnio: 3. Plene ebrius: 4. Simpliciter involuntarius, ac invitus, quippe coactus, vel vi detentus in loco Missæ, vel concionis, &c. Talis nullo modo satisfaceret præcepto, sed aliam Missam audire, vel Horas repetere obligatus manet. Certum apud omnes teste L. Gaspensi hic *disp.3. sect.5. initio.* Marchant. *Tribun. p.2. tr.1. tit.7. q.4. in Corollario.* Ratio supra data est. Quia ad implendum præceptum requiritur quidquid est de substantia præcepti: illud autem est de substantia præcepti, quod est de intrinseca ratione operis præcepti, seu quod ad moralem substantiam operis præcepti necessario requiritur. Atqui de intrinseca ratione operis præcepti est intentio, seu voluntas faciendi ipsum opus, quod præcipitur: cum omni lege, vel præcepto, utique præcipiatur actus humanus voluntarius, qualis esse nullo modo potest sine dicta intentione: ergo quicumque non habet, vel etiam non habere potest dictam intentionem faciendi opus præceptum, ut in allatis exemplis, revera non implet, nec satisfacit præcepto, plusquam bestia aliqua. Sicut enim nullum præceptum violari potest nisi per actionem, vel omissionem humanam liberam, ita neque impleri poterit, nisi per actum humanum liberum. Dixi *ordinarie*. Nam quoad forum externum præsertim potest esse.

Exceptio late patens. Potest enim satisfieri legi, vel præcepto humano. 1. Omissione involuntaria operis prohibiti: v.g. Titius præ inopia, vel violentia impeditus die Veneris comedere carnes, cum maxime vellet, adhuc satisfacit præcepto, quantum ad principale intentum omissionis, adeo ut etiam evitet pœnam ob esum carnium forte decretam. Quia licet adhuc peccet secundum internum affectum indirecte prohibitum a lege, non tamen secundum externum effectum, & consummationem operis prohibiti sub tali pœna. *Communis Doctrina*. 2. Satisfit involuntaria solutione debiti realis: Ut, qui quomodolibet involuntarius v.g. decimas Parocho præbet, tributum solvit, debitum domino reddit: præcepto satisfacit, ac pœnam in non solventes decretam evadit. Quia in debito reali principaliter attenditur res præstanda, quomodocumque præstetur. In debito autem personali; ut in auditione Missæ, &c. principaliter attenditur actio exercenda ab homine, utpote modo humano, & voluntario. *Sotus, Suarez, Sanchez, Azorius, alii cum Layman hic cap.4. n.9.* 3. Qui ex metu quocumque facit opus præceptum debite, alioquin non facturus: ut si metu pœnæ a carnibus abstineas: si puer metu verberum die Dominico Missam debite audiat, &c. alias non facturus, talis satisfacere, ac formaliter implere præceptum censendus est: Quia simpliciter vult, & intendit facere opus præceptum, etsi non sine involuntario mixto secundum quid: quia nimirum non vellet, nisi metus urgeret. Vide dicta *supra c.2. n.49. 50.* 4. Quin etiam si metus esset causa principalis faciendi opus præceptum, v.g. puero metus verborum audiendi Missam, ita ut positive nollet, seu expressam intentionem haberet non audiendi Missam, nisi parens, vel præceptor adesset, interim tamen devote audiat, revera satisfacit, quia implet totum opus ab Ecclesia præceptum scilicet attentam, ac religiosam auditionem Missæ, ita ut postea aliam Missam audire non teneatur. Quamvis adhuc simul peccet peccato interno commissionis contra præceptum Ecclesiæ, quatenus directe præcipiens auditionem Missæ voluntariam, indirecte simul prohibet voluntatem, & propositum contrarium non audiendi Missam: juxta dicta supra *nu.39. & 40.* Similis casus est, si oblectatio piscium sit causa motiva principalis jejunandi, ita ut si tamen boni pisces non adessent, nollet quis simpliciter jejunare. Et simili ratione adhuc peccat, qui post legitime impletum præceptum postea malitiose dolet se v.g. Missam audivisse, carnibus abstinuisse.

§. II.

§. II.

47 *Non item intentio satisfaciendi præcepto* requiritur ad implendam legem, vel præceptum. *Contra Navarrum, Medin. Azorium, alios communior sententia*. Suarez *l.* 4. *de horis c.* 26. Vasquez 1. 2. *qu.* 100. *art.* 9. Sanchez *l.* 1. *Moral. c.* 13. Layman *c.* 4. *nu.* 7. *alii apud ipsos*. Ratio est: Quia intentio, seu voluntas satisfaciendi præcepto est actus internus non habens necessariam connexionem cum opere præcepto: non ex natura ipsius operis, ut constat; neque ex vi ipsius præcepti, quia lex, vel præceptum quodcumque solum præcipit voluntariam operis executionem, ut nimirum voluntarie facias id, quod præceptum est, v. gr. devote Missam audias, &c. minime vero peculiari actu quasi reflexo velis, vel intendas satisfacere ipsi legi, vel præcepto, vel explicita voluntate, ideo velis exercere tale opus, quia præceptum est, quod sæpe imperfectionis est, & animi servilis. Facere autem opus simpliciter, quia bonum est, est perfectionis: quo sensu intelligi potest dictum Apostoli, 1. Tim. 1. *Lex justo non est posita, sed injusto*. Quia nimirum justus fertur in opus legis, animo spontaneo, & amore boni, non timore præcepti. Unde resolvendi casus.

48 I. Si die Dominica, sola privata devotione ductus audias Sacrum, aut non recordans diei Dominicæ, aut nihil cogitans de obligatione, adeoque absque omni positiva intentione satisfaciendi præcepto; nihilominus satisfacis, quia totum opus lege præceptum implevisti: nec postea recordatus diei, vel obligationis, teneris aliam Missam audire. Qua eadem ratione, eximendus scrupulus illis, qui tempore Paschali ordinaria pietate confitentur, & communicant, nihil cogitantes de tempore, & obligatione præcepti, postea vero recordantes putant se non satisfecisse, cum tamen revera opus præceptum impleverint. Unde neque postea tenentur elicere novam intentionem, qua velint satisfactum per priorem actum, in quo ipsi non tenebantur habere talem intentionem, sed sufficit, quod mutata priori persuasione, judicent se jam satisfecisse priori actu. Alioquin quamdiu manerent in opinione, quod non satisfecerint, utique ratione conscientiæ erroneæ tenerentur adhuc satisfacere, denuo Missam audiendo, confitendo, communicando: at non ratione præcepti.

II. Quin etiam, si quis implens opus præceptum, v. gr. Dominica die Missam audiens, haberet actualem intentionem, ea Missa non satisfaciendi præcepto, sed privatæ devotioni, attamen positive non excludens voluntatem satisfaciendi præcepto, quia proponit postea interesse summo Sacro, &c. Idemque est, si quis simili animo confiteretur, & communicaret in festo Annunciationis Beatæ Virginis Mariæ incidente tempore Paschali, volens iterum confiteri ratione præcepti in Paschate, &c. uterque vere satisfecit, ut non teneatur ad secundam Missam, Confessionem, Communionem, eademque est ratio in Horis. Ut si quis cum infirmo, hospite, vel alio legit Horas Canonicas, minime intendens tunc satisfacere obligationi suæ, sed volens postea denuo dicere in Choro, si sciat, se prima vice sufficienter dixisse, satisfecit, nec repetere tenetur. Similiter scrupulosus inter recitandas horas involuntarie distractus, habet pro non recitatis, & proponit postea repetere: dummodo certo non constet distractiones fuisse voluntarias, non tenetur, immo prohiberi debet postea repetere. *Ex communi Layman. Marchant. cap. cit.* quamquam, excepto scrupulo non pauci contradicant. Ratio omnium est. Quia obligatio legis, & præcepti præcise, pendet ex voluntate Superioris, Legislatoris, seu Præcipientis: unde non est in potestate inferioris prorogare obligationem legis, vel præcepti, aut facere, ut lex, vel præceptum adhuc obliget, postquam opus præceptum reipsa quoad substantiam impletum est: atqui in casibus propositis, & similibus supponitur opus præceptum jam priori actu reipsa impletum esse quoad substantiam: ergo tu inferior tua voluntate pro tunc non implendi, sed postea alio actu, non potes facere, ut revera non impletum sit, sed adhuc obliget præceptum: nec consequenter amplius teneberis, dummodo persuasionem illam erroneam deponas, ut casu priori jam monitus fuisti.

III. Qui facit opus præceptum positive excludendo intentionem satisfaciendi, atque adeo cum positiva contraria voluntate simpliciter non satisfaciendi præcepto: v. g. die festo audit Sacrum ita affectus voluntate: *Nolo hac Missa implere præceptum Ecclesiæ*, idque absque omni proposito, vel spe postea implendi alio Sacro, atque in ea voluntate persistens, tempus implendi præceptum effluere sinit, is affectu interno, & formaliter sine dubio non satisfacit præcepto, sed peccat mortaliter peccato interno commissionis, nimirum formalis inobedientiæ, ac contemptus ipsius præcepti, saltem contra legem divinam naturalem prohibentem, nolle justis legibus, ac præceptis Ecclesiæ obedire; is tamen nihilominus in effectu impleret præceptum Ecclesiæ de audienda Missa, ut simpliciter de peccato omissionis contra præceptum Ecclesiæ argui non possit: quia supponitur opus præceptum secundum substantiam implevisse, & sua nolitione contraria non potuit efficere, ut præceptum revera, & in effectu impletum non sit. Unde neque tenebitur postea audire aliam Missam, saltem si intra tempus, quo præceptum adhuc impleri posset audiendo aliam Missam, intentionem suam referret ad prius auditam Missam, volendo per illam præcepto Ecclesiæ satisfactum, ut cum Suarez, & aliis exigunt Caspensis *cit. disp.* 3. *sect.* 5. Marchant. *Trib. p.* 2. *tr.* 1. *tit.* 7. *qu.* 4. *in Corollario*. Quod tamen ipsum non necessarium esse ad implendum præceptum Ecclesiæ, quippe jam in effectu, & substantia impletum, sed solum ad emendandum illud aliud peccatum internum maligni affectus inobedientiæ, recte consequenter *cum Sanchez, Salas*, aliis docuit Card. de Lugo *de Eucharistia disp.* 22. *sect.* 2. *nu.* 21. ex quo Busembaum *lib.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *dub.* 4. Eadem porro ratio est in aliis legibus, & casibus similibus. At

IV. Non omnino eadem est ratio de obligatione ex voto, vel promissione. Quod si enim quis obligatus voto recitandi Rosarium, immemor voti, & obligationis suæ, ideoque sine intentione satisfaciendi, recitet devote Rosarium, adhuc satisfacit sicut & is, qui alteri promisit donare rem quampiam, si postea immemor promissionis suæ donet, obligatione liberatur, eadem ratione de lege, vel præcepto *supra casu* I. dictum est. Vide etiam dicta *c.* 1. *n.* 90. At vero, si recites Rosarium cum positivo animo tunc non implendi votum, quia proponis postea implere, vel omnino non vis implere, simpliciter non solvis, sed denuo teneris recitare ad implendum votum. Sicut etiam, si debito pecuniario adstrictus, creditori dans pecuniam, significes, te pro tunc nolle solvere debitum, sed gratis donare, manebis obligatus adhuc solvere. contra quam de lege, vel præcepto dictum est *casu* II. & III. Ratio disparitatis est. Quia obligatio legis, vel præcepti præcise pendet a voluntate Superioris præcipientis, non autem inferioris, in cujus proinde potestate non est extendere obligationem ultra intentionem obligantis, seu præcipientis, qui hoc solum præcepit, ut opus præceptum fiat, quo facto, obligatio extincta manet: at vero obligatio voti, & cujuscumque promissionis, præcise provenit ex voluntate, & intentione ipsius voventis, vel promittentis; qui, sicut ab initio libera voluntate, & arbitratu suo, debitorem se constituere potuit, sic etiam in debito, seu obligatione sponte suscepta, libera voluntate, & arbitratu suo perseverare potest: ideoque faciens opus cum intentione pro tunc non implendi votum, vel promissionem suam, manebit obligatus, sicut antea, uti contra Sanchez, & alios rectius resolvunt *cum aliis* Suarez *l.* 4. *de Horis c.* 26. Layman *hic l.* 1. *tr.* 4. *c.* 4. *n.* 7.

§. III.

Non intentio finis præcepti, seu a præcepto intenti requiritur, ad implendam legem, vel præceptum, neque adeo obstat intentio alterius finis, vel circumstantiæ pravæ, sed impleto opere præcepto, modo ex objecto, & secundum speciem bono, etiamsi ex fine, vel circumstantia vitiato, præceptum tamen impletum manet. Communis Doctrina ex S. Thoma 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. & 10. Ratio est: Quia lex, vel præceptum humanum solum præcipit actum secundum substantiam bonum, non autem præcipit modum actus, maxime internum, qui ad substantiam actus non necessarius, sed omnino extrinsecus est: atqui intentio finis præcepti est actus omnino internus, & ad substantiam actus minime necessarius; ergo non requiritur ad impletionem præcepti, & juxta commune dictum: *Finis præcepti non cadit sub præceptum*. Exempl. grat. Præcepti Ecclesiastici de jejunio finis est refrænatio gulæ, & concupiscentiæ, ut caro spiritui subjiciatur: Satisfacit huic præcepto, qui voluntarie debito modo jejunans, non tantum ejusmodi finem positive minime intendit, sed etiam qui intenderet oppositum finem pravum, ut si jejunet ad vanam gloriam, vel ut gulam piscibus oblectaret, aut vino, quod jejunantibus daretur. Similiter, qui die Dominica Sacro cum debita intentione, & attentione assisteret, satisfacit præcepto Ecclesiastico, etsi propter alium finem, vel circumstantiam malam, puta vanam gloriam, ut oculos luxuriose pascat, ut quidpiam furetur, &c. peccaret etiam mortaliter contra aliam legem divinam. Ex communi Sanchez *l.* 1. *Moral. c.* 14. Layman *cit. n.* 5. Lugo *cit. sect.* 2. *n.* 23. Caspensis *cit. sect.* 6. Addentes eadem ratione impleri votum, vel juramentum Deo factum, & pœnitentiam Sacramentalem: actu scilicet secundum speciem bono, etsi aliunde ex fine, vel circumstantia vitiato, & peccaminoso. 49

§. IV.

Non intentio applicandi fructum, vel effectum operis præcepti, requiritur ad implendum præceptum, neque 50

que præcipi potest ulla lege, vel præcepto humano, verb. grat. ut Missæ, orationes, jejunia, aliaque opera pro hac, vel illa intentione fiant: *per se, secluso contractu, vel voto.* Communis. *Suarez l. 4. de leg. c. 13. n. 16.* Layman *alii supra.* Ratio sæpe dicta est. Quia ejusmodi intentiones sunt actus omnino interni, nullam cum actibus externis habentes moralem connexionem per se secluso contractu, vel voto. Alioquin Sacerdos, hoc ipso, quo suscipit Beneficium, Capellaniam, aliudve Officium Ecclesiæ, in qua Missæ ad certas intentiones v. g. pro fundatoribus, pro Familiis, in honorem certorum Sanctorum celebrari debent, vel solent, pacto, vel contractu, saltem implicito se obligat ad Sacra celebranda cum tali intentione, juxta præceptum, vel dispositionem Superioris Ecclesiastici. Similiter Religiosus, hoc ipso, quo professus est Religionem in aliquo Ordine, vel Monasterio, in quo Missæ, orationes, jejunia, aliaque pia opera ad certas intentiones pro Fundatoribus, Benefactoribus &c. applicari solent, & debent, etiam implicite promisit, & se obligavit Superiori obedire, si ejusmodi intentiones præcipiat. Quemadmodum enim Superior redditus, & eleemosynas a Fundatoribus, seu Benefactoribus collatas, in commune proportionaliter distribuere debet; ita etiam obligationem naturalem pro iisdem sacrificandi, orandi, &c. inter Religiosos proportionaliter distribuere potest, & debet: adeo ut Religiosus juxta intentionem a Superiore præfixam non celebrans, orans, &c. graviter peccet pro ratione materiæ, non tantum contra legem naturalem gratitudinis erga Benefactores, sed etiam contra obedientiam erga Superiores, qui ratione voti obedientiæ disponere possunt non tantum de omnibus actibus externis Religiosi, sed etiam de internis illis, qui ad observationem Status, ac Professionis spectant, ut supra etiam *nu. 35.* notatum fuit.

SUBSECUTIO IV.

Qualiter Voluntas humana conformanda sit cum voluntate divina.

SUMMARIUM.

51 *Proponitur status difficultatis.*
52 *Sanctum quidem, & meritorium est voluntatem nostram conformare cum divina in volito formali, volendo quidquid, & qua ratione Deus ipse vult.*
53 *Ad id tamen non semper* positive *tenemur, in volito sive materiali, sive formali.*
54 *Immo ne* negative *quidem in volito materiali, quin illud affectu simplici, & sub alia ratione semper licite nolle possimus.*
55 *Ac etiam efficaciter, quoties objectum recta ratione est nolibile, & nobis de voluntate Dei efficaci absoluta, & antecedente circa illud non constat, esto constaret de voluntate ejus subsequente tantum.*

51 Certissimum est, voluntatem in recte agendo necessario debere esse conformem voluntati divinæ præcipienti, vel prohibenti aliquid; dubium autem non parvi momenti est, qualiter voluntas nostra conformanda sit divinæ voluntati solum volenti, vel permittenti aliquid: aut in *volito materiali*, ut scilicet voluntas nostra velit idem, quod divina; aut in *volito formali*, ut scilicet voluntas nostra velit aliquid sub eadem ratione, qua illud vult voluntas divina. Quæstionem multiplicem una assertione conglobata brevissime resolvo more consueto.

ASSERTIO IX.

Licitum, sanctum, & meritorium est, voluntatem nostram omnimodis conformare cum divina in volito formali, volendo scilicet quidquid, & qua ratione Deus ipse vult: non tamen semper tenemur positive in volito, seu materiali, seu formali, nec etiam negative in volito materiali, ut illud numquam liceat nolle, semper affectu simplici, & sub alia ratione licite possumus nolle: etiam efficaciter, quoties objectum recta ratione est nolibile: & nobis non constat de voluntate Dei efficaci absoluta, & antecedente circa illud. Assertio multiplex more solito explicatur breviter. Cape, si possis, sin minus, transi.

§. I.

52 *Licitum, sanctum, meritorium, atque perfectionis est, voluntatem nostram omnimodis conformare cum voluntate divina in volito formali, volendo scilicet, quidquid Deus vult, ea ratione, qua ipse vult.* Certum apud omnes. Quia voluntas divina est infallibilis honestatis, quæ non potest velle malum, ideoque quidquid est a Deo volitum, quatenus ab eo volitum, necessario semper bonum, ac honestum est, immo consideratis omnibus semper melius, quam oppositum, ergo non tantum licitum, sed etiam sanctum, meritorium, atque perfectionis est: juxta quod oramus a Christo docti verbo, & exemplo: *Fiat voluntas tua*, omnimodis conformare voluntatem nostram cum divina in quocumque *volito formali*, quin etiam in omni *volito materiali*, secundum se recta ratione volibili, duobus solummodo exceptis, scilicet omni malo culpæ, & malo pœnæ proximi. Nam permissionem peccati proprii, vel alieni a Deo volitam, licite quidem & ipsi possumus velle, & approbare formaliter, ea nimirum ratione, qua id Deus vult, & permittit, materialiter tamen secundum se id velle non possumus, sed nolle semper obligamur peccatum. Similiter malum pœnæ a Deo volitum proximo, immo ipsam æternam damnationem reprobis, formaliter est ratione, qua a Deo volita sunt, & nos velle possumus, sic enim sunt absolute bona: at vero ipsa mala materialiter, secundum se, etsi a Deo volita, nos tamen proximo velle non possumus, multo minus facere: quia illud contra charitatem, hoc autem esset contra justitiam. Unde in illud Prov. 1. *Ego quoque in interitu vestro ridebo*, eleganter D. Bernard. *serm. 8. in Psalm.* Qui habitat, scribit. *Quid in insipientium interitu credimus Sapientiæ placiturum, nisi justam suam dispositionem? Sane quod sapientiæ tunc placuit, sapientibus quoque placere necesse est universis. Non quod immanitate quadam crudelitatis in ipsa ultione complaceant, sed modus ipse pulcherrimus divinæ ordinationis, ultra quam dici potest, oblectet.* Hæc Sanctus.

§. II.

Non tamen tenemur positive semper voluntatem nostram conformare cum divina in volito seu materiali, seu formali, quia nullum habemus præceptum affirmativum nobis impositum, ut actu semper velimus, vel approbemus id, & ea ratione, quod, & qua ratione Deus vult: *nisi negative solum quoad volitum formale*, ut scilicet positive non nolimus, vel improbemus aliquid a Deo volitum ea ratione, qua a Deo volitum est. Ratio dicta est. Quia quidquid vult Deus, necessario vult sub ratione boni, & honesti, atque ad finem bonum: secundum regulam divinæ suæ providentiæ, atqui voluntas nostra numquam potest nolle aliquid sub ratione boni, & honesti, seu ad finem bonum, præsertim secundum divinam providentiam, quo sensu verum est vulgatum illud dictum (mihi incertum, quo loco) D. August. *Impius est, cui non placet divina providentia.* Intellige: *cui non placet* contrarie per displicentiam positivam: non autem *cui non placet* negative tantum, qui scilicet actualem de divina providentia complacentiam non habet: hoc enim per se nulla lege requiritur. 53

§. III.

Non negative quidem tenemur voluntatem nostram conformare cum divina in volito materiali, ut illud numquam liceat nolle, sed semper affectu simplici, & sub alia ratione licite possumus nolle. Communis DD. cum *S. Thom. 12. q. 19. art. 10.* Ratio est. Quia semper licite possumus nolle malum, qua tale est, nisi aliquid obstet, sed volitum a Deo, quantumvis efficaciter, & sub ratione optima, sub alia tamen ratione potest nobis esse malum, vel disconveniens, ut mors, tormenta, calamitas, morbi, & quodvis malum pœnæ; ergo volitum a Deo materiale, sub alia ratione mali nobis propositum affectu simplici nolle semper possumus, etsi non semper affectu efficaci. Quinimo talis nolitio simplex sub hac ratione mali, actu potest stare cum volitione absoluta efficaci illius objecti secundum illam rationem, qua a Deo est volitum. Patuit manifeste in ipso Christo orante in horto. *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*: aperte ostendit, se quidem voluntate simplici inefficaci, & conditionata nolle, ac abhorrere passionem, & mortem, tamquam malum naturæ; at vero voluntate absoluta, & efficaci se omnino esse conformem voluntati divini Patris: *non mea, sed tua voluntas fiat.* Sic D. Paulus etsi bene sciverit, Deum velle ipsum diutius vivere, attamen affectu simplici contrario suspirabat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Quo sensu dixit D. August. *Enchirid. cap. 101. 3. Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod DEUS non vult: tamquam, si bonus filius patrem vult vivere, quem Deus bona voluntate vult mori.* Nec contradicit idem in Psalm. 35. sic scribens: *Si quando sanus es, dulcis est voluntas; & quando ægrotas, amara est voluntas, non recto es corde. Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed eam vis curvare ad tuam.* Hæc Augustinus. sed manifeste loquens de nolitione absoluta, & excludente volitionem absolutam conformem voluntati divinæ, ut significant 54

ficant ipsa verba: *non vis, &c.* Neque his obstat reprehensio divina Samuelis lugentis reprobationem Saulis sibi revelatam: *Usquequo tu luges Saul, cum ego abjecerim eum?* Respondent enim *Abulens. & Lyranus noster* ad illum locum: Verba illa Dei ad Samuelem, non fuisse reprehendentia, sed monentia, ne forte Samuel putaret, revelatam sibi reprobationem Saulis esse tantum comminatoriam: ut solent esse ejusmodi revelationes, & non absolutam. Ulterius.

SECTIO IV.

55 *Quandocumque non constat nobis de voluntate Dei efficaci absoluta, & antecedente: etiamsi constaret nobis Deum aliquid velle efficaciter voluntate tantum consequente se, ex supposito nostro consensu, vel cooperatione, possumus adhuc illud nolle etiam efficaciter, quando nimirum objectum recta ratione est nolibile, ut maxime est ipsum peccatum, & damnatio æterna.* Communis Theologorum apud Vasquez, *hic disp. 72. c.* 3. Ratio est. Quia tunc Deus non vult illud efficaciter absolute, sed solum supposito nostro consensu, vel cooperatione: ergo non contra voluntatem ipsius, ut illud, quantum in nobis est, nolimus, & fugiamus. Exemplum habes in Apostolo Petro, cui Christus Dominus asseveranter prædixit peccatum trinæ negationis. *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis:* Matth. 26. Constabat ergo permissionem illius peccati a Deo de facto esse volitam: at quia non erat volita voluntate absoluta, & antecedente, sed voluntate consequenti ex prævisо, & supposito consensu, & cooperatione Petri, ideo Petrus recte efficaciter voluit contrarium, dicens *ibidem. Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Alioquin Petrus simpliciter fuisset perplexus, ut quidquid voluisset, necessario peccasset: Si enim noluisset, peccasset contra divinam voluntatem peccatum permittentem: si autem voluisset, peccasset contra eamdem voluntatem & legem divinam peccatum prohibentem: consequens est falsum: ergo, &c. Unde sequitur. Quod si cui divinitus revelata esset finalis reprobatio, & damnatio propria, nihilominus adhuc, non tantum licite posset, sed etiam teneretur efficaciter nolle, & conari in contrarium ad evitanda peccata, & impediendam reprobationem. Quia reprobatio revelata ante mortem est actus divinæ voluntatis consequentis tantum ex suppositione propriæ cooperationis, & finalis impœnitentiæ, & quia per talem revelationem reprobationis ab homine neque libertas, neque obligatio ad bene agendum tollitur, ideo homo adhuc manet & potens, & obligatus ad bene agendum, & vitandum omne peccatum. Veruntamen talem propriæ damnationis certam revelationem divinæ Sapientiæ, ac Bonitati repugnare, pie, ac verosimiliter opinatur S. Bonaventura *in 1. d. 48. in expositione textus Magistri.* Eadem ratione dicendum, si cui revelata esset reprobatio aliena, adhuc liceret pro eo orare, eum corrigere, ad bonum impellere tempore vitæ. At vero pro de facto jam damnato non licet amplius orare secundum omnes, cum S. Augustino *lib. 21. De Civitate Dei c. 24.* Quia licet damnatio nulli volita sit absolute voluntate antecedenti, sed tantum voluntate consequenti ex suppositione peccati mortalis, & impœnitentiæ finalis in transitu vitæ: posito tamen eo peccato finali in morte peccatoris, decretum damnationis transit in antecedens, & absolutum. Universaliter autem, quandocumque constat Deum aliquid velle voluntate efficaci absoluta, & antecedente, independenter a consensu, vel cooperatione voluntatis nostræ, constat, nunquam licitum nobis esse voluntate absoluta, & efficaci velle contrarium sub quacumque ratione. Et ne stultum sane esset nolle efficaciter, quod Deum constaret efficaciter velle? talis enim nolitio includit intentionem impediendi voluntatem Dei efficacem, & consequenter destruendi voluntatem ejus, Omnipotentiam, & immutabilitatem. Absint insaniæ istæ falsæ a nostris *Actibus Humanis* semper recta ratione, & secundum voluntatem Dei dirigendis in ultimum nostrum Finem Deum Optimum Maximum. Amen.

CAPUT IV.

DE PECCATI

Natura, Distinctione, & Divisionibus.

Peccatum generalissime sumptum, est *defectus voluntarius creaturæ rationalis contra legem Dei.* Sive, ut definit Valentia *to. 2. disp. 6. qu. 1.* Est defectus quidam voluntarius perfectionis debitæ ex lege Dei, ad consequendam beatitudinem. Dividitur in *originale, & personale:* & hoc in *actuale, & habituale.* Peccatum originale definitur: *Privatio justitiæ, & sanctitatis debitæ inesse singulis ex pacto facto a Deo cum Adamo.* Peccatum personale, & actuale dicitur, quod propria operantis voluntate committitur. Peccatum habituale vocatur, quod post actuale per modum habitualis defectus, & maculæ in anima perseverat, donec remissione deleatur. Peccatum personale, & actuale tantum est considerationis Theologiæ Moralis, cujus nunc naturam explicare aggredimur.

SECTIO I.

Peccati definitio, Ratio formalis, & Malitia.

SUMMARIUM.

1 *Peccatum a S. Augustino definitur:* dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.
2 *Per* dictum, factum, concupitum *exprimitur materiale peccati, quod est actus, vel omissio.*
3 *Per ly* contra legem Dei æternam *exprimitur formale peccati.*
4 *Omne peccatum ultimate est contra legem Dei æternam.*
5 *Et consequenter etiam ultimate contra ipsum Deum: ejusque offensa secundum diversas rationes ad illum.*
6 *Et hinc omne mortale continet aversionem a Deo.*
7 *Et ultimo fine* cujus, *&* cui.
8 *Et conversionem ad creaturam, ut ultimum finem* cujus, *&* cui.
9 *Indeque optime (licet non formaliter, & intrinsece) extrinsece tamen, & objective dicitur infinitæ malitiæ. Punitur pœna æterna: & extra Sacramentum non remittitur, nisi per amorem Dei super omnia, vel contritionem perfectam.*

Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem 1
Dei æternam. Definitio tradita a D. Augustino *l. 22.* contra Faustum *c. 27.* est receptissima a Theologis, quam breviter, sed præclare explicat S. Thomas *1. 2. q. 71. art. 6.* dicens: *In qua definitione Augustinus posuit duo. Unum, quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale, cum dicit:* Dictum, factum, concupitum; *Aliud, quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dicit:* contra legem Dei æternam. *Hæc ille.* Verum latior tibi necessaria est explicatio.

§. I.

Dictum, factum, concupitum. Exprimitur materiale pec- 2
cati, quod est actus aliquis, vel omissio. Ubi adverte. I. Licet S. Augustin. directe solum exprimat materiale peccati commissionis, *dictum, factum, concupitum,* oblique tamen etiam comprehendit materiale peccati omissionis, *non dictum, non factum, non concupitum* contra legem Dei. Nam secundum Philosophum, affirmatio, & negatio reducuntur ad idem. II. Pulchre ponit ista tria. Omne enim peccatum aut in sola voluntate immanet, ut volitiones, intentiones, & desideria mala, & dicitur, generatim *concupitum*: aut verbo, vel signo erumpit, ut blasphemiæ, detractiones, mendacia, & dicitur generatim *dictum*: aut etiam ipso facto, vel opere externo patratur, & dicitur generatim *factum*: alias peccata cordis, oris, & operis. III. Absque dubio etiam S. August. intelligit *dictum, factum, concupitum* voluntarium, quod scilicet ex prævia cognitione, ac deliberatione intellectus, ac libero voluntatis consensu *fit, dicitur, concupiscitur.* Nam *l. 1. Retract. c. 13.* & alibi sæpe repetit, usque adeo voluntarium esse peccatum, ut, si voluntarium non sit, nullo modo peccatum sit. IV. Sensus ergo definitionis est, *Peccatum est defectus voluntarius creaturæ rationalis in operando.* Deficit autem creatura in operando contra legem Dei, aut commissione, faciendo, quæ prohibita, aut omissione, non faciendo, quæ præcepta sunt: idque, ut confiteri solemus, *cogitatione, verbo, & opere:* vel, quod idem est: *dicto, facto, vel concupito.* Patet ergo bonitas, & congruentia definitionis quoad primam partem, & materiale peccati.

§. II.

Contra LEGEM Dei æternam: Exprimitur formale, 3
seu ratio formalis peccati: scilicet ipsa malitia, vel inhonestas. Quamvis autem. I. Malitia moralis actus humani, quæ est ipsa ratio formalis constitutiva peccati, jam supra *c. 3. n. 4.* definita sit: *privatio rectitudinis secundum rectam rationem, vel legem debitæ inesse.* II. Adeoque in actu humano malo, seu peccato duplex sit malitia, & deformitas: una contra rectam rationem; & consequenter ipsum Deum. III. Et quidem illa malitia contra rectam rationem, philosophice loquendo sit prior, & intimior actui altera malitia contra legem Dei. IV. Et insuper, saltem quoad operantem, malitia contra rectam rationem possit esse sine malitia peccati contra legem Dei, ut patet in eo, qui invincibiliter ignorans

rans Deum, peccaret: nihilominus S. Augustinus optime definivit peccatum esse *contra legem Dei æternam*. Quia de facto, & simpliciter omne peccatum involvit malitiam utramque, & contra rectam rationem, & contra legem Dei, ac ipsum Deum, & hæc potior, & principalior habetur in consideratione Theologica. Uti optime notavit S. Thomas *loc. cit.* dicens: *A Theologis consideratur peccatum præcipue prout est offensa contra Deum: a Philosopho autem naturali, prout contrariatur rationi. Et ideo Augustinus convenientius definivit peccatum ex hoc, quod est contra legem Dei æternam, quam ex hoc, quod est contra rationem; præcipue cum per legem Dei regulemur in multis, quæ excedunt rationem, sicut in his, quæ sunt de fide.* Hæc S. Doctor. Ulterius

§. III.

4 Contra legem Dei æternam. Rectissime S. Augustinus solam expressit legem Dei *æternam*, (quæ est ipsa ratio, & voluntas divina indefectibiliter ordinans honestum) prætermissa tam recta ratione, seu lege naturali, quam omni lege positiva. Quia nimirum tam ratio, ac lex naturalis, quam omnis lex positiva, divina, & humana derivatur a lege divina æterna, tamquam radius a Sole: adeo ut verissime dicatur, omne peccatum ideo esse peccatum, quia est contra legem Dei æternam. Quamvis enim etiam ideo peccatum sit, quia est contra rectam rationem, vel legem, eo ipso tamen principaliter, & ultimate est contra legem Dei æternam. Sic aperte S. Thomas *supra cit. art. 6. ad 4. Cum dicitur, quod non omne peccatum ideo est malum, quia prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si vero referatur ad jus naturale, quod continetur primo quidem in lege æterna, secundario vero in naturali judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum.* Sic S. Thomas. Consentit Scotus *in 4. d. 50. qu. 2. nu. 9.* inter alia dicens: *Quodcumque peccatum ideo est peccatum, quia est contra præceptum Divinum.* Id ipsum sentiunt SS. Patres, qui ubiq; peccatum definiunt contra legem Dei. Ut D. Augustinus in proposito, & *lib. 2.* de Consensu Evangelist. *c. 4.* Peccatum definit *Transgressionem Legis*. Et D. Ambrosius l. de Paradiso *c. 8. Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, & cælestium inobedientia mandatorum?* Idem denique docet ipsa Sacra Scriptura passim. Clarissime Apostolus ad Rom. 4. *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Et 1. Joan. 3. *Omnis, qui facit peccatum, iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.* Græce *anomia*, idest, *transgressio legis*.

§. IV.

5 Contra legem Dei æternam. Hoc ipso, quo omne peccatum est contra legem Dei æternam, consequenter, & ultimate est etiam contra ipsum Deum, eaque ratione omne peccatum dicitur offensa Dei, quatenus est scilicet contra legem, & voluntatem Dei super omnia nolentis, detestantis, ac punientis peccatum; sicque diversos habet gradus, & respectus ad Deum offensum, secundum diversas rationes Dei offensi. I. Peccatum repugnat Deo, ut supremo Legislatori simpliciter prohibenti, ac detestanti peccata: II. Repugnat Deo ut supremo, & absoluto Domino, jure supremi in omnes dominii exigentis a nobis debitum servitium, juxta regulas voluntatis suæ. III. Repugnat Deo, ut supremo Benefactori nostro, communi Parenti, omnium bonorum Auctori, unde omne peccatum implicitam continet ingratitudinem erga Deum. IV. Repugnat Deo ut summo Bono nostro beatifico, atque adeo, ut ultimo fini nostro CUJUS, & CUI. Et hæc est extrema peccati malitia, seu extremus gradus offensæ Dei, ratione cujus peccatum dicitur involvere aliam duplicem malitiam, scil. *aversionem a Deo, & conversionem ad creaturam.* Qua ratione S. August. *l. 1. de libero Arbitr. c. 16.* peccatum definit: *Est conversio voluntatis indebita ad bonum commutabile, relicto incommutabili.* Juvat rem utilissimæ contemplationis tuæ propriæ, tum alienæ conscientiæ concutiendæ explicatius asserere.

ASSERTIO II.

Omne peccatum mortale continet implicitam saltem aversionem a Deo ut ultimo fine cujus, *&* cui: *& conversionem ad creaturam, ut ultimum finem* cujus, *&* cui: *& hinc est, quod dicatur malitiæ quodammodo infinitæ, & juste puniatur pœna æterna &c.* Communis Doctrina Theologorum D. Thomæ 1. 2. *q. 57. art. 3.* Scoti *in 1. d. 1. q. 5. & alibi.*

§. I.

6 *Continet aversionem a Deo, & conversionem ad creaturam &c.* Utrumque eleganter exprimit Jerem. 2. *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valens aquas.* Q. d. Aversi sunt a Deo bono incommutabili, & conversi ad creaturas, vanas, fluxas, transitorias. Idipsum significare voluit Salvator Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis servire: Aut unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & Mammonæ.* Q. d. Hoc ipso Deum relinquetis, & contemnetis, quo vos inordinato amore convertitis ad creaturas, puta, divitias, voluptates, &c. Sola aversio a Deo passim inculcatur in Scriptura Jer. 2. *Scito, & vide, quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Ibid. *c. 8. Numquid, qui cadit, non resurget, & qui aversus est, non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa?* Conversio ad creaturam etiam significatur, Matth. 10. *Qui amat Patrem, vel Matrem plus quam me, non est me dignus.* Joan. 12. *Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur; dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Verum hæc etiam ratione explicemus.

§. II.

Continet aversiones a Deo, ut ultimo fine CUJUS, & CUI: Explico. Ultimus finis hominis CUJUS est beatitudo æterna: formalis quidem est beatifica Dei visio, ac fruitio: objectiva vero est ipse Deus, ut summum bonum nostrum, homini super omnia amandum amore concupiscentiæ, ex virtute Spei Theologicæ; CUJUS consequendi gratia omnia operari debemus tamquam media ad illum finem, saltem ex præscripto *legis* divinæ necessaria. Finis vero ultimus hominis CUI, est idem Deus Optimus Maximus, ut summum, & infinitum bonum in se, ex virtute charitatis Theologicæ, super omnia amandum amore amicitiæ, scilicet propter se ipsum, ipsamque ejus intrinsecam infinitam Bonitatem; CUI proinde per Charitatem omni actione nostra uniri debemus, non quidem semper positive, omnes actiones nostras in ipsum, ejusque gloriam referendo, quod pro hoc statu impossibile est: sed semper saltem negative, nihil unquam agendo contrarium contra *legem* Dei. cujus observantia necessaria est ad illam charitatis conjunctionem observandam: Atqui palam est, omne peccatum mortale contrariari *legi* Dei, cujus observantia necessaria est ad conservandam conjunctionem cum Deo per charitatem, & gratiam, & obtinendam beatitudinem (illam enim tollit ab hac excludit, uti ex fide constat) ergo omne peccatum mortale continet aversionem a Deo, ut ultimo fine CUJUS, & CUI, *implicitam saltem*. Constat enim peccatum mortale non semper continere formalem, & expressam a Deo aversionem, hoc enim est peccatoris desperatissimæ malitiæ, & non posset esse in peccatore invincibiliter ignorante Deum: sed sat nimium est, quod semper contineat virtualem, & implicitam aversionem a Deo. Ut dum quis peccat mortaliter ex infirmitate, vel etiam malitia, formaliter quidem, & directe non vult, sed potius nollet averti a Deo: hoc ipso tamen, quo libere vult peccatum mortale, quod scit repugnare Deo, convincitur virtualiter, & implicite velle aversionem a Deo. Et quia etiam transeunte actu peccati nihilominus malitia peccati in anima habitualiter perseverat, donec per pœnitentiam deleatur, plane sequitur, aversionem illam a Deo durare, quamdiu homo in statu peccati mortalis perseverat, ut verissime dicatur, talem hominem non habere Deum pro fine suo, quæ extrema, & homini viatori incomprehensibilis malitia, & miseria est. Bene meditare. 7

§. III.

Continet conversionem ad creaturam, ut ultimum finem CUJUS, & CUI. Explico. Ultimus finis *cujus* universim dicitur illud bonum, quod propter se tantum amatur, & appetitur in operatione, & non in ordine ad aliud, quin omnibus aliis præfertur. Ultimus vero finis *cui* dicitur persona vel suppositum illud, *cui* propter se tantum appetitur tale bonum: Atqui omnis peccans mortaliter appetit creaturam propter se & omnibus aliis anteponit, vel eo ipso, quia anteponit ipsi Deo summo Bono omne bonum eminenter continenti: dum enim ejus legem violat, gratiam, & amicitiam respuit amore creaturæ, hoc ipso plus amare creaturam, quam Deum convincitur. Et sane ipsa aversio a Deo cum merum malum sit, per se non est appetibilis directe, sed solum indirecte propter aliud bonum appetitum Bono divino contrarium, & plus illo dilectum. Unde significantissime Apostolus *Ephes.* 5. Avaritiam vocat *Idolorum servitutem*, Et Philip. 3. De gulosis, & carnalibus dicit; *Quorum Deus venter est.* Quo spectat acutissimum illud dictum D. August. *l. 83. Q. Q. qu. 30. Omnis humana perversio est fruendis uti velle, atque utendis frui.* Quæ omnia significant peccatorum, posthabito Deo *fruendo*, hoc est propter se tantum 8

tantum

rum appetendo, constituet sibi ultimum finem creaturam, immo Deum, vel potius Idolum quoddam: Cum illam appetas propter se contra, atque adeo supra Deum: cum tamen creatura uti tantum debeamus, non scilicet velle, vel appetere propter se, sed propter Deum, & in ordine ad Deum, tamquam verum ultimum finem: ergo omnis peccans mortaliter, aversus a Deo convertit se ad creaturam, tamquam ultimum finem CUJUS, & CUI. Ultimus finis CUJUS semper est aliqua voluptas peccandi. Heu, quam momentaneum, quod delectat! Ultimus finis CUI, ordinarie est ipse homo peccans, qui sibi ipsi, ex improbo amore sui, inordinate appetit frui illicita voluptate creaturæ contra legem Dei: ut patet in omnibus peccatis, maxime luxuria, & avaritia: Unde amor sui verissime dicitur peccatum capitale generalissimum, fons, origo, radix omnium omnino peccatorum. Quo sensu pulcherrime S. August. *l.* 14. *De Civit. Dei*, *c.* 28. dixit; Quod duas civitates fecerunt duo amores. *Civitatem Diaboli amor sui usque ad contemptum Dei: Civitatem Dei amor Dei usque ad contemptum sui.* DIXI. *ordinarie*. Contingit enim aliquando, ut homo peccans seipsum, vitam, animam, omnia referat, aut referre paratus sit ad creaturam aliam, v. g. concupitam Venerem, divitias, liberorum exaltationem, aut etiam ipsum Diabolum more sagarum, &c. ut finem CUI. Hi nimirum, ne tantum peccent, etiam insaniunt.

§. IV.

9 ET *hinc*, *&c.* Ex dictis hactenus intelligere conare. I. Quamvis nullum peccatum mortale quantumvis grave, formaliter, intrinsece, ac simpliciter sit malitiæ infinitæ, ut bene probat Scotus supra citatus. Non enim potest esse malitiæ infinitæ secundum suum materiale, sic enim est actus hominis utique finitus, vel omissio ejus: neque secundum suum formale; sic enim est privatio rectitudinis, vel perfectionis debitæ inesse actui, vel potentiæ, utique etiam finitæ, ac limitatæ: nihilominus. II. Omne peccatum mortale, in ratione offensæ Dei, recte dicitur malitiæ quodammodo infinitæ. *Sic Theologi communiter cum S. Th.* 3. *p. q.* 1. *art.* 2. *ad* 2. *Scoto in* 3. *ad* 2. *q. un.* Ratio est. Quia eo gravius est malum, quo majori bono opponitur, & privat: & eo major est offensa, quo major est dignitas personæ offensæ: atqui omni peccato mortali offenditur Deus infinitæ majestatis, & omne peccatum mortale est aversio a Deo, & privat Deo summo, & infinito Bono: ergo omne peccatum mortale in ratione offensæ Dei, vel aversionis a Deo recte dicitur malitiæ infinitæ *quodammodo*: Nimirum non intrinsece, & formaliter, comparando malitiam ad rectitudinem oppositam: sed extrinsece, & objective, comparando malitiam ad Deum absolute, ut terminum offensæ, & aversionis. III. Peccatum mortale etiam unicum juste punitur pœna æterna. Certum de fide. Sicut enim convertens te in operando ad summum bonum super omnia dilectum, ex acceptatione divina jure mereris præmium æternum: ita sane peccato mortali avertens te a Deo summo, & infinito Bono, & convertens ad bonum creatum vilissimum contra Dei legem, atque adeo supra Deum dilectum, non sine gravissimo, licet implicito Bono infiniti contemptu, ex justissima indignatione divina jure mereris pœnam æternam: ut æternum manens aversus a Deo, æternum miser sis in creatura. IV. Peccatum mortale commissum, extra Sacramentum, non remittitur per illum actum, nisi amoris Dei super omnia, aut contritioni perfectæ. Ratio est. Quia opposita via, & ratione ad Deum revertendum est, qua ab eo aversi sumus: Sed peccator peccato mortali avertitur a Deo summo bono plus amando, & præferendo illi bonum creatum: ad Deum ergo, ejusque gratiam reverti debet denuo amplectendo, & amando Deum, ut summum bonum super omnia appretiative, præferendoque omnibus bonis creatis etiam sibi ipsi. Quod explicite fit in actu amoris Dei super omnia, & saltem implicite fieri debet in actu contritionis perfectæ, qua dolemus, & detestamur peccatum commissum super omne detestabile, quatenus est offensa Dei summe Boni, nunc super omnia dilecti. Denique sermo semper fuit de peccato mortali. Peccatum enim veniale, quia non tollit conjunctionem, & amicitiam cum Deo per gratiam, & charitatem, sed solum quodammodo minuit simpliciter, non avertit hominem a Deo ultimo fine, nec constituit creaturam, quæ est materia peccati venialis, ultimum finem simpliciter: non enim illud bonum creatum præfert Deo, sed solum non refert in Deum, de quo plura *c. seq.*

SECTIO II.

Peccatorum Unitas, & Distinctio specifica.

SUMMARIUM.

10 *Exponitur status quæstionis.*
11 *Peccatorum unitas, & distinctio specifica causaliter sumitur ab objectis formalibus.*
12 *Formaliter vero, & quoad ipsam malitiam ab unitate, & distinctione specifica rectitudinum, seu virtutum oppositarum.*
13 *Ac etiam præceptorum formaliter, & specie.*
14 *Non materialiter, & numero tantum diversorum.*

QUæstio est de peccatis commissionis tantum. Nam peccatum omissionis, quatenus dicit privationem actus debiti, specificatur, seu sumit suam unitatem, & distinctionem specificam patenter ab ipsis actibus omissis, ut nimirum illa peccata omissionis sint ejusdem speciei, quibus omittuntur actus debiti ejusdem speciei, ut iterata omissio Sacri, vel Horarum, &c. Illa vero peccata omissionis sint diversæ speciei, quibus omittuntur actus debiti diversæ speciei: ut omissio Sacri contra virtutem Religionis, & omissio eleemosynæ in necessitate proximi, contra virtutem misericordiæ: omissio restitutionis contra virtutem justitiæ, &c. 10

ASSERTIO III.

PEccatorum unitas, *& distinctio specifica, causaliter, quoad actum peccaminosum sumitur ab objectis formalibus, formaliter vero quoad ipsam malitiam desumitur ab unitate, & distinctione specifica rectitudinum, seu virtutum oppositarum; etiam præceptorum formaliter, & specie, non item materialiter, & numero tantum diversorum.* Sic Doctores citandi.

§. I.

CAusaliter, *quoad actum peccaminosum sumitur ab objectis formalibus.* Communis doctrina cum S. Thoma 1. 2. *q.* 72. *a.* 1. Ratio patet. Quia notissimum est in Philosophia, actus quoscumque extrinsece, & causaliter specificari ab objectis: atqui actus peccaminosus per se directe tendit in ipsa objecta vetita, & non nisi per accidens, & indirecte in ipsam malitiam, seu deformitatem contra rectam rationem, vel legem: Quia *nemo intendens ad malum operatur.* D. Dionys. *de Divin. Nom. c.* 4. Ut optime observat S. Thomas modo citatus: ergo unitas, & distinctio specifica peccatorum causaliter desumitur ab objectis (sive se solis, sive ex fine, & circumstantiis constitutis) formalibus tamen, quatenus nimirum fundant malitias, seu deformitates ejusdem, vel diversæ rationis contra rectam rationem, legem, seu, quod idem est, contra virtutem, vel præceptum. Illa ergo peccata omnia sunt ejusdem speciei, quæ habent objecta formalia ejusdem speciei, fundantia scilicet malitiam, vel deformitatem ejusdem rationis: sic ejusdem speciei sunt superbia de bonis spiritualibus, & temporalibus: gula in cibo, & potu cujusvis generis, furtum in quavis materia: etsi enim ipsi actus, & objecta materialiter sint diversæ speciei, formaliter tamen fundant malitiam ejusdem rationis utpote inordinatam excellentiam, excessum Temperantiæ, violationem Justitiæ, &c. E contra illa peccata omnia distinguuntur specie, quæ habent objecta formalia diversæ rationis, fundantia scilicet diversas malitias, vel deformitates contra rectam rationem, vel leges diversas, ut patet in fornicatione, adulterio, incestu, sacrilegio, & aliis innumeris. Neque de hoc est aliqua difficultas, vel controversia. 11

§. II.

FOrmaliter vero, *quoad ipsam malitiam desumitur ab unitate, & distinctione specifica rectitudinum, seu virtutum oppositarum.* Sic Scot. in 2. *d.* 37. *qu.* 1. cum suis, & aliis. Nec dissentit S. Thom. *n. præced. alleg.* Ratio est. Quia peccatum formaliter, seu malitia moralis, ratio formalis constitutiva peccati consistit in privatione rectitudinis debitæ inesse secundum rectam rationem, vel legem: quæ rectitudo in particulari reipsa nihil aliud est, quam honestas virtutis alicujus in particulari: Unde peccatum, seu malum morale formaliter est privatio boni honesti, seu virtutis, teste D. Dionysio *De Divin. nominib. c.* 4. atqui notum est privationes specificari, & distingui per formas oppositas quibus privant; ergo unitas, & distinctio specifica peccatorum formaliter desumitur ab unitate, & distinctione specifica rectitudinum, seu virtutum oppositarum; adeo ut omnia illa peccata sint ejusdem speciei, quæ eidem virtuti, & secundum eamdem deformitatis rationem adversantur: e contra vero illa peccata sunt diversæ speciei, quæ diversis virtutibus, aut etiam eidem virtuti, attamen secundum diversam rationem deformitatis adversantur. Sic odium Dei, & proximi, blasphemia, furtum, &c. sunt diversæ speciei, quia repugnant diversæ speciei virtutibus, Charitati, Religioni, Justitiæ, &c. in quo nulla difficultas. Porro etiam eidem virtuti, quamvis unam tantum habeat integram conformitatem ad rectam rationem, quia *bonum est ex integra causa*, tamen adversari pos- 12

possunt diversa specie peccata, & vitia per diversas difformitates, vel defectus: quia *malum est ex quolibet defectu*. Sic I. Eidem virtuti Charitatis, v. g. opponuntur diversa specie peccata per commissionem *odisse Deum, vel proximum*: & omissionem, *quando oportet, non amare, non succurrere*. II. Eidem virtuti Religionis, penes diversos modos inhonorandi Deum: puta directe in se, indirecte in rebus, vel actibus ipsi sacris, &c. opponuntur diversissima specie peccata irreligiositatis, blasphemiæ, perjuria, superstitiones, sacrilegia, violationes votorum, festorum, &c. III. Eidem virtuti Justitiæ, penes diversos modos lædendi *jus* alterius in bonis vitæ, famæ, fortunæ, &c. opponuntur diversissima specie peccata injustitiæ, homicidia, adulteria, detractiones, furta, &c. IV. Eidem virtuti morali in mediocritate consistenti semper opponitur duplex peccatum, per excessum, & per defectum. Ut liberalitati nimia profusio, seu prodigalitas: & nimia tenacitas, seu avaritia: sic de cæteris. Denique dantur peccata, quæ nulli virtuti in specie opponuntur, sed solum ipsi virtuti, honestati, vel rectitudini in communi, ut voluntas universim male vivendi, nihil boni agendi, nulla præcepta servandi, quodvis peccatum patrandi, &c.

§. III.

13 DEsumitur ab unitate, & distinctione *etiam præceptorum formaliter, & specie diversorum*. Communis apud Vasquez *disp.* 98. Sanch. *l.* 9. *de Matrim. disp.* 15. Laym. *l.* 3. *c.* 2. Ratio iterum est. Quia peccatum formaliter consistit in privatione rectitudinis debitæ inesse secundum rectam rationem, *vel legem*; ergo unitas, & distinctio specifica peccatorum recte etiam desumitur ab unitate, & distinctione formali, ac specifica legum, seu præceptorum: adeo ut illa peccata sint specie diversa, quæ repugnant præceptis formaliter & specie diversis, prohibentibus scilicet talia peccata sub diverso motivo distinctarum virtutum. Sic homicidium, & furtum prohibentur lege naturali, divina, & humana sub motivo virtutis Justitiæ; at vero homicidium Clerici, furtum rei sacræ, specialiter, & gravissime prohibentur lege Ecclesiastica formaliter, & specie diversa, scilicet sub motivo alterius diversæ Religionis, propter specialem injuriam, ac irreverentiam personæ, aut rei Deo sacræ in ipsum Deum redundantem, ideoque formaliter, & specie duo distincta peccata sunt etiam in eodem actu. Simili ratione adulterium commissum a Religioso triplicem speciem peccati continet. Verum hæc specificatio peccatorum a præceptis positivis desumpta solum a posteriori est in iis peccatis, quæ intrinsece, & ex objecto mala sunt: ut fornicatio, furtum, homicidium, &c. Non enim ideo mala, quia prohibita, sed potius ideo prohibita sunt, quia mala, nihilominus tamen eo ipso etiam mala, quod sic prohibita sunt: a priori autem est illa specificatio in iis peccatis, quæ solum extrinsece ex prohibitione legis mala sunt: sic comedere carnes die Sabbati; & laborare die Dominico distinguuntur specie a priori per diversa specie præcepta Ecclesiæ prohibentia illos actus sub motivo diversarum virtutum, scilicet Temperantiæ, & Religionis.

§. IV.

14 NOn item materialiter, & numero tantum. Præcepta namque solum materialiter, & numero distincta, quæ scilicet de eadem re formaliter, ac sub ejusdem virtutis motivo, solum ponuntur a diversis Legislatoribus, vel diverso tempore, nihil omnino faciunt ad distinctionem peccatorum, sive specificam, sive numericam: adeo ut peccata commissa contra talia plura præcepta semper sint ejusdem speciei, secundum omnes, & insuper, si actus idem sit, etiam idem numero peccatum. Sic furtum simplex prohibetur lege divina, ac humana, Ecclesiastica, politica multipliciter; semper tamen ejusdem speciei, ac in eodem actu, idem numero peccatum est; quia leges omnes sunt ejusdem speciei ac sub eodem motivo ejusdem virtutis Justitiæ furtum prohibent. Similiter si blasphemia jam jure divino prohibitissima, etiam prohibeatur lege Ecclesiastica sub pœna excommunicationis, v. g. manebit idem specie & numero peccatum mortale. Non enim alia ratione, & motivo prohiberetur ab Ecclesia, quam prohibita est lege divina, scilicet sub motivo Religionis, propter gravissimam irreverentiam divinæ Majestatis, ut bene notat *Laym. sup.* Simili ratione, qui negligit Sacrum die festo incidente in Dominicam, qui violat jejunium in die, quo concurrit Vigilia cum feria quatuor Temporum, vel Quadragesimæ: qui omittit Officium divinum, ad quod tenetur ratione sacri Ordinis simul, ac Beneficii; immo etiam præcepto Regulæ, &c. semper unum tantum peccatum committit, etsi contra distincta præcepta, sed materialiter tantum. Item qui semel in anno fecit confessionem invalidam, peccat contra præceptum divinum de integritate Confessionis, & contra præceptum Ecclesiasticum de annua Confessione, unum tamen peccatum committit: quinimo, qui sumit Eucharistiam in peccato mortali, peccat quidem contra duo præcepta: scilicet Pœnitentiæ obligantis tempore Communionis, & Religionis obligantis ad dignam susceptionem tanti Sacramenti: quia tamen prius ordinatur ad posterius, unum tantum peccatum committit; ut cum aliis docet *Diana par.* 3. *Tract.* 4. *resol.* 35. *& part.* 2. *Tract.* 14. *resol.* 24. Ratio omnium est. Quia in his omnibus, & similibus casibus, illa plura præcepta, aut sunt ejusdem speciei, & sub motivo ejusdem virtutis imposita, aut certe invicem subordinata, ideoque peccata opposita non possunt esse diversæ speciei, ut omnes consentiunt: Et licet illa præcepta sint distincta numero, ideoque in uno actu contrario formaliter sint distincti respectus difformitatis ad illa distincta præcepta, physice loquendo; moraliter tamen concrescunt in unum numero peccatum, *Uti contra Navarrum, Lopez, & alios jam tenet communis Doctorum sententia apud Layman, cit. cap.* 2.

SECTIO III.

Peccatorum Unitas, & Distinctio numerica.

SUMMARIUM.

15 *Unitas, & distinctio peccatorum numerica generatim desumitur ab unitate, & distinctione numerica ipsius actus.*
16 *In peccatis quidem mere internis physica.*
17 *In externis vero morali tantum.*
18 *Hoc est; secundum moralem tantum conjunctionem, vel disparationem actuum externorum.* Sed magis ad praxim.
19 Moraliter, & in ordine ad Confessionem semper idem numero peccatum censetur. *I. Quando intento, & durante eodem actu externo circa idem objectum, solum internus sæpius physice, non vero moraliter, formaliter, vel interpretative interrumpitur.*
20 *II. Quando vicissim durante actu interno, physice, vel moraliter eodem, multiplicantur solum externi ad eamdem peccati consummationem spectantes.*
21 *III. Quando plures tum, inquam, externi concurrentes ex natura sua ad eumdem actum principalem intentum ordinantur, ac*
22 *IV. Quando delinquitur circa actiones ex natura, vel institutione sua integritas ex pluribus actibus conjunctis.*

ASSERTIO IV.

PEccatorum unitas, & distinctio numerica desumitur ab unitate, & distinctione numerica ipsius actus: *in mere internis quidem Physica: in externis vero peccatis morali tantum, hoc est, secundum moralem tantum continuationem, vel interruptionem actus interni, & conjunctionem, vel disparationem actuum externorum*. Communis doctrina, uti docebit solita explicatio.

§. I.

DEsumitur *ab unitate, & distinctione numerica ipsius actus*. Ita nimirum, ut idem numero actus constituat idem numero peccatum, & plures numero actus plura peccata; in quibus terminis consentiunt omnes. Certum quoque est, manere plura numero distincta peccata, etiamsi objectum sit idem: ut si eumdem hominem iterato odio habeas, percutias, aliave injuria afficias. Controversia speculativa tantum est, an maneat idem numero peccatum, quando idem actus tendit in plura objecta: sive an multiplicatio objectorum in eodem actu multiplicet numero malitias: Quoad praxim omnino perinde est, sive dicas, uno actu odisse decem homines, esse decem peccata formaliter, & ideo enumeranda in Confessione: sic Azorius, Vasquez, Bonacina, alii cum Diana *par.* 1. *tr.* 7. *res.* 29. sive dicas, esse unum numero peccatum, sed æquivalens decem, & ideo numerum objectorum, tamquam augentem malitiam substantialem actus necessario explicandum in sacro Tribunali: sic Suar. Filliuc. alii cum Laym. *lib.* 1. *tr.* 3. *c.* 3. *num.* 2. Etiam perinde est, sive objecta multiplicentur materialiter tantum, ut si uno omnino actu plures homines odio habeas, occidas, infames, aliave injuria afficias: si uno proposito velis omittere Officium per mensem, jejunium per Quadragesimam, &c. sive objecta multiplicentur formaliter, nimirum sub distinctis actibus externis intenta ab uno actu interno: Ut si voluntas uno quidem actu interno intendat, ac proponat, attamen per plures actus externos tendere in plura objecta v. gr. occidere plures, sed distinctis vicibus, & occasionibus; cognoscere plures, modo hanc, postea aliam, &c. Quod si tamen peccata externa consummentur, sine controversia, illa erunt distincta numero peccata, nihil obstante unitate actus interni. 15

§. II.

§. II.

15 *IN mere internis quidem physica*. Hoc est. Peccata mere interna, quæ scilicet sola mala voluntate consummantur, sumunt unitatem, & distinctionem suam numericam a physica unitate, & distinctione ipsius actus, ut tot sint numero peccata, quoties physice, voluntarie tamen, interrumpuntur actus. *Omnes*. Ratio est, quia peccatum toties multiplicatur numero, quoties perfecte consummatur: sed peccata mere interna toties perfecte consummantur, quoties interrupta voluntarie repetuntur: ut actus odii, blasphemiæ, hæresis, invidiæ &c. Item actus interni simplices, & inefficaces, velleitatis, consensus, complacentiæ, delectationis morosæ, circa actus externos, & eorum objecta, &c. quoties repetuntur, & innovantur, ita ut posterior a priori nullo modo dependeat, toties perfecte consummantur, & consequenter tot fient peccata numero distincta, etiamsi notabilis temporis mora non intercedat. Ut proinde fieri possit, hominem uno die, vel una hora committere mille peccata ejusmodi interna odii, invidiæ, delectationis morosæ, &c. Advertunt tamen Doctores, plerumque impossibile esse hujusmodi internorum peccatorum numerum inire, nec consequenter explicari posse in confessione, secundum omnes: ergo sufficit explicare moram temporis, qua quis in tali mala voluntate perstitit; v. gr. *integro anno in odio, & inimicitia contra proximum perstiti: sæpissime cum memoria inimici recurreret, actus odii, rancoris, invidiæ, &c. renovavi*. Sic de cæteris. Immo hoc universaliter verum est, quando quis continua voluntate, longo tempore perstitit in quibuscumque peccatis internis, vel externis, ita toties frequentatis, ut eorum numerum inire nequeat. Sufficiet enim dicere in Confessione, *tanto tempore in continua voluntate, & proposito talis peccati perstiti: exercui toties, quoties potus, vel occasio fuit, singulis etiam diebus, vel horis, &c.* Sic communis meretrix satisfacit dicendo: *Tot annos in statu meretricio permansi, quoties occasio fuit, quibusvis, etiam conjugatis, sacris, &c. corporis copiam feci*. Nam species peccatorum, quantum potest, debere exprimere, recte monet Diana *p. 3. tr. 4. resol. 89.*

§. III.

17 *IN externis vero peccatis morali tantum*. Hoc est: Peccata, quæ, posito actu interno, opere externo consummantur, sumunt unitatem & distinctionem numericam ab unitate, & distinctione morali tantum actuum tam internorum, quam externorum. Et in primis, *secundum moralem tantum continuationem, vel interruptionem actus interni*. Actus internus tamdiu censetur idem numero continuari, vel durare moraliter, quamdiu non est revocatus *formaliter*, vel *interpretative*. I. Formaliter revocatur actus internus *per actum contrarium*, quando nimirum voluntas actui priori malo alium actum contrarium, aut nolitionis efficacis, aut saltem simplicis displicentiæ, vel aversionis elicit. II. Interpretative revocatur actus per ejus *cessationem voluntariam:* quando nimirum voluntas se reflectens super priorem actum, vel propositum malum, aut negative se avertit, aut ad alium actum incompossibilem se divertit. Ut si proposuisses hodie exire ad fornicandum, occidendum, &c. & memor hujus propositi, domi manere, aliud agere, vel cubitum te conferre velles: jam interpretative censeberis revocasse actum priorem, etsi actualiter non revocaveris. III. Addunt aliqui Recentiores apud Bassæum. V. *Peccatum, num. 6.* etiam *per cessationem involutariam*, quando nimirum intercedente naturali inadvertentia, oblivione, distractione ad alia, somno, ebrietate, vel simili dispositione, in qua, cessante usu rationis, actus voluntatis liber non videtur posse continuari, aliquis prioris propositi memor, illud approbat, & renovat. Verum hæc sententia non placet quoad actus internos efficaciter tendentes in externos, eo ipso enim, quo animus ita involuntarie distractus cessat, moraliter, & interpretative manet eadem voluntas, quippe voluntarie numquam revocata, vel abrupta: verissima tamen est, quoad actus mere internos, juxta dicta *num. præced.*

§. IV.

18 *ET secundum moralem tantum conjunctionem, vel disparationem actuum externorum*. Qualiter autem actus seu interni, seu externi physice multiplicati morali conjunctione, vel disparatione constituant unum, vel plura numero peccata, pro re difficili, & maxime morali: en tibi, quatuor distinctas, & casibus exemplificatas Regulas.

REGULA PRIMA.

19 *IDem numero peccatum censetur, quando intento, & durante eodem actu externo circa idem objectum solus actus internus sæpius, immo millies interruptus repetitur: nisi quando formaliter, vel interpretative revocatus, postea de novo assumitur*. Communis, Navarr. *cap. 6. n. 16.* Vasquez *disp. 75. cap. 2.* Layman, *cit. cap. 3. num. 4.* Ratio est, quia licet singuli actus interni circa objectum malum per se peccata sint, quamdiu tamen formaliter, vel interpretative non revocantur, censentur moraliter per modum unius continuari, & uniri in uno intento opere externo consummando, Exemp. gr. Titius succumbit tentationi carnis, consentit, efficaciter proponit, pergit, &c. Interim dum fervet opus, hanc suam malam voluntatem millies repetit, numquam tamen revocat formaliter, vel interpretative, sed ita constitutus manet, ut quotiescumque se reflectat super suum actum, semper consentiat, approbet, complaceat, &c. semper idem numero peccatum: quia omnes motus, & actus sequentes uniuntur moraliter cum primo actu in ordine ad eamdem primo intentam consummationem externam. Similiter voluntaria retentio rei alienæ per annum, vel annos plurimos, tametsi voluntas retinendi, vel non restituendi infinities interrupta repetatur, semper tamen idem numero peccatum mortale manet, nisi quando voluntas non restituendi revocata de novo assumeretur. Simili modo discurrendum in quovis alio peccato externo. Contra vero quoties prior actus internus peccandi formaliter, vel interpretative revocatur, modo explicato *num. 17.* toties censebitur actus interruptus moraliter, & tot distincta numero peccata. Et quidem per se loquendo numerus ejusmodi actuum esset explicandus in Confessione: sed quia hoc plerumque moraliter est impossibile, ideo ordinarie sufficiet exprimere moram temporis, v. g. *Integro mense perstiti in proposito, & voluntate fornicandi, occidendi, furandi, non restituendi, quod sæpius renovavi, antequam consummarem, &c.* Vasquez, Layman sup. Unde patet, posse aliquem integro mense, vel anno committere unum tantum peccatum moraliter non interruptum: e contra vero una hora committere centum peccata moraliter interrupta, &c.

REGULA SECUNDA.

IDem numero peccatum moraliter censetur, quando durante uno, eodemque actu interno consummandi peccatum externum, multiplicatur solus actus externus spectans ad eamdem consummationem peccati. Communis. Ratio 20
est. Quia unitas, idemque impetus actus interni ad consummandum peccatum externum aliquod, in genere moris tribuit etiam moralem unitatem distinctis actibus externis habentibus se per modum partium ad unam totalem consummationem. Exempla obvia. Qui eodem actu interno, eodemque commotionis impetu, alterum sæpius verberat, unum tantum peccatum committit, quamvis eo semper gravius, quo sæpius: ut si ita Clericum percussit, semel tantum est excommunicatus, uti ex jure bene probat Navarrus *cap. 6. num. 17.* Item qui eodem motu, & impetu sæpius Deum blasphemat, sæpius pejerat, sæpius homini maledicit, eamdem calumniam sæpius exprobrat, in eadem materia sæpius detrahit, &c. unum tantum peccatum committit saltem in ordine ad Confessionem Sacramentalem, ut sufficiat dicere: semel blasphemavi, pejeravi, maledixi, detraxi, &c. Nam illa repetitio fit, & impetu unius actus interni, & uno continuo quasi actu externo, adeoque nonnisi pro uno peccato reputanda, ut ex communi notant Navarr. Laym. *cit. cap.* Diana *par. 1. tr. 7. resol. 51.* Secus dicendum, quando quis per intervalla, etsi vi prioris impetus, iterato accessit ad percutiendum, blasphemandum, pejerandum, &c. aut eodem licet continuo impetu, vel plures homines injuria affecit, aut eidem homini diversæ rationis injurias intulit: v. g. appellando furem, adulterum, magum, &c. Tunc enim multiplicantur peccata externa, maxime in ordine ad Confessionem, ut latius videre potes *par. 3. Theol. Sacr. c. 3. a nu. 432.* Universaliter ergo, quoties uno actu interni, vel commotionis impetu committuntur plura peccata externa omnino disparata, quæ scilicet minime ordinantur ad unam consummationem externam, sed per se integræ consummationes sunt, ut si quis uno iræ impetu plures occidat; si tota nocte versans cum amasia, eodem voluntatis proposito continuato, peccandi toties, quoties poterit, actu sæpius peccet, &c. sine dubio tot distincta peccata mortalia committit, & in Confessione explicare debet: quia omnes isti actus externi fuerunt mali, & voluntarii consummati, nec refert, an distincti, vel uno actu voluntatis: Ut proinde in casu posito minime sufficiat (ut inepte vult quidam Recentior) dicere: *Fui per noctem cum amasia, & feci, quantum potui*. Quod recte refutat Diana *par. 3. tr. 4. res. 67.* Sed quid, si quis tota nocte versans cum amasia semel tantum peccatum consummet, & relinquum totum tempus aliis turpitudinibus consumpsit? Quamvis videatur esse mo-

se moraliter unum numero peccatum, propter eumdem non interruptum actum malum voluntatis: puto tamen, id explicandum esse in Confessione tamquam quid augens malitiam substantialem actus; cum impossibile videatur, totius noctis turpitudines sub uno actu fornicationis uniri: ut proinde non sufficiat dicere, *fornicatus sum semel*. Quamvis oppositum opinetur cum aliis Diana *p. 3. tr. 4. resol. 67.*

REGULA TERTIA.

21 I*Dem numero peccatum moraliter censetur, quando plures, vel plurimi actus tam interni, quam externi concurrentes, natura sua ad eumdem actum principalem ordinantur, & sub eodem intento, vel fine principali uniuntur*. Omnes. Ratio est. Quia licet singuli actus secundum se sumpti sint mali ex objecto, vel saltem ex illo uno malo fine intento, ad quem ordinantur, quatenus tamen omnes illi, tamquam media partialia, vel opera imperfecta spectant, & ordinantur ad unum finem, utrumque opus principale perfecte consummandum, censentur moraliter integrare unum malum, & peccatum. Exempla obvia. I. Qui furatur integram Bibliothecam, vel supellectilem, v. gr. per totam noctem sæpissime renovatis actibus internis, & iteratis ablationibus, etiam singulis ad mortale sufficientibus, unum tantum numero furtum committit: quia omnes isti actus uniuntur sub uno intento principali, scilicet auferendi totam talem quantitatem. Unde in Confessione sufficiet dicere, *Furatus sum Bibliothecam, vel supellectilem tanti valoris*, tacita iteratione actuum, Navarrus *cap. 16. num. 18.* Bonacina *tom. 2. disput. 2. quæst. 4. prop. 2.* II. Titius efficaciter volens occidere Cajum inimicum suum: in primis plurimos exercet actus internos odii, iræ, vindictæ, inquisitiones occasionum, electiones mediorum, &c. eosque sæpissime repetit actus, plurimos quoque exercet actus externos: pluribus diebus insidias struit, præstolatur, arma expedit, socios convocat, equum ascendit, proficiscitur, deprehensum inimicum verbis infestat, provocat, iterato ferit, tandem occidit, etiam mortuo jam ictus infligit, &c. Similiter volens peccare carnaliter usque ad consummationem, phui! quot distinctissimos actus internos exercet, & agitat? quot etiam actus externos, verba impudica, sollicitationes, tactus, &c. fœdum cogitare; Utrobique tamen omnes illi actus distinctissimi interni, & externi, una cum ipso actu principali, homicidio, fornicatione, &c. unum tantum numero peccatum constituunt: ut sufficiat confiteri actum principalem: *commisi homicidium voluntarium semel: fornicatus sum semel*. Nulla facta mentione actuum præcedentium, vel concomitantium, qui facile a Confessario intelliguntur. Quia nimirum omnes actus isti tam interni, quam externi, quantumvis physice distincti, natura sua ad actum principalem homicidii, vel fornicationis ordinantur, & sub illo, velut uno fine principali, uniuntur. III. Secus dicendum erit, si actus accedant ad illum actum principalem natura sua non ordinati, vel alias diversam malitiam continentes. Ut si occidas adhibito veneno, vel maleficio: si velis occidere, sed prius egregie cruciare, vel torquere: si ad finem fornicationis obtinendæ usus es philtris, vel mediis magicis? si antea solum habuisti delectationes morosas, aut inefficaces concupiscentias ad fœminam: si exercuisti oscula, tactus, amplexus impudicos sine intentione copulæ, & postea primo novo actu efficaci copula secuta est, &c. Tunc enim actus illi prævii interni, vel externi manent peccata seorsim, specie, vel numero distincta, ideoque seorsim confitenda, nisi ignorantia, vel inadvertentia excuset. IV. Etiamsi actus illi prævii ad actum principalem homicidii, vel fornicationis ordinati sint, si tamen, quacumque de causa non sequatur actus ipse homicidii, vel fornicationis, manebunt illi peccata seorsim dissoluta, ac seorsim confitenda, secundum omnes. Quia tunc non uniuntur in fine principali intento.

Hanc Regulam Doctores communiter, Navarrus *c. 6. num. 17.* Azor. *tom. 1. lib. 4. cap. 4. quæst. 6.* Layman, *lib. 1. tract. 2. c. 9. num. 8.* extendunt ad actus malos ipsum actum principalem concomitantes, vel immediate subsequentes tamquam accessoria, vel complementa: uti est gaudium, vel complacentia de actu consummato, colloquia, oscula, tactus, &c. sequentes actum venereum absque intentione, vel ordine ad novam copulam: adhuc nimirum constituere unum numero peccatum cum actu principali. Ideoque seorsim non debere narrari in Confessione, cum difficulter, & vix decenter explicari a Pœnitente, minus a Confessario inquiri possint, ut notat Laym. *loc. cit.*

REGULA QUARTA.

22 I*Dem numero peccatum censetur, quod committitur circa actiones ex natura, vel institutione sua integratas ex pluribus actibus conjunctis*. Exemp. gr. Celebrans in peccato mortali, etsi celebratio Missæ plures contineat actiones Sacramentales, utpote Consecrationem, Sumptionem, & Communicationem aliorum, non tamen tria, sed unum tantum peccatum mortale committit: quia omnes isti actus integrant unum numero ministerium celebrationis Missæ: ut proinde sufficiat confiteri: *celebravi in statu peccati mortalis semel*. Idem omnino dicendum de Sacerdote, qui una vice, & intentione notabiliter non interrupta, se exponit excipiendis Confessionibus, aut distribuendo Sacramento Eucharistiæ, existens in peccato mortali (quidquid intolerabiliter alii dicant) quotcumque absolvat, quotcumque sacras Hostias distribuat, unum tantum peccatum mortale committit: quia nimirum omnes illæ absolutiones, aut distributiones, ut modo actu continuo successivo fiunt, ad unum mortaliter pertinent ministerium absolvendi, vel communicandi. Hoc enim ministerium ex natura sua non determinat sibi certas personas, vel Hostias, quin potius postulat per modum sacri Tribunalis communis, ut omnibus ad tribunal accedentibus jus dicatur: omnibus ad mensam sacram accumbentibus sacrum ferculum apponatur; ac proinde in Confessione sufficiet dicere: *Ministravi Sacramentum pœnitentiæ, aut Eucharistiam* (*posita sententia etiam hoc esse mortale*) *in statu peccati mortali semel*. Aliud esset, si Sacerdos in mortali existens sæpius distinctis, & moraliter interruptis vicibus se præsentet ad absolvendum, vel communicandum. Tunc enim, sicut in peccato mortali censetur moraliter multiplicare ministeria sacra, ita sane, & multiplicabit peccat: qua ratione etiam is, qui in die Natali Domini omnes tres Missas celebraret in peccato mortali, ter peccat mortaliter, tria enim distinctissima sunt ministeria, ad invicem per modum unius minime ordinata. Vide Dianam *par. 5. tract. 6. resol. 41. & 43.* Sed de his omnibus latius vide *par. 3. Theol. meæ Sacram. cap. 3. quæst. 5. a num. 4. 26. per totum*.

SECTIO IV.

Peccatorum Divisiones variæ indicatæ.

SUMMARIUM.

23 *Peccatum personale, & actuale varie dividitur.*
24 *Explicatur peccatum commissionis, & omissionis.*
25 *Peccatum puræ omissionis physice quidem possibile est.*
26 *Moraliter tamen ordinarie fit cum actu positivo, scilicet voluntate omittendi, vel alio, qui omissionis causa fore prævidetur.*
27 *Quos solos, & sua tantum malitia inficit omissio.*
28 *Non item alios mere concomitantes, nisi & ipsi ex objecto, vel aliunde sint mali.*

PEccatum personale, & actuale ulterius dividitur. I. Penes *materiale*, in peccatum commissionis, & omissionis, 23 de quibus hac sectione. II. Penes *formale*, seu reatum culpæ, in mortale, & veniale, de quibus *cap. seq.* III. Penes subjectum peccati, in internum, & externum, seu peccatum cordis, oris, & operis, de quibus *cap. 6.* IV. Penes *causam peccati*, in peccatum ex ignorantia, infirmitate, & certa malitia, de quibus, & annexis, *cap. 7.* V. Penes objectum contra, vel circa quod peccatur, dividitur in peccatum contra Deum, contra proximum, & contra seipsum. Peccata contra Deum specialiter dicuntur, quæ opponuntur virtutibus Theologicis, Fidei, Spei, Charitatis, atque Religionis, de quibus in primo præcepto Decalogi. Peccata contra proximum dicuntur, quæ Charitati, & Justitiæ repugnant, de quibus in præceptis secundæ Tabulæ. Peccata contra seipsum dicuntur, quæ Temperantiæ, & Fortitudini adversantur, de quibus multa sparsim infra, præsertim *c. 6. & 7.* VI. Peccata alia dicuntur carnalia, alia spiritualia. Peccata spiritualia appellantur, quæ non consistunt in concupiscentia, sed in inordinata delectatione spirituali, vel animali interna, ut superbia, avaritia, &c. Carnalia dicuntur, quæ consistunt in concupiscentia, & inordinata delectatione externa, ut gula, & luxuria. Indicat hanc divisionem Apostolus *2. Chorint. 7. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus*. Et docet S. Gregorius *lib. 31. Moral. cap. 31.* dicens ex septem vitiis capitalibus quinque esse spiritualia; inanem gloriam, invidiam, avaritiam, iram, acediam: & duo carnalia; ingluviem, seu gulam, & luxuriam, de his *c. 7. sect. 4. tota*. Sed hic primo loco explicanda veniunt

Peccatum Commissionis, & Omissionis.

PEccatum commissionis est actus voluntarius malus, factus contra præceptum negativum: ut odium, homicidium, adulterium, furtum, &c. Hi enim actus sunt contra præcepta negativa, *non occides, non mœchaberis, non furtum facies*. Quorum præceptorum negativorum, seu prohiben- 24

hibentium ea natura est, quod obligent semper, & pro semper: quia scilicet nullo unquam temporis momento licet committere, quod universaliter prohibetur. Peccatum omissionis est privatio actus debiti ex præcepto affirmativo, ut *non amare Deum, vel proximum, quando oportet: non succurrere proximo extreme egenti: non restituere alienum: negligere Sacrum, Horas, studia, aliudve opus ex lege, officio, obedientia debitum.* Omnia sunt contra præcepta affirmativa, seu præcipientia, quorum ea natura est, quod obligent semper, at non pro semper, sed solum pro determinato tempore per legem, vel rectam rationem. Unde patet, peccatum commissionis posse fieri omni tempore, non item peccatum omissionis: v. g. semper in die potest quis blasphemare, maledicere, &c. at die festo, non potest nisi semel Sacrum omittere. De peccato commissionis generatim nihil hic dicendum speciale, præter dicta, & dicenda in sequentibus. Aliqua vero ad moralia spectantia explicanda sunt de peccato omissionis, quæ potest esse voluntaria, aut directe, cum quis directe, & ex proposito vult omissionem, ut nolo hodie audire Sacrum, dicere Horas, &c. aut indirecte, cum quis directe, & ex proposito solum vult actum aliquem incompossibilem cum executione actus debiti, vel cum impletione præcepti.

ASSERTIO V.

PEccatum omissionis puræ possibile physice: moraliter fit cum actu positivo, scilicet voluntate omittendi, vel alio actu, qui causa omissionis fore prævidetur: quos sola sua tantum malitia inficit, non item alios actus mere concomitantes. Ita Auctores citandi.

§. I.

25 PEccatum puræ omissionis possibile physice. Hoc est. Simpliciter, & physice potest dari pura omissio voluntaria, libera, & culpabilis absque omni actu positivo moraliter afficiente omissionem. Ita Scotus *in 4. dist. 49. qu. 20.* cum suis, & aliis apud Tanner. *tom. 2. disp. 4. q. 4. dub. 1.* Ratio solida est. Quia voluntas libera est, non tantum quoad specificationem, ut, proposito objecto, possit illud velle, vel nolle positive, sed etiam, & multo magis quoad exercitium, ut proposito quocumque objecto, possit illud velle, vel non velle, omnino negative se habendo: posito ergo dictamine, *hic, & nunc Deum amandum, Sacrum audiendum esse, &c.* poterit voluntas non tantum velle, aut nolle positive, sed etiam suspendendo omnem actum, & mere negative se habendo *non velle*: atqui hoc posito, erit omissio pura, voluntaria, ac libera, ideoque culpabilis: *Voluntaria* quidem, non utique positive directe, vel indirecte, ut per se constat, sed interpretative tamen, & tacite, quia nimirum voluntarie non est nolita, cum posset, & deberet: quidquid enim voluntas potest, & debet nolle, vel cavere, & non cavet, interpretative, & tacite velle censetur, secundum omnes. *Libera* vero, & culpabilis est, quia inest voluntati pro instanti, quo potest, & debet ei non inesse, quia pro eodem instanti potest, & debet ei inesse actus oppositus, *velle amare Deum, velle audire Sacrum, &c.* Ergo datur omissio pura voluntaria, & culpabilis, saltem interna, absque omni actu positivo moraliter concurrente. Atqui eadem est ratio de omissione externa Sacri v. gr. Nam aliquis die Festo studio vacans, & interim, audito signo, recordatus obligationis de Missa audienda, potest absque omni actu positivo de Missa audienda, vel non audienda, simpliciter pergendo in studiis Sacrum negligere, absque eo, quod ex aliquo affectu positivo studiorum negligat. Quo casu iterum erit omissio pura, voluntaria, libera, culpabilis, eadem ratione, qua supra: ergo datur peccatum puræ omissionis etiam externum absque omni actu positivo moraliter afficiente ipsam omissionem, qui scilicet aliquo modo sit causa omissionis, seu ex cujus affectu fieret ipsa omissio. Cæterum evidens est, omissionem, præsertim externam, semper conjunctam esse cum alia actione, si actio late sumatur, etiam pro somno, quiete, &c. Dum enim quis omittit Sacrum, interim necessario aliquid cogitat, dicit, facit, ambulat, sedet, jacet, &c. non tamen necessario aliquid facit, propter quod velit omittere Sacrum.

§. II.

26 MOraliter fit cum actu positivo, scilicet voluntate omittendi, vel alio actu, qui causa omissionis fore prævidetur. Ita enim ordinarie fieri satis experientia probat: idque solum probant Auctores adversarii, & vult S. Thomas 1. 2. *quæst. 71. art. 5.* Quæstio hic solum est, quando fiat peccatum omissionis. Contrariæ sunt sententiæ Doctorum. Alensis, Richardus, alii cum Vasquez, *disput. 47. cap. 2.* absolute volunt, fieri eo tempore, quo ponitur causa omissionis, & non quando fit omissio, quia tunc non est amplius in potestate agentis. Contra D. Thomas 1. 2. *qu. 79. art. 3. ad 3.* Sanchez *lib. 4. Moral. cap. 17. nu. 9. & alii* absolute volunt, fieri eo tempore, quo præceptum est implendum, quia pro illo tempore dumtaxat obligat præceptum. Utraque sententia in suo sensu vera est. Nam I. certum est apud omnes, peccatum omissionis formaliter inchoari eo tempore, quo ponitur voluntas omittendi, vel actus, qui causa omissionis fore prævidetur, & saltem materialiter compleri, vel consummari eo tempore, quo fit omissio actus præcepti. Ratio patet. Quia peccatum omissionis formaliter, & complete consistit in voluntaria, & actuali privatione actus debiti pro tempore, quo obligat præceptum, v. gr. audiendi Sacrum mane, atqui omissio illa incipit esse voluntaria eo puncto temporis, quo ponitur voluntas omittendi, vel causa secuturæ omissionis: actualis autem omissio fit, quando transit tempus ponendi actum præceptum, puta hora Missæ: ergo peccatum omissionis formaliter incipit, quando ponitur voluntas, vel causa omissionis, & completur saltem materialiter, quando fit ipsa omissio: idque maxime in ordine ad Judicium Sacramentale: semper enim necessarium est, & sufficit confiteri ipsam omissionem voluntariam: item in ordine ad pœnas, vel censuras Ecclesiasticas forte propter omissiones impositas, quæ non incurruntur, nisi tempore, & ratione omissionis completæ. II. Certum est apud omnes, peccatum omissionis formaliter durare, & consummari eo tempore, quo fit omissio actus præcepti, quando eo usque manet in potestate hominis implere præceptum, & mala voluntas directa, vel indirecta omittendi revocata non fuit. Quia tunc ipsa actualis omissio est adhuc plene voluntaria, aut directe in voluntate omittendi, aut indirecte in causa voluntarie posita, & non ablata, cum adhuc posset auferri. Et sic verissima est secunda *Sententia*. III. Certum quoque esse debet, peccatum omissionis formaliter non posse amplius durare, vel compleri tempore, quo fit omissio, quando non est amplius in potestate hominis implere præceptum & ante tempus implendi præceptum voluntas mala jam revocata fuit: ut si jam sis in itinere volens, sed non potens amplius audire Sacrum: tunc enim omissio secuta non potest amplius esse peccatum, cum nullo modo sit amplius voluntaria, nec directe in se, nec indirecte in causa posita, quam velles, sed non potes amplius auferre: de quo etiam *supra c. 2. de voluntario indirecto* mentio facta. Et sic verissima est sententia prima. IV. Ut vero, quando quis voluntarie posuit causam omissionis, qua se reddidit impotentem implere præceptum: ut si die Festo conferas te ad iter, potationes, somnum, prævidens te necessario omissurum Sacrum, & postea amplius non potes audire, nec voluntatem malam revocans, omittis, siquidem tunc adhuc revocare possis, adhuc tunc formaliter complebitur peccatum omissionis. Quia tunc illa omissio licet non sit amplius actu voluntaria in se, vel in sua causa, est tamen adhuc voluntaria virtualiter, in sua causa voluntarie posita, seu ante habita mala voluntate agendi aliquid incompossibile cum auditione Sacri nondum pœnitendo revocata, cum tamen adhuc revocare posses, ut supponitur: quod si vero tunc amplius revocare non possis, ut si jam dormiens, vel plene ebrius omittas, sane actualis omissio non poterit esse amplius peccatum, quia nullo modo amplius voluntaria. Et sic rursus utraque sententia diversa ratione vera est.

§. III.

QUos solos, & sua tantum malitia inficit. Hoc est. Ipsa voluntas, seu propositum omittendi, & omnis actus, qui est causa peccaminosæ omissionis, peccatum est, juxta rationem omissionis, nullo tamen modo distinctum ab ipso peccato omissionis. Communis cum S. Thoma 1. 2. *qu. 71. art. 5.* Ratio est: quia omnis voluntaria causa peccati peccatum est, juxta rationem peccati causati: sed & ipsa voluntas omittendi aliquid debitum, v. g. Sacrum, Horas, &c. & omnis actus voluntarius causans omissionem actus debiti, seu cujus affectu operans omittit actum debitum, est causa voluntaria illius peccaminosæ omissionis, ut ex terminis patet: ergo, & voluntas omittendi, & actus causans omissionem (etsi alioquin indifferens, vel etiam ex objecto bonus esset, ut si omittas Sacrum, ut interim studeas, ægrum invisas, aliudve opus pium non magis debitum præstes) semper est peccatum pro ratione omissionis, nullo tamen modo, specie, vel numero distinctum ab ipsa omissione peccaminosa: quia nimirum secundum se nullam, ut supponitur, habet malitiam peccati, sed præcise relative ad omissionem: quatenus scilicet est causa, vel medium omissionis peccaminosæ, ideoque omnino idem specie, & numero peccatum constituit cum peccato omissionis. Unde licet illi actus materialiter positivi sint, & commissiones, formaliter tamen ut peccata, quia præcise habent malitiam omissionis simpliciter peccatum omissionis dici debent; & in confessione sufficit dicere omissionem: v. gr. *omisi Sacrum, &c.* tacendo actus, qui causa fuerunt omissionis, & aliunde peccata non sunt. 27

§. IV.

28 **N**On item alios omissionem mere concomitantes. Hoc est. Actui, qui nullo modo causa sunt omissionis, sed mere per accidens omissionem comitantur; ut si die festo ob suspectam tempestatem, vel aliam causam jam decrevisti omittere Sacrum, postea vero tempore Sacri audiendi, ut tempus teras, velis ambulare, ludere, studere, ægrum invisere, &c. nullo modo peccata sunt: sed manent actus indifferentes, vel etiam boni, quales sunt ex objecto. Medina, Angles, Azorius, alii cum Layman *lib.* 1. *tr.* 3. *c.* 4. *num.* 3. Ratio est: quia tales actus mere concomitantes omissiones, nullam omnino habent malitiam: neque ex se ipsis, ut supponitur: neque ratione omissionis, quia ad illam nullo modo concurrunt, vel referuntur; neque etiam ex circumstantia talis temporis Sacri indebiti, quo nimirum est obligatio audiendi Missam, vel alterius Præcepti: nam seclusa omissione Sacri, ad quam talis actus omnino est impertinens, solum tempus minime redderet actum malum: ergo, &c. Idemque dicendum, cum actui, qui est causa omissionis, per accidens alius actus conjungitur. Ut si volens omittere Sacrum exspatiandi gratia, casu offendas ludentes, potantes, piscantes, venantes, iisque te præter priorem intentionem conjungas: lusus ille, potatio, piscatio, venatio non fiunt mala ratione omissionis: quia, seclusis illis, tamen vi prioris intentionis nihilominus foris maneres, & Sacrum omitteres.

DICES cum adversariis Valentia, Vasquez, & aliis. Hoc ipso, quo tali tempore audire Sacrum teneor, etiam teneor illo tempore abstinere ab omni alio opere incompossibili cum auditione Sacri: ergo hoc ipso, quo tempore Sacri exerceo opus incompossibile, pecco. Respondetur, distinguendo antecedens. Teneor tunc abstinere, per se directe; nego antecedens. Per accidens, & indirecte, quatenus teneor audire Sacrum: concedo antecedens, & nego consequentiam. Quia non pecco, vel transgredior legem audiendi Sacrum per illum actum contrarium incompossibilem, nisi quia, & quatenus est mihi aliquo modo causa voluntaria transgressionis, seu omissionis præcepti, quod non contingit in proposito.

Excipiendum semper. Nisi actus causans, vel concomitans omissionem ipse ex objecto, vel alia circumstantia malus esset. Ut si velis omittere Sacrum, ut interim bibas, fornliceris, occidas. Tunc enim apud omnes constat esse duplex peccatum. II. Si quis actu causante, vel comitante omissionem, se etiam impotentem redderet multo tempore ad implendum præceptum. Ut si nolens dicere Horas in diuturna navigatione Breviarium in aquas projicias: aut nolens servare emissum votum simplex Castitatis, vel Religionis ingrediendæ, Matrimonium contrahas, &c. Talis actus est distinctum peccatum ab omissione, & ut distinctum in Confessione fatendum. Quia enim facile contingere potest, ut homo pœnitentia ductus malam voluntatem omittendi opus debitum revocet, & implere velit, nova, & distincta malitia est ultra voluntatem omittendi, etiam se pro tanto tempore, vel impotentem reddere ad implendum opus debitum, etiam cum maxime volet, ut cum aliis notat Layman. *cit. num.* 4. III. Si quis tempore Sacri volens ludere, potare, venari, &c. tam inordinatum affectum erga ejusmodi actus gereret, ut ideo paratus sit legem Dei transgredi, ejusque gratia, & amicitia privari, distinctum, & gravissimum peccatum committeret contra Charitatem Dei: quia in eo actu ultimum finem constitueret secundum omnes. Sed de hoc audies *cap. seq.*

CAPUT V.

DE PECCATO

Mortali, & Veniali.

SUMMARIUM.

1 *Peccata non sunt æqualia.*
2 *Nec omnia mortalia.*
3 *Sed aliqua venialia tantum.*
4 *Etiam ex natura sua, non solum ex miseratione divina.*

ASSERTIO I.

P*Eccata non sunt omnia æqualia: nec omnia mortalia: sed aliqua venialia: etiam ex natura sua.* Certa, & Orthodoxa doctrina: cujus brevis esto explicatio.

§. I.

1 **P***Eccata non sunt omnia æqualia;* nimirum in gravitate, quoad propriam malitiam, sed alia aliis graviora. Constat aperte ex Scriptura. Thren. 4. *Major effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum.* Joan. 19. ait Christus ad Pilatum: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Idemque significat *Matth.* 5. infra citando. Ratio est, quia pœna debet respondere gravitati peccati: sed utroque jure divino, & humano graviori pœna punitur homicidium, quam furtum; adulterium, quam simplex fornicatio; convicium publicum in Imperatorem, vel Papam, quam in civem plebejum, &c. Nam quoad generalem rationem offensæ Dei, aversionis a Deo, privationis divinæ gratiæ, & beatitudinis, sine dubio omnia peccata mortalia sunt æqualia. Quia minimum peccatum mortale æque, ac maximum offendit Deum, avertit a Deo, privat gratia, & amicitia divina. Ad dignoscendum autem, quæ peccata aliis graviora sint, accipe breviter has Regulas.

I. Peccata per se, & intrinsece mala, cæteris paribus, graviora sunt, quam peccata solum ex prohibitione legis mala. Illa enim naturalem deformitatem habent contra rationem, & ipsam legem naturalem: hæc non item, sed quoad substantiam bona sunt, vel indifferentia, ut comedere carnes die vetito.

II. Inter peccata per se, & intrinsece mala, graviora sunt, quæ adversantur majori bono, seu objecto nobiliori. Sic peccata contra Deum, odium DEI, hæresis, blasphemia, &c. longe graviora sunt, quam peccata contra hominem. Et inter peccata contra hominem, gravius est homicidium, quam detractio, vel furtum, quia majus est bonum vitæ, quam bona externa famæ, & fortunæ.

III. Inter peccata ex prohibitione legis tantum illa graviora sunt, quæ adversantur præcepto majoris momenti, v. g. Die festo præcipitur auditio Sacri omnibus, & simul certis personis custodia oppidi: gravius peccatum esset negligere custodiam civitatis, quam negligere Sacrum: quia materia illius præcepti est majoris momenti, ad bonum commune, & gravius damnum evitandum.

IV. Universaliter, cæteris paribus, majus peccatum est, quod opponitur majori, seu nobiliori virtuti. Quare omnium gravissimum peccatum est odium DEI, quia oppositum excellentissimæ virtuti. Et furtum, vel detractio gravius est peccato ebrietatis: quia illud opponitur Justitiæ, hoc Temperantiæ, quæ inferior est virtus, ut notat S. Thomas 1. 2. *q.* 2. 3. *art.* 4. Intellige semper *per se, & cæteris paribus.* Nam per accidens peccata inferioris speciei possunt esse graviora, quam peccata superioris speciei, v. gr. odium Dei, vel blasphemia ex subreptione, sine sufficienti deliberatione fit veniale, ideoque minus peccatum, quam furtum deliberatum, vel detractio gravis. Et peccata sub genere intemperantiæ maxima, v. g. bestialitas, sodomia, sine dubio graviora sunt peccatis sub genere Justitiæ non maximis, ut ex communi notat Layman. *lib.* 1. *tr.* 3. *c.* 2. *n.* 4.

§. II.

N*Ec omnia mortalia.* Esse peccata mortalia, fide certissimum est. Sap. 26. *Homo per malitiam occidit animam suam.* Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Rom. 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Gal. 4. *late, ac alibi.* Ratio ergo a Scripturis petita est. Quia per peccatum mortale intelligitur id, quod excludit a gratia, & amicitia divina, & consequenter a beatitudine æterna, mereturque pœnam æternam: ideoque dictum mortale, quod privet animam spirituali vita gratiæ, & gloriæ, & inferat spiritualem mortem culpæ, & pœnæ æternæ: sed talia esse peccata apertissime loquitur Scriptura, & nimis notum fidelibus: ergo. 2

§. III.

S*Ed aliqua venialia.* Non omnia peccata tam infidelium, quam fidelium esse mortalia, sed aliqua vere esse, & dici venialia, certum de Fide: Conc. Trid. *sess.* 6. *Can* 7. & 25. Ratio iterum ex Scriptura petita est. Quia per peccatum veniale intelligitur id, quod ex sui levitate non excludit a gratia, & beatitudine, sed stat cum gratia, justitia, & amicitia Dei, neque pœnam meretur æternam: sed dari ejusmodi peccata levia evidenter constat ex sacris Litteris: Nam I. Justis etiam tribuuntur peccata. Prov. 20. *Quis potest dicere; mundum est cor meum: purus sum a peccato?* Prov. 24. *Septies in die cadit justus, & resurgit, impii autem corruent in malum.* 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est.* Jacob. 3. *In multis offendimus omnes.* Joannes autem, & Jacobus sine dubio justi fuerunt. Denique ad omnem justum spectat orare: *Dimitte nobis debita nostra, &c.* Atqui in justis non potest esse peccatum mortale, quod nullo modo potest stare cum justitia, & gratia divina: ergo. II. Christus Dominus in Evangelio sæpius distinguit peccata gravia, & levia, comparans camelo, & culici, Matth. 23. trabi, & festucæ, in ocu- 3

culo. Luc. 6. Sed expressius Matth. 6. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, racha: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis.* Ubi Salvator expresse significat, aliquem per peccatum posse esse reum culpæ, & pœnæ, non tamen simul gehennæ, seu damnationis æternæ, quod non competit, nisi peccato veniali. Rursus Matth. 12. ait. *Qui autem dixerit blasphemiam contra Spiritum Sanctum, non remittuntur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro,* Ubi supponit Dominus aliqua remitti in futuro sæculo: sed certum est in futuro sæculo non posse remitti mortalia; ergo intelligit venialia. III. Illustrissimum, & invictum testimonium ponit Apostolus 1. Corint. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit: quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem.* Sic Apostolus, apertissime ostendens fidei formatæ in Christum superædificari posse non tantum aurum, argentum, & lapides pretiosos, id est, opera justa, & virtuosa: sed etiam lignum, fœnum, stipulas: id est, peccata aliqua levia, utique non mortalia: ergo venialia, & temporali tantum pœna eluenda: *Salvus erit: Sic tamen, quasi per ignem.* IV. Accedit consensus SS. Patrum: nominatim D. Hieron. *l.* 2. contra Jovinian. D. Joan. Chrysost. *hom.* 24. in Matth. D. Augustini Enchyridii *cap.* 27. Ubi dicit: *De quotidianis levibus peccatis,* sine quibus hæc vita non ducitur, quotidie fidelium oratio satisfacit, &c. Plura vide apud Bellarm. *l.* 1. *de amiss. gratiæ c.* 13.

§. IV.

4 Etiam ex natura sua: Et non tantum ex miseratione, & bonitate divina peccata venialia sunt: *Omnis Orthodoxi.* Ratio ex dictis patet. Quia omnia peccata ex natura sua, vel sunt æque digna damnatione æterna, vel non: atqui non Primum. Si enim omnia peccata sunt æque digna damnatione æterna ex natura sua, cur per aliqua tantum peccata, & non per omnia destruitur Fides formata, justitia, gratia, & amicitia cum Deo? ut apertissime docet Scriptura; Nec potest dici, ideo aliqua peccata non expellere justitiam, & gratiam Dei, quia Deus ex sua bonitate ea de facto non imputat ad pœnam æternam: Non enim ideo peccata sunt digna pœna æterna, quia Deus illa imputat, vel vult punire pœna æterna: sed e contra, ideo illa Deus imputat, & vult punire pœna æterna, quia sunt digna tali pœna æterna, ita exigente ratione justitiæ suæ, ideoque quæ de facto non punit pœna æterna, ex se non sunt digna tali pœna æterna. Ergo dicendum est secundum, scilicet, non omnia peccata esse æque digna pœna æterna, sed venialia ex se, & natura sua. Vide Bellarmin. supra. His ita pro fundamento suppositis, esto

SECTIO I.

Peccati mortalis, & venialis definitio, & differentiæ.

SUMMARIUM.

5 *Peccati mortalis, & venialis differentiæ magis propriæ.*
6 *Eorum differentiæ ambiguæ.*
7 *Regulæ intrinsecæ ea inter se distinguendi.*
8 *Regulæ extrinsecæ ea distinguendi.*

ASSERTIO II.

Peccatum mortale est defectus contra legem, vel præceptum, cujus observantia necessaria est simpliciter ad conservandam gratiam, & salutem finalem consequendam: Veniale vero est defectus contra legem, vel præceptum, cujus observatio non simpliciter necessaria est, sed tantum secundum quid, ad melius, vel citius consequendam salutem finalem. Hæc reipsa coincidit cum aliis definitionibus, & differentiis communiter a Doctoribus assignatis, quibus prior videtur, & potior. Explico.

§. I. *Peccati mortalis, & venialis differentiæ veræ.*

Peccatum mortale, & veniale communissime dicuntur differre in hoc, quod mortale avertat a Deo ultimo fine simpliciter, veniale autem non avertat, nisi secundum quid. Explicatum *supra Assert.* 2. *per totam.*
5 II. Differre in hoc, quod mortale simpliciter tollat Charitatem, quæ est conjunctio cum Deo ultimo fine: veniale vero non tollat, sed solum minuat Charitatem. Unde peccatum mortale dicitur mors animæ, veniale vero languor, & infirmitas tantum. Et hoc ipsum est dicere, quod peccatum mortale simpliciter sit aversio a DEO, ut ultimo fine, quatenus nimirum ejus gratiam, amicitiam, & conjunctionem per Charitatem omnino destruit: veniale vero non sit aversio a Deo ultimo fine simpliciter: quia illam conjunctionem non destruit, sed solum minuit, faciendo ut homo minus fervide feratur in Deum ultimum finem per Charitatem.

III. Differre in hoc, quod peccatum mortale sit contra præceptum, simul & finem præcepti, scilicet Charitatem, quam tollit (*finis enim legis dilectio*) peccatum vero veniale sit quidem contra præceptum aliquod, non tamen contra finem præcepti, scilicet Charitatem, quia illam non tollit, licet ejus fervorem minuat. Communis modus loquendi: sed, ut videas, omnino coincidens cum præcedentibus.

IV. Secundum omnes differunt in reatu pœnæ: quod nimirum peccatum mortale mereatur per se pœnam æternam: veniale vero temporalem tantum. Atqui his omnibus prior, & potior videtur differentia a nobis *asserta.* Ideo enim peccatum mortale meretur pœnam æternam, quia est aversio simpliciter a Deo, quatenus destruit Charitatem, seu conjunctionem cum Deo ultimo fine: & ideo destruit Charitatem, & conjunctionem illam cum Deo, quia est *contra legem, vel præceptum, cujus observantia est simpliciter necessaria ad conservandam gratiam, & salutem finalem, seu Beatitudinem consequendam:* non sic peccatum veniale, uti positum in assertione.

§. II. *Peccati mortalis, & venialis differentiæ ambiguæ explicatæ.*

Dicuntur differre in hoc, quod peccatum mortale sit contra præceptum, veniale vero contra consilium tantum. 6
In rigore accipiendo consilium proprie, falsum est, alioquin nubere esset peccatum veniale, contra Apostolum 1. *Corinth.* 7. Sed verum in sano sensu, accipiendo consilium large, pro omni eo, quod non simpliciter necessarium, sed tamen valde utile est ad consequendam salutem finalem. Et sic omnino coincidit cum modis supra positis. Atque ita seipsum explicat Scot. *in* 2. *disp.* 21. *q.* 1.

II. Differre in hoc, quod peccatum mortale sit contra legem; veniale vero non sit contra, sed tantum præter legem. Sic loquuntur magni Doctores D. Bonaventura, Alensis, alii. In rigore etiam falsum est, cum nullum possit esse peccatum, quod non sit contra legem, vel præceptum aliquod: ut ex dictis constat. Verum tamen sano sensu intelligendo agere *contra legem,* esse idem, ac agere contra finem legis, scilicet Charitatem: agere vero *præter legem,* esse idem, ac non agere contra finem legis, seu Charitatem. Et sic coincidit cum tertio modo *sup. numer. præc.* explicato.

III. Differre in hoc, quod peccatum mortale sit circa finem: veniale vero circa media tantum. Itidem in rigore falsum, & merito refellitur a Scoto *loc. cit.* Vasquez *disp.* 143. *c.* 2. *ac aliis.* Quia licet omnia peccata circa finem, scilicet DEUM directe commissa mortalia sint: multa tamen etiam peccata circa media, scilicet creaturas commissa mortalia sunt, ut furta, homicidia, adulteria. At verum tamen in sano sensu supra posito: quod nimirum peccata mortalia sint contra finem DEUM, quia tollunt conjunctionem cum Deo, ut ultimo fine per Charitatem: Venialia vero sint circa media ad hunc finem ordinata, quia scilicet minuunt fervorem Charitatis, hominem ad media perfectiora, ac tutiora salutis capessenda, ac leves etiam defectus cavendos inclinantis.

IV. Denique constat apud omnes, peccatum mortale, & veniale intrinsece non necessario differre specie: sive sumantur materialiter pro ipso actu peccaminoso; cum sine dubio idem specie actus possit esse modo peccatum mortale, modo veniale: sive sumantur formaliter, secundum rationem specificam malitiæ, seu deformitatis contra virtutem, vel legem: Sic enim furtum magnum est mortale, parvum veniale, etsi non tantum actus, sed etiam malitiæ sint ejusdem rationis contra eamdem legem & virtutem Justitiæ: attamen recte dicuntur specie, immo toto genere differre, extrinsece, & objective, seu quoad objectum, & effectum ultimatum. Quia nimirum peccatum mortale avertit a DEO ut ultimo fine, & infinito bono, eaque ratione est malitiæ quodammodo infinitæ, ut supra explicavi: & ideo quodammodo infinite distat a peccato veniali, quod non avertit a DEO simpliciter, sed solum secundum quid retardat. Item peccatum mortale est mors animæ: veniale levis infirmitas tantum. Vide S. Thom. 1. 2. *q.* 72. *art.* 5. & *q.* 78. *art.* 5. *q.* 88. *art.* 2. & 6.

§. III. *Regulæ intrinsecæ distinguendi peccatum mortale, & veniale.*

7 OMne peccatum cedens in gravem Dei, seu honoris, & cultus Deo debiti injuriam mortale est. Ut sunt omnia peccata contra virtutes Theologicas, Fidem, Spem, Charitatem. Item contra Religionem, de quibus mox iterum *sect. seq.*

II. Omne peccatum graviter lædens Charitatem, & Justitiam erga proximum in bonis animæ, corporis, famæ, fortunæ, seu cedens in grave nocumentum spirituale, vel temporale, mortale est: si leve nocumentum, veniale censeri debet.

III. Omne peccatum cedens in grave nocumentum salutis propriæ spiritualis, vel corporalis, mortale est, ut peccata luxuriæ, & ebrietatis perfectæ. At vero secluso gravi detrimento salutis spiritualis, vel corporalis, omnia peccata commissa contra proprium bonum per se venialia sunt. Ut inordinata dispositio bonorum temporalium, prodiga profusio, negligens cura, aut nimia sollicitudo, tenacitas &c. nimia cura, vel neglectus propriæ famæ, & honoris, infamatio sui ipsius &c. Quæ tamen per accidens sæpe fieri mortalia, nimis notum est. Ex communi Azorius *to.* 1. *lib.* 4. *c.* 9. *q.* 8. Sanch. *l.* 2. *Moral. c.* 24.

IV. In his ipsis discernendis semper tria attendenda sunt. 1. Natura actus peccati. 2. Materia peccati gravis, vel levis, tam ex objecto, quam ex fine, & circumstantiis. 3. Perfectio, & imperfectio actus. Quæ omnia late exemplificabuntur in sequentibus.

§. IV. *Regulæ extrinsecæ distinguendi peccatum mortale, & veniale.*

8 OMnia peccata contra præcepta divina in Decalogo, Evangelio, vel alibi expressa, in materia gravi mortalia sunt; in materia levi, si detur, venialia. Peccata vero contra præcepta humana, tunc solum sunt mortalia, quando concurrunt & materia gravis, & intentio Legislatoris volentis obligare sub mortali. *Communis doctrina in materia de legibus.*

II. Quæcumque peccata dicuntur in sacris Litteris *excludere a regno cœlorum*: *esse abominabilia, vel abominationem coram Deo, morte digna*: ut adjunctam habent comminationem mortis, aut maledictionem expressam, vel implicitam, utpote cum dicitur: VÆ talia agentibus, &c. signum est, esse mortalia: Si autem mitioribus terminis utatur Scriptura; signum est, esse venialia tantum. Exemp. gr. Ephes. 5. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, & avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est Idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.* Ubi Apostolus non repetit, sed subticet stultiloquium, & scurrilitatem, contentus dixisse supra, *quæ ad rem non pertinent*: scilicet vana, inordinata, imperfecta esse: ideoque inter venialia computanda. At vero fornicationem, immunditiam, avaritiam, abominanda dixit, nec nominanda a Sanctis, & excludere a regno Dei: ac proinde peccatis mortalibus accensenda.

III. Quando ex terminis præceptorum, vel Scripturæ sacræ non constat de qualitate peccati mortalis, vel venialis, recurrendum est ad traditionem Ecclesiæ. Quidquid enim in Ecclesia Catholica communiter habetur pro peccato mortali, proculdubio pro tali habendum est. Inde enim cognoscimus, omittere Sacrum, vel Horas, violare jejunium, communicare sine prævia Confessione peccati mortalis cogniti &c. esse mortalia. E contra vero, quod communiter non habetur pro mortali, non necessario confitendum, per orationem Dominicam, aquam benedictam, aliaque media satisfactoria expiari posse &c. veniale censeri debet. Quia nimirum Spiritus Sanctus Ecclesiam a se gubernatam, in re tanti momenti salutem animarum concernente non sinit errare.

IV. Si neque ex traditione Ecclesiæ certo constet, recurrendum est ad sententias SS. Patrum, & Doctorum, qui in Ecclesia communiter Auctoritatem sortiti sunt. Juxta illud Malach. 2. *Labia Sacerdotum custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus.*

SECTIO II.

Peccatum mortale ex genere suo fit veniale in individuo per accidens.

SUMMARIUM.

9 *Quid sit mortale ex genere suo; & quid tale per accidens.*

10 *Peccatum alias ex genere suo mortale, fit veniale, ex conscientia erronea.*

11 *II. Ex causa excusante, v. g. ignorantia, necessitate, metu &c.*

12 *III. Ex imperfectione actus, debitæ scilicet advertentiæ in intellectu, vel consensus ex parte voluntatis. Et*

13 *IV. Ex parvitate, vel levitate materiæ.*

14 *Regula I.* In peccatis, quibus *directe* læditur perfectio Dei infinita, aut bonum quodvis magnum invisibiliter, non datur parvitas materiæ.

15 *Ut I. In peccatis contra virtutes Theologicas*: Fidem, Spem, & Charitatem.

16 *II. In peccatis contra virtutem Religionis*, directe *in Dei injuriam vergentibus, ut in superstitione, blasphemia, perjurio assertorio, sacrilegiis &c.*

17 *III. Nec in homicidio, & vix in mutilatione.*

18 *IV. Nec in materia venerea deliberate*, directe *intenta.*

19 *Bene vero in materia venerea* indirecte *tantum voluntaria admittenda est parvitas a mortali excusans.*

20 *Resolutio casuum communiter contingentium.*

21 *Regula II.* In peccatis omnibus, quibus læditur bonum finitum divisibile tantum, dari potest parvitas materiæ a mortali excusans.

22 *Ut I. In primo præcepto Decalogi quoad superstitiones solum ex simplicitate, levitate, vel curiositate sine certa fide adhibita exercitas.*

23 *II. In secundo præcepto, quoad violationem voti, & juramenti promissorii.*

24 *In tertio præcepto quoad celebrationem, & auditionem Missæ, ferias, jejunia, & generaliter in omni cultu divino.*

25 *In præceptis secundæ tabulæ, quoad læsionem proximi in bonis famæ, honoris, & fortunæ.*

26 *Materia in furto gravis* absoluta *respectu cujuscumque etiam opulentissimi; sunt duo circiter ducati*, respe*ctiva vero ad conditiones personarum quantitas sufficiens ad victum unius diei.*

27 *Regula III. Quantitas materiæ in omnibus peccatis (eam admittentibus) desumi debet ex tribus*, 1. Ex ipsa re secundum se. 2. Ex comparatione ad totum, quod præcipitur, & 3. maxime ex fine præcepti.

28 *Exemplificatur* 1. *in lectione, & 2. retentione librorum hæreticorum. 3. in percutione Clerici, & 4. in aliis censuris, ac casibus reservatis.*

29 *Regula IV.* Tertia, vel quarta pars cujuscumque totius notabilis est, nisi ipsum totum sit exiguum: non vero minor quarta, nisi secundum se seorsim sumpta sit valde notabilis, vel officiens fini præcepti.

30 *Exemplificatur* 1. *In Horis Canonicis. 2. In Feriis. 3. In Jejunio, & 4. In Votis.*

PEccatum mortale ex genere dicitur, quod ex proprio objecto suo, seclusa malitia alterius speciei, est, vel 9
potest esse mortale. Triplex assignari solet. I. Mortale ex objecto per se, quod scilicet ex ipso objecto secundum se habet intrinsecam malitiam mortalem, seclusa prohibitione legis. Ut blasphemia, adulterium, furtum. II. Mortale ex præcepto, quod ideo solum mortale est, quia lege positiva prohibetur, ut comedere carnes die Jejunii, omittere Sacrum, confessionem, Communionem annuam &c. III. Mortale ex accidente, vel circumstantia: quod, licet secundum se, neque ex objecto, neque ex præcepto mortale sit, sed vel veniale, vel omnino indifferens, tamen ex accidente, vel circumstantia aliqua malitiam mortalem contrahit: quod qualiter fiat, *sect. seq.* dicetur. At hic videndum, qualiter ipsum peccatum mortale ex genere suo, quodque positis requisitis, etiam in individuo esse mortale, hic & nunc, defectu requisitorum, vel mutatione circumstantiæ alicujus, fiat veniale in individuo.

ASSERTIO III.

PEccatum mortale ex genere suo fit veniale in individuo potissimum quatuor modis: ex conscientia erronea, ex causa excusante, ex imperfectione actus, & parvitate materiæ.

§. I. *Ex Conscientia erronea.*

Regula generalis.

QUandocumque quis errore invincibili putat, peccatum aliquod esse veniale tantum, quod revera mortale est: 10
v. g. perjurium assertorium in re levi, is solum venialiter delinquit. Quemadmodum, & e contra invincibili errore putans aliquid esse mortale, quod revera solum veniale est, is reipsa mortaliter peccat. Explicatum *c.* 1. *sect.* 2.

§. II.

§. II. *Ex causa excusante.*

Regula generalis.

11 QUæcumque causa potens excusare a peccato in toto, in modico sui defectu excusat a mortali, & veniale constituit. Ratio est: quia, spectata humana fragilitate, in his moralibus difficillimum est medium, vel extremum tangere in puncto, & levem etiam defectum evitare, ideoque ad id hominem obligari sub mortali ratio non permittit. Exemp. sint.

I. Ignorantia invincibilis excusat a toto peccato: hinc ignorantia vincibilis, vel culpabilis levis seu non crassa, vel affectata excusat a mortali. *Supra suo loco, cap.* 2. *n.* 37.

II. Extrema necessitas omnino excusat a peccato furti: hinc necessitas valde gravis excusat saltem a mortali furtum rei tunc necessariæ, v. gr. ad victum, amictum, medicinam &c.

III. Necessitas propriæ defensionis cum perfecto moderamine inculpatæ tutelæ omnino excusat a peccato homicidium injusti invasoris: hinc eadem necessitas cum levi, non supino, vel affectato defectu dicti moderaminis simile homicidium excusat a mortali, secundum omnes.

IV. Metus gravis mortis, vel alterius gravissimi mali indirecte excusat a transgressione legum positivarum, ac etiam aliquarum naturalium, ut suo loco dictum est: hinc metus ejusmodi mali non adeo gravis merito excusare debet a mortali, v. gr. metus morbi gravioris omnino excusat ab audiendo Sacro, vel jejunio: metus autem morbi non ita gravis, vel gravioris catharri saltem excusabit a mortali, & venialem efficiet transgressionem. Item metu mortis, vel mutilationis poteris sine peccato furti domum inscensuro scalas tenere: at si metu verberum tantum graviorem teneas, saltem excusaberis a mortali. Simili ratione dicendum de quavis alia cooperatione materiali, & non proxima ad peccatum alterius.

§. III. *Ex Imperfectione Actus.*

Regula generalis.

12 OMne peccatum mortale ut sit, requirit ex parte intellectus perfectam advertentiam, & deliberationem: ex parte voluntatis vero plenum consensum: quorum unum si desit, & adsit solum imperfecta deliberatio, aut semiplenus consensus, peccatum veniale erit, ex imperfectione actus, idque in quacumque materia, lege, præcepto. *Certum apud omnes.* Ratio est: quia ad peccatum mortale, quo homo simpliciter aversus a Deo æternam pœnam mereatur, utique requiritur actus moralis perfectus, seu voluntarius, ac liber simpliciter, qualis etiam posset esse meritorius vitæ æternæ: talis non est sine perfecta deliberatione, & pleno consensu: ergo. Deinde spectata humana fragilitate, a recta ratione, & bonitate divina omnino alienum est, hominem velle æternis pœnis addicere, qui sine plena deliberatione, & consensu aliquid peccaminosum fecit. Cæterum

I. Deliberatio plena, & perfecta.

DIcitur, quando intellectus plene, sine turbatione, vel impedimento actum, ejusque malitiam agnoscit, & dictat, vel saltem dictare posset, ac deberet. Et tunc etiam consensus voluntatis plenus, & perfectus esse solet: ac in materia mortali peccatum mortale, nisi aliunde constet de defectu consensus.

II. Deliberatio semiplena, & imperfecta.

DIcitur, quando ratio quidem aliquo modo advertit, & apprehendit in confuso actum, ejusque malitiam, & obligationem, non tamen plene, & resolute judicat vel dictat esse peccatum mortale, eo quod motiva, & rationes in utramque partem perfecte proponere, & ponderare non possit; quod melius explicari non potest, quam experientia in semidormiente, semiebrio, distracto, vel turbato variis cogitationibus, vel passionibus, ut ad id, quod agit, ejusque malitiam advertere plene non possit. Et tunc etiam consensus voluntatis subsequens necessario erit imperfectus, & semiplenus, atque in materia mortali, etsi non tollat totum peccatum, cum omnis sane qualiscumque consensus in malum malus sit, tollit tamen peccatum in tanto, & veniale reddit fragilitati humanæ, quæ licet potuerit simpliciter, tamen in eo statu difficulter admodum potuit tale malum cavere.

III. Deliberationis imperfectæ signa, & conjecturæ.

SI tenuiter, & quasi semidormiens apprehendisti aliquid esse malum. II. Si vere semidormiens, vel semiebrius fuisti. III. Si vehementissima passione, distractione, apprehensione turbatus fuisti. IV. Si post factum, rem melius considerans, judices te omnino non fuisse facturum, si ita apprehendisses, vel cognovisses, si plene vigilans, si sobrius, si mente pacata fuisses. Tunc enim credere potes, te absque perfecta deliberatione, & advertentia processisse, ideoque venialiter tantum deliquisse. Eadem consequenter generalia sunt signa imperfecti, & semipleni consensus; cum deficiente deliberatione, necessario deficiat consensus. At specialia.

IV. Consensus semipleni conjecturæ, & signa.

SI ita dispositus fuisti, ut licet facile potueris exequi peccatum, tamen non sis executus: præsumere potes, te ante non plene consensisse, quia affectus pleni non ita facile mutantur. II. Si statim reflectens te super priorem actum, sentis in te tristitiam, aversionem, horrorem aliquem, ob eamdem rationem. Secus si complaceas, inhæreas, rumines &c. III. Si animum, & propositum firmum, sæpius innovatum habeas numquam peccandi mortaliter, aut malis mori potius, quam peccare mortaliter, in dubio recte præsumis, te non consensisse in peccatum. Nam quando aliquid ita firmiter odio habetur; si deinde plene ametur, facile advertitur. IV. Denique in dubio non præsumitur consensisse vir timoratæ conscientiæ, aliasque peccatum abhorrens, quia in dubio non præsumitur factum, delictum maxime. Secus si sit homo perditis moribus. Hic enim cum bibat iniquitatem sicut aquam, cum dubitat, præsumere potest, se vere ebibisse.

§. IV. *Ex parvitate, vel levitate materiæ.*

Regula generalis.

OMne peccatum mortale ut sit, ex parte objecti requirit materiam gravem secundum se, vel ex fine, aut circumstantiis intentis. Quandocumque ergo materia, tam secundum se, quam secundum finem, ac circumstantias vere parva, vel levis est, cessat peccatum mortale, & fit veniale ex parvitate materiæ. *Omnes.* Ratio est: quia ubi materia prohibita parvi est momenti moraliter parva est offensio. Verum hic duo maximi momenti explicanda sunt. Unum, in quibus peccatis possit dari parvitas materiæ: alterum, unde ea desumenda sit. Pro re maxime practica, & ad casus morales latissime patente, pono quatuor Regulas casibus late exemplificatas. 13

REGULA PRIMA.

NUlla datur parvitas materiæ excusans a mortali in illis peccatis, quibus directe læditur perfectio Dei infinita, aut bonum quodvis magnum indivisibiliter. Verba hæc mea sunt, sed sensus, ni fallor, omnium, ac Ratio est: quia quoties ratio gravis malitiæ, vel offensæ contra legem, vel rectam rationem, seu, ut alii non male dicunt, contra Charitatem Dei, vel proximi, æque reperitur in materia parva, ac in magna, toties etiam perstat culpa mortalis in materia quamtumvis parva; ideoque non erit parvitas materiæ excusans a mortali, atqui hoc tunc fit, quando directe læditur, vel offenditur perfectio Dei infinita, seu bonum quodvis magnum indivisibiliter, uti est vita hominis. Ergo 14

Nulla datur Parvitas materiæ excusans a mortali.

I. In peccatis contra Virtutes Theologicas.

FIdem, Spem, Charitatem, utpote in infidelitate, desperatione, odio, aut contemptu DEI: quia hæc directe, & actu elicito lædunt, seu offendunt perfectionem DEI infinitam. Quantulacumque enim infidelitas, & qualemcumque propositionem a DEO revelatam, etsi parvi momenti in se nolle credere, repugnat infinitæ DEI veracitati. Quantulacumque vera desperatio de DEO repugnat infinitæ DEI Bonitati, ac Potentiæ. Quantulumcumque odium Dei, etiam ratione rei levissimæ, repugnat ejus simpliciter infinitæ bonitati. Quicumque etiam levissimus, dummodo deliberatus contemptus Dei, aut perfectionis divinæ, etiam indirectus, qualis est in formali inobedientia ex contemptu legis, vel præcepti cujuscumque, in formali ingratitudine ex contemptu beneficii divini, repugnat infinitæ Dei bonitati, sapientiæ, æquitati: ergo semper est malitiæ mortalis. Semper enim eadem malitia mortalis manet 15

net in qualibet etiam levissima materia: immo eo gravior evadit plerumque malitia, quo in minori materia læditur perfectio Dei infinita, ut si oderis, vel blasphemes Deum ob leve incommodum tibi eveniens v.g. lusum perditum, gravius censeris peccasse omni recta ratione, quam si odisses, vel blasphemasses Deum ob ingens malum tibi immissum, ut omnes observant, & in similibus iterum notabitur. Neque solum odium Dei, verum etiam odium proximi quoad abominationem personæ semper peccatum mortale est, nulla excusante parvitate materiæ, nisi sola imperfectione actus: semper enim eadem est ratio malitiæ mortalis contra præceptum Charitatis Divinæ, & ipsam Bonitatem Divinam in proximo, quoad naturam, & gratiam participatam abominari, vel aversari proximum ex displicentia personæ, tamquam indignum nostro amore, vel amicitia, cum tamen & ipse nobiscum sit Imago Dei, capax gratiæ Divinæ, & Beatitudinis æternæ. Secus est de odio proximi, quoad abominationem qualitatis, quod indifferens est, & etiam bonum esse potest. Psalm. 118. *Iniquos odio habui*. Secus etiam est de odio inimicitiæ, seu malevolentiæ, quo proximo deliberate malum volumus, hoc enim licet ex genere suo peccatum mortale sit; attamen parvitatem materiæ a mortali excusantem admittit, cum scilicet proximo leve, & exiguum malum volumus, optamus, vel gaudemus, quod etiam reipsa illatum, nonnisi veniale esset, ut alibi notabitur.

II. In peccatis contra virtutem Religionis.

16 QUæ nimirum directe vergunt in injuriam Dei, vel perfectionis divinæ, nulla datur parvitas materiæ excusans a mortali. Utpote I. In superstitione divinationis, vanæ observantiæ, magiæ, &c. Semper enim gravis Dei injuria est, cultum Deo debitum tribuere diabolo divinitatis hosti, ac æmulo, sive id fiat cum pacto expresso, de quo nullum dubium, sive fiat cum pacto implicito cum dœmone, seu implicita dœmonis invocatione tantum. Ut cum quis scienter utitur mediis omnino vanis, & impertinentibus ad causandum aliquem effectum, vel cognitionem occultorum, vel futurorum. Eo ipso enim, quo uteris ejusmodi mediis vanis, nullam omnino naturalem vim, vel proportionem habentibus ad causandum talem effectum, vel cognitionem, convinceris invocare aliquam virtutem, & intelligentiam superiorem homine, atqui non Deum, qui talia prohibet: non Angelum sanctum, qui nolente Deo nihil facit: ergo dœmonem, qui vel talia instituit, vel talibus libenter se immiscet, ad decipiendum hominem, & cultum quasi divinum sibi arrogandum in injuriam divinæ Majestatis. Quod bene inculcandum illis, qui protestantur, se talibus nolle uti ope dœmonis, est enim protestatio facto contraria, & ideo vana, ac nulla. Nam tacita hæc invocatio, si plena deliberatio adsit, est ejusdem rationis cum expressa, & quod in parva, vel ludicra re dœmon invocetur, per se non minus crimen est, quam si fiat in re magna, sæpe tamen contingit, ut quando res est modica, non apprehendatur mali magnitudo, & sic potest esse veniale ex defectu animadversionis, sicut etiam ex ignorantia, vel levitate actus, ut in Regula sequenti videbimus. Vide Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 38. *n.* 18. Lessium *lib.* 2. *c.* 44. *dub.* 4. *n.* 25. & alios apud Dian. *p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 29.

II. In blasphemia formali, semper enim gravissima est injuria contra perfectionem Dei infinitam proferre verbum contumeliosum de Deo cum animo inhonorandi illum, sive directe, sive indirecte, & interpretative, etiam in re minima: Deus enim dehonoratur non solum, cum blasphemus ei res magnas falso tribuit, sed etiam cum minimas: ergo blasphemia in ratione materiæ non potest unquam esse peccatum veniale. Ita communissime DD. cum Suarez *de Relig. tom.* 1. *tr.* 3. *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 2. aliisque citatis Diana *supra citatus resol.* 3. Addit Lorca *ibid.* id verum esse etiamsi ejusmodi blasphemiæ fiant joci causa, & non serio; quoniam illicitus est jocus, in quo injuria Dei involvitur, nec propter jocum deficit ratio injuriæ: immo jocari in rebus tanti momenti specialis blasphemia est, nisi quis vocet jocum, quod non ex animo significandi, quod verba sonant, profertur, sed per hyperbolem, ut qui fœminam pulchram vocat Deam: id enim veniale erit. Sic Lorca. Sed de hoc mitius dicam in 2. Reg.

III. In perjurio assertorio scienter falsum jurando cum vero animo invocandi testimonium divinum. Communis DD. apud citatos, semper enim gravissima, & mortalis est injuria, & irreverentia adversus infinitam Dei Veracitatem, velle DEUM instituere testem mendacii, ac falsitatis, ac si & ipse DEUS mentiri, & falli posset: idque etiam in re minima; immo eo gravior censebitur injuria, quo minori in re falsum juratur. Quin id ipsum de juramento promissorio affirmant graves DD. *Cajetan. Medina, Gabriel. Less. Valentia, alii apud Dianam par.* 5. *tract.* 5. *resol.* 70. Ratio eorum est, quod etiam juramento promissorio non servato, etiam in re minima DEUS constituatur testis falsitatis. Sed oppositum ex opposito fundamento iterum mitius dicam in Regula secunda.

IV. In sacrilegiis plerisque non tantum carnalibus, & maxime in sollicitatione ad turpia facta in confessionali, nam si in materia venerea absolute non datur parvitas materiæ, ut infra dicemus: multo minus datur, si conjuncta sit cum malitia sacrilegii, verum etiam in realibus plerisque: utpote in simonia saltem juris divini; semper enim gravis DEI injuria est, rem proprie sacram, seu spiritualem, ut gratiam Dei, Sacramentorum effectus, res ab Ecclesia consecratas temporali pretio dato, vel accepto, etiam minimo (immo eo graviori injuria, quo minori pretio) ipso facto vilem profiteri. Neque in irritatione Sacramentorum: in fractione sigilli Sacramentalis; in jejunio naturali ad Eucharistiam suscipiendam præcepto, etenim valor Sacramentorum ad salutem animarum: secretum Confessionis auditæ, ne odiosum fiat Sacramentum tam necessarium ad salutem, & reverentia Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti, ut tamquam cœlestis, ac divinus cibus ante omnem corporalem cibum, & potum sumatur, bonum magnum est, & merito omne oppositum indivisibiliter excludens, eadem ratione malitiæ semper etiam in re levissima persistente, saltem habitualiter, juxta dicenda infra *n.* 30.

Quoad Præcepta secundæ Tabulæ.

SOlum de quinto, & sexto potest esse quæstio. In quinto quoad ipsum homicidium, quo semper læditur bonum magnum indivisibiliter vitæ humanæ: utique nulla poterit dari parvitas materiæ excusans a mortali; ideoque ut non solum abortus fætus jam animati quocumque brevissimo tempore, verum etiam nondum animati, peccatum mortale sit, secundum omnes. Et quidem in veriori sententia omni casu, & inexcusabiliter vix quoque contingit parvitas materiæ in mutilatione, saltem prout in Jure intelligitur: bene tamen in vulneratione, percussione, vindicta, sicut & in aliis injuriis contra proximum, ut infra notabimus. 17

De sexto autem præcepto controversia gravissima est: non quidem quoad ipsum malum usum seminis per illicitas copulas, vel pollutiones; in his enim nullus, nisi insanus, vel forte Epicuri de grege porcus, somniavit materiæ parvitatem a mortali excusantem, sed quoad delectationem illam veneream ex commotione spirituum genitalium in parte inferiori consurgente, & ad illam inductiva, & dispositiva, ut sunt turpes cogitationes, aspectus, tactus, oscula, amplexus, sermones, lectiones, cantilenæ, &c. Nosti autem sine dubio eam delectationem veneream posse aliquando *directe*, aliquando vero *indirecte* tantum esse volitam, vel intentam: sit ergo clara, & distincta resolutio duplex.

III. In materia venerea directe voluntaria.

NOn tantum quoad ipsam copulam, pollutionem, distillationem, seu quamcumque voluntariam effusionem seminis illicitam, verum etiam quoad delectationem veneream, seu libidinosam deliberate, & directe intentam, quæsitam, acceptatam, practice nulla potest esse materiæ parvitas excusans a mortali. Adeoque omnis impudicitia cordis, oris, aspectus, tactus, oscula, amplexus, &c. facta causa delectationis venereæ captandæ, sicut omnis in illam deliberatus consensus, vel complacentia, semper est peccatum mortale. *Est in re communissima, & mihi plane certissima Doctrina, quam latissime probat Rebellus de Justitia par.* 2. *l.* 3. *qu.* 19. *Lessius l.* 4. *de Justit. c.* 3. *n.* 119. *Sanchez lib.* 5. *Moral. c.* 5. *Layman. lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 8. *n.* 2. *Dian. part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 1. *& alibi*. Ratio est. Quia omnis delectatio venerea, & libidinosa natura sua ordinatur ad copulam, seu seminationem, immo reipsa, ut bene docet Galenus, est ipsissima inchoatio pollutionis: quid enim est, nisi motus humoris spermatici per spiritus generationi servientes incalescentis, & per certas arterias ad instrumentum generationis tendentis? &c. Ergo, sicut deliberate velle copulam, seu seminationem illicitam semper est peccatum mortale, ita etiam deliberate velle eam delectationem, seu commotionem veneream in se, vel in alio, semper erit peccatum mortale, & sicut in ipsa copula, vel seminatione illicita: ita & in ea delectatione, vel commotione illicita per se ordinata, & inchoante seminationem illicitam nunquam poterit esse parvitas materiæ excusans a mortali, saltem practice loquendo. Neque enim in praxi audienda est distinctio *Caramuelis in Regul. S. Benedicti disp.* 69. *&* 70. delectationem veneream esse quidem peccatum mortale, quando pollutio graviter, & proxime inchoata est, non item si pollutio solum leviter, tenuiter, & remote 18

inchoa-

inchoate sit. Etsi enim hoc speculative defendi posse fatear: practice tamen nullo modo probari potest, ob evidentissimum periculum in re tam lubrica, & picea: hic enim verissime, & certissime, *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea*. Etenim quantumvis minima delectatio, & commotio venerea sua natura tendens in majorem, ac majorem delectationem ad ipsam copulam, & tam delectabiliter, voluntarie consentientem, ac maxime excitantem, exponit proximo, & gravissimo periculo consentiendi in majorem delectationem, majusque peccatum carnale. Qua etiam ratione *Sanchez lib. 5. Moral. c. 6. num.* 12. retractat suam contrariam sententiam antea traditam (*lib. 9. de Matrimon. disput. 46. num. 7.*) dicens: *Quia in quavis delectatione venerea deliberate admissa apertum est periculum incidendi in majorem aliam delectationem manifeste mortalem. Quare nec audeo, nec unquam ausus sum excusare a confessionibus hujusmodi delectationem quantumvis modicarum declarationem*. Hæc ille. Qui ulterius eodem *cit. c. 6. num.* 12. ait: *unum tamen advertere volo, sententiam, quam lib. 6. de matrimon. disput. 46. num. 7. dixi esse verissimam, nempe amplexus, & oscula libidinosa, quamtumvis sola venerea delectatio, quæ in ipsis sentitur, placeat excluso alio ordine ad copulam, esse mortalia, & contrariam ab aliquibus appellari temerariam, & erroneam, hodie approbatam esse a Summis Pontificibus Clem. VIII. & Paulo V. qui inquisitoribus fidei denuntiari jusserunt asserentem in illis non committi crimen lethale*. Hæc Sanchez: dicens *hodie*, suo tempore, at hodie nostro tempore sententia nostra omnino certa evadit ex Decreto Alexandri VII. Anno 1666. in propositionibus damnatis doceri, & practicari prohibitis, quarum quadragesima sic habet. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis*. Ubi sine dubio ad minimum sermo est de delectatione carnali venerea ex tali osculo directe intenta, captata, vel admissa. Vide sæpius laudatum Nicolaum Dubois in Examine dictarum propositionum a propositione 40.

Atque dicto sensu intelligendi sunt Doctores omnes in hac materia absoluta negantes materiæ parvitatem. Loquuntur enim semper de actibus venereis libidinosis, & impudicis, sive ex objecto, ut tactus partium verecundarum, quæ peccata mortalia sunt, etsi delectatio venerea per se directe non intenderetur, quia natura sua nimium ad libidinem provocant, & graviora peccata sunt, si fiant circa personas ejusdem sexus, quam diversi, quia tunc ad gravius peccatum disponunt, ut notat *Sanchez lib. 9. de Matrimon. disp. 46. n.* 18. Sive ex intentione agentis, captantis scilicet directe delectationem veneream circa qualscumque partes fiant, etiam alias honestas. Ut tactus faciei, compressio manuum, pulsatio pedum, &c. Et tunc tanta sunt peccata, quanta est intentio facientis, utpote simplicis delectationis morosæ, fornicationis, adulterii, sodomiæ, &c.

IV. In materia venerea indirecte tantum voluntaria.

19 ADmittenda est parvitas materiæ excusans a mortali quoad impudicitiam, & delectationem veneream minime directe intentam, sed indirecte solum voluntariam, in causa levi posita, vel non ablata, secluso consensu, vel periculo consensus in ipsam delectationem, pollutionem, aliudve opus turpe. Ita præter Doctores illos, qui absolute hic admittunt parvitatem materiæ, & forte nihil aliud volunt (excepto *Caramuel* manifesto adversario) expresse docet *Vasquez* 1. 2. *disput.* 108. asserens, hac de re nullam fuisse controversiam, cum Doctores contrarium communiter asserentes, loquantur de delectatione venerea directe intenta, vel volita. *Item* Jacob Marchant. *resolut. Pastoral. par.* 1. *cap.* 6. *quæst.* 6. & ex parte noster P. Marchant. *Tribun. tom.* 2. *Tract.* 7. *titul.* 3. *quæst.* 2. §. 8. *dub.* 1. *resolut.* 2. *in fine*. Ratio est. Quia valde rationabile, & consonum est fragilitati humanæ, quod homo sub peccato mortali non teneatur evitare omnem actionem levem, ex qua est periculum exurgendi aliquos motus delectationis venereæ, & cum hi motus longe facillime exurgant: ut sint mortales, omnino requiri debet majus voluntarium, quam indirectum, & virtuale in causa maxime levi, & se de veniali tantum. Alioquin certe oporteret condemnare peccati mortalis omnem conversationem non necessariam virorum cum fœminis, juvenum cum puellis, colloquia familiaria, choreas, aliasque recreationes etiam honestas, cum in iis facillime intercurrant aspectus blandi, verba lenia, tactus, oscula, amplexus, & alia hujusmodi venialia, ex quibus plerumque oriuntur motus aliqui venerei, quos tamen secluso consensu, vel periculo consensus, una cum veniali causa sua merito censemus veniales: quemadmodum & alia peccata mortalia, ut litigium ad homicidium, haustus superfluus ad ebrietatem, venialia tantum merito censentur. Neque huic sententiæ contrariatur super allegatum Decretum Alexandri VII. Nam propositio illa 40. damnata manifeste loquitur de delectatione carnali sensibili, utique venerea ex illis osculis orta, & directe volita cum consensu in illam, ut constat ex illis verbis: *absque periculo consensus ulterioris* (nimirum in fornicationem, aliudve opus turpe) *& pollutionis*: ergo supponitur jam consensus in ipsammet delectationem carnalem, seu veneream ex illis osculis ortam, qui utique mortalis est, juxta supra dicta, & ita quidem non mei solius judicio, sed plurium Virorum doctorum requisito consilio, sentio, salva semper Auctoritate S. Sedis.

REGULA ergo Doctoribus communiter assignata, & recepta de ipsa pollutione indirecte voluntaria, vel causata, etiam a fortiori locum habere debet in delectatione venerea indirecte tantum voluntaria: nimirum: *Quando causa posita est licita, vel venialiter tantum mala, etiam delectatio venerea præter intentionem subsurgens inculpata, vel venialis tantum culpa erit*. Omni ergo culpa vacabunt aspectus, tactus, oscula, amplexus, aut *honestatis* pro more patriæ, aut *necessitatis*, ad medendum, naturam sublevandam, &c. Venialem vero solum culpam continent aspectus, tactus, oscula, amplexus, aut *levitatis*, vel *curiositatis* tantum gratia obiter facti, aut etiam causa *sensibilis voluptatis* captandæ: quando nimirum quis in aspectu fœminæ, tactu manus, osculo faciei, directe quærit delectationem sensibilem consurgentem ex naturali proportione potentiæ visivæ, vel tactivæ ad objectum conveniens delectabile, absque ulteriori voluntaria tendentia in delectationem veneream, etsi præter intentionem subsequatur. Quia nimirum, ejusmodi delectatio sensibilis captata per se solum continet venialem abusum rei per se non malæ, & per accidens, ac remote tantum disponit ad voluptatem carnalem: ideoque spectare debet ad parvitatem materiæ in hoc genere peccati, & venialem culpam non excedere. Sane difficillimum foret Confessario statim peccati mortalis condemnare juvenes, & procos passim aliquibus tactibus, osculis, amplexibus utentes erga puellas honeste amatas, etsi inde aliquam voluptatem sensibilem captent, dummodo absit periculum consensus in veneream. Et longe difficilius foret talibus, si similibus abstinere nollent, denegare absolutionem. Ex dictis ergo sequitur probabilis

RESOLUTIO casuum communiter contingentium. I. Oscula inter omnino solutos obiter facta, venialia sunt, etsi sensibilis aliqua voluptas captetur, seclusa delectatione, & consensu turpi. At vero facta cum ardore, & mora, utpote replicatis diu in ore osculis, ob morale periculum libidinis, ordinarie mortalem culpam contrahunt. *Communis*. II. Osculari pueros ex amore teneræ infantilis ætatis, aut tangere, captando delectationem sensibilem ex mollitie teneræ carnis, secluso consensu turpi, nullum, vel veniale tantum peccatum est. *Sanchez*, *Jacobus Marchant. citat.* III. Ancillæ puellos vestientes, lavantes, eorumque pudenda tangentes, vel aspicientes, etsi motus sensualis exurgat, secluso consensu, vel complacentia turpi, aut non peccant, si ita officium exigat; aut solum venialiter, si ex curiositate faciant: mortaliter autem peccarent, si id morose facerent, ob morale periculum consensus libidinosi. IV. Aspicere animalia coeuntia ex curiositate tantum, seclusa delectatione libidinosa voluntaria, veniale est. Quia id non multum excitare solet ad libidinem. Communis apud citatos, & mox citandos. Insuper eadem animalia, minora præsertim, ut catellos, catos, molliter tractare, demulcere, etiam eorum genitalia contrectare (res sane pudicitiæ, & castitatis amatoribus merito fugienda) ex curiositate tantum, vel levitate, nulla comperta impura delectatione, cum inde non excitetur tam vehemens delectatio, nonnisi veniale esse docent Sanchez *lib. 9. de Matrimon. disputat. 46. num.* 15. Diana *part. 2. tractat.* 17. *resolut.* 37. addens, adhuc quidpiam fædius, non esse mortale ita fricare, ut brutum semen expelleret, ex curiositate illud videndi, cum non sit mortale, impedire generationem bruti, sicut & ipsum occidere; brutorum enim Domini sumus: sed certe omnium sensu fœdum est cogitare, nedum facere, vide ipsum, & Tamburin. *lib. 7. Decal. cap. 8. §. 2. nu.* 5. At vero affectu libidinoso tangere eorum membra, non tantum mortale est, sed etiam spectat ad peccatum bestialitatis, tamquam actus quidam inchoatus. V. Personæ ejusdem sexus simul balneantes, natantes, &c. ex curiositate, vel levitate invicem, etiam in partibus verecundis, aspicientes, etiam cum motu sensualitatis, secluso consensu turpi, non sunt condemnandi peccati mortalis. Secus est de personis diversi sexus; tunc enim est mortale periculum libidinis. Se ipsum autem aspicere, vel tangere ex curiositate, vel levitate, seclusa intentione, complacentia, vel consensu turpi, ordinarie veniale est, quia minor est indecentia, & minus movent ad turpia propria, quam aliena. Si vero necessitas aliqua, vel naturæ commoditas ita exigat, culpa vacabit, secundum omnes.

omnes. VI. Choreas ducere, etsi aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus solitis delectatio sensibilis captetur, seclusa semper intentione, vel consensu turpi, vel nullum, vel veniale tantum peccatum est. Cajetanus *V. Chorea*. Filliucius *Tract. 33. cap. 10.* ubi *num. 224.* dicit. *Rustici diebus festis non sunt prohibendi a choreis, modo fiant post Missam: tum quia aliter otio vacarent, quod pejus esset: tum quia fiunt pro more regionis, & publice coram aliis, ideoque magna ex parte aufertur libidinis occasio: tum quia videntur conciliatrices amoris, & benevolentiæ inter adolescentes, & puellas in ordine ad matrimonia*. Hæc ille. Addo ego experientia patuisse, post abrogatas illas choreas publicas multo majora mala patrata fuisse, quam iis permissis. VII. Cantare, dicere, legere turpia, peccatum est juxta intentionem facientis. Si enim fiant cum intentione, vel complacentia turpi, mortalem; si ex curiositate, vel levitate solum, venialem culpam habent. At vero componentes cantiones, vel libros turpes ordinarie mortaliter peccant, ob scandalum, saltem aliquorum: quemadmodum etiam comœdias turpes exhibentes. VIII. Denique scribere, mittere litteras amatorias, munera, favores, ut vocant, simpliciter peccatum est juxta intentionem facientis. Si enim faciant ex intentione libidinosa, vel animo provocandi alterum ad illicitam venerem, mortale erit: si ex sola levitate, joco, recreatione, veniale per se loquendo: si ad captandum, vel fovendum honestum amorem in ordine ad Matrimonium, culpa vacabit. Intellige *per se loquendo*, & secluso periculo proprio, vel alieno, aut nisi scriptio, pictura, &c. de se valde turpis esset & ad libidinem provocatoria. Hæc tibi hic latius deducere volui, quia in praxi sunt frequentissima. Et latius videre potes *in 4. par. meæ Theol. Sacram. c. 3. per totum*.

Regula Secunda.

21 *IN omnibus peccatis, quibus læditur bonum finitum divisibile tantum, potest dari parvitas materiæ excusans a mortali*. Ratio est: Quia quando bonum, quod læditur, est divisibile potens esse majus, vel minus, etiam malitia peccati proportionaliter crescere, & decrescere, & consequenter quandoque una cum materia adeo decrescere poterit, ac minui, ut amplius mortalis, atque æterna pœna digna censeri non possit, ut patet in furto unius assis. Habet ergo Regula locum in omnibus peccatis contra præcepta secundæ tabulæ circa proximum, & seipsum (homicidio, & luxuria voluntaria jam exceptis) ut in percussione, furto, detractione, intemperantia, &c. & insuper in præceptis primæ tabulæ circa cultum divinum, quia nimirum omnis noster cultus divinus bonum quoddam finitum est, magnum quidem, sed divisibiliter majus, vel minus, pro ratione materiæ, ideoque etiam malitia peccati oppositi major, aut minor, & quandoque sic modica esse poterit, ut amplius mortalis esse non possit. Jam exempla præsertim nonnihil controversa visa afferamus.

I. In primo præcepto Decalogi.

22 QUoad superstitiones magicas, nulla quidem proprie datur parvitas materiæ, ut *num. 16.* dictum: datur tamen aliqua (ut sic vocem) levitas actus excusans a mortali. Utpote I. Si fiant ex simplicitate, vel ignorantia, etiam vincibili non crassa. Fateor me sæpius usum fuisse motu globuli plumbei, vel aurei annuli e filo inter extremos digitos sustentato pendentis, & ad latera vasis allisi pro indicio horarum, certo semper eventu, sed bona fide in simplicitate mea. Credidi enim id fieri naturaliter virtute arteriæ pulsus, & adhuc in ea opinione hæreo quoad motum secundum se, ejusque successiva incrementa, & consequenter aliquam allisionem: at vero quoad allisionum differentias ad distinctam designationem horarum, superstitiosum esse, omnino persuasit experientia. *Card. de Lugo apud Tambur. lib. 2. in Decal. c. 6. §. 1. num. 38.* Aliis ergo, maxime illis, quibus ut idem experirentur, imprudens auctor fui, jam pœnitens dissuadeo. II. Si quis utatur ejusmodi signis solum ex levitate joci, vel risus causa nullo expectato eventu, qualia multa jocosa fieri solent in quibusdam sacris Vigiliis, sane non commendanda, sed certe neque peccati mortalis statim condemnanda, quia tunc non est vera superstitio, esto enim signa illa sint instituta a dæmone, si tamen joco, & non serio expectando eventum usurpes, irrisio potius est, quam invocatio dæmonis. III. Si quis utatur signo, vel medio superstitioso habito ex sola curiositate experiendi causa, v. g. semel, aut iterum faciendo annulum moveri super filum, aut allidi ad latera vasis, &c. ut etiam fatetur Sanchez *l. 2. Moral. c. 40. n. 13. in fine*. Ratio est eadem, quæ supra. IV. Absque certa fide adhibita, ex vana solum formidine in agendis, vel cavendis, quandoque observare ejusmodi vana signa, vel omnia, v. g. ex sternutatione, auris tinnitu, cantu corvi, occursu vulturis, vel leporis, &c. item ex somniis, plerumque venialem culpam non excedit, ut cum aliis notat Layman *l. 4. tr. 10. c. 3. n. 10.* Et placet judicium Suarez *tom. 1. de Relig. l. 2. de superstitione c. 13. n. 25.* Ubi loquens de hac superstitione ita habet: *Potest hoc peccatum credentium in somniis a gravitate mortali excusari, quando homo non omnino credit rem in somno ostensam esse veram, seu futuram, & nihilominus aliquid operatur ratione talis somnii, quod alias malum non est, nec contra præcepta Dei, vel Ecclesiæ (& ita non potest obesse, potest autem prodesse) ut evitet aliquod malum, quod somnium minatur, vel quid simile. Tunc enim licet sit aliqua levitas, vel simplicitas, aut nimia timiditas, non apparet gravis malitia, quia ille non tam credit illud esse a Deo vel esse verum, quam posse esse, in quo multo minus erroris est, licet multum sit vanitatis. At vero, si quis ita sit observator somniorum, ut ordinarie per illas indicationes, vel divinationes in agendis negotiis gubernetur, non potest excusari gravi culpa, & superstitione*. Hæc ille. Idem judicium est de aliis ejusmodi vanis observantiis.

II. In secundo Præcepto Decalogi.

I. DAtur parvitas materiæ in violatione voti: nec solum quando materia parva est tantum partialis materia voti, ut si ex voto recitans Rosarium, omittas aliquot *Ave Maria*, vel Decadem unam, in quo omnes consentiunt: sed etiam, quando materia parva est tota materia voti, ut si voviss es quotidie recitare unum, vel tria *Pater, & Ave*, aut flectere genua coram tali S. Imagine, &c. & omittas, toties, quoties, non erit, nisi veniale ex parvitate materiæ. Uti contra *Cajet. Tolet. Armill. & alios*, docent Doctores communiter. Navarr. *c. 12. n. 4.* Sanchez *l. 4. c. 12. n. 6.* Layman *l. 4. tom. 4. c. 3. n. 2.* alii apud ipsos. Ratio est. Quia votum est privata quædam lex, & obligat per modum legis, sed respectu legis, materia tam parva non est capax obligationis tam gravis sub mortali: ergo neque respectu voti. 23

II. Datur etiam parvitas materiæ in violatione Juramenti promissorii excusans a mortali, ut si Pater serio juravit filium ita meritum virgis castigaturum, & sine causa revocet, vel omittat: si jurando promisisti amico ejus ad convivium accedere, &c. Sic contra *Cajet. Gabriel. Valent. Lessium, & alios* probabilius docent *S. Antonin. Sotus, Sylvest. Navarr. Rodriq. Suar. alii cum Sanchez l. 3. moral. c. 4. n. 13. Laym. l. 4. c. 14. n. 6.* Ratio est. Quia quandocumque peccatum ratione materiæ augeri, & minui potest, tunc in eo genere etiam venialiter peccari potest, atqui communis hominum etiam prudentum persuasio est, tanto majorem, vel minorem irreverentiam Deo irrogari, quanto major, vel minor promissio Deo jurata violatur, seu quanto major, vel minor res est, ad quam confirmandam quis Dei auctoritate usus est, si postea non agat, quod promiserat; ergo hic etiam venialiter peccari potest ex parvitate materiæ, ut in exemplis allatis, & similibus. *Confirmatur*. Quia major est obligatio voti, seu promissionis factæ ipsi Deo, quam juramenti promissorii, seu promissionis factæ homini, interposito nomine, & auctoritate Dei, atqui in violatione voti datur parvitas materiæ excusans a mortali, secundum omnes: ergo etiam in violatione juramenti promissorii.

III. Notanda hic est disparitas inter juramentum assertorium de veritate rei, & promissorium de facienda re. Quia juramento assertorio invocatur Deus in testem veritatis, aut falsitatis; veritas autem, & falsitas consistunt in indivisibili; quod enim verum non est, necessario falsum est, nec datur magis, vel minus falsum: ideoque Deum invocare in testem falsitatis cujuscumque, semper est peccatum mortale, (quod non tantum verum est in perjurio assertorio, quo scienter juratur falsum, sed etiam in perjurio promissorio ficto, cum quis juramento promittit aliquid facere, quantumvis leve, non habens animum, sed voluntatem præsentem promittendi, vel adimplendi.) At vero in juramento promissorio non invocatur Deus in testem ipsius veritatis, vel falsitatis, sed solum quasi in sponsorem obligationis adimplendi rem promissam cum juramento, adeo ut objectum juramenti promissorii non sit veritas, vel falsitas, sed obligatio jurantis ad rem promissam adimplendam; atqui obligatio ad rem promissam adimplendam non consistit in indivisibili, sed major, vel minor est, juxta rationem materiæ majoris vel minoris momenti; consequenter etiam violatio talis juramenti promissorii majoris, vel minoris culpæ erit, pro ratione materiæ: ergo non semper mortale, sed ex parvitate materiæ etiam veniale esse poterit.

IV. Incidenter pro praxi hic observa. Homines simplices, & rusticanos confundere vulgari idiomate, *Schvveren*,

Schelten, *Fulchen*. 1. jurare. 2. blaſphemare. 3. maledicere, vel imprecari ſignificat. Ad hæc ergo diſcernenda. Confeſſarius in primis petere debet, quibus verbis Pœnitens uſus ſit: deinde comperto, quod ſint verba juramentum ſonantia, quærendum, an habuerit veram intentionem jurandi, vel Deum in teſtem invocandi, & hoc comperto denique interrogandus eſt, an verum, vel falſum juravit. Si dicat, verum juraſſe, vix unquam condemnandus eſt peccati mortalis, ſin fateatur, falſum juraſſe, per ſe cenſendus eſt, peccaſſe mortaliter, niſi excuſet imperfectio actus, inadvertentia, præcipitantia, idque maxime in mercatoribus, præſertim, cum jurare ſolent *tanti*, *vel pluris ſibi mercem conſtare*, *&c.* Ubi plerumque non vere pejerant, cum poſſit habere verum ſenſum: videlicet, tanti, vel pluris ſibi conſtare, æſtimato ſimul labore, periculo, &c. De quo ſubintelligendo inſtruendi ſunt, ſi omnino conſuetudinem jurandi deponere nequeant. De qua quidem conſuetudine *infra cap.* 7.

III. In tertio Præcepto Decalogi.

24 QUoad celebrationem, & auditionem Miſſæ, ferias, jejunia præcepta, vel votiva, & generaliter in omni cultu divino datur parvitas materiæ excuſans a mortali. *Certum apud omnes*. Ratio in Regula data eſt. Exempla obvia ſunt.

I. Veniale eſt die feſto in Miſſa audienda modicam partem, præſertim in principio, aut fine omittere, de quo *Regula quarta*: modico tempore diſtrahi, confabulari, &c. modico tempore laborare ſerviliter citra neceſſitatem, vel cauſam juſtam. Omnino excuſandi ſunt pauperes præſertim ancillæ, cum die feſto una, aut altera hora veſtes reſarciunt: item Mechanici, ſartores, ſutores &c. cum quadam conſuetudine, die feſto materiam, ſequentibus diebus elaborandam, ſine magno labore, vel tumultu præparantes: item barbæ tonſores, ſi die feſto unum, aut alterum tondeant præſertim ruſticos, quibus aliis diebus otium non eſt, &c.

II. Veniale eſt in Miſſa, Horis, Oratione, ac quolibet cultu divino modico tempore voluntarie diſtrahi: modicum quid omittere, v. g. *Gloria*, *vel Credo* in Miſſa; *Preces* in Horis, &c. vel quid ſimile, quod tamen non ſpectet ad eſſentialem actionem Sacramenti. In Conſecratione Euchariſtiæ omittere ly ENIM ex incuria, vel etiam materiali contemptu, tamquam materiæ non magni momenti veniale non excedere cenſet *Sotus apud Tamburin. opuſc. De Sacrificio Miſſæ l.*2. *c.*5. *ſ.*2. At vero omittere admixtionem aquæ ad vinum conſecrandum mortale agnoſcunt Doctores communiter. Grave enim eſt præceptum Eccleſiæ ratione finis, ſcilicet Myſterii ſingularis.

III. Quin etiam omnis cultus Dei ſuperfluus, ſeu indebitus, ſive is, quo Deus colitur modo, vel cæremonia, quæ de ſe prorſus eſt inanis, atque impertinens ad gloriam Dei, vel devotionis ſpiritum excitandum, ut non vere die Sabbati in honorem B. V. MARIÆ, cum tamen alias ſerviliter laboret: Miſſam audire a Sacerdote, qui vocetur Joannes certo candelarum numero, colore, &c. ſive is, qui contra, vel præter ordinationem Eccleſiæ exercetur; ut in officio, vel Sacrificio Miſſæ dicere plura Alleluja, facere plures cruces, quam præſcriptum; ſic dicere *Gloria*, vel *Credo*, cum omittendum eſſet, oſculandum Altare, præſignare cruce, oſculari pedem calicis elevati, & ſimilia, quæ ſuperflua, & inordinata devotio excogitat, ſecluſa ſpeciali gravi prohibitione, ſcandalo, contemptu, venialem culpam non excedit. Quia non eſt in iis gravis deformitas contra honorem, & cultum DEI, eaque, ſi qua eſt, bona intentione, vel ſimplicitate ita colentis minuitur. *Communis*. Navarr. *c.*12. *n.* 24. Leſſius *l.* 1. *c.* 34. *num.* 1. Sanch. Layman, alii.

IV. In Sacrilegiis etiam realibus, vel vocalibus parvitatem materiæ agnoſcunt omnes, cum & ipſa ſanctitas rei, vel loci ſacri bonum diviſibile ſit, majus, vel minus pro ratione materiæ: ideoque quoties materia levis, vel venialis eſſet contra aliam virtutem, v.g. juſtitiam, certe etiam in ratione ſacrilegii contra virtutem Religionis venialem culpam excedere non debet. Ut furtum modicum rei ſacræ, vel e loco ſacro ſolum duplex veniale eſt. Idemque eſt de quavis levi in Sacris irreverentia: idemque de quibuſdam blaſphemiis quaſi materialibus, & jocoſis, ut eſt levis abuſus, vel jocoſus uſus ſententiarum ſacræ Scripturæ animi cauſa: jocoſa quædam dicteria de quibuſdam Sanctis, ut homines ſunt, ut de S. Petro, Criſpino, &c. Audivi a viris doctis etiam excuſari jocoſum illud dictum: *Stultus* es etiamſi DEUM Patrem haberes. Similiter dicendum de ſimilibus innumeris. Videntur enim velle dicere, quod DEUS poſſit creare ſtultum, & ſic talis non obſtante, quod ſolum DEUM Patrem haberet, adhuc eſſet ſtultus, aut ſaltem accipiunt DEUM improprie, & metaphorice, ac ſi dicant; ſtultus es, etiamſi ſapientiſſimum, & quaſi divinum Patrem haberes; alioquin in proprio ſenſu comparando DEUM, ejuſque Filium Divinum, blaſphemiam contineret horribiliſſimam: quare dictum illud velut peſſime ſonans merito graviter reprehendendum, & diſſuadendum eſt a Confeſſariis.

IV. In Præceptis ſecundæ Tabulæ.

IN his verſantibus potiſſimum citra injuſtam læſionem proximi (homicidio, & materia venerea jam ſupra exceptis) quoad alias læſiones proximis in bonis famæ, honoris, & fortunæ, ſine dubio datur parvitas materiæ excuſans a mortali: cum præter vitam, & ſpeciem humanam, quam lædunt homicidia, & peccata venerea, omne aliud bonum proximi finitum diviſibile ſit majus, & minus, quandoque adeo minutum, ut ejus læſio, vel ablatio non poſſit recta ratione cenſeri capax malitiæ mortalis, utpote. 1. In judicio temerario: ut ſi temere judices de proximo in re levi, v.g. mentiri jocoſe, eſſe crapulatum, diſtractum in oratione. *Leſſ. lib.*2. *c.*29. *dub.*2. 2. In detractione, vel contumelia: ut ſi narres de altero præſente, vel abſente defectus veniales, vel naturales tantum ſecluſo alio gravi incommodo: *Leſſ. c.*11. *dub.*3. & communis DD. 3. In uſura, ut contra aliquos alibi probabimus. Et ſi enim uſura ſit *quidquid ultra ſortem mutuatam injuſte accipitur*; attamen quidquid, quantumvis minimum acceptum ultra ſortem eſſe uſuram mortalem, a ratione prorſus alienum eſt. 4. Maxime in furtis omnium conſenſu datur parvitas materiæ a mortali excuſans, ut ſi homini diviti fureris unum, aut aliquos denarios: At difficultas magna, quænam ſit materia magna, & notabilis ſufficiens ad furtum mortale, & e contra quænam materia a furto mortali certo excuſans. Hic fere tot ſententiæ, quot capita. Omnes tamen ingenue fatentur, non poſſe aliquam univerſalem certam Regulam ſtatui, ſed totum pendere ab æſtimatione morali, & judicio prudentis, ex circumſtantiis in particulari definiendum eſſe: nimirum non ex ſola quantitate rei ablatæ, ſed etiam ex circumſtantiis perſonæ ditioris, vel egentioris, cui ablata eſt, indeque majori, vel minori damno cauſato. Unde materia gravis furti alia ſtatuenda eſt *abſoluta*, abſque relatione particulari ad perſonam ditiorem, vel pauperiorem: alia *reſpectiva*, quæ ſcilicet non ſecundum ſe abſolute, ſed ſolum habita relatione, & reſpectu ad perſonam ditiorem, vel pauperiorem: alia *reſpectiva*, quæ ſcilicet non ſecundum ſe abſolute, ſed ſolum habita relatione, & reſpectu ad circumſtantias perſonæ gravis eſt, & ſufficiens ad peccatum mortale. Qua quantitate aſſignata facile apparebit quantitas materiæ parva, & excuſans a peccato mortali. 25

RESOLUTIO.

MAteria furti gravis, & ſufficiens ad peccatum mortale abſoluta, *& reſpectu cujuſcumque etiam opulentiſſimi, aut Regis, vel Principis potentiſſimi, ſunt duo circiter ducati: reſpectiva vero ad conditiones perſonarum eſt illa, quæ ſufficiat ad victum unius diei tali perſonæ, cui ablata eſt*. Velut ſi a mercatore valde divite fureris duos florenos circiter: a cive mediocriter divite florenum, aut duodecim pacios: a paupere mendico aliquos cruciferos, vel nummos, quibus ſe uno die utcumque aluiſſet. Ita fere Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 1. *n.* 3. alii apud ipſum. Et reipſa fere coincidunt Bonacina, P. Navar. Dian. & alii cum Lugo *de Juſtit. diſp.* 36. *ſect.* 2. & conſentit noſter Marchant. *Trib. tom.* 2. *tract.* 8. *tit.* 1. *qu.* 5. Ratio eſt. 26

1. Quia, ſicut alia peccata Reipublicæ pernicioſa prohibentur graviter, ut intrinſece mala, non propter damnum actuale præciſe, quod afferunt, quando ſemel fiunt, ſed etiam, & multo magis, propter damnum habituale, quod afferrent ſæpius repetita, ſi ſemel ſine gravi culpa licerent. Ex. g. Pollutio voluntaria prohibetur graviter, ut intrinſece mala, quia licet ſemel facta in raro caſu ad evitandam mortem, vel graviſſimam infirmitatem non afferret grave damnum ſpeciei humanæ; afferret tamen graviſſimum conſequenter ex eo, quod ſi ſemel in aliquo caſu liceret, homines ad illam delectationem proclives fingerent ſibi neceſſitates, & cauſas valde frequentes in maximum detrimentum ſpeciei humanæ: Item revelatio ſigilli Confeſſionis prohibetur graviter, ut intrinſece mala, quia licet ſemel facta ob graviſſimam cauſam, v.g. proditionis detegendæ non afferret detrimentum Sacramento, afferret tamen graviſſimum, & exoſum redderet Sacramentum ex eo, quod ſi vel in uno caſu, ob graviſſimam cauſam liceret, ſemper metueret Pœnitens, ne forte occurreret talis cauſa, aut ne Confeſſarius talem cauſam apprehendens peccata ſua revelet: ſic de cæteris: Atque eadem omnino ratione in propoſito furtum prohibetur ut intrinſece malum, & grave peccatum ex genere ſuo: non præciſe ob damnum actuale, quod afferret, furando, v.g. Principi unum, aut alterum

duca-

ducatum, mediocriter Diviti unum florenum, aut victum unius diei, &c. sed etiam ob damnum habituale, quod afferret sæpius repetitum, si semel citra grave peccatum liceret in quantitate: jam

II. Atqui, licet revera furtum unius, vel alterius ducati a Principe, vel alio Ditissimo, unius floreni ab alio divite, &c. semel factum eidem nullum, vel exiguum afferret detrimentum, afferret tamen detrimentum maximum, si semel in tanta quantitate liceret. Tunc enim ex hominum malitia, & avaritia innata multiplicarentur ejusmodi furta, ex quorum frequentia maximum detrimentum etiam Ditissimis sequeretur. Ergo furtum in tali quantitate assignata censeri debet prohibitum graviter, & sub peccato mortali. Accedit, quod hæc sit communis hominum etiam prudentum persuasio, valorem unum, aut duos ducatos excedentem gravem esse absolute, ut vix aliquis etiam potentissimus reperiatur, qui spectatis omnibus impendiis, tantæ pecuniæ jacturam, ut sibi damnosam non justissime ægre ferat. Secus est de furtis minoris quantitatis. Non enim sequitur tantum detrimentum ex eo, quod homines sciant, se sine peccato mortali posse aliquid minutum furari. Quia minus peccatum veniale, licet minus absterreat, tamen ob minus lucrum etiam minus invitat ad illa furta minutiora.

III. Respective vero ad conditiones personarum per se notabile damnum infertur auferendo talibus eam quantitatem, quæ ad victum unius diei sufficeret, juxta modos assignatos. Quin etiam operario pauperi, qui diurno labore ad sui sustentationem plus lucrari non potest, furari unum pacium, mortale erit: quia eo furto majus damnum infertur tali pauperi, quam diviti furando integrum florenum, vel ducatum. Item valde pauperi etiam aliquot nummos furari, quibus ad victum valde indigeret, lethale est, eadem ratione. Nam sicut testimonio Christi *Marc.* 12. vidua illa, quæ duo æra minuta in gazophylacium misit, plus omnibus dedit, quia totum victum suum dedit; ita qui illi hæc duo æra minuta furto substulisset, non quid modicum, sed totum victum abstulisset, ideoque grave damnum intulisset. Item eadem ratione peccatum mortale committetur auferendo alicui rem quantumvis modicam, si ipsi exinde grave damnum emergat, vel lucrum cesset: ut si auferas pauperi sartori acum, Sutori subulam, scribæ calamum, aliive aliud instrumentum, cum tamen scias, ipsum aliud non habere, nec intra aliquot dies acquirere posse, ad opera sua necessaria exercenda. Uti ex communi notant *Navarrus cap.*17.*n.*2. *Layman cap.*1.*nu.*3. *Lugo cit. sect.*2. IV. Denique apud omnes constans est, eum, qui furatur quantumvis minimam rem, sed animo accipiendi quid magnum, peccare mortaliter in intentione, & affectu, etsi non in executione, & effectu. Unde si Pœnitens confiteatur, se modicum quid furatum, aliquando a Confessario interrogandus erit: an forte non defuerit animus plura surripiendi, si copia, vel occasio fuisset? Quia ut dicit S. Hieronymus in Epistol. ad Titum *cap.*2. relatus *cap.ult.* 14. *quæst.*6. *Fur non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur. Non enim id, quod furto ablatum, sed mens furandi attenditur.* De furtis minutis multiplicatis late agemus *sect.* 4.

REGULA TERTIA.

27 QUantitas magna, & parva in materia peccati mortalis sufficiens, vel excusans, prudenti judicio desumenda est, ex tribus. *Ex ipsa re, secundum se spectata, ex comparatione ad totum, quod præcipitur, & principaliter ex ordine ad finem præcepti* v.g. Cum quæritur, an omittere unam Horam Canonicam, laborare una hora die festo, sit materia magna, vel parva. 1. Considerandum est, an secundum se quid magnum, vel parvum sit. 2. An comparatione ad totum Officium Canonicum, vel ad totum diem festum, una hora sit notabilis, necne. 3. Principaliter an fini intento præcepti, scilicet Cultui divino, & vacationi religiosæ multum, vel parum noceat, omittere unam Horam vel laborare una hora. Et his consideratis prudenti judicio determinandum erit, utrum magna, seu notabilis sit, & sufficiens ad mortale, an vero parva, & a mortali excusans censeri debeat. Exempla mox applicabimus in Regula quarta, de Horis, feriis, jejuniis, votis, &c. Accipe hic interim alia quatuor.

I. *In lectione librorum hæreticorum.*

28 QUænam censenda sit materia notabilis sufficiens ad mortale, & ad incurrendam excommunicationem latæ sententiæ, vel parva a mortali, & censura excusans, sine dubio. 1. Perpendenda est materia lecta secundum se valde magna, vel valde parva. Nam viginti folia v.g. legere, sine dubio mortale est: titulum tantum, vel unam lineam, veniale. 2. Etiam ratio habenda totius libri hæretici. Sed principaliter ratio habenda finis præcepti sub excommunicatione prohibentis lectionem librorum hæreticorum, nimirum ad cavendum periculum subversionis in Fide, quod maxime timendum est in lectione librorum hæreticorum. Sane regulariter intolerabilis est sententia Toleti asserentis, unam etiam, vel aliam lineam legere, sufficere ad incurrendam censuram, eo quod perfecta hæresis etiam uno versu contineri possit. Recte respondet *Layman*, in lege præsertim pœnali spectari id, quod communiter, non quod raro, contingit. Communiter autem non imminet grave periculum, ex tam modica libri hæretici lectione. E contra generaliter nimis laxe *Sanchez*, *Rodriquez*, *Sa*, *alii apud Dian. part.* 5. *tract.* 5. *resolut.* 42. integram paginam majoris voluminis hæretici pro parva materia a mortali, & excommunicatione excusantes. Certe *Vivaldus*, & *Sa*, quoad hanc sententiam Romæ expurgati sunt: unde non satis tuto *Laym.lib.*2.*tract.*1. *de Fide cap.*15.*n.*5. generaliter censet, Confessarium posse absolvere eum, qui unam paginam libri hæretici legit, eo quod præsumere possit, eum non incurrisse excommunicationem Bullæ, juxta dictam opinionem *Sanchez*. Finis ergo considerandus est. Placet judicium *Marchant. Tribun. tom.*2. *tr.*2. *tit.*2.*q.*2. Non esse hic attendendam materialem quantitatem penes numerum linearum, vel paginarum magnitudinem, sed morale periculum infectionis, ex materia, quæ legitur contra finem præcepti v. gr. Aperit quis librum, & primo statim intuitu, in primo, vel altero paragrapho advertit hæresim contra Fidem, & nihilominus, sive malitia, sive curiositate, vel levitate pergit legere etiam paucas lineas, is omnino peccat mortaliter, & anathemate feritur, quia & periculo sese exposuit, & contra totum finem legis processit. At vero talis advertens materiam esse indifferentem, præsertim historicam, politicam, Ethicam, &c. sine hæresi, vel errore, etsi pergat legere unam, alteram, tertiam paginam, post factum non est condemnandus peccati mortalis, nec consequenter excommunicationis: quia revera respectu totius libri, & finis præcepti est materia parva; cum nullum periculum subfuerit. Non tamen est suadendum uti hac licentia propter periculum, quod subesse potest. Nam hæreticorum sermo serpit ut cancer, teste Apostolo.

II. *In retentione eorumdem librorum.*

ETiam hic consideranda sunt mora temporis in retinendo, intentio retinentis, & principaliter finis legis eam retentionem sub excommunicatione prohibentis ob idem periculum subversionis in Fide, tenentia enim dat causam legendi, lectio causam ruinæ. Unde primum agnoscens quis hunc librum esse hæreticum, & solum parvo tempore per aliquot horas, aut unum, vel alterum diem detinet cum proposito tradendi illum postea, ex parvitate materiæ sine dubio excusatur a mortali, & a censura, & accedente aliqua causa rationabili, vel impedimento, ab omni culpa: at vero si quis conscius hujus legis habeat voluntatem absolute retinendi librum, sane quæcumque retentio etiam modicissimi temporis peccatum mortale erit, etiam si mutata mox voluntate brevissimo tempore duret; quia voluntas illa peccatum mortale est, & ex illa procedit exterior retentio, & insuper tunc incurrit censuram, docet *Suarez tract. de Fide disp.*20.*sect.*2. Sed hæc probabilius negant *Sanchez*, *Reginaldus*, *Castro-Pal. alii cum Diana part.*5.*tract.*5.*resol.*43. Ratio est, quia censura non incurritur ob voluntatem retinendi, sed ob ipsam voluntariam retentionem libri hæretici contra prohibitionem, & finem legis: ergo licet intentio illa interna mortalis fuerit; ipsa tamen actualis detentio tam parvi temporis v.g. unius horæ, vel diei non potest censeri materia gravis, & sufficiens ad peccatum mortale externum (quod solum feritur censura) cum id non adversetur graviter fini legis.

III. *In percussione Clerici.*

SI percussio externa Clerici, consideratis circumstantiis personarum, ex se vere levis, & venialis fuit v.g. tenuissima alapa, modica retunsio hominis tibi importuni, esto etiam interna mala voluntate graviter percutiendi, mortaliter delinqueres, ut si intentato gravissimo ictu, Clerico declinante, solum auriculam, vel scapulam leviter tetigisti, manet materia levis, & excusans a censura Canonis. Ita cum nostro Portello *verb. excommunicatio numer.* 11. Idem Diana *ibidem resol.* 65. Ratio eadem est: quia Ecclesia non excommunicat propter actus internos, sed propter actus externos mortaliter malos, & proinde requirit, ut actus externus sit gravis, & capax peccati mortalis. Nec obstat, quod jure communi excommunicatio ob percussionem levem committatur Episcopo absolvenda: non enim intelligitur tunc percussio levis quæ non

sit

sit peccatum mortale saltem dubie, sed percussio levis, quæ non sit valde gravis, atrox, enormis.

IV. In aliis censuris, & casibus reservatis.

GEneraliter quandocumque actus externus, propter quem lata est censura, & reservatio, ob parvitatem materiæ excusatur a mortali, & vere venialis est, etiam a censura, vel reservatione, quidquid sit de intentione interna mala, ob eamdem rationem datam, censura enim non fertur, nisi propter peccatum mortale externum; & non reservatur, nisi peccatum mortale externum in effectu consummatum: ut si fureris modicum quid ex Ecclesia, vel Monasterio; si obiter alloquaris Monialem, unico passu ingrediaris Monasterium Monialium, aut similiter Monialis egrediatur saltem altero pede in poste subsistente, de quibus, & similibus curiosis vide Dian. eadem *p.5. tract.5. resol.46. & a resol.27. usque ad 33.*

REGULA QUARTA.

IN *materia peccati mortalis, tertia, vel quarta pars cujuscumque totius notabilis est, ideoque adhuc mortalis, nisi ipsum totum sit exiguum. Minor, quam quarta pars non est notabilis, sed ex parvitate materiæ venialis evadit, nisi secundum se seorsim sumpta valde notabilis sit, aut valde officiat fini intento præcepti.* Hac simplici Regula partim desumpta ex *Nav. & Azorio*, & lumine naturali satis liquida multum puto juvari posse simplicem Confessarium in resolvendis casibus. Applica exemplis communioribus in praxi.

I. In Horis.

29 OMittere quamlibet Horam Canonicam, etiam ex minoribus, vel laudes, aut integrum Nocturnum in Matutino, mortale est, secundum communem DD. Ratio est. Quia licet una Hora minor, *Nona, v. gr. vel Completorium* respectu totius Officii non videatur notabilis pars: attamen secundum se sumpta, & spectato fine Ecclesiæ, quæ præcipiendo voluit, ut a Clericis singulis statis diei horis, aliquid peculiaris cultus, & ratione peculiaris mysterii Deo offerretur, a quo fine notabiliter deficit, qui unam etiam Horam minorem, Laudes, vel Nocturnum unum omittit, omnino censeri debet materia gravis. *Lessius lib.2. cap.37. dub.9. Bonacin. tom.1. disp. de Horis Canon. qu. 5. propos. 1. Tamburin. lib. 2. in 2. in Decal. cap.5. §.2. nu.11.* E contra ergo minus, quam integra Hora minor, non erit pars notabilis, adeo ut nisi omittas dimidium Horæ minoris, vel amplius, seu quantum notabiliter non adæquat Horam minorem, non eris condemnandus peccati mortalis. Communior DD. Lessius, Bonacina supra: Marchant. Tribun. *par.2. tract.2. tit.3. sect.2. qu.3.* Ratio est. Quia omnes Horæ Canonicæ ex institutione Ecclesiæ unum unius diei Officium constituunt, hinc notabilis pars omissionis, vel gravitas materiæ omissæ, non respectu singularum Horarum, sed respectu totius Officii conjunctim expendenda est: quantum nimirum notabiliter noceat fini ab Ecclesia intento, scilicet colendi DEUM Officio diurno. Atqui, sicut respectu totius Officii, & considerato fine ab Ecclesia intento, quælibet Hora, etiam minor, revera est notabilis pars; notabiliter minus, quam Hora minor, non potest amplius censeri pars notabilis, vel materia gravis, licet revera quid notabile sit respectu ipsius Horæ minoris. Nec vero simile est, Ecclesiam piam Matrem velle æternis ignibus adducere eum, qui leviorem partem Officii, quam diximus, negligit. Cæterum si modicam tantum partem Horæ minoris recites, v.g. initium hymni, aliquot versus Psalmi, censeris totam negligere, quia tam parum pro nihilo reputatur; ideo peccares mortaliter.

II. In Feriis.

DIe dominico, vel festo, una hora laborare serviliter veniale tantum esse ex parvitate materiæ, recte sentit Suarez *tom.2. de Relig. leg.2. de Festis, cap.32.* Maxime si labor non sit nimis servilis, & fatigans corpus, ut notat Layman *leg.4. tract.7. cap.1.* Immo communis jam sententia duas horas permittit citra mortalem culpam. Filliucius *tract.26. cap.11. q.1.* Dian. cum Tambur. *leg.4. cap.3. §.2.* Quia nimirum labor unius, & alterius horæ comparatione totius diei naturalis, 24. horarum non videatur pars notabilis, aut ita officiens fini religiosæ vacationis, ut culpæ mortalis damnari possit. Scio aliquos etiam tres, etiam quatuor, & non neminem sex horas permittere: sed probare non possum. Quia dempto tempore quietis, quod in religiosa feriatione moraliter computandum non videtur: certe tres, vel quatuor horas serviliter laborare, pars valde notabilis emergit, & notabiliter officiens fini religiosæ vacationis ad cultum divinum. Excipe, nisi paupertas, vel alia justa causa excuset.

Similiter in die festo omittere in Sacro audiendo introitum usque ad Evangelium; immo secundum aliquos, usque ad initium Offertorii, sicut etiam post Sumptionem reliquum, veniale est ex parvitate materiæ: at vero tantumdem omittere tempore intermedio nemo a mortali excusabit. Quia spectato fine Ecclesiæ principali, ut nimirum fideles religiose assistant cultui divino latrentico per incruentum Sacrificium, partes illæ priores, etsi non modicæ, tamquam accessoriæ ad Sacrificium pro modico reputantur: partes vero Missæ mediæ ab Offertorio usque ad Sumptionem, quia totam actionem Sacrificii continent, principales sunt, ideoque in iis etiam modica pars secundum se merito quid notabile censetur. Simili ratione, si Sacerdos in Missa ex negligentia omittat *Gloria*, vel *Credo*, parum omittere censetur, nec ultra culpam venialem: ac tantumdem omittens in S. Canone, grave quid omittet, & est culpa omnino lethalis, secundum omnes, quos sciam, apud Tamburinum supra: Cæterum etiam in Canone dicendo aliquam parvitatem materiæ excusantem a mortali admittunt DD. communiter, utpote omittere nomen unius Sancti, speciale *Communicantes*, vel *Infra actionem*, omittere aliquam crucem, inclinationem, genuflexionem, tunsionem pectoris, secluso semper scandalo, & contemptu formali. Vide Lugo *de Eucharist. disp. 20. sect. 4. num. 107.*

III. Jejunio.

PRo collatiuncula vespertina licita quoad quantitatem, libentissime admitto quartam partem solitæ, solidæque cœnæ, quam quis alias spectata sua persona, ætate, complexione, occupatione, ordinarie ad sufficientiam naturæ sumere solet: Ut si pro cœna ordinaria sumere soleas duas libras, poteris in collatione vespertina sumere sine scrupulo mediam libram, idque in qualibet qualitate ciborum esurialium. Est hæc regula plana, & universalis, ut cuivis hominum statui, vel conditioni facile applicari possit: quam tradunt Filliucius *tract.17. part.2. cap.2. qu.7.* Reginald. *in praxi tom.2. lib.4. nu.185.* Layman *cit. nu. 9.* Tamburin. *lib. 4. cap. 5. §.3.* ait, receptam esse Recentiorum opinionem, cœnulam vespertinam ascendere posse ad octo circiter uncias ex consuetudine legitime introducta: idque universaliter respectu omnium: sive alias magna sive modica cœna utentium, sive robustorum, sive valetudinariorum, etiam eorum, quibus octo unciis fames omnino extinguitur: & si constaret de ejusmodi consuetudine legitime introducta, hæc sententia multum faceret ad eximendos scrupulos Religiosoribus: & in particulari convenit cum nostra Regula. Si quis enim in cœna soleat sumere ad triginta uncias, quarta pars licita ascendet ad octo circiter uncias. Sed hæc incidentaliter:

Verum enim vero hanc eamdem quantitatem sine dubitatione admitto pro quantitate notabili in fractione jejunii: adeo, ut qui extra tempus refectionis sumeret quartam partem solidi prandii, vel cœnæ, citra necessitatem, vel causam excusantem, sine dubio mortaliter frangeret jejunium; quia notabiliter noceret jejunii fini, seu abstinentiæ ad mortificationem carnis. Contra vero tertia, vel quarta pars ejusdem collationis vespertinæ, & circiter duodecima, vel minor pars ordinariæ cœnæ, seu ut determinat Diana *part.5. tract.4. resol.11.* quantitas duarum unciarum circiter, omnino admittenda est pro parva materia a mortali excusante: adeo ut nisi extra tempus sumas circiter dimidium collationis vespertinæ, vel plus, non debeas damnari mortalis fractionis jejunii. Ratio est: Quia illa quantitas exigua, & minime notabilis est, & secundum se, & in ordine ad totum, & in ordine ad finem jejunii, seu abstinentiæ, quam non lædit notabiliter, seu simul, seu successive sumatur: læderet autem graviter, & mortaliter, si sumeretur sæpius: ut *sect.4.* notabitur.

Denique sermo fuit de fractione jejunii in cibis licitis esurialibus. Nam in esu carnium præcepto negativo specialiter prohibito quantitatem hic assignatam pro parva materia certe nemo admittit. Omnes tamen aliquam admittere debent parvitatem materiæ a mortali excusantem propter rationem Regulæ secundæ. Aliqui apud Dianam *cit. par.5. tract.5. resol.32.* nimium scrupuloso rigore eam parvitatem materiæ assignant, quanta sufficeret coquo ad gustandum cibum, vel dapifero Principum ad prælibandum. Majores omnes concedunt licentiam ministris infirmorum, non tantum ad prægustandum, sed etiam ad excitandum appetitum, & fastidium tollendum infirmis, si ita expedire videatur: tunc enim est urgentior ratio charitatis, quam Ecclesia impedire non intendit. Et quæso te, vellesne peccati mortalis condemnare eum, qui absque omni justa

causa, ex mera levitate, curiositate, vel gulositate, frustillum carnis, dimidium aviculæ, vel quid simile devoraret? Ego non. Certe enim a ratione alienum est credere, Ecclesiam piam Matrem velle filium suum lethali noxæ, & æternæ damnationi adstrictum, ob tantillam transgressiunculam. *Nec obstat*; quod Præceptum Ecclesiæ de non comedendo carnes diebus vetitis sit negativum, nam & ipsum Præceptum divinum naturale de non furando negativum est; neque est major obligatio præcepti positivi Ecclesiæ, quam divini naturalis: ergo sicut in hoc excusat a mortali parvitas materiæ, ita etiam in illo.

Adverte tandem in eodem præcepto negativo non comedendi carnes die jejunii, nullam dari parvitatem materiæ excusantem a mortali quoad tempus diei naturalis a media nocte usque ad mediam noctem; nam post certo impletam duodecimam noctis præcedentis diei, vel ante certo impletam duodecimam noctis ipsius diei jejunii, quocumque minimo temporis spatio, v.g. dimidio *Ave Maria* comedens carnes in quantitate sufficienti peccat mortaliter, quia nimirum præceptum illud negativum obligat toto die jejunii semper, & pro semper excludendo omnem partem temporis illius diei a comestione carnis. Eademque ratione in veriori sententia nulla datur parvitas materiæ excusans quoad tempora ætatis in jure præscripta in ordine ad aliquos actus licite, vel valide exercendos, utpote ad suscipiendos Sacros Ordines, ad Sponsalia, & Matrimonium contrahendum, ad Professionem emittendam; quia tempus a jure taxatum consistit in indivisibili, sicut pretium jure præscriptum in indivisibili consistit. Unde Regula illa, *quod parum distat, nihil distare videtur: Et parum pro nihilo reputatur*; non habet locum in taxatis a jure. Certe parum distat dimidium *Ave Maria* post, & ante duodecimam noctis jejunii, & tamen in posteriori licet, in priori mortale est comedere carnes, secundum omnes. Sed scio contrarium doceri, & practicari tamquam probabile, ut videre potes apud Dianam *part.* 5. *tract.* 5. *a resol.* 16. ubi in fine resolvit, eum, qui in anno bissextili implet ætatem die ordinario currente a vigesimo quarto Februarii, non posse Professionem eo die emittere, sed debere expectare diem sequentem bissextum, eo quod uterque dies pro uno computetur. Idemque dicendum esse de suscepturo sacros Ordines: sed contrarium in utroque practicari vidi.

IV. In Votis.

30 QUi vovit B. Virgini recitare Rosarium 6. Decadum, si ommittat duas, non videtur peccare mortaliter: quia licet duæ Decades sint pars notabilis, nimirum tertia Rosarii, quia tamen Rosarium quidpiam exiguum est, nec multum videtur obesse cultui B. Virginis, si quatuor decades diligenter recitentur, merito modicum censet Tamburin. *lib.* 1. *Decal. cap.* 1. *§.* 3. *n.* 21. II. Si quis ex voto deberet tria millia aureorum ad pias causas, & omitteret dare 50. peccaret utique mortaliter: quia licet 50. respectu trium millium valde exigua pars sit; at secundum se sumpta, & in ordine ad finem intentum, utpote sublevationem pauperum, vel Ecclesiæ quid magnum, & notabile est. Contra si talis solum nollet reddere tres aureos, non foret transgressio voti mortalis: quia licet tres aurei secundum se sint notabilis quantitas, attamen comparatione ad totum illud grande debitum, morali æstimatione cessat esse notabile. Simili ratione discurrendum in casibus similibus, & semper recurrendum ad moralem æstimationem, & prudens judicium. III. Votum, vel juramentum non bibendi vinum tali die, vel tanto tempore, aut omni tempore, explicandum est quoad parvitatem materiæ, sicut Præceptum Ecclesiæ de non comedendo carnes die jejunii, vel tempore Quadragesimæ: quoad tempus enim nulla datur parvitas materiæ a mortali excusans: sicut enim comedere carnes, ita & stante hoc voto bibere vinum in quantitate notabili, toties, quoties mortale erit. Quoad quantitatem vero vini potati certe admittenda est parvitas materiæ excusans a mortali, & quidem amplior, quam in comestione carnis: placet judicium Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 12. *num.* 21. ad mortalem transgressionem ejusmodi voti, vel juramenti requiri tantum vini potari, quantum in uno prandio sufficere posset pro potu communiter utentibus temperate vino, v.g. dimidium, vel dodrantem mensuræ Passaviensis, cujus proinde quarta pars, vel triens potata levis erit. Sed id rursus relinquendum prudentis judicio, & excipiendum, nisi constaret voventis, vel jurantis intentionem fuisse, sibi potum vini etiam in modica quantitate sub mortali interdicere: non potuit tamen sub mortali interdicere sibi in quantitate modicissima, v.g. unius vitrioli per se loquendo, ut patebit *Sect. seq. in fin.* IV. Similiter in voto, vel juramento non ludendi admittenda est parvitas materiæ a mortali excusans, eaque mensuranda est voventis, vel jurantis fine intento, atque periculo labendi contra illum finem, v.g. si finis voventis fuit, vel jurantis se privare ea delectatione ludi, ob sui mortificationem, vel pœnitentiam, aut cavendi jacturam temporis, aut evitandi discordias, rixas, blasphemias, &c. avide ludentibus valde familiares: attendenda est mora temporis & periculum excedendi: si enim modico tempore lusit, v.g. una hora sine periculo incalescendi, & labendi contra dictos fines, veniale erit ex parvitate materiæ: secus si notabili tempore, aut cum animadverso prædicto periculo. Si vero finis voventis, vel jurantis fuit vitare jacturam pecuniæ, & prodigalitatem, vel dispendium rei domesticæ, &c. jam non mora temporis, sed præcipue quantitas pecuniæ expositæ attendenda erit pro parvitate materiæ: si enim modica pecunia exposita sit, nec adsit periculum ita incalescendi in ludo, ut multum pecuniæ prodigatur, etsi multo tempore lusus duret, non erit culpa saltem gravis contra votum, vel juramentum. Ratio est: quia virtute talis voti, vel juramenti non includitur voluntas vitandi ludum in tam modica quantitate. Si autem notabilis pecuniæ quantitas exponatur, aut prædictum periculum subsit, etsi parvo tempore ludatur, utique mortalis erit transgressio voti, vel juramenti. Hæc omnia summarie ex eodem Sanchez *lib.* 3. *Moral. c.* 18. *num.* 1. & 3. quem vide.

SECTIO III.

Peccatum veniale ex genere suo etiam fit Mortale in individuo.

SUMMARIUM.

31 *Peccatum potest esse veniale tripliciter.* 1. *Ex genere.* 2. *Ex imperfectione actus.* 3. *Et ex parvitate materiæ.*
32 *Peccatum ex genere suo veniale, fit mortale (præterquam ex conscientia erronea, de qua supra cap.* 1. *sect.* 2.) *I. Ex fine, vel effectu malo.*
33 *II. Ex periculo.*
34 *III. Ex scandalo, &*
35 *IV. Ex contemptu, & fine ultimo.*
36 *Peccatum veniale* per se quidem *prohiberi non potest sub mortali;*
37 *Bene autem* per accidens: *scilicet ratione finis præcepti intenti.*

PEccatum veniale etiam triplex assignatur: *ex genere, ex imperfectione actus, & ex parvitate materiæ.* 31

Peccatum veniale ex genere suo dicitur, quod quantum est ex natura, & objecto suo, ita levis est malitiæ, ut seclusa malitia alterius speciei non possit excrescere in peccatum mortale. Quia nimirum secundum se, & proprium objectum spectatum licet sit difforme rectæ rationi, & legi, non tamen graviter repugnat, quia nec in gravem Dei injuriam, neque in grave proximi, vel sui ipsius damnum corporale, vel spirituale cedit. Ut sunt vanæ cogitationes, verba otiosa, mendacia jocosa, vel officiosa: & universaliter omnis excessus, vel defectus in passionibus animi de se indifferentibus, & usu rerum alias indifferentium, vel licitarum: de quibus universalem regulam optime tradit Lessius apud Lyman, *leg.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *nu.* 7. *Cum aliquid per se malum non est, sed indifferens, tunc excessus ejus in appetitione, usuve peccatum est dumtaxat veniale per se loquendo, & secluso gravi nocumento, aliave malitia extrinseca.* Ut sunt excessus non enormes in cibo, & potu, usu matrimonii, ornatu vestium, apparatu conviviorum. Item excessus in appetitu, & usu divitiarum, pecuniæ, honoris, laudis recreationis, aut voluptatis alias non prohibitæ, & similium, in quibus mediocritatem tenere est difficile, & maxime verum illud Jacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Intellige semper *per se*. Seclusa alia malitia, prohibitione, scandalo, nocumento gravi proximi, vel sui ipsius; & excessus enormitate, ut fit in voracitate, ebrietate, de quibus infra *c.* 7. *sect.* 4.

Peccatum veniale ex imperfectione actus est, quod licet ex genere suo sit mortale, tamen ob defectum plenæ advertentiæ, & deliberationis intellectus, ac ideo sufficientis voluntarii, ac consensus voluntatis veniale hic, & nunc in individuo evadit, ut blasphemia ex impetu passionis.

Peccatum veniale ex parvitate, vel levitate materiæ est, quod etiam ex genere suo natum est mortale esse in sufficienti materia, hic, & nunc autem deficiente sufficienti materia veniale evadit. De hoc utroque late satis actum *sect. præced.* Hic videndum, qualiter ipsum peccatum veniale ex genere suo fiat mortale in individuo.

ASSER-

ASSERTIO IV.

Peccatum veniale ex genere suo fit mortale in individuo his fere modis. Ex conscientia erronea, de qua supra: ex fine, vel effectu malo; ex periculo: ex scandalo: ex contemptu: ex ultimo fine constituto. Communis doctrina.

§. I. *Ex fine vel Effectu malo.*

32 Ut si quis leviter, vel officiose mentiatur ad obtinendam fornicationem, ipsum mendacium de se veniale fit mortale ex fine, juxta dicta suo loco. Quemadmodum etiam ex effectu malo, seu gravi detrimento proximi, vel sui ipsius prævisо, vel prævideri debito, veniale in mortale evadere potest. Ut si quis ex levitate garriat, sive quid modicum furetur, unde gravissimas suspiciones, odia, inimicitias, jurgia, &c. oritura prævidet, vel prævidere deberet, mortaliter peccat, cum sit voluntaria causa gravium incommodorum sibi saltem indirecte voluntariorum. Similiter, si transiens per vineam cum multis, paucosque racemos accipiens in causa sis, ut alii exemplum tuum secuti notabile damnum inferant, mortaliter peccas secundum omnes. Quin etiam, saltem ex charitate, sub mortali teneris ad compensandam partem a te ablatam, si spes sit probabilis etiam alios damnum compensaturos, Layman, *lib.3. tract.3. part.1. cap.1. num.3.*

§. II. *Ex Periculo.*

33 Peccatum veniale (immo quæcumque actio indifferens) evadit mortale, si advertatur adesse proximum periculum labendi in mortale: juxta illud Eccli.3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Et, quia talis salutem animæ contemnere censetur, cum ejus tam probabili periculo temere se exponit. Ut si excedendo in potu, etsi venialiter tantum, certo prævideas te inebriandum, Horas omissurum, in fornicationem, aliudve peccatum lapsurum. Si frequentes conversationes de se quidem non malas, saltem mortaliter, quibus tamen mortaliter labi sæpius expertus es, &c. eo ipso peccas mortaliter, & quidem eodem genere peccati, cujus proximo periculo te exposuisti. Unde in confessione exponere debes speciem peccati, cujus periculo te exposuisti: illud enim commisisse censeris; quandoquidem eodem præcepto, quo vitare tenemur tale peccatum, tenemur etiam vitare illius proximum periculum, vel occasionem. Debet autem semper ejusmodi periculum esse moraliter grave, proximum, &, ut vocant, *obruens*: e quo, attentis circumstantiis, difficulter possit evadi, & culpa lethalis evitari. Si enim periculum prævisum possit facile caveri, debitaque ad cavendum cautela adhibeatur, non erit gravius, saltem mortale peccatum, se illi committere. *Communis doctrina.*

§. III. *Ex Scandalo.*

34 Similiter veniale peccatum mortale evadit, cum prævidetur, vel prævideri deberet, cedere in grave proximorum scandalum, seu ruinam spiritualem. Sic levitates, etsi de se veniales tantum Religiosi, vel Clerici coram Sæcularibus exinde graviter scandalizandis, evadunt mortales, secundum omnes. Ubi obiter nota, ad malitiam mortalem scandali minime opus esse, ut ruina proximi per se directa intendatur, quod proprie est scandalum diabolicum, omnium contra proximum peccatorum gravissimum: sed sufficit, quod indirecte saltem volita sit; quod scilicet proximum quocumque modo, aut jussu, consilio, suasu, prece, inducas ad agendum aliquid, quod est peccatum mortale, aut sine mortali fieri non potest: aut saltem exemplo tuo provoces ad peccandum, utpote agendo, vel omittendo aliquid, ex quo prævides, vel prævidere deberes, proximum sumpturum occasionem ruinæ spiritualis: quæ eo ipso indirecte tibi voluntaria imputabitur; sive deinde opus tuum revera malum sit, sive solum speciem mali habeat. Ut si Clericus domi alat personam populo suspectam, etsi ponatur nullum subesse peccatum, nec peccati periculum, aut ad summum levitates veniales appareant, tamen peccat, atque ad movendum publicum scandalum, & malum detractionis, atque contemptus status Clericalis, ex illa specie mali oriturum, sub mortali tenetur illam fœminam dimittere, ut ex *Concilic. Trident. sess.25. cap.14. De Refor.* communiter docent Doctores.

§. IV. *Ex Contemptu, & ultimo Fine.*

35 Quæcumque trasgressio legis, vel præcepti cujuscumque etsi in materia levissima, & maxime veniali, ex formali, & gravi contemptu legis, vel præcipientis, semper est peccatum mortale, & speciale formalis inobedientiæ, de quo ex professo *cap.7.* ubi de causis peccatorum. Denique, ultimo, & pessimo modo, veniale fit mortale, quando in eo constituitur ultimus finis: hoc est, quando peccans peccato veniali, v.g. vanagloria, gula, potatione, lusu, usu immodico conjugii, &c. ita ardenter affectus est ejusmodi actibus, ut propterea paratus sit quamcumque legem Dei transgredi, vel Deum quomodolibet offendere, ideoque gratia, & amicitia Dei privari. Quod aliquando quidem fit explicite, præsertim in ardenter ludentibus, qui sæpe priusquam desistant, potius die festo Sacrum negligere, vel quamvis legem violare parati sunt, & non raro actu violant: aliquando vero, & sæpius, fit implicite: ut dum quis quiddam acturus, suborto dubio, an non forte graviter peccet, & Deum offendat, ejusque gratiam perdat, nihilominus facit, vel pergit: censetur is tunc interpretative dicere, sive sit grave peccatum, vel gravis offensa Dei, sive non, ego faciam: ideoque in eo peccato de se veniali ultimum finem constituit, quia plus creaturam, quam Deum diligit, atque mortaliter gravissime peccat contra Charitatem. Unde in hoc casu non videtur sufficere in Confessione solum dicere propositum illud violandi quamcumque legem Dei, sed opus est etiam explicare actum, propter quem, vel cujus amore habuisti tam perversum propositum offendendi Deum, v.g. potum, lusum, &c. quo enim vilior res est, propter quam quis paratus est Deum offendere, eo gravior est injuria, & contemptus infinitæ Bonitatis, ac Majestatis divinæ. In aliis autem modis superioribus plerumque sufficit solum exprimere rationem peccati mortalis, omissa ratione peccati venialis: ut si mentiendo fœminam induxisti in peccatum, si excessu potus alios graviter scandalizasti, sufficit dicere: *induxi fœminam in peccatum: graviter scandalizavi alios*: nec opus est exprimere mendacium, vel excessum in potu.

Dubium incidens.

Utrum peccatum veniale possit prohiberi sub mortali, seu fieri mortale ratione novi Præcepti prohibentis.

RESOLUTIO.

Per se non potest. Ratio est. Quia accedente novo divino, vel humano præcepto, materia in se minime mutatur, ergo actus, qui secundum se, & circumstantias 36
suas omnes omnino levis, ac venialis est, ratione solius novi præcepti non potest fieri mortalis. Deinde quia ad omnem legem, vel præceptum essentialiter requiritur, ut sit honesta, justa, rationabilis: at vero rem omnino levem, ac venialem velle prohibere sub peccato mortali, esset omnino injustum, irrationabile, inconveniens, quod Deo repugnat, & hominem non decet. Ergo, &c. Unde noster *Alphons. a Castro lib.1. de lege pœnali, c.5.* merito reprehendit Prælatos Regularium, qui rem ita levem, utpote, silentium, tardum accessum ad Chorum: unius fructus, vel lactucæ comestionem, &c. præcipiunt, vel prohibent per obedientiam, sub excommunicatione, aliove modo gravem obligationem significante: atque ejusmodi præcepta comminatoria tantum esse censenda, non obligatoria ad tantam culpam. Excipe tamen nisi accederet contumacia, & contemptus. Tametsi enim lex, vel præceptum Superioris primo de re levi sit, gravis tamen orietur obligatio, & culpa transgressionis, quando post Superioris admonitionem repetitam, contumacia accedit, non sine contemptu saltem implicito, & gravi communis obedientiæ detrimento. Qua ratione *c. si quis, de vita, & honest. Cler.* jubetur excommunicari Clericus, qui comam nutrierit: haud dubie, post præviam admonitionem contumaciter. Simili modo discurrendum de venantibus, vel piscantibus contra prohibitionem Principis, vel Magistratus.

II. Per accidens non potest. Sæpissime enim fit, quod 37
materia secundum se ex objecto suo omnino levis, & venialis, immo indifferens, per accidens tamen ratione finis, quatenus scilicet refertur ad Communitatis bonum, pacem, disciplinam, famam servandam, scandala, & pericula peccati cavenda, omnino fiat materia gravis, & tanquam capax tantæ obligationis, juste sub peccato mortali, sub pœna excommunicationis, vel alia gravissima prohibeatur. Sic lex Ecclesiastica sub excommunicatione latæ sententiæ justissime prohibet detentionem, & lectionem librorum hæreticorum. Quia quamvis detentio simplex, vel modica lectio libri hæretici per se non sit materia gravis; quia tamen detentio est incentivum lectionis, & etiam modica lectio paucarum paginarum potest hæresis veneno inficere, ideo per accidens ratione periculi efficitur materia gravis, & capax tantæ culpæ. Similiter in SS. Religionibus justissime sub peccato mortali, per S. Obedientiam, quandoque etiam cum reservatione, vel censura prohibetur ingressus in cellam alterius: scribere litteras, vel recipere sine scitu Superioris, ingressus in certas domos: bibere,

vel

vel unicum haustum in domibus Saecularium, ubi habentur Monasteria, & alia hujusmodi, tametsi secundum se omnino levia, & ad summum venialia, per accidens tamen relata ad bonum commune, ad evitanda scandala, & peccandi pericula saepe omnino necessaria, vel maxime utilia: adeoque vere materia gravis, & culpae mortalis capax. Neque obstat, quod in particulari casu respectu hujus personae non sit proximum, vel ullum omnino periculum peccati, vel scandali: quia lex fertur ad bonum commune omnes concernens: & ad avertendum malum commune, seu tollendam omnem occasionem mali generaliter respectu omnium, & non ratione certae personae: ideoque omnes in communi obligat: omnes enim bono communi tali lege intento perfruuntur, omnes tale malum peccati, vel scandali incurrere possunt, esto de facto unus, aut alter in particulari non incurreret. Uti ex communi Doctrina bene notat *Manchant. Tribun. part.2. tract.1. tit.8. qu.3. Reg.1. in fine*. Vide etiam *Tamburin. lib.1. in Decalog. cap.1. §.3. nu.18. seqq.* Licet enim non sit periculum in illo casu, adest tamen periculum generaliter, & ut plurimum, quod fuit sufficiens causa imponendi illud praeceptum: circa quod eleganter tradunt Regulam Juristae apud Nicol. Dubois ad Propositionem ab Alexand. VII. damnatam 40. *Lex, quae periculo occurrere vult, committitur etiam non secuta noxa*. Et *lex, quae ob occasionem noxiam factum damnat, si causam facti non distinguit, etiam non malo consilio facientem constringit*, & ita docet communis Theologorum apud Basil. Pontium *lib.5. de Matrim. cap.5. n.11.* Tambur. *lib.1. Decal. cap.1. §.3. a n.18.* Atque eadem ratione resolvendum erit in quaestione, an vovens in materia levi possit se obligare sub mortali: item an Confessarius possit imponere poenitentiam levem v.g. unum *Ave Maris stella, &c.* sub mortali implendum. Per se certe neuter potest, sicut nec Superior ob rationem mox ante numero praecedenti datam. Poterit tamen per accidens ob gravis momenti finem, vel circumstantias, eadem ratione, qua modo de Superiore praecipiente explicatum est. Sed haec insinuasse satis sit; latius tractanda in propriis materiis.

SECTIO IV.

An, & quomodo venialia multiplicata constituant peccatum mortale.

SUMMARIUM.

38 *Venialia multiplicata quidem ad mortale tandem disponunt.*

39 *At vero sine omni morali connexione in materia, vel effectu aliquo, etiam in infinitum multiplicata ratione solius multiplicationis mortale fieri non possunt.*

40 *Sic Clericus, quotidie in Breviario omittens aliquot versus, &c. opifex singulis festis per totum annum una v.gr. hora laborans, &c. non peccat mortaliter. Idem est de jejunante.*

41 *Item qui toto anno parvam v.g. orationem ex voto pro quovis die determinatam debitam, omittit, semper venialiter tantum peccat:*

42 *Esto quis talia una intentione, v.g. initio anni proponat quotidie facere: v.g. quotidie aliquot versus omittere, laborare; orationem illam omittere: quavis occasione leviter mentiri, &c. Idem est de eo, qui plures ad similia facienda inducit.*

43 *Similiter, per se loquendo probabilius venialiter tantum peccat, qui vult committere omnia venialia, & sola mortalia vitare.*

44 *Quando vero habent moralem inter se connexionem ratione materiae concrescentis, vel effectus causati sub aliqua una directa, vel indirecta intentione, mortale efficiunt.*

45 *Sic, qui directa intentione per furta minuta intendit successive auferre notabilem quantitatem, is primo statim, & singulis furtis peccat mortaliter: quae tamen omnia, utpote continua unius malae intentionis executio, in unum mortale concrescunt.*

46 *Similiter, qui ex sola saltem indirecta intentione continuandi veniale usque ad materiam notabilem, advertens, v.gr. furando minuta, omittendo Versus, vel Psalmos, laborando die festo, comedendo die jejunii &c. tandem concrescere materiam notabilem, tamen pergit, ultimo actu illius materiae completive peccat mortaliter.*

47 *Insuper hoc speciale est in materia furti, v.g. qui licet non advertat a se auferri notabilem quantitatem per furta minuta, sicque non peccet mortaliter auferendo, peccabit tamen mortaliter postmodum cognitam eam quantitatem retinendo.*

48 *Et haec per hos tres numeros dicta etiam vera sunt, quando hujusmodi furta minuta fiunt ab eodem pluribus Dominis; admissa tamen majore quantitate materiae, si pluribus, quam si uni, fiant.*

49 *Si sciens alios quoque modica furari, vel furatos esse, & ipse nihilominus modica furatur, absque tamen influxu, vel consensu in furta aliorum, probabilius solum venialiter peccat.*

Peccata venialia multiplicata, tandem disponere ad mortale, omnes fatentur cum S.Th. 1.2. *q.88. art.3.* Ratio ex dictis patet. Quia peccatum veniale est veluti spiritualis languor. & infirmitas animae, quo nimirum fervor charitatis, & gratiae, quae est spiritualis animae vita, languescit, & debilitatur: ergo quo magis multiplicantur venialia, eo magis disponunt ad mortem spiritualem animae per peccatum mortale facile incurrendam. Juxta illud *Eccl. 19. Qui spernit modica, paulatim decidet*. Et experientia nimis notum est, eum, qui facilis est in multiplicandis venialibus, paulatim declinare in mortalia: sive ejusdem materiae, ut assuetus furtis parvis tandem audet majora: incautus in aspectu, lectione, locutione, tactu turpi, sensim declinat in deteriora: sive diversae materiae; ut assuetus multiplicare mendacia, declinat in perjuria; deditus intemperanter potui, lusui, &c. in nescio, quae flagitia. Sed quaestio est, an peccata venialia multiplicata tandem seipsis efficiant mortale. Ita sane universim videtur asserere *Glossa in c. tres sunt, d.1. poenit. & D. August.* variis locis. 38

ASSERTIO V.

Peccata *venialia omnino disparata absque omni morali connexione in materia, vel effectu aliquo, quantumlibet multiplicata in infinitum ratione solius multiplicationis, nullo eventu possunt fieri peccatum mortale*. Communis doctrina. D.Thomas 1.2. *qu.88. art.4.* Scot. *in 3. d.38. qu.1.*

§. I.

Ratio est. Quia sola multiplicatio non variat propriam rationem peccati in aliam rationem diversam: atqui ratio peccati mortalis adaequate sumpta omnino diversa est, & quodammodo infinite distat a ratione peccati venialis: nam peccatum mortale, ex eo quod sit offensa Dei, & aversio a Deo summo, & infinito Bono, simpliciter est quodammodo malitiae infinitae, ideoque meretur poenam aeternam; peccatum vero veniale, cum non sit aversio a Deo simpliciter, finitae solum, & levis est malitiae, poenamque temporalem, ac levem meretur: atqui ulterius finitum quantumlibet multiplicatum numquam adaequat infinitum: quia finiti ad infinitum nulla proportio: ergo peccata venialia quantumlibet multiplicata in infinitum, ratione solius multiplicationis nunquam fient peccatum mortale, nunquam adaequabunt unum peccatum mortale in ratione offensae Dei, quia nec omnia simul avertunt a Deo ultimo fine, sicut unum peccatum mortale. Itaque verba otiosa, mendacia jocosa, & similia venialia quotidie millies repetita, nunquam per totum annum, nunquam per centum annos efficient peccatum mortale; quia illa venialia omnino disparata sunt, absque omni morali connexione in materia, vel effectu aliquo. Sed afferamus exempla, & casus speciales. 39

§. II.

Clericus ex negligentia, vel incuria quotidie omittens aliquot versus, aut unum, vel alterum Psalmum in Officio divino, opifex omnibus diebus Dominicis, & Festis per horam circiter serviliter laborans, qui per totam Quadragesimam quotidie modicum extra refectionis tempus sumit, &c. quantumvis per totum annum, vel Quadragesimam notabilis quantitas omissorum Psalmorum, laborum servilium, ciborum extra mensam sumptorum, concrescat, & coacervetur: semper tamen toto anno, immo quotcumque annis, solum peccat venialiter, & nunquam mortaliter. Intellige semper, *per se*, secluso scandalo, contemptu, periculo, aliave malitia. Sic *Suar. Vasq. alii cum Sanchez lib.1. moral. c.4. Layman l.1. tr.3. cap.7. n.4.* Quia nimirum tales actus non habent ullam moralem connexionem per distinctionem dierum, cum eorum obligatio cum quolibet die extinguatur. Idem a fortiori dicendum, si plura venialia committantur contra diversa praecepta: ut si in die Festo incidente in diem jejunii, & in Missa audienda veniales defectus admittas, & modicum extra mensam comedas, & insuper otieris, mentiaris, &c. 40

§. III.

Qui vovit toto anno, singulis, aut certis diebus, puta Dominicis, Veneris, Sabbati, &c. dicere unum, vel tria *Pater*, & *Ave*: dare modicam eleemosynam, vel simile 41

mile opus bonum de se exiguum præstare: idque determinatum, ita ut quælibet oratio, vel eleemosyna cujuslibet diei onus sit exclusa intentione omissum uno die supplendi altera die, etsi toto anno, vel maxima parte omittat orationem illam, vel eleemosynam, semper peccat venialiter tantum, & nunquam mortaliter. Ita DD. citati. Ratio iterum est. Quia materia ejusmodi voti ex se levis est, & insufficiens ad peccatum mortale: neque per plures dies omissa ullam moralem connexionem, vel continuationem sortitur, cum sit determinata ad singulos dies: ergo neque per plures dies, vel totum annum omissa unquam peccatum mortale constituet.

Secus dicendum esset, si quis talia vovisset, cum expressa intentione supplendi alio die, quod uno die omissum est. Aut si quis una principali intentione vovisset orare 300. *Pater*, *& Ave*; dare pauperibus 300. denarios, &c. postea vero modificando actualem executionem, vel distributionem, quo suavius faciat, decrevisset distinctis singulis diebus per annum dare singulos denarios, vel orare singula *Pater*, *& Ave*, &c. talis totum, vel longo tempore omittens sine dubio peccaret mortaliter. Quia materia voti principalis gravis est, & sufficiens ad peccatum mortale: distributio vero per tot dies non est votum, sed modificatio voti quoad executionem: eo ipso autem, quo principaliter vovit orare 300. *Pater*, *& Ave*, aut dare trecentos denarios, etsi postea modificet per 300. dies, tamen intendisse debet, quod si uno die omitteret, altero compensaret. Et ideo vi intentionis principalis omissio unius diei continuatur moraliter cum omissione alterius diei: & sic tandem evadit quantitas notabilis, & mortalis, eo modo quo *assert. seq.* late dicetur.

§. IV.

42 Assertio nostra in prædictis, & similibus casibus vera est, etsi ejusmodi peccata venialia multiplicata sub una intentione principali unirentur: adeo ut ipsa intentio, seu propositum quotidie quacumque occasione leviter mentiendi, &c. quotidie aliquot Versus, vel Psalmos in Officio divino omittendi: quotidie in Quadragesima extra tempus, data occasione modicum quid comedendi: singulis diebus Festis modico tempore laborandi: votum exiguum longo tempore non implendi, vel omnino omittendi, &c. modo dicto *nu. præc.* per se loquendo solum peccatum veniale sit. *Secura doctrina apud Suar. Sanch. Laym. citat.* Ratio est. Quia propositum non potest esse majoris malitiæ, quam sint actus intenti: sed omnes actus intenti in proposito solum sunt veniales: ergo nec propositum, vel intentio majoris culpæ esse possunt, per se loquendo.

Eadem ratione non erit mortale, si quis multos inducat ad venialia. Ut si efficias, ut multi eodem die jejunii ad haustum extraordinarium aliquid sumentes modice jejunium frangant; vel ut multi eodem die Festo modice laborent, &c. licet omnium comestiones, vel labores conjunctim constituerent notabilem quantitatem. Quia eorum singulorum actum non est moralis connexio: & singulorum culpæ in particulari non excedunt venialem: ergo nec inducens plus quam venialem culpam committit. Hinc resolvit, *Bonacina*, *de tertio præcepto Decal. disp.5. qu. un. p.3.* non peccare mortaliter Dominum, qui die Festo laborem duarum horarum injungit viginti famulis &c. Quia unius opus nequaquam unitur cum opere alterius: Eadem ratio videtur, si singuli successive per modicum tempus in eodem die Festo laborent, etiamsi uno post alterum laborante totus dies occuparetur: ut notat noster *Portellus in dub. regul. 5. laborare in additione*: Verum hæc videntur male sonare piis mentibus, & fraudem sapere.

Dubium incidens.

Quid dicendum de eo, qui vult committere omnia venialia, quæ committenda occurrent, & sola mortalia vitare?

43 Talem peccare mortaliter, sane docent Auctores mei præcipui; Sanch. *lib.1. moral. c.5. nu.4.* Laym. *lib.1. tr.3. c.5. n.7. & alii apud ipsos.* Ratio est. Quia qui vult se exponere periculo peccati mortalis, is peccat mortaliter: sed qui vult committere omnia venialia, vult se exponere proximo periculo peccati mortalis, cum venialia sint dispositiones ad mortale: ergo. Unde celebre dictum D. Aug. *tr. 12. in Joan. minuta plura occidunt*, D. Thom. *supra art. 4.* dicit, esse intelligendum *dispositive*.

Benignior tamen, & probabilior videtur opposita sententia, talem, per se loquendo, adhuc non excedere culpam venialem. Ita Granado, Salas, Castro-Palaus *tom. 1. tr. 2. disp. 2. p.9. §.3. n.5.* alii cum Tambur. *l. 1. c.1. §. 4. nu.12.* Ratio est. Quia malitia actus interni sumitur ab objecto prout proponitur a ratione: sed objectum hujus internæ voluntatis sunt solum omnia venialia, & nulla alia malitia proponitur a ratione: ergo &c. Neque verum est, venialia esse ita proximas dispositiones ad mortale, ut quis volendo multiplicare venialia semper debeat, vel possit censeri velle aliquod mortale. Videmus enim plures, qui de venialibus non multum curant; at quoad mortalia, vel ipsum nomen abhorrere, & reipsa diu abstinere. Certe durum est peccati mortalis damnare illos, qui verbis, & factis significant, se hoc uno esse contentos, non peccare mortaliter; cæterum de venialibus non multum laborare. Ergo per se loquendo non est damnandus peccati mortalis, qui vult omnia venialia committere hoc ipso, quo efficaciter vult abstinere a mortalibus. Excipienda tamen sunt venialia illa, quæ in certa materia, luxuriæ præsertim, revera sunt dispositiones proximæ, proximumque inducunt periculum ad mortale. Apertissimum enim esset libidinis mortalis periculum, si quis ex proposito admittat quasvis confabulationes, aspectus, tactus, &c. quoties de se veniales sunt. *Et Sanch. lib.6. moral. c.4. n.20.* bene arbitrabatur peccare mortaliter Religiosum illum, qui haberet propositum nunquam parendi, vel abstinendi ab ullo actu prohibito in Regula, vel a suo Superiore, nisi præcipiatur, vel prohibeatur sub mortali. Quæ enim tunc facies Religionis foret? Vide *Bassæum in florib. v. peccatum, n.8.* Denique dictis contraria dicta D. Augustini intelligenda sunt, vel per accidens, ratione periculi, quod subesse potest: vel per se in sensu Assertionis sequentis.

ASSERTIO VI.

Peccata venialia multiplicata tandem mortale efficiunt, quando habent inter se moralem connexionem ratione materiæ concrescentis, vel effectus alicujus causati sub aliqua una directa, vel indirecta intentione. Ita cum aliis Sanchez *lib.1. moral. c.4. n.10.* Et communissima doctrina, etiam Scoti *in 3. d.38. q. 1.* Ubi dicit: *unum mendacium jocosum, vel officiosum a Prælato, vel Doctore prolatum non esse mortale sed frequentatum: propterea quod tunc pereat ejus Auctoritas in docendo, vel judicando.*

EXPLICATIO.

Ratio est. Quia quamvis sola multiplicatio venialium per se non possit variare rationem peccati venialis, ut dictum est, tamen per accidens, ex circumstantia specialis connexionis, vel conjunctionis moralis in materia, vel effectu causato, peccatum, quod alioquin ex genere suo foret veniale, hic, & nunc in individuo mortale fit, dummodo accedat advertentia, & intentio directa, vel indirecta circa illam materiam, vel effectum. Juxta sequentes Regulas. 44

REGULA PRIMA.

Peccata venialia multiplicata ratione materiæ, vel effectus fiunt mortale, quando fiunt ex directa principali intentione congregandi notabilem quantitatem sufficientem ad mortale, aut causandi effectum mortaliter malum. Ex.g. Qui furtis repetitis semper furatur quid modicum, ne forte notetur, sed ex intentione corripiendi magnam quantitatem, & inde ditescendi, is primo, & singulis furtis peccat mortaliter. Omnes cum Lessio *lib.2. c.12. dub.7.* Sanch. *lib.7. moral. c.21.* Laym. *lib.3. tract.3. par.1. cap.1. n.6.* Lugo *disp.16. sect.3. de Just.* (eademque erit ratio quoad effectus causatos. Ut si quis intentione principali proponeret violare jejunium, vel festum, ne tamen notetur, vellet repetitis vicibus semper modicum comedere, vel laborare, &c.) Ratio est. Quia qui habet propositum proximo nocendi in re gravi, peccat mortaliter, & media semper participant malitiam finis intenti: atqui talis habet, & retinet semper propositum nocendi proximo in re gravi, & singula furta minuta procedunt ex illo proposito tamquam ejus continua executio: singulaque tamquam media ordinantur ad acquirendam rem alienam notabilem, ut finem mortaliter malum: ergo talis singulis furtis minutis peccat mortaliter: non tamen committit tot distincta furta mortalia sed unum tantum. Quia omnia furta minuta simul una intentione principali uniuntur tamquam continua una executio illius intentionis lethalis. 45

Quare judica, mortaliter peccasse eum, qui mensuras, & pondera falsificando modice, vino aquam, aliisque mercibus deteriorem materiam miscendo, &c. notabile lucrum collegit: qui alienas vineas circumcursando uvarum multitudinem congregavit, &c. Quia in his casibus unum est malignum propositum circa objectum grave, & mortale. Non autem ita facile judicabis, mortaliter peccasse eum, qui hodie ab una non ita divite duos pacios furatus est, & assumpsit, ac deinceps abstinere proposuit: nihilominus post aliquot dies iterum nactus occasionem duos pacios eidem, vel alteri abstulit, & eodem modo sæpius post propositum absti-

abstinendi, ad summam unius v.g. floreni pervenit. Quia talis non unum propositum retinet, quod sæpius revocavit: unde nec unum peccatum committit, sed plura dissoluta, & venialia, nisi denique perveniat ad quantitatem valde notabilem, & damnosam, v.g. duorum, vel trium florenorum. Tunc enim peccatum mortale non effugiet: si non ratione ablationis, quia forte non advertit, saltem ratione injustæ detentionis, quam utique aliquando advertere debebit: ut mox videbis amplius.

REGULA SECUNDA.

45 PEccata venialia multiplicata tandem efficiunt mortale ratione effectus, vel materiæ concrescentis, ex sola saltem indirecta intentione continuandi veniale usque ad materiam notabilem, vel effectum mortaliter malum. Exemplum rursus notissimum in furtis. Qui successive repetitis vicibus furatur quid modicum, v.g. singulos denarios, pacios, &c. absque quidem prævisa intentione congregandi magnam quantitatem, attamen advertens tandem concrescere notabilem summam domino causaturam notabile detrimentum, quæ nimirum simul ablata sine controversia sufficeret ad peccatum mortale: v.g. unius ducati, &c. eo statu, si sciens, & volens insuper aliquid modicum auferat complens, vel excedens illam quantitatem, etiam unicum cruciferum, vel denarium, ipso illo ultimo furto minuto peccat mortaliter: seu ipsum illud ultimum furtum minutum, alioquin seorsim secundum se sumptum veniale, hic, & nunc ratione conjunctionis volitæ cum præcedentibus est peccatum mortale: aut potius, & recte sonantius loquendo. *Intentio illa, seu voluntas continuandi furtum per illud minutum usque ad quantitatem notabilem, lethalis est. Quia tunc censetur consentire in totum damnum*, (sunt verba formalia auro, & cedro digna Reverendissimi, & Amplissimi Domini D. JOANNIS MELCHIORIS Episcopi Domitiopolitani, Herbipolensium Pro-Episcopi, Viri virtute, ac doctrina præstantissimi, dum ante aliquot annos Tyrones meos, quæ ejus est erga Religiosos, pia humanitas, in sacro, & celeberrimo illo Senatu Ecclesiastico Præses, ipsos personaliter pro Cura examinaret.) Ratio ergo est. Quia illud opus, quo injustum notabile damnum proximi completur, peccatum mortale est: atqui per illud ultimum furtum, quo quis advertit, se pervenire ad summam notabilem, v.gr. furando ultimum pacium complentem Talerum, vel ducatum respective, completur notabile damnum proximi: ergo illud ultimum furtum mortale est, non quidem secundum se absolute, sed cum habitudine ad furta præcedentia consideratum. *Est jam communis doctrina. Sic enim Major, Medina, Sotus, Valentia, Vasquez, Molina, alii cum Sanchez, lib. 7. Moral. cap. 21. n. 5. Laym. supra c. 1. n. 6. Lugo supra sect. 3.* Quamvis contrarium sentiant *Navarrus cap. 17. nu. 139. Lessius supra dub. 8. Marchant. Tribun. par. 1. tract. 3. tit. 1. q. 5. & alii negantes*, ullum ex illis furtis minutis fuisse peccatum mortale: quamvis fateantur, talem sub mortali teneri restituere illam quantitatem notabilem per furta minuta congregatam: ideoque peccare mortaliter detinendo tantum, non vero auferendo unquam: quod ipsum quidem posse fieri Regula sequenti patebit. Sed hic interim confirmemus Regulam datam. Talis ergo secundum omnes sub mortali tenetur restituere summam notabilem furtis minutis congregatam; non quidem sub mortali totam illam summam, sed illam solum partem, quæ constituit quantitatem notabilem in grave damnum proximi, quaque restituta, non retinetur amplius quantitas notabilis cum gravi damno proximi: secundum communem DD. *apud Lugo cit. n. 41.* Atqui quod sub mortali restituendum est, etiam sub mortali non auferendum erat: seu, cujus retentio est mortalis, illius etiam ablatio fuit, vel saltem potuit esse mortalis: ergo si illa pars complens summam notabilem sub mortali restituenda est, eamdemque auferre fuit, vel saltem potuit esse mortale, nisi tunc advertentia excusasset.

EXEMPLIS aliis Regula declaratur. I. Potest quis comedendo, vel bibendo pretiosa aliena, peccare mortaliter: ubi sane ultima bucella, vel haustus, secundum se non est quid grave, tamen cum præcedentibus conflat damnum, & peccatum grave. Idemque est de ultimo haustu inebriante. II. Clericus eodem die interruptis vicibus omittens plures Psalmos, vel Partes secundum se non notabiles in Officio divino, quæ tamen simul sumptæ conflent quantitatem notabilem, ultima omissione, etsi secundum se modica, peccat mortaliter. III. Si eodem die Jejunii, iteratis vicibus modicum quid extra refectionem comedas, quæ tamen modica simul sumpta constituant quantitatem notabilem sufficientem ad transgressionem mortalem jejunii: aut si eodem die Festo, distinctis vicibus per modicum tempus, v.g. dimidium horæ, serviliter labores, ut tandem concrescat tempus notabile sufficiens ad mortalem violationem Festi, v.g. trium, vel quatuor horarum, dummodo id advertas tandem peccas mortaliter, etiam modicum sumendo, vel laborando. Quia tunc diversæ illæ parvæ violationes morali connexione concrescentes complent unam notabilem quantitatem: ut notat etiam *Sanch. lib. 1. Moral. c. 4. n. 8. Portellus verb. Festi dies, n. 2. id addit.* IV. Qui sæpius modicum excedit limites temperantiæ in cibo, vel potu, & tandem advertit necessario graviter lædendam valetudinem, etiam modico insuper excessu, ratione effectus, seu notabilis damni causati, mortaliter peccat. Simili ratione, qui sæpius iterat mendacia jocosa, leves detractiones, levia convitia, vexatiunculas, &c. advertens, tandem alium, vel alios excitandos ad gravem iracundiam, jurgia, lites, scandala, &c. tandem aliquo ejusmodi actu, etsi secundum se levi, & veniali, peccabit mortaliter, ratione mali effectus causati. Vide *Sanchez loc. cit. & alios apud ipsum.*

DICES I. Multiplicata venialia nunquam faciunt mortale. *Distinguo*. Si sint omnino disparata absque omni connexione ad invicem in materia, vel effectu causato, ut in exemplis allatis *Assert. præced.* concedo. Si autem sint ita connexa, ut in exemplis hactenus allatis: nego. Neque etiam in proposito, peccata venialia, ut talia in individuo faciunt unum mortale: sed ultimum furtum, v.g. quod secundum se solum esset veniale, hic, & nunc adjectum præcedentibus fit mortale, quod valde notandum est. II. Ultimus actus furti, v. g. est ejusdem rationis cum præcedentibus: ergo venialis tantum, sicut actus præcedentes. *Distinguo antecedens*. Est ejusdem rationis ex objecto, & per se: concedo: Ex circumstantia, & per accidens: nego. Ratione enim connexionis cum præcedentibus actibus habet ultimus actus aliquam circumstantiam complentem scilicet materiam, & damnum notabile, quam non habent actus priores. III. Ultimum furtum non plus nocet, quam præcedentia, ergo omnia sunt tantum venialia. Iterum *distinguo antecedens*. Non plus nocet absolute secundum se sumptum; concedo. Non plus nocet respective, & ut est conjunctum cum furtis præcedentibus; nego. Nam ultimo furto minuto aufertur integer florenus, vel ducatus, qui non ablatus erat furtis præcedentibus. IV. Quomodo ergo salvabuntur famuli Magnatum continuo auferentes, male impendentes, vel consumentes aliqua modica, & numquam restituentes? *Respondeo*: illos excusari a mortali, & onere restitutionis, partim per inadvertentiam: partim quia Domini Magnates in his non censentur valde inviti, nec suos famulos tam stricte obligare velle ad tam exactam administrationem rerum suarum etiam quoad modica. Alioquin illi peccant, sicut alii homines.

PETES. Quid, si quis post notabilem quantitatem minutis furtis comparatam usque ad peccatum mortale commissum, rursus incipiat, & pergat furari modica? Sic distinguendum est cum *Lugo supra cit.* Aut enim talis nondum pœnituit de furtis præcedentibus, nec restituit, vel restituere proposuit, & sic denuo furando modica ab eodem, peccat mortaliter toties, quoties. Quia tunc habet explicitam, vel implicitam voluntatem augendi damnum proximi, & retinendi notabilem quantitatem rei alienæ semper majorem, & majorem. Aut talis jam pœnituit de furtis præcedentibus, & vel de facto restituit, vel restituere data occasione proposuit: & tunc denuo furando minuta peccat tantum venialiter, donec rursus attingat quantitatem notabilem sufficientem ad mortale furtum. Quia tunc per pœnitentiam, & restituendi propositum abrupit continuationem furtorum præcedentium cum sequentibus, & sequens materia non concrescit amplius cum præcedenti: sed manet per se sola, & venialis, donec rursus concrescat cum alia materia sequenti.

REGULA TERTIA.

INsuper hoc singulare est in materia furti, vel injustitiæ, 47
quod ex pluribus furtis minutis, & singulis de facto venialibus tantum, tamen accrescente notabili quantitate sufficiente ad peccatum mortale, adhuc exurgat peccatum mortale, ratione injustæ detentionis tantum. Ita nimirum, ut, licet quis furtis minutis sæpissime repetitis usque ad notabilem summam, quia numquam recordatus præcedentium furtorum, non advertit, vel attendit ad accrescentem quantitatum, singulis furtis, etiam ultimo solum peccaverit venialiter, & numquam mortaliter ratione ablationis: postea tamen advertens aliquando quantitatem notabilem aggregatam, peccabit mortaliter ratione injustæ detentionis, seu non restitutionis rei alienæ. *Communis, & omnino certa doctrina apud Sanchez supra*, & fatetur *Navarrus cap. 17. nu. 139.* etsi alibi oppositum tenuerit. Ubi adverte, in furtis duo esse. Unum est injusta ablatio rei alienæ invito Domino: alterum est injusta detentio, seu non restitutio rei alienæ invito Domino: Et quamvis per se, & ordinarie ablatio, & detentio ejusdem rei alienæ constituant unum numero peccatum, cum utrumque per modum unius intendatur; nemo enim vult rem furari, quin saltem ad tempus eam detinere, ejus-

ejusque usu, ac possessione dominum spoliare intendat: per accidens tamen quoad rationem peccati sæpe multum differunt. Ex. grat. Accipit quis mutuum a domino volente certo tempore restituendum; abstulit gladium furioso ad impedienda damna aliis inferenda, postea finito termino, vel furore, repetenti domino non restituit: is non peccavit auferendo: retinendo autem peccat mortaliter ex genere suo. Contra. Furatur quis equum suo domino: postea ab eodem domino damno æquali, vel majori affectus non vult reddere: peccavit mortaliter auferendo; at non peccat detinendo, si alter damnum illatum quoque resarcire nolit. Item abstulisti bursam intentione furandi aliquot denarios tantum, postea repertos aliquot aureos detines: peccasti solum venialiter auferendo, sed detinendo peccas mortaliter. Contra. Abstulisti bursam intentione furandi aliquot ducatos, postea repertos solum aliquot denarios retines, peccasti mortaliter auferendo, at non nisi venialiter detinendo. Ita in proposito. Si furtis minutis, & venialibus sæpe repetitis, omnino disparatis, nec ulla intentione unitis, conquisivisti notabilem summam sufficientem ad peccatum mortale, peccasti semper venialiter tantum auferendo; at peccabis postea mortaliter compertam summam notabilem detinendo, seu non restituendo invito domino. Ratio est. Quia velle detinere alienum in magna quantitate semper est mortale: atqui per plura repetita furta minuta, etsi omnia, & singula venialia tantum, ut puta, si furans numquam recordatus furtorum præcedentium, non advertit ad materiam notabilem concrescentem: aut licet adverterit, tamen de præcedentibus jam pœnituit, & restituere proposuit, nihilominus re ipsa aggregatur materia notabilis cum gravi damno proximi, verb. grat. ad unum, vel alterum ducatum: ideoque scienter retinens, vel restituere nolens peccabit mortaliter. Ergo ex pluribus furtis minutis, etiamsi omnia, & singula quoad ablationem fuerint venialia, tamen accrescente materia notabili sufficiente ad mortale, ratione injustæ detentionis, exurget peccatum mortale, & obligatio restituendi sub mortali.

REGULA QUARTA.

48 Furta minuta, ac venialia multiplicata prædictis modis constituunt peccatum mortale, cum obligatione restituendi sub mortali, non tantum, cum fiunt ab eodem eidem, quod hactenus suppositum est: sed etiam cum fiunt ab eodem diversis dominis. Et quidem quoad primum modum cum quis ex directa, & formali intentione ditescendi, seu notabilem summam congregandi, furatur a diversis modica, videtur esse extra controversiam. Quia talis intentio est peccatum mortale, ex qua singula sequentia furta minuta, tamquam continua illius intentionis executio, eamdem malitiam mortalem participant; & tunc domini quam maxime censentur inviti. Quoad secundum vero modum, cum quis absque ejusmodi intentione principali, magnam quantitatem congregandi, a diversis furatur modica usque ad notabilem summam scienter concrescentem: equidem *Joann. Medina, Angelus, Navarr. cit. cap. 17. nu. 139. Toletus lib. 5. cap. 16.* & alii putant, talem numquam peccare mortaliter. Contrarium tamen longe verius docent DD. communiter *Lessius lib. 2. de Justitia c. 12. dub. 7. Molina to. 3. disp. 689. Sanchez, lib. 7. moral. c. 21. Layman, lib. 3. part. 1. c. 1. nu. 6. Lugo, cit. disp. 16. sect. 3. §. 1.* Ratio est. Quia licet talis minuta furando a diversis dominis non inferat notabile damnum singulis seorsim, & actualiter, infert tamen grave damnum omnibus collective, seu ipsi Communitati, vel Reipublicæ saltem, habitualiter, quatenus nimirum, si talis modus furandi non esset graviter prohibitus, maxima sequerentur incommoda, & inconvenientia contra Bonum commune, & indemnitatem civium. Si enim cuilibet citra peccatum mortale liceret ditescere tali modo, seu furtim magnam copiam congregare ex alieno, quæ foret facies Reipublicæ? qui mores? quæ securitas? Deinde sequeretur, posse aliquem sine peccato mortali in venditionibus uti ponderibus, & mensuris modice falsificatis, & diminutis: quod tamen in omni Republica bene instituta merito gravissime prohibitum est. Item sequeretur, non peccare mortaliter eum, qui ex granario, vel cellario totius Communitatis furaretur magnam quantitatem; aut qui sine justo titulo tributa, seu gabellas, etsi minutas, exigeret a tota populosa Communitate, &c. Quia talis singulos non graviter, sed leviter admodum læderet: quæ tamen omnia sunt absurdissima: ergo, &c.

Cæterum in favorem ejusmodi furunculorum aliqua hic advertere debes. I. Universaliter, sive quis furtis minutis furetur ab eodem, sive a diversis, ad contrahendum peccatum mortale majori quantitate opus est, quam illa, quæ simul ablata constitueret peccatum mortale. Quia scilicet Domini non sunt ita inviti ad furta successive, seu per intervalla facta, quam ad furtum rei notabilis simul factum; & ordinarie non tantum damnum infertur. Vide *Molinam, Sanch. Lugo citat.* II. Major item requiritur quantitas, si plura furta minuta diversis, ac pluribus contingant; quam si eidem. Quia tunc omnes, & singuli non tam grave damnum patiuntur actualiter, & communiter minus inviti sunt. *Molina cit. disp. 689.* determinat duplo, vel adhuc majorem quantitatem requiri in furtis diversis dominis, quam uni, factis. *Layman, ibid.* a mortali excusat eum, qui a triginta mercatoribus singulos pacios auferret, etsi uni ablati sine dubio mortalis quantitas essent. III. Eo etiam major requiritur quantitas in furtis factis, sive eidem, sive diversis, quanto fiunt per majora temporum intervalla. Quia eo magis deficit unius damni connexio, & domini minus inviti censentur. Unde licet florenus v. g. simul, vel successive brevi tempore ablatus constitueret peccatum mortale, puta respectu mediocriter divitis: tamen successive per longum tempus, utpote duorum, vel trium annorum, surreptus, non concrescit in peccatum mortale. Et si pluribus, tanto temporum intervallo, absque ditescendi proposito, talia furta minuta fierent, etiam duo, vel tres aurei non sufficerent ad peccatum mortale. Quæ tamen omnia prudentis, & probi viri, vel Confessarii judicio relinquuntur. De quo late *Molina, & Sanchez, citati.* IV. Addit *Joannes Medina*, & probabile censet *Lessius, cit. dub. 7.* etiam requiri, ut taliter successive, & præsertim a pluribus auferens non sit valde pauper, & egenus: alioquin excusabitur semper a mortali peccato, & restitutionis debito.

Dubium incidens.

Quid de Furtis minutis factis eidem a diversis.

Exempli gr. Plures transeuntes vineam, singuli paucos botros decerpunt: plures intrantes cellam vinariam, singuli modicum furantur vinum, vel furtive bibunt: plures famuli eidem Domino modicam pecuniam subtrahunt, &c. ita tamen, ut omnia simul sumpta conficiant quantitatem notabilem in grave detrimentum Domini. Hinc certum est, si plures communi consensu, consilio, cooperatione ita furentur, singulos peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem in solidum: scilicet in defectu aliorum. Quia singuli sunt causa moralis totius damni. Quod si unus primus incipiens ejusmodi furtum minutum, solo exemplo suo aliis causa fuit, ut alii grave damnum inferrent, jam mentio facta est *supra num. 23.* 49

Quæstio ergo, & difficultas solum est. Utrum, quando quis sciens alios quoque modica furari, vel furatos esse, nihilominus & ipse modica furatur, absque omni consensu, vel influxu in furta aliorum, peccet mortaliter, & restituere teneatur suam partem, ex eo, quod advertat, suo, & aliorum furtis notabile damnum proximo inferri. Affirmativa sane communior est sententia. *Navarr. Medina, Major, Corduba, Angelus, Sayrus, Vasquez, & alii cum Molina supra, Filliucio tr. 31. c. 10. n. 249.* eo quod talis sciens cooperetur ad grave damnum proximi.

Probabilior tamen videtur sententia opposita negativa Lessii, *lib. 2. cap. 12. dub. 9.* Sanchez, *lib. 7. moral. cap. 21. nu. 22.* Tanner. *tom. 3. d. 4. q. 6. dub. 9.* Lugo *d. 16. sect. 3. §. 2. nu. 55.* Diana *par. 2. tract. 17. resol. 42.* Ratio est. Quia talis nec infert grave damnum ratione sui furti secundum se, quod exiguum, & veniale esse supponitur: nec ratione sui furti ut conjuncti cum furtis aliorum: quia suo furto nullo modo cooperatur ad furta aliorum: & grave nocumentum ex omnibus resultans non causatur per tuum furtum, sed per furta aliorum, quibus nullo modo causa fuisti. Alioquin sequeretur, quod posito ad furtum mortale sufficere viginti pacios, & Titius jam abstulisset octodecim, tu autem conscius, absque ulla cooperatione auferens solum duos, peccares mortaliter, & Titius venialiter tantum: quo nihil absurdius; ergo eo casu non peccas mortaliter, nec consequenter sub mortali obligaris ad restitutionem aliquam. Aliud est, si unus, & idem tali modo furetur, tunc enim ipse solus totius damni causa est. Aliud etiam est de eo, qui jam ægrotum, vel vulneratum, alioquin supervicturum, denuo leviter vulnerans occidit: quia infert gravissimum detrimentum, quod morbus, vel vulnera priora non intulissent.

Fundamentum ergo oppositæ sententiæ, seu principium illud: *Omnis scienter cooperans ad grave damnum alterius, peccat graviter:* Verum solum est, quando quis influit in totum damnum moraliter, jussu, consilio, concursu, &c. aut per se graviter damnificat, non item si leviter tantum.

CAPUT VI.

DE SUBJECTO PECCATI,

Et Peccatis maxime internis.

SUMMARIUM.

1 *Subjectum peccati triplex assignari solet.*
2 *Formaliter, & primario esse potest in voluntate.*
3 *Eaque sola.*
4 *Secundum rationem, vel portionem superiorem.*
5 *In aliis vero potentiis, & membris secundario solum.*

1 SUbjectum peccati triplex assignari potest. I. Subjectum peccati ultimatum, seu denominationis est ipse homo, seu persona peccans. II. Subjectum peccati immediatum, seu inhaesionis est potentia hominis eliciens, seu exercens actum peccaminosum. III. Subjectum intrinsecum, seu potius materiale peccati est ipse actus peccaminosus, unde nata est alia celebris divisio peccati, in peccata cordis, oris, & operis, de quibus infra. Modo pro fundamento dicendorum sit

ASSERTIO I.

PEccatum formaliter, *& primario potest esse in voluntate sola secundum rationem, vel portionem superiorem: non item secundum portionem inferiorem, aut in aliis potentiis, & membris externis, nisi secundario tantum.* Communissima doctrina. D. Augustin. *l.* 12. *de Trinit. c.* 12. D. Thom. 1. 2. *q.* 15. *ar.* 4. *ac re ipsa* Scotus *quodl.* 18. *art.* 3. *& in* 2. *dist.* 42. *q.* 4.

§. I.

2 IN *Voluntate*. Observa hic ex S. Augustino proxime citato, mentem humanam, quoad rationem, & voluntatem, dividi in rationem, ac portionem superiorem, & inferiorem. Ratio superior (quam S. Augustinus comparat viro) dicitur intellectus, quatenus judicat secundum rationes aeternas. Utpote secundum legem Dei, secundum regulas honestatis, vel inhonestatis, in ordine ad gloriam, vel poenam aeternam. Ratio inferior (uxori comparata) dicitur idem intellectus, quatenus judicat secundum rationes temporales, utpote commodi, vel incommodi sensibilis, & temporalis tantum. Et ita proportionaliter in voluntate: Portio superior dicitur, quatenus tendit in objecta, ut regulata per rationem superiorem, secundum rationes aeternas, seu regulas honestatis, & inhonestatis. Portio inferior vero dicitur eadem voluntas, quatenus tendit in objecta, ut regulata, vel potius declinata per rationem inferiorem, secundum rationes temporales commodi, vel incommodi sensibilis. Aliis verbis, sed reipsa coincidentibus, explicat *Scotus*: Portionem superiorem esse voluntatem quatenus tendit in sua propria objecta, nimirum primario in ultimum finem, & in omnia alia in ordine ad hunc finem: Atque ad hoc ipsum regulariter per rationem superiorem secundum rationes aeternas; Portionem vero inferiorem esse eamdem voluntatem, quatenus tendit in objecta propria appetitus sensitivi, scilicet commodum sensibile, quod idem est, ac secundum rationes temporales.

§. II.

3 IN *Voluntate sola*. Ratio est. Quia omne peccatum essentialiter debet esse voluntarium, ac liberum. Peccatum enim adeo voluntarium est, ut si voluntarium non sit, eo ipso peccatum non sit, uti docet *S. Augustin. l.* 1. *Retractat. cap.* 13. ergo peccatum formaliter, & primario potest solum inesse illi potentiae, quae formaliter, & primario voluntaria, ac libera est; atqui sola voluntas primario formaliter, & essentialiter libera est, secundum omnes: ergo in sola voluntate formaliter, & primario potest esse peccatum, non item in aliis potentiis. Unde in primis motibus concupiscentiae nullum posse esse peccatum, infra defendetur. Et quamvis Doctores, volentes actum externum addere aliquam malitiam super actum internum, dicant, in potentia externa posse esse peccatum *formaliter*: at non dicunt *primario*, sed solum *secundario*, & dependenter a voluntate esse, omnes fatentur. Vide *de hoc dicta supra c.* 3. *q.* 4.

§. III.

4 IN sola voluntate *secundum rationem, ac portionem superiorem*. Ratio iterum est. Quia peccatum debet esse voluntarium, & ideo praecognitum quoad suam malitiam, seu deformitatem contra rectam rationem, vel legem: atqui sola ratione superiori secundum rationes aeternas cognoscuntur peccata formaliter secundum suam malitiam, seu deformitatem contra rectam rationem, vel legem, ut ex terminis liquet: ergo in voluntate secundum portionem superiorem dumtaxat, quatenus scilicet tendit in objecta ut proposita per judicium rationis superioris secundum suam malitiam, ac deformitatem, potest esse peccatum formaliter, & primario: adeo ut sicut actus numquam fit bonus moraliter, & honestus, nisi fiat a voluntate secundum judicium rationis superioris juxta rationes aeternas, ita nullum umquam potest fieri peccatum, seu actus malus moraliter, & inhonestus, nisi fiat a voluntate praeter, vel contra rationis superioris judicium, juxta rationes aeternas proponens talem actum esse malum, & inhonestum: non ergo etiam in ipsa voluntate *secundum portionem inferiorem*: sic enim tendit in objecta praecise secundum rationem commodi, vel incommodi sensibilis, & temporalis, eodem prorsus modo, quo appetitus sensitivus, seu sensualitas etiam in brutis, ubi sine dubio non potest esse peccatum secundum se; multo minus *in aliis potentiis, & membris externis, formaliter & primario*: sed

§. IV.

SUpposito ergo voluntatis, secundum portionem superiorem operantis, imperio, consensu, vel permissione, *secundario tantum* peccatum potest esse in omnibus aliis potentiis, ac membris externis, quatenus in suis actibus subsunt imperio voluntatis: adeo ut primo, & formaliter peccata solum sint actus voluntatis eliciti: *imperantes, consentientes, & permittentes*: actus vero aliarum potentiarum, & membrorum, solum ut imperati, admissi, vel permissi a voluntate, adeoque *secundario tantum* peccata sint. Itaque imperante, consentiente, vel cum posset, & deberet impedire, permittente voluntate, secundum portionem superiorem operante, peccatum secundario esse potest: I. In intellectu, ut cogitationes malae, suspiciones, judicia temeraria, haeresis &c. II. In phantasia sensitiva, imaginationes turpes, &c. III. In appetitu sensitivo, seu sensualitate, appetitiones rerum malarum, delectationes morosae, maxime venereae, &c. IV. In potentiis, & membris externis: ut voluntarie illicita, vel ad finem illicitum videre, audire, gustare, loqui, tangere, ambulare, &c. Ratio omnium est. Quia in omni illo potest esse peccatum secundario, cujus actus proprius aliquo modo voluntarius illicitus est, seu peccatum est: actus autem proprii intellectus, phantasiae, appetitus, ac potentiarum, membrorumque externorum, facti sic imperante, consentiente, vel permittente voluntate circa objecta illicita, vere illiciti, & peccata sunt: ergo in iis omnibus potest esse peccatum secundario, & quidem formaliter, non materialiter tantum, ut cum *Scoto citat. quodlib.* 18. *artic.* 3. docent *Medina, Vasquez, & alii, quos refert, & sequitur Tanner. hic disp.* 4. *q.* 8. *dub.* 1. Et hinc peccata alia interna, alia externa dicuntur. 5

SECTIO I.

Peccata interna, & externa, seu Cordis, Oris, & Operis.

SUMMARIUM.

6 *Divisio peccati in cordis, oris, & operis, ut in species.*
7 *Ut in gradus distinctos.*
8 *Qualis ordinarie sit processus practicus ad peccatum internum.*
9 *Cogitationes, & imaginationes rerum malarum secundum se indifferentes sunt: factae autem voluntariae, bonae, vel malae esse possunt.*

DIvisio haec tradita a D. Hieron. *in Ezech. cap.* 43. dicente: *Aut enim cogitationibus, aut sermone, aut opere peccamus*; duobus modis intelligi, & explicari potest, tamquam in species, & tamquam in gradus tantum.

§. I. *Peccata cordis, oris, & operis, ut species diversae.*

PEccata cordis, seu interna, universaliter dicuntur, quae fiunt, & consummantur (quasi in corde) in potentiis internis, utpote voluntate, intellectu, phantasia, appetitu sensitivo. Ut odium Dei, & Proximi, haeresis, superbia, avaritia, invidia, delectatio morosa. Peccata oris dicuntur, quae, supposito voluntario interno, consummantur solo sermone, vel prolatione verborum, ut blasphemia, perjurium, maledictum, mendacium, &c. Peccata operis dicuntur, quae, supposito voluntario interno, consummantur opere externo, seu per exercitium potentiarum, ac membrorum externorum: ut furtum, homicidium, fornicatio, &c. 6

§. II.

§. II. *Peccata Cordis, Oris, & Operis, ut gradus distincti.*

7 UT sensus sit: peccata aliqua sunt, quæ incipiunt cordis cogitatione: incrementa capiunt in sermone: & complentur, seu consummantur opere, vel facto externo, ut fieri constat in fornicatione, homicidio, &c. Alius sensus esse potest, respectu diversorum peccantium in simili genere peccati: v. gr. Unus delectatur corde tantum in cogitatione fornicationis, nolens loqui, aut facere turpia. Alius delectatur, & loquitur. Tertius delectatur, & loquitur, & consummat opus. De peccatis externis, seu oris, & operis in genere, nihil hic speciale dicendum superest: multa vero, de peccatis internis, seu cordis, multa per omnem modum, & multum difficilia; interim tamen scitu summe necessaria, quia in praxi frequentissima: confortare, conabor explicare ad captum tuum.

§. IIII. *Processus practicus ad peccatum internum*

8 ORdinarie talis est. I. Ex sensibus externis, vel alia causa excitante fit imaginatio rei delectabilis, vel contrariæ in phantasia: atque ob naturalem, ac intimam connexionem potentiarum, statim de eadem re fit cognitio, vel cogitatio in intellectu; prius secundum rationem inferiorem, ut res delectabilis, vel contraria, est: deinde secundum rationem superiorem, ut quid malum, seu peccatum est, contra rectam rationem, vel legem Dei. II. Ex imaginatione phantasiæ sequitur aliquis motus amoris, vel odii; delectationis, vel tristitiæ, aut iræ in appetitu sensitivo; & ob dictam connexionem potentiarum, statim fit similis motus in ipsa voluntate. III. Voluntas consentit; aliquando quidem consensu efficaci in ipsum opus, v. g. vindictam, copulam, &c. & dicitur propositum, vel desiderium. IV. Aliquando vero consentit consensu solum inefficaci, & simplici complacentia in ipsum tantum motum delectationis, iræ, &c. & dicitur delectatio morosa. Hæc ergo quatuor accurate distinguenda, & explicanda sunt. 1. Cogitatio, & imaginatio. 2. Motus internus. 3. Propositum, vel desidesiderium, seu consensus in opus. 4. Delectatio morosa, seu consensus in motum tantum. Primum nullam habet Difficultatem. De aliis tribus, distinctis Sectionibus sequentibus agemus.

§. IV. *Cogitationes, & Imaginationes malarum rerum.*

9 ETiam pessimarum, secundum se sunt omnino naturales, & indifferentes, ac manent tales, quamdiu sunt involuntariæ, factæ autem voluntariæ per imperium, vel consensum voluntatis, possunt esse tam bonæ, quam malæ. Nam 1. si assumantur ad bonum finem, v. gr. studendi, docendi, dolendi, &c. erunt bonæ, & meritoriæ. 2. si assumantur, vel permittantur ad malum finem, utpote operationem malam, vel delectationem inhonestam, erunt malæ mortaliter, pro ratione materiæ. 3. Si assumantur, vel permittantur sine ullo bono sive ex sola curiositate, vel levitate, erunt malæ venialiter, & otiosæ. 4. Cogitationes tamen, & imaginationes de rebus obscœnis, practice loquendo fere semper sunt malæ mortaliter, si voluntarie, & morose fiant, cum aliqua saltem speculativa delectatione, ut infra dicam ex professo, *n.* 29.

SECTIO II.

Motus ad malum qualiter Peccata.

SUMMARIUM.

10 *Motus, seu passiones in homine excitatæ, aliæ sunt naturales, aliæ sensuales, aliæ rationales.*
11 *Motus primo primi ante omnem advertentiam, vel deliberationem rationis superioris nullo modo peccata sunt.*
12 *Motus vero secundo primi, veniales tantum.*
13 *Motus autem deliberate admissi, vel quæsiti, in materia mortali, mortales sunt.*
14 *Sicut & pure permissi, nisi voluntas saltem simplicem nolleitatem, vel displicentiam eliciat.*
15 *Habito autem tali actu contrario nolleitatis, vel displicentiæ simplicis, non tenetur voluntas positive resistere sub mortali.*
16 *Sed ordinarie saltem, sub veniali.*
17 *Applicatio practica.*

10 MOtus generatim dicuntur passiones, seu alterationes quædam excitatæ in homine, & brevi transeuntes: Alii sunt mere *naturales*, qui ex naturalium qualitatum dispositione oriuntur, ut calere, frigere, fames, sitis, pigritia, vel torpor naturalis, &c. de quibus hic non est sermo: Alii sunt motus *sensuales*, qui ex apprehensione potentiæ imaginativæ, seu phantasiæ circa objectum delectabile, vel contrarium sensibile excitantur in appetitu sensitivo, seu sensualitate, communes homini cum brutis: Alii denique sunt motus *rationales*, qui ex cognitione ipsius intellectus circa objectum conveniens, vel disconveniens, seu sensibile, seu quodcumque aliud, excitantur in ipsa voluntate. Utpote *amoris*, *odii*, *delectationis*, *tristitiæ*, *iræ*, *&c.* Omnes quoque hi motus secundum se naturales sunt, & indifferentes, & morales boni, vel mali, fiunt per ordinem ad rationem, & voluntatem, & eo respectu, alii dicuntur *primo primi*, alii *secundo primi*, alii omnino *deliberati*; & hi, vel *admissi*, positivo consensu, vel imperio, vel *permissi* tantum, voluntate se negative habente.

§. I. *Motus primo primi, sine peccato*

SUnt, qui ex apprehensione objecti convenientis, vel disconvenientis excitantur naturaliter in appetitu sensitivo, vel ipsa voluntate, ante omnem tamen advertentiam, vel deliberationem rationis superioris: quod signanter dico. Nam sicut ex imaginatione, seu apprehensione sensitiva objecti convenientis, vel disconvenientis, ob naturalem subordinationem potentiarum, statim movetur intellectus ad cognoscendum, vel cogitandum idem objectum sub eadem ratione convenientis, vel disconvenientis sensibilis præcise, hoc est, secundum rationem inferiorem: ita etiam ex motu appetitus sensitivi, v. gr. delectationis, tristitiæ, &c. ob eamdem sympathiam potentiarum statim solet moveri voluntas ad similes motus delectationis, vel tristitiæ, circa idem objectum, & secundum eamdem rationem convenientis, vel disconvenientis sensibilis, hoc est, secundum portionem inferiorem. Quamdiu tamen intellectus non advertit ad eos motus secundum rationem superiorem, quatenus scilicet sunt mali, inhonesti, vel prohibiti, tamdiu manent motus primo primi. Hi ergo 11

Motus primo primi, cum nullo modo sint voluntarii, sed omnem voluntatis liberum assensum, omnemque advertentiam, ac deliberationem rationis superioris præveniant, nullo modo peccata esse possunt. Nullo enim modo est in potestate voluntatis, quin vel ex actibus sensuum externorum, & phantasiæ, vel ex naturali dispositione qualitatum, vel etiam operante diabolo in sensualitate, & ob naturalem connexionem, ac sympathiam etiam in voluntate secundum portionem inferiorem excitentur, vel continuentur: etiam post advertentiam, vel deliberationem rationis superioris, ipsa voluntate maxime nolente, abhorrente, repugnante, secundum portionem superiorem, & rationes æternas: quod etiam viri sanctissimi experti sunt, & experiuntur. Conqueritur D. Paulus Rom. 7. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Igitur ego mente servio legi Dei; carne autem legi peccati.* Et alibi: *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Tali ergo statu, tantum abest, ut motus illi peccata sint, quin sint materia maximi meriti.

§. II. *Motus secundo primi, veniales tantum.*

SUnt, qui in appetitu sensitivo, vel ipsa voluntate excitantur, cum aliquali quidem, sed imperfecta tantum, & semiplena advertentia, ac deliberatione rationis superioris: qualis fere est in semidormientibus, semiebriis, distractis, turbatis variis, & vehementibus passionibus, qui licet malitiam motus, vel actus sui aliquo modo advertant, non tamen possunt perfecte attendere ad regulas rectæ rationis, & honestatis, ut plene, ac perfecte judicent, esse malum, vel inhonestum, quod agunt, vel quo occupantur. Ut etiam supra *cap.* 2. *num.* 42. explicavi. Hi ergo motus secundo primi, etsi jam subsint aliquali, & semipleno dominio voluntatis, ut teneatur eos impedire, ne facta deliberatione, ad plenum consensum pertingant; quod licet voluntas negligat, & complaceat, vel consentire videatur, tamen ob imperfectionem advertentiæ, & deliberationis, non potest esse perfectus, & liber consensus in malum, utpote non sufficienter propositum, ideoque non nisi leviter, & venialiter peccare censeri potest. Signa autem imperfectæ deliberationis, ac semipleni tantum consensus, habes breviter supra, *dicto cap.* 5. *num.* 12. *De imperfectione actus a mortali excusante.* 12

Juxta dicta intelligi, & explicari potest sententia *D. Thomæ* 1. 2. *quæst.* 7. *artic.* 4. *& D. Bonaventuræ in* 2. *d.* 24. *part.* 2. *artic.* 3. *quæst.* 2. ubi negant, in sensualitate posse esse peccatum mortale, sed tantum veniale. Et forte etiam, ibidem *S. Thomas artic.* 3. *ad* 3. dicit, motus sensualitatis, qui præveniunt rationem, esse peccatum veniale. Verum enim est de motibus, & actibus sensualitatis, qui præveniunt rationem perfectam, seu plenam deliberationem intellectus inte-

interim tamen stant cum aliquali imperfecta advertentia rationis, & semipleno, saltem interpretativo, consensu voluntatis. Tales enim motus veniales tantum sunt; & eo statu non potest esse in sensualitate peccatum mortale, sed tantum veniale. Cæterum eos motus, qui in sensualitate præveniunt simpliciter omnem rationem, hoc est, omnem intellectus advertentiam, omnemque voluntatis consensum, adhuc esse peccata venialia, ut volunt *Cajetanus, Scotus, & alii apud Vasquez* 1. 2. *disput.* 106. *artic.* 2. & 3. merito ab aliis communiter improbatur. Nam imprimis Concilium Tridentinum *Sessione* 5. *in Decreto de peccato originali*, mihi *num.* 5. definit, concupiscentiam non nocere non consentientibus: atqui si motus sensualitatis secundum se, ac secluso voluntatis consensu, essent peccata venialia, utique nocerent non consentientibus. Et ibidem supponit Concilium, ut certissimum, parvulos ante usum rationis non posse peccare: at si motus sensualitatis omnem rationem prævenientes essent peccata venialia, cur non etiam pueri ante usum rationis possent peccare? Deinde S. Augustin. supra allegatus, & alibi sæpius constanter asserit, omne peccatum necessario esse voluntarium, ut si voluntarium non sit: eo ipso peccatum non sit: ergo secundum ipsum motus omnino involuntarii, omnem rationem prævenientes, non possunt esse peccata ullo modo. Quod vero idem met *lib.* 5. *Contra Julianum Pelag. cap.* 3. & alibi, concupiscentiam vocet peccatum, intelligit non proprie, & formaliter, sed improprie, & originaliter, vel causaliter, quia nimirum ex peccato primorum parentum originem trahit, & ad peccatum trahit, si reginam mentem superet, uti ipsemet pulcherrime explicat *l. de Nuptiis, & concupiscentia c.* 23. dicens de concupiscentia *Vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum. Sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, si vincit, facit, sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat*. Hæc Augustinus ibi, & similia alibi.

Dices cum Adversariis. Quamvis homo, exorta jam cogitatione, vel apprehensione objecti mali, motum sensualitatis, seu appetitus omnino cohibere non possit, potest tamen impedire, ne talis cogitatio in animo exoriatur, occupando se aliis cogitationibus bonis. Ergo quando negligit impedire, cum posset, & deberet, motus appetitus in malum indirecte voluntarius evadet, & ideo peccatum saltem veniale. *Respondetur concedendo totum*. Tunc enim motus talis non prævenit omnem rationem, ut patet. Interim tamen negari non potest, primam cogitationem objecti in quovis negotio minime esse voluntariam: ergo neque motus illam primam cogitationem immediate sequens in appetitu, vel etiam ipsa voluntate, ullo modo voluntarius, & peccatum erit, quousque accedat advertentia rationis superioris.

§. III.

Motus deliberati admissi mortales.

13 Motus omnino deliberati dicuntur, qui post plenam deliberationem, intellectu secundum rationem superiorem jam plene advertente, ac proponente malitiam, a voluntate pleno, ac libero consensu admittuntur, aut etiam quod deterius est, ex proposito, & directo imperio excitantur. Hi motus ita *admissi*, vel quæsiti, utpote libere, & directe voluntarii in materia mortali, verb. gr., odii, vindictæ, libidinis, sine controversia peccata mortalia sunt, quia voluntarie tendunt in objecta mortalia: ut infra late specificabitur in delectationibus morosis. Quod si porro ejusmodi motus deliberati sint indirecte tantum, vel interpretative voluntarii, scilicet in causa posita, vel non ablata, v. gr. turpia cogitando, aspiciendo, legendo, loquendo, audiendo, tangendo, aliamve actionem exercendo, unde vel jam de facto sentis oriri, vel oriturum prævides motum delectationis inhonestæ, tunc applicanda est generalis doctrina data *supra cap.* 2. *de voluntario indirecte*, & valebit regula *superius cap.* 5. *num.* 19. insinuata: Nimirum. Si causa posita, vel non ablata licita, aut venialiter tantum mala sit, & absit periculum consensus pleni, atque directi, etiam motus illi liciti, aut venialiter tantum mali erunt. Aut ergo. 1. exerces talem actionem ob causam honestam necessariam, vel utilem, ut studendo, confessiones audiendo, medendo, naturam sublevando, &c. tunc motus illi, excluso consensu directo, culpa vacabunt. Aut 2. exerces talem actionem ex curiositate, levitate, joco, & iterum absit periculum consensus, motus illi venialem culpam non excedent: ut etiam docet *Sanchez lib.* 9. *de Matrimon. disp.* 46. 3. Nisi actiones illæ secundum se, & ex objecto essent valde turpes, & ad libidinem provocantes, seu notabiliter influentes in commotionem veneream; tunc enim sine justa causa exercere, seu non desistere, mortale est, secundum omnes, 4. Si advertis, adesse periculum proximum consentiendi in ipsum motum, vel opus turpe, & nihilominus pergis, vel non abrumpis actionem, censeris interpretative omnino consentire in peccatum: & peccare mortaliter, secundum omnes.

§. IV. *Motus deliberati permissi, an mortales.*

Motus deliberati pure permissi dicuntur, quando voluntas, exurgente ejusmodi motu v. g. libidinis, odii, vindictæ, post sufficientem advertentiam, & deliberationem rationis superioris absque omni actu contrario positivo etiam simplicis displicentiæ, mere negative se habendo permittit v. gr. partem inferiorem delectari, pectus odio, & vindicta fervere, &c. 14

DICO I. Hi motus deliberati pure permissi, practice loquendo, omnino sunt peccata mortalia: nisi voluntas saltem eliciat nolleitatem, seu simplicem displicentiam, aversionem, vel improbationem. Ita fatetur *Sanchez lib.* 1. *Moral. cap.* 2. *num.* 13. *ante medium*, & docent Doctores ab eo citati, *Layman l.* 1. *Tract.* 3. *cap.* 6. Ratio est. Quia voluntas, si nullum omnino eliciat actum contrarium motui circa objectum male, deliberate, & perfecte propositum, ac valde afficiens, atque inclinans ad consensum illicitum, moraliter semper erit exposita proximo periculo consensus, & contrarium credere, nimia sui confidentia, & præsumptio esset; ut proinde, Deo ita in superbiæ pœnam permittente, certior lapsus timeri debeat. Ergo ad evadendum morale periculum peccati mortalis, atque adeo ipsum peccatum mortale, ad minimum requiritur in voluntate actus contrarius nolleitatis, sive simplicis displicentiæ, vel aversionis a tali motu. Qui nimirum actus licet inefficax sit ad reprimendum, vel depellendum ipsum motum illicitum, est tamen efficax satis ad cohibendum, vel impediendum liberum voluntatis consensum, quippe cui directe opponitur.

II. Habito tali actu contrario nolleitatis, seu displicentiæ simplicis, voluntas non tenetur sub mortali positive resistere, cohibere, reprimere dictos motus illicitos, sed potes confisus de constantia voluntatis tuæ, jam actualiter ab ipsis aversæ, ejusmodi motus permittere, ac omnino contemnere, tamquam insufficientes ad inclinandam voluntatem in consensum (dummodo semper absit periculum pollutionis) & hoc sensu *Layman* supra allegatus recte approbat sententiam communiorem Doctorum, *Cajetani, Toleti, Navarr. & aliorum, præsertim Recentiorum cum Diana part.* 1. *tract.* 7. *resolut.* 33. *Tamburin. lib.* 10. *cap.* 2. Nimirum absolute voluntatem non teneri sub mortali resistere ejusmodi motibus. Certe hoc solum, sed bene, probant eorum rationes, quarum potissima est. Quia hujusmodi motus a natura proveniunt, ita ut omnes cohibere impossibile, aliquos difficillimum sit: immo sæpe tales motus positiva resistentia magis exasperantur, uti experiuntur tentati motibus blasphemiæ, odii, luxuriæ, &c. Non igitur credendum est de divina bonitate, salutem æternam hominis his tam lubricis periculis exposuisse, ut sub jactura salutis ejuscemodi motus, a natura in malum proclivi tam facile exurgentes, teneatur, non tantum non admittere, sed etiam positive cohibere. 15

III. Adhuc tamen ejusmodi motus, cum facile possis, non reprimere resistentia positiva, sine justa causa, peccatum veniale est, ut omnes fatentur. *Ratio est*. Quia omnis mali objecti inordinatus appetitus deordinatio aliqua est contra rectam rationem, secundum quam voluntas tenetur appetitum sensitivum gubernare: non tamen potest censeri gravis deordinatio, vel culpa, quando præter voluntatem ex naturæ infirmitate oriuntur, & permittuntur, periculo consensus per actum contrarium nolleitatis jam excluso, ut supposuimus. 16

IV. Omni autem culpa vacabunt motus isti ita permissi, quando adest justa causa permittendi, non reprimendi, aut non desistendi ab actione causante; ut paulo ante de motibus indirecte voluntariis notavimus, eadem enim ratio. Idque maxime verum est, si timeas, ne, dum conaris positive reprimere, crescat tentatio. Immo semper in talibus tentationibus, consultissimum remedium est, animum, & cognitionem statim avellere, & divertere ad alia objecta non mala, præsertim quæ te maxime afficiant: quod ipsum erit indirecte resistere positive, sanctum, & laudabile.

Applicatio.

Ecce ut hæc recte capias, sic applica. Voluntas circa motum venereum, v. g. ratione jam plene advertente, & proponente ejus malitiam, quadrupliciter se habere potest. I. Sic, ut refugiat, & positive resistat, reprimere, repellere, aut mentem alio divertere conetur. Et hoc statu, etsi motus totis horis duret, tantum abest, quod homo peccet, quin præclare mereatur. II. Habita quidem displicen- 17

plicentia simplici, ac nolleitate talis motus, atque ita consensum negando, ejusque periculum excludendo, attamen vel non, vel remisse nimis, & negligenter resistendo, cum tamen facile posset, & nulla justa causa permittendi tales inordinatos motus subsit, & tunc saltem peccabit venialiter, ut dixi *supra num.* 15. III. Mere negative se habendo, & permissive, seu suspendendo actum contrarium, permittendo motum impuræ delectationis, & jam peccabit mortaliter ob periculum, ut dictum *num.* 14. IV. Sic, ut ipsa plene, & positive consentiat, acquiescat, eaque delectatione frui velit, & tunc certo erit peccatum internum consummatum, mortale in proposito, alias pro ratione materiæ, mortale vel veniale. Cæterum si hic sistatur, erit delectatio morosa, de qua infra. Si vero ulterius in opus tendatur, erit propositum, vel desiderium, de quo est

SECTIO III.

Proposita, & desideria mala, absoluta, & conditionata.

SUMMARIUM.

18 *Proposita, vel desideria absoluta, & efficacia de re quacunque sive intrinsece, sive extrinsece mala, semper sunt mala, pro ratione materiæ.*

19 *Desideria vero, seu proposita conditionata (omnesque velleitates simplices) sub conditione auferente malitiam actus, mala non sunt: saltem graviter.*

20 *Conditionata autem de intrinsece mala sub conditione impossibili verius illicita sunt. Ac*

21 *Certissime illicita sunt desideria conditionata de rebus quibusvis malis, sub conditione nullo modo auferente malitiam actus.*

PRÆNOTATIO.

Actus aliqui, quoad substantiam, & ex objecto suo omnino sunt indifferentes, ac liciti. Ideo vero solum mali, & illiciti, quia lege, vel jure positivo prohibentur. *Ut comedere carnes die jejunii, portare arma vetita, venari, piscari in loco prohibito, &c.* Alii actus, quoad substantiam, & ex objecto suo, ita sunt mali, & illiciti intrinsece, ut nulla abstractione, nulla conditione, vel circumstantia addita possint esse, vel concipi liciti. *Ut odium Dei, blasphemia, hæresis, adulterium, & universim ipsum peccatum formaliter.* Alii sunt actus intrinsece quidem, & quo ad substantiam mali, & illiciti, ita tamen, ut per oppositam circumstantiam in aliquo statu, vel casu possint esse liciti. *Ut actus homicidii, furti, copulæ carnalis, &c.* liciti, & honesti fiunt, auctoritate publica, dispensatione divina in Matrimonio, &c. His positis pono sequentes quatuor

RESOLUTIONES.

I. Proposita, & desideria absoluta rei malæ semper mala.

18 Semper mala, & illicita sunt proposita, vel desideria absoluta, vel efficacia de re quacumque mala, sive intrinsece, ut si proponas, vel desideres *mœchari, furari, occidere*: sive extrinsece tantum, ut si die jejunii velis *comedere carnes, vel cœnare, &c.* Omnes. Ratio est evidens. Quia actus internus habet suam bonitatem, & malitiam ab actu externo, tamquam suo immediato objecto: atqui propositum, vel desiderium absolutum, & efficax tendit in externum, ut fiendum circa suum objectum a parte rei, secundum omnem suam malitiam cognitam, neque potest abstrahere a malitia, vel prohibitione ulla actus: sicut ipse actus v. g. occidere, vel comedere carnes, hic, & nunc non posset fieri, nisi malus, & prohibitus: ergo illa proposita, vel desideria semper sunt mala, & peccata pro ratione materiæ: Unde in eorum Confessione semper aperiendæ sunt omnes circumstantiæ in Confessione ipsorum actuum necessario explicandæ, v. g. proposui, vel desideravi cognoscere conjugatam, monialem, consanguineam: occidere patrem, fratrem, Clericum, furari rem sacram, tanta quantitate, &c. *secundum Omnes*. Cum enim illi actus interni efficaces tendant in actum externum, ut finem, & terminum, semper totam ejus malitiam participant. (Secus dicemus de actibus inefficacibus, & delectationibus morosis.) Idem vero dicendum de gaudio, vel delectatione ex re illicita jam patrata, ob eamdem rationem. Unde caute legendus *Sa. v. Confessio num.* 16. dicens eum, qui delectatus est de peccatis præteritis jam confessis, id solum debere confiteri, non autem exprimere, quæ fuerint peccata, quod in editione Romana deletum fuit. Denique locuti sumus de propositis, & desideriis illicitis efficacibus de præsenti, dum res revera illicita est. Constat enim apud Omnes, non esse per se illicita proposita, vel desideria de futuro, quando actus evadet licitus. Unde si die Veneris efficaciter proponas, vel desideres comedere carnes die Dominica. Si efficaciter proponas, vel desideres ducere, eoque cognoscere uxorem proximi, postquam maritus mortuus fuerit. Neque enim nono præcepto prohiberis concupiscere uxorem proximi, ejusve matrimonium desiderare, pro tempore, quando erit libera a lege viri, sed solum pro hoc tempore, quando, & quatenus uxor proximi est. Qualiter autem liceat desiderare rem materialiter malam ob necessariam connexionem materiæ, ne idem bis repeti debeat, dicam infra, cum de delectatione morosa.

II. Conditionata licita.

Licita sunt desideria, & proposita conditionata, omnesque volitiones, velleitates, simplices complacentiæ, &c. sub conditione revera auferente malitiam actus propositi per intellectum, etsi reipsa non subsistente: idque non tantum in iis, quæ solo jure positivo prohibentur, ut *vellem hodie comedere carnes, nisi esset dies Veneris, nisi prohibitum, nisi peccatum esset, &c.* cum enim comedere carnes, (sic de cæteris) sit intrinsece, & secundum substantiam bonum, ac licitum, conditio illa apposita aufert omnem malitiam: Verum etiam de iis, quæ sunt intrinsece mala, ita tamen, ut in aliquo statu, vel casu possint esse licita, & bona; si nimirum desiderentur sub conditione talis status, vel casus, conditio enim rursus aufert malitiam actus propositi. Unde culpa saltem graviori vacabunt hujusmodi actus, *Vellem prædari, si Deus permitteret: vellem hunc suspendere, hunc inimicum bene ita meritum occiderem, si judex essem: ducerem hanc, atque cognoscerem, nisi antea uxoratus, nisi Sacerdos, Religiosus, voto astrictus essem, &c.* Communis Doctrina Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 2. *num.* 24. Vasquez *disputat.* 110. *cap.* 2. Layman *lib.* 1. *tractat.* 3. *cap.* 6. *num.* 10. Ratio est: Quia actus isti inefficaces tendunt in actum externum non ut finem, vel terminum fiendum a parte rei, sed præcise ut in objectum propositum per intellectum, ideoque ab eo non plus malitiæ sumunt, quam proponatur per intellectum: atqui intellectus proponens objectum sub tali conditione auferente omnem malitiam actus, nullam in actu malitiam proponit, ut patet: ergo nullam inde sumit malitiam ejus desiderium, vel volitio conditionata, & inefficax. Unde, quamvis tibi jure naturæ interdicti sint isti actus externi, v. g. Religioso ducere, & cognoscere uxorem: quia tamen non desideras absolute, & efficaciter, sed solum sub conditione, sufficit tibi matrimonium revera cogitari posse in eo statu, quo tibi interdictum non esset; ut cum Vasquez notat Sanch. *loc. cit.* 19

DIXI. *Culpa saltem gravi vacabunt.* Negari enim non potest, actus ejusmodi, nisi bono aliquo fine vestirentur, ordinarie ut minimum otiosos esse, & venialiter malos. *Sa. V. Peccatum*, merito hæc vocat periculosa: *Cajetanus V. eod.* fatuas, & diabolicas tentationes. Sane maxime cavendum in materia luxuriæ, ne quis ejusmodi actibus, quantumvis conditionatis, & inefficacibus, diutius immoretur, & serio complaceat: quia ob sæpe dictam sympathiam potentiarum facile influerent in commotionem veneream, & inchoatam saltem pollutionem, non sine mortalis culpæ periculo, & ob ipsum periculum, incursu. Ulterius optime monet Tamburin. *lib.* 10. *cap.* 5. §. 4. alium hic scopulum cavendum periculosissimum, ne scilicet ejusmodi actu inefficaces, & velleitates procedant ex actuali voluntate absoluta peccaminosa. Tunc enim erunt peccata mortalia, non ex se, sed ex principio, scilicet actuali malo affectu, a quo imperantur. Hac ratione sine dubio peccares mortaliter, si ex actuali libidinoso affectu, seu turpi amore in puellam diceres: *Hanc vellem amplecti, si mea uxor esset.* Nimirum, non ex ipso actu conditionato, quem per appositam conditionem ab omni labe purgasti, sed ex illo turpi amore, qui illum actum imperavit. Idem esset: si ex actuali injusto odio in inimicum diceres: hunc occiderem, si judex essem.

III. Conditionata verius illicita.

Verius, & mihi verissime illicita sunt desideria conditionata, seu velleitates quævis, de quavis re intrinsece mala, sub ea ipsa conditione impossibili, *si non esset mala, si non esset peccatum, si non esset offensa Dei, si liceret, &c.* Vellem v. g. Deum odio habere, vel destruere: Idolum adorarem, hæreticus fierem, blasphemarem, falsum jurarem, &c. Item fornicarer, adulterium committerem, furtum facerem, occiderem hunc (Hoc solum hic discrimen adverto, quod in prioribus, quæ nullo casu licere possunt, nulla alia subintelligi possint: in posterioribus autem, quæ aliquo casu licere possunt, possit subintelligi alia conditio auferens malitiam actus, ut si dicas: vellem occidere, si non esset peccatum, subintelligens nimirum, si judex 20

judex essem, vel Deus juberet, &c. tunc recidet in modum praecedentem) *Ita cum aliis* Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 2. *num.* 23. Layman *supra cap.* 6. Basilius Pontius *lib.* 10. *de Matrim. cap.* 16. *num.* 20. Ratio est, quia actus internus sumit suam malitiam ab objecto proposito per intellectum malo: atqui actus illi intrinsece mali, seu habentes intrinsece imbibitam malitiam, non possunt intelligi sine sua malitia intrinsece inhibita, atque conditio illa apposita nullo modo aufert malitiam actus, sed manifestam involvit contradictionem: perinde enim est dicere: *vellem fornicari*, si non esset peccatum; *ac volo peccatum, si non sit peccatum*: affanniae! ergo voluntas adhuc actuali suo affectu fertur in rem mortaliter malam, consequenter adhuc peccabit mortaliter, ac si conditio nulla apposita fuisset. Et sane, quis non naturali crisi abhorreat, ut malum actum istum: *Velle destruere Deum, si liceret, &c.* Deinde ita conditionate velle nihil aliud est, quam optare, ut jure naturae vetita liceant, atque ita ordo naturae, ipsaeque naturae rerum immutentur; quod sane pejus est, quam ipsa fornicatio, vel homicidium semel commissa: pejus enim esset haec licere, quam semel committi. Unde opinionem Vasquez, non esse mortale, si quis desideret, non esse prohibitas fornicationem, mollitiem, ebrietatem, &c. ad bonum finem, v. gr. quia expertus se fragilem, & saepius labi in tale crimen, ne ultra Deum offenderet; rectius improbant Sanchez *citat. nu.* 23. *fin.* Quia bonum totius naturae, ac naturalis ordinis non potest postponi, ejusque immutatio, quae gravissimum malum est, desiderari, ob peculiare hujus hominis bonum; maxime, quia hoc potest alia via consequi, nimirum gratia divina se contra tentationes muniendo, inquit Sanchez allegatus. Advertendum tamen, etiam hic posse fieri (quod in sequentibus) ut ejusmodi locutione conditionata aliquando non exprimatur affectus voluntatis actualis in malum per modum optantis, sed solum per modum enunciantis significetur propensio voluntatis in talem actum prohibitum jure naturae, atque intrinsece malum, nisi turpitudo peccati, vel offensa divina absterreret. (Et vide, quam caute in hunc secundum modum declinet Tamburin. *lib.* 10. *cap.* 5. §. 3. *nu.* 1. ad finem, qui tamen cum Vasquez, & aliis contrariam sententiam tuetur.) Et tunc constat non esse peccatum, quin potius propensio in peccatum sancto motivo reprimitur.

IV. Conditionata certo illicita.

21 Illicita sunt sine dubio desideria conditionata, omnesque volitiones, velleitates, ac complacentiae simplices, de rebus quibusvis malis, sub tali conditione, quae nullo modo aufert malitiam actus, etiamsi a parte rei poneretur, ac poni possit. V. gr. *occiderem te, si avolare possem.* Omnes. Sanchez, Layman *citat.* Ratio est: Quia etiamsi consensus conditionatus nihil ponat in rerum natura ex parte objecti voliti, in voluntate tamen ponit actualem affectum committendi aliquod peccatum, excepta sola conditione illa, quae minime aufert malitiam peccati, ac proinde eadem culpa erit, velle illud peccatum v. gr. homicidium cum tali conditione, qualis esset, velle illud absque conditione absolute: tunc esset mortalis utique: ergo & nunc. Advertendum autem *semel pro semper*, locutionem illam, *vellem fornicari, occiderem, &c.* dupliciter sumi posse. I. *Optative*, ut significet actualem affectum voluntatis actu volentis, desiderantis, ac optantis talem actum malum, sub dicta conditione, & hoc peccatum esse dicimus. II. *Enunciative* tantum, ut solum significet propensionem voluntatis ad talem actum, nisi haec conditio obstaret, & hoc constat non esse peccatum. Afferamus exempla.

I. *Frangerem jejunium, si carnes, vel coenam haberem: vellem inebriari, scortari, moechari, si pecunias, vel occasionem haberem. Adulterium cum hac committerem, nisi poenam, vel infamiam timerem. Hoc scelus patrarem, si nemo me aspiceret. Vellem furari, si scalas, vel instrumenta haberem, &c.* In sensu optativo, & actuali affectu in tale peccatum, liquido peccata mortalia sunt. Omnes.

II. *Vellem fornicari, occidere, me ulcisci, &c. si Sacerdos, vel Religiosus non essem; aut nisi rationem mei status haberem, &c.* Similiter mortalia sunt, si efferantur optative cum actuali affectu in illa peccata, a quibus praecise ob rationem tui status te cohibes. At si solum proferantur enunciative, ut sensus sit: ego infirmitatem meam agnoscens fateor, nisi ab hoc sancto, vel sublimi statu meo reprimerer, me omnino ita peccaturum, &c. nulla suberit culpa. Eadem est ratio, cum aliqui dicere solent; *Si hoc mihi antea fecisses, quando adhuc junior, studiosus, saecularis, miles fui, vindictam sumerem, occiderem, in duellum provocarem, &c.* Item: *si adhuc essem junior, fornicari cum hac vellem, &c.* siquidem adsit vera voluntas fornicandi, ulciscendi, occidendi, dummodo occasio priori tempore accidisset; aut quis ad eum malum finem vere optet adesse modo adhuc prius tempus, vere lethale est, sicut si optares te non esse Sacerdotem, vel Religiosum, quo fornicari, vel occidere posses. At si sensus iterum sit enunciatus: nimirum priori tempore talis eram, ut accepta tali injuria, omnino vindictam sumerem: oblata tali occasione omnino peccassem, &c. modo autem nullus adest voluntatis consensus, neque culpa ulla aderit. Memini simplicissimi, atque optimi Seniculi, qui subinde a junioribus irritatus, excussis lachrymis, manum in pugnum contractam ostentans dicere solebat vernacule in hunc sensum, *O tu; gratias age Deo, quod non sim, qualis antea eram: quam vellem tibi modo dare unum rotundum par alaparum?* Credo ipsum, ultra motum forte venialem irae, praeterea in quinto praecepto nihil deliquisse, & solum enunciative locutum.

III. *Vellem peccare, furari, carnes comedere &c. nisi timerem Deum*: optativo sensu, cum actuali effectu peccandi, nisi servilis Dei timor absterreret, lethale est: at sensu indicativo, significare suam tantum infirmitatem, & propensionem in peccatum, utpote, *credo me omnino peccaturum*, nisi timor Dei refrenaret, malum non est: resolvitur enim in hanc causalem: Quia Deum timeo, nolo peccare, alias forte peccaturus. Et si quidem sit timor fidialis ex motivo charitatis, & metu offensae Dei super omnia amati, summe meritorius erit: si servilis tantum ex metu poenae, saltem non malus. Atque eadem prorsus ratione, dicere: *Peccarem nunc mortaliter, si infernus non esset, &c.* optative, volendo peccatum, & quasi optando infernum non esse, ut liberius peccare possis; mortale est sine dubitatione: quia conditio apposita nullo modo aufert malitiam actus. At enunciative tantum ostendere pronitatem in peccatum, nisi metus poenae coerceret: ut sensus iterum sit: Nolo peccare, quia infernus est; alioquin facile peccaturus, nec tentationem praesentem superaturus, &c. culpa vacat. Recte enim Castropalaus apud Tamburin. *cit. cap.* 5. §. 5. *num.* 5. dicit: *Numquam est peccatum velle relinquere peccatum ob timorem inferni, vel ob amissionem honoris. Ob quemcumque enim finem peccatum relinquatur, peccatum non est.* Quin communi doctrina Catholicorum, attritio ad Sacramentum Poenitentiae sufficiens, utique non mala, fundatur in ejusmodi timore. Vide etiam dicta de metu *supra cap.* 2. *num.* 50.

IV. *Si Deus vellet Petrum mori, gauderem, &c.* Si significes affectum antecedentem ad divinam voluntatem, quia scilicet velles, ut Deus vellet Petrum mori, idem erit, ac optare ipsam mortem Petri, ideoque, si injuste, peccatum mortale. At vero si significes affectum solum consequentem ad voluntatem divinam: quod nimirum postquam Deus voluisset Petrum mori, cum gaudio velles voluntatem tuam conformare cum divina, de se actus optimus est, secluso omni maligno affectu in Petrum, vel complacentia de malo ipsius: quod secutum est, si persona chara sit; suspectum valde, si persona sit alias exosa. Vide Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 2. *num.* 29.

SECTIO IV.

Delectatio morosa, rationalis, sensibilis, &c.

SUMMARIUM.

22 *Delectatio morosa quid sit, rationalis, sensibilis, & qualis in ea ordinarie sit processus.*
23 *Omnis delectatio morosa, rationalis, & sensibilis absoluta est peccatum.*
24 *Pro ratione materiae tamen, mortale, vel veniale.*
25 *Si sit de ipsa re, cogitata formaliter (sive intrinsece, sive extrinsece) mala,*
26 *Et voluntaria.*

PRAENOTATIO.

Delectatio morosa definiri solet: *Simplex complacentia voluntaria de re illicita, sine intentione eam opere implendi*, ideoque sic dicta: non a mora temporis, cum etiam fieri possit in instanti, sed a mora, ac immoratione consensus, quod nimirum voluntas libero consensu in solo motu delectationis circa opus cogitatum immoretur, & acquiescat, absque intentione ulterius tendendi in opus ipsum, duplex est, rationalis, & sensibilis. 22

II. Delectatio morosa *rationalis*, potius gaudium, vel complacentia dicenda est, quae exurgit in ipsa voluntate ex cogitatione intellectiva rei illicitae, & potest esse, aut speculativa, de ipsa cogitatione, vel cognitione mali actus, vel modi mirabilis: ut si videns amicum ridicule cadentem ex equo rideas, non lapsum, non gaudium doles, sed solum lepidum, vel ridiculum cadendi modum: aut practica, & de ipsa re, vel actione illicita cogitata, ita ut objectum formale, & ratio delectandi sit ipsa res, vel actio mala cogitata,

tata, cogitatio vero, seu cognitio sit solum conditio applicans objectum delectationis. Item potest esse, aut absoluta de re cogitata, aut sub conditione aliqua. De singulis determinabimus postea.

III. Delectatio morosa *sensibilis*, & proprie delectatio dicenda est, quæ ex imaginatione phantastica rei, vel actionis illicitæ delectabilis exurgit in appetitu sensitivo, vel sensualitate; fitque cum aliqua alteratione, vel immutatione corporis, per motum spirituum vitalium circa pectus, & in venereis, per motum spirituum generationi servientium in parte inferiori. Quamvis autem delectationem rationalem, & sensibilem de eadem re distinguere sit difficillimum: propter naturalem enim connexionem, & sympathiam voluntatis cum appetitu sensitivo, exurgente delectatione in una potentia, statim movetur, & excitatur etiam delectatio in altera: re ipsa tamen distingui certissimum est, & sufficit posse distinguere in ratione voluntarii. Constat enim, sæpe delectante appetitu, non delectari, sed tristari voluntatem secundum portionem superiorem, & de multis delectari voluntatem, de quibus non delectatur, sed abhorret appetitus. Huc revoca dicta superius de primis motibus.

IV. In delectatione ergo morosa hic fere processus esse solet. 1. Voluntas vult, vel permittit intellectum cogitare de re illicita, v. gr. copula. 2. De copula sic cogitata complacet, vel gaudet, & hic est delectatio morosa rationalis. 3. Voluntas etiam vult, vel permittit phantasiam imaginari illam rem, & per species sensibiles veluti præsentem facere, ex quo naturaliter sequitur motus in appetitu sensitivo, modo supra prænotato. 4. Voluntas etiam vult, consentit, vel permittit appetitum sensitivum ita delectari, eamque delectationem acceptat, approbat, complacet, & hæc est delectatio morosa sensibilis, cui ad verbum applicare debes omnia supra generatim explicata de motibus deliberatis admissis, & permissis.

ASSERTIO II.

OMnis delectatio morosa, rationalis, sensibilis, voluntaria, ac absoluta de re cogitata formaliter mala, est peccatum pro ratione materiæ, mortale, vel veniale. Communissima doctrina in his terminis. S. Thomas 1. 2. *qu.* 47. *art.* 8. Navarr. *c.* 11. *nu.* 13. Lessius *lib.* 4. *de Justitia cap.* 3. *dub.* 15. Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 2. Layman *tract.* 3. *cap.* 6. Marchantius *Tribun. pag.* 1. *tract.* 3. *tit.* 2. *qu.* 6. *conclus.* 4. *Regula* 2. Diana *p.* 1. *tr.* 17. *resol.* 33. alii apud ipsos.

§. I. *Est Peccatum, &c.*

23 PRobatur I. Ex S. Scriptura, & Patribus Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, &c.* Certum autem est, delectationem morosam veneream esse immunditiam, vel impudicitiam cordis: ergo est inter illa peccata, de quibus ibidem dicitur: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Et docent perspicue Sancti Patres. D. Isidorus *lib.* 1. *de summo bono cap.* 39. D. Gregorius *lib.* 21. *Moral. cap.* 3. D. Augustinus *lib.* 12. *de Trinit. cap.* 12. dicens: *Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, peccata per Mediatoris gratiam remittantur.* Accedit ratio. II. Omnis actus humanus accipit bonitatem, & malitiam suam per se primo a suo immediato objecto, ut nimirum sit ejusdem bonitatis, & malitiæ, cujus est objectum: atqui delectatio morosa voluntaria est verus actus humanus, cujus objectum est res, vel operatio formaliter mala; ergo omnis ejusmodi morosa delectatio ejusdem malitiæ peccatum est. Quippe ejusdem bonitatis, & malitiæ sunt operatio, & ejus delectatio, inquit Philosophus 10. *Et hic cap.* 3. *ad finem.* III. Delectatio est quædam appetitus inclinatio in objectum: atqui recte rationi repugnat, appetitum rationalem esse deliberate, ac voluntarie inclinatum in objectum formaliter malum, inhonestum, turpe: Voluntati enim malum mortale a recta ratione discordans displicere, saltem non per morosas delectationes placere, vel approbari debet: ergo. IV. Voluntarie, & deliberate delectari de peccato carnali cogitato est peccatum mortale, *secundum omnes*: atqui eadem omnino est ratio de quacumque re illicita mortaliter: ut hæresi, perjurio, blasphemia, homicidio, furto, &c. Habet ergo delectatio morosa peccaminosa locum in omnibus præceptis Decalogi, & qua ratione ipsa peccata externa erunt mortalia, vel venialia, etiam delectatio de iisdem morosa mortalis, vel venialis erit. Quod autem Doctores communiter doctrinam suam potius applicent delectationi venereæ, quam aliorum peccatorum, ideo est, quod ea delectatio frequentissima, & notissima sit: adde etiam importunissima, & fœdissima, ob turpem carnis motum, &c. Videre tamen potes, *curiose Lector*, sententiam Vasquez 1. 2. *disp.* 110. *&* 111. *toto cap.* 3. *&* 4. docentis, delectationem morosam sumere malitiam peccati non ab objecto, sed solum ab oppositione ad aliquam virtutem. Ideoque delectatio venerea morosa peccatum sane mortale erit, quia natura sua opponitur castitatis virtuti: at vero delectatio morosa de homicidio, vel furto cogitato mortale non erit, nisi quatenus jungitur cum odio, seu malevolentia in proximum, contra virtutem Charitatis. In quam sententiam, fateor, valde propendeo, sed in re tam practica non debui recedere a communissima, & receptissima Doctorum sententia, cum neque recedere voluerit doctissimus ille Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 2. *nu.* 9.

§. II. *Pro ratione materiæ, &c.*

SEmper ergo delectatio morosa est peccatum ejusdem 24
speciei cum peccato cogitato. Unde in Confessione semper explicandum est objectum cogitatum, de quo quis delectatus fuit, quoad speciem, & numerum. Sed numquid etiam quoad circumstantias? Multi affirmant absolute. Absolute vero negat Vasquez *citat. disp.* 112. ex suo supra indicato fundamento, & ex eo Tamburin. *lib.* 10. *in Decalog. cap.* 3. *num.* 3. Sed rectius ex communi, & recepta doctrina apud Azorium *lib.* 4. *cap.* 6. *qu.* 3. Sanchez *citat. lib.* 1. *cap.* 2. *nu.* 11. ita distinguendum est. Quando delectatio morosa fertur in objectum secundum totam ejus malitiam, ita ut ipsæ etiam circumstantiæ directæ volitæ, & intentæ sint, utique necessario explicandæ in Confessione erunt circumstantiæ objecti, quamquam non tanquam circumstantia, sed tamquam objectum partiale, uti superiori *cap.* 3. *nu.* 20. explicui. Ut si delectatus es in cogitato parricidio, vel fratricidio; in cogitata copula cum conjugata, consanguinea, sacra &c. quatenus tales sunt; teneberis fateri eas circumstantias explicare. Quia tunc delectatio plenam, & integram operis externi malitiam, & speciem sortitur, ac proinde sicut in ipso opere externo, ita etiam in ejus morosa delectatione eæ circumstantiæ fatendæ sunt. At vero quando delectatio morosa fertur in objectum, non secundum totam suam malitiam, sed secundum partem tantum: ita v. g. ut substantia tantum, non autem circumstantia volita, vel intenta sit, licet cognita, indirecte etiam volita censeri possit, ut si delecteris de cogitata copula cum fœmina apprehensa præcise, ut non tua, minime autem, ut alteri nupta, consanguinea, vel sacra est, sed præcise, ut formosa, & amabilis fœmina: tunc quia non sortitur totam operis externi malitiam, sed ad speciem simplicis fornicationis, vel impudicitiæ reducitur, circumstantias illas explicare necessum non est. Azorius, Sanchez, Filliucius, Lessius, Bonacina, Diana, alii cum Lugo *disp.* 16. *de pœnit. num.* 363. Alia ratio fuit supra de proposito, desiderio, seu volitione efficaci: quia enim hi actus efficaces tendunt in opus externum, ut fiendum a parte rei, tanquam in finem, & terminum, ideoque necessario secundum totam ejus malitiam, semper ejusdem speciei cum illo: delectatio autem morosa, cum non feratur in opus externum, ut finem, & terminum, sed præcise ut objectum cogitationis præsentis, ideo non necessario integram, sed solum tantam ejus malitiam participat, quantam voluntas vult, vel intendit. Cæterum apud omnes in confesso est, eum, qui castitatis voto adstrictus est, in Confessione delectationis morosæ debere explicare circumstantiam voti, vel status sui, quia non solum contra castitatem, sed vere etiam contra votum, & virtutem Religionis deliquit. Sed numquid etiam ligatus, si delectetur de aliena, tenebitur se fateri ligatum? Affirmat Vasquez *supra*. Ex eo, quod fides matrimonii obliget non solum corpus, sed etiam mentem in aliud objectum turpe non collocare. Negat vero verosimilius, & hoc fundamentum insufficiens judicat Hurtadus apud Tambur. *lib.* 10. *cap.* 3. *num.* 6. Certe sine urgente causa non est gravandum Sacramentum tam necessarium.

§. III. *De re mala &c.*

EAdem omnino est ratio, sive sit de re mala intrinsece, 25
& lege naturæ vetita, sive sit de re mala non intrinsece, sed lege positiva tantum prohibita: dummodo sit de re formaliter mala, seu vetita, vel prohibita. Ut si die Veneris delecteris de cogitata comestione carnis contra legem, vel in odium legis Ecclesiasticæ. Hoc tamen grande discrimen est; quod quando res est intrinsece mala, & lege naturæ prohibita, ut *fornicatio, homicidium &c.* tunc delectari etiam de substantia actus secundum se, erit illicitum, & peccatum. Cum enim malitia per se, & ab intrinseco illi actui insit, non stat delectari de substantia, & non de malitia, nisi per aliquam conditionem possibilem malitia separetur, ut in desideriis conditionatis explicatum

tum est *supra num.* 19. & in delectatione rationali explicabitur *infra num.* 37. At vero quando res est solum mala intrinsece, quia lege positiva vetita, *ut comestio carnis, vel cœna in die jejunii*, quia substantia actus secundum se bona & licita est, licita quoque erit delectatio, seu rationalis, seu sensibilis de substantia talis actus, præcisa per intellectum prohibitione legis. Quia appetitus rationalis malitiam excludit: appetitus autem sensitivus malitiam, seu prohibitionem minime attingit, sed in solam tendit comestionem externam secundum se bonam. Alia est ratio, si delecteris de peccato omissionis contra legem positivam, v. g. de omissione Sacri, vel Horarum: in his enim nulla est substantia actus, de qua præcisa malitia contra legem, delectari posses. Posses tamen delectari de omissione Sacri, abstrahendo a Dominico, vel Festo die: de omissione Horarum inculpabiliter facta, quantum ad carentiam illius laboris, eo casu ab omni malitia separatam, uti resolvit Tamburin. *lib.* 10. *cap.* 5. §. 1. *num.* 2, quem consule. Et ratio est eadem, quæ infra dabitur de delectatione morosa circa rem materialiter malam, sub ratione bona.

§. IV. *Voluntaria absolute.*

26 Assertio denique signate ita expressit, I. Delectatio *voluntaria*, nimirum cum consensu expresso, vel interpretativo, aut permissivo, modo explicato supra de motibus *admissis, & permissis*. 2. Delectatio *absoluta*. 3. *De re cogitata*, 4. De re formaliter mala. Nunc de delectatione speculativa circa cogitationem: circa rem materialiter tantum malam: aut de re formaliter mala sub conditione: item in ordine ad diversos status, specialia dicenda sunt distinctis Paragraphis, & Regulis.

SUBSECTIO I.

Delectatio speculativa de ipsa cogitatione rei malæ.

SUMMARIUM.

27 *Delectatio morosa speculativa de ipsa rei illicitæ cogitatione, vel cognitione.*
28 *Vel ejus modo, inventione, aut artificio, &c.*
29 *Per se loquendo mala non est; secluso periculo labendi in aliam delectationem, vel consensum mortalem.*
30 *In dubio autem, an delectatio sit speculativa, an vero practica de ipsa re mala cogitata, judicandum est ex cogitantis affectu, ad solam cogitationem, vel ipsam rem magis propenso.*

REGULA.

Delectatio morosa speculativa tantum, de ipsa cogitatione, cognitione, speculatione rei illicitæ, aut de rei illicitæ modo, inventione, artificio, ita ut objectum formale, & ratio delectandi minime sit ipsa res illicita, sed solum rei illicitæ cogitatio, vel modus per se mala non est, secluso periculo labendi in aliam delectationem, vel consensum mortalem. Communis cum S. Thom. *supra cit.* Explico.

§. I. *Mala non est delectatio, vel gaudium de ipsa cogitatione, cognitione, speculatione rei illicitæ.*

27 Ut si legens, studens, Confessiones excipiens intelligas varias peccatorum species, modos miros, & artificiosos, gaudeas, & oblecteris, non de peccatis, sed de peccatorum cogitatione, ac cognitione acquisita. *Ratio est.* Quia talis est delectatio, quale est objectum: sed objectum hujus delectationis, nimirum ipsa cogitatio, vel cognitio rei malæ, per se minime mala est; quia intellectus naturaliter fertur in objectum suum, ut verum, quod æque reperitur in rebus bonis, ac malis; nec minus intellectui bonum est verum, seu veritas de malis, ac de bonis rebus: ergo &c.

§. II. *Aut de rei illicitæ modo, inventione, artificio &c.*

28 Ut si legens libros, spectans comœdiam, duellum, pugnam injustam, contemplansque miros, & artificiosos modos, ac inventiones furandi, hominem occidendi, fœminam decipiendi, sponsam rapiendi &c. oblecteris, non de ipsis rebus malis factis, vel faciendis, sed solum de modo, vel inventione curiosa, subtili, artificiosa &c. *Ratio est*, Quia tunc voluntas non delectatur de malo, ut malum est, sed de aliqua ratione boni in malo, seu peccato inventa, & considerata, utpote curiosa, subtili inventione, dexteritate, fortitudine, quæ æque reperiri, & oblectare possunt in rebus bonis, ac licitis. Quin fieri potest, quod cogitatio, vel modus delectet, etsi res ipsa maxime displiceat. Ita enim, cum audimus narrari furta, fraudes, insidias, mirabili dexteritate patrata, ridere solemus, & delectatione affici: non quod de malo gaudeamus, sed quod curiosa naturaliter delectent. Sic spectans duellum, vel aliam rem malam, potes delectari, & ridere, quod subtiliter, & ingeniose aliquid agatur, etiamsi factum ipsum maxime detesteris.

§. III. *Per se mala non est.*

Ex se enim omnino indifferens est ejusmodi speculativa delectatio, potens esse bona, vel mala. 1. Bona, ac optima erit, si ita delecteris ob finem bonum, puta in ordine ad docendum, Confessiones excipiendum, ad tibi, vel proximo malum cavendum. 2. Mala venialiter erit, si sit otiosa, curiosa, levis ad nullum bonum finem directa. 3. Mala mortaliter erit, si ita delecteris, aut ad finem mortaliter malum v. g. ut peccatum imiteris; aut si adsit *periculum labendi in aliam delectationem, vel consensum mortalem*, quod maxime timendum in re venerea. Unde 4. Voluntaria talis speculativa delectatio in imaginatione, de rebus turpibus, & obscænis, (secluso omni bono fine, qui mentem alio diverteret) practice loquendo, semper peccatum mortale est. Uti rectissime advertit Tamburin. *lib.* 10. *cap.* 1. *nu.* 8. Ratio est, Quia delectatio de imaginatione rerum turpium, practice, & moraliter loquendo, numquam sistit in sola imaginatione, sed ex se, propter sympathiam, & connexionem potentiarum naturaliter concitat motus inordinatos appetitus sensitivi, atque ipsam commotionem libidinosam spirituum genitalium. Quid enim magis commovet hominem ad turpia, quam ipsa turpia serio imaginari? Cum ergo eam commotionem libidinosam numquam liceat procurare, numquam etiam licebit talia turpia imaginari, etiam cum sola speculativa delectatione imaginationis: idque non solum positive volendo, sed etiam negative permittendo, eadem omnino ratione, qua supra dictum de motibus malis *permissis*. 29

§. IV. *Quid sentiendum in dubio?*

In dubio autem, utrum delectatio revera sit speculativa de sola cogitatione, an vero practica de ipsa re mala cogitata, dijudicandum erit ex cogitantis affectu, juxta has duas Regulas. I. Si delectatio oriatur ex affectu ad ipsam cogitationem, eo quod cogitans nihil ad res cogitatas afficiatur, sed solum ad speculationes illas, & inventiones, signum est, delectationem esse de ipsa cogitatione tantum. Hujus autem iterum duplex indicium est: unum ex habitu; si nimirum cogitans ejuscemodi speculationes, vel inventiones æque libenter, vel libentius mente agitet in rebus bonis, ac in malis: alterum ex fine, & occasione talis delectationis. Si enim cogites de rebus illicitis occasione licita, vel ad finem bonum, v. g. ad concionandum, docendum, scribendum, disputandum, &c. & veram doctrinam assecutus delecteris, vel gaudeas, in dubio certo præsume, te delectatum de ipsa cogitatione inculpate. II. Si vero delectatio oriatur ex affectu ad ipsas res cogitatas, eo quod cogitans potius afficiatur ad ipsas res malas, v. g. luxuriam, vindictam &c. quam ad earum speculationes, vel inventiones, signum evidens erit, delectationem capi de ipsa re cogitata. Hujus porro, ex opposito, iterum duplex est indicium. Unum ex habitu; si cogitans ejusmodi speculationes, vel inventiones libentius ruminet in rebus malis, quam in bonis: alterum ex occasione ipsius delectationis: si enim ex occasione mala, v. g. aspectu turpi, vindictæ cupiditate &c. ortum habuit, signum est, esse de ipsa re mala cogitata. Alteram Regulam certissimam tradit Sanchez *cit. l.* 1. *cap.* 2. *nu.* 7. Si nimirum cogitans reflectat, vel non reflectat, sive cogitet se cogitare. 30

SUBSECTIO II.

Delectatio de re materialiter tantum mala, ejusve desiderium.

SUMMARIUM.

31 *Illicitum est delectari de re materialiter mala secundum se.*
32 *Non item sub aliqua ratione boni.*
33 *Desiderare vero rem materialiter malam, semper illicitum est.*
34 *Excepta pollutione* mere, & pure naturali.

RE-

REGULA.

Illicitum est delectari de re materialiter mala secundum se non item sub aliqua boni ratione: desiderare vero semper illicitum est, excepta tamen pollutione mere naturali. Sic Doctores citandi.

§. I. *Illicitum est delectari de re materialiter mala secundum se.*

31 Utpote de pollutione, fornicatione, adulterio, homicidio, blasphemia, perjurio &c. factis inculpate in somno, ebrietate, amentia, ex ignorantia, vel errore invincibili. Ut si cognovisses fœminam, invincibiliter putans esse tuam, aut occidisses hominem inculpabili errore, credens esse feram. *Communis, & certa doctrina apud Sanchez. lib. 1. cap. 2. nu. 16.* Ratio, & Regula generalis ab *Azorio, & Sanchez* eodem *ibid.* recte assignata, hæc est. Quoties causa excusans a peccato factum exterius non etiam reperitur in ipsa delectatione (vel desiderio) tunc licet factum a culpa sit liberum, non tamen erit libera a culpa ejus delectatio (vel desiderium.) Atqui facta illa enumerata, & similia de se, & natura sua intrinseca mortalia sunt, & ex solo defectu rationis, ac voluntarii, vel ob ignorantiam invincibilem, excusantur a culpa mortali; ipsa vero delectatio de iis voluntarie suscepta caret omni ejusmodi causa excusante, sed plena rationis libertate tendit in illa objecta simpliciter mala: ergo delectatio morosa de re materialiter mala secundum se semper illicita est, & peccatum, quale esset ipsum peccatum, si voluntarie fieret, mortale, vel veniale. Dictum ergo illud jam sæpius repetitum: *Talis est delectatio, qualis est actus ipse;* semper imbibitam habet hanc conditionem: *Quando causa a culpa actum liberans reperitur etiam in delectatione.* Sic licite delectaris de furto facto in extrema necessitate: de homicidio facto ob necessariam defensionem &c. quia eadem libertas est in facto, & delectatione, & causa liberans factum a culpa etiam currit in delectatione.

§. II. *Non item sub aliqua ratione boni.*

32 In primis hæc potest esse Regula generalis. Licitum est, gaudere de re materialiter mala reduplicative, quatenus nimirum cum tali causa excusante facta, tantum materialiter mala est, & non sine causa excusante, puta in vigilia cum usu rationis, ac voluntatis, etiam formaliter mala est. Ut si evigilans, comperta pollutione exultes, quod in somno facta sit inculpate, & non in vigilia, quia vigilans naturæ motæ forte cessisses, & peccasses. Hoc enim perinde est, ac delectari, & gaudere, quod eo facto non peccaveris, quo nihil sanctius: prout etiam *cap. 1. num. 20.* incidenter notatum habes. Simili ratione a culpa immunis eris, si ita conditionate optares: si pollui debeam, vel expediat, utinam in somnis, vel me inscio eveniret &c. de quo neminem dubitare credo. Deinde consentiunt Doctores, licitum esse gaudere de ejusmodi re materialiter mala, quatenus causa *fuit* alicujus boni effectus secuti, seu potius de ipso effectu secuto bono; Ut, quod ex pollutione involuntaria cessarit tentatio vel infirmitas, quod ex perjurio inculpate ex ignorantia facto homo liberatus sit: quod ex homicidio inculpabiliter facto hæreditas tibi, vel alteri obvenerit &c. Talis enim delectatio, vel gaudium nullo modo tendit in objectum, ut malum est, sed potius in ipsum effectum bonum secutum, ut patet ex communi. Vasquez 1. 2. *disp.* 115. *cap.* 3. Sanchez *cit. lib.* 1. *cap.* 2. *nu.* 18. Less. *l.* 4. *cap.* 3. *nu.* 140. Bonac. *de matrim. disp.* 4. *qu.* 8. *nu.* 8. Lugo *de Pœnit. disp.* 16. *num.* 389. Si autem gaudium, vel affectus animi tenderet in ipsammet rem, utique non liceret. Unde merito damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* Utique non in hoc sensu, si de morte ejus quidem doleat, & solum gaudeat de hæreditate, vel quod sic dolenter facta, fuerit potius causa ejus, quam non causa. Unde notanter dixi, quatenus causa *fuit*: nam ut sit causa talis effectus absolute optare non licet, juxta propositionem 14. immediate præcedentem ab eodem Innocentio damnatam. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.* Dubium hic incidens qualiter peccetur jactando se, vel gloriando de peccatis, reiicio in finem capitis.

§. III. *Desiderare vero semper illicitum est.*

33 Nimirum desiderare rem materialiter tantum malam, ut fornicationem, homicidium faciendum in somno, ebrietate, ignorantia invincibili &c. peccatum mortale est ejusdem speciei cum actu desiderato. *Ratio est.* Quia desiderium illud deliberate, ac voluntarie tendit in objectum natura sua simpliciter malum ac peccatum mortale, & quod formaliter non sit tale, ex sola indeliberatione, & involuntario excusandum; adeo ut causa excusans peccatum minime reperiatur in ipso desiderio. Quia ergo ejusmodi desideria vere formaliter, & intrinsece mala sunt, nullo etiam fine bono cohonestari poterunt. Quis enim dicat licere, ad finem aliquem bonum, optare, & velle homicidium, vel adulterium committere in ebrietate? & si hoc, cur non etiam alium ebrium, vel amentem ad idem committendum instigare? cur non licebit virgini optare sibi vim inferri ab ebrio ad bonum finem consequendi ejusdem utile conjugium? Quæ tamen omnium sensu absurda sunt. Attamen ex imaginaria suppositione, si talia solum materialiter mala fierent, licite desiderari eorum bonum effectum aliquem, ut, in casu dicto, utile matrimonium, ex homicidio inculpate patrato hæreditatem, &c. dubium non est. Quia desiderium est de re licita, & conditio intellectu tantum supposita mala non est: immo ponatur esse mala formaliter, attamen, quia solum supponitur, & minime intenditur, nullo modo inficiet desiderium rei non malæ.

§. IV. *Excepta tamen pollutione mere naturali.*

Nimirum, licitum est affectu simplici desiderare, ut 34
pollutio mere naturalis, & omnino involuntaria in somno eveniat, ob aliquem finem bonum, v. gr. tentationis sedandæ, vel sanitatis recuperandæ. *Communior doctrina.* Navarr. *cap.* 16. *num.* 7. 8. 9. *& plurimis citatis.* Sanch. Lessius, Vasquez *mox supra* §. 2. *in fine allati.* Ratio autem specialis, & differentia pollutionis a fornicatione, homicidio, & aliis peccatis est. Quia fornicatio, homicidium, &c. non sunt actus mere naturales, sed ex natura sua petunt esse actus morales, ac liberi, seu hominis voluntati subditi, & cum intrinsece mali sint, etsi ex defectu voluntarii possint excusari a culpa, non ideo a culpa excusabitur eorum desiderium voluntarium, ut jam dictum est. At vero pollutio vi naturæ proveniens nullatenus est actus hominis, nec ejus voluntati subjectus, sed est actus quidam, & evacuatio naturalis naturæ, sicut sudor, & aliæ expulsiones, & sic facta omni prorsus culpa vacat, non ex defectu voluntarii, vel liberi, sicut fornicatio, vel homicidium, sed quia natura sua effectus mere naturalis est, & ideo voluntarie in illam tendere nullam contrahit malitiam: ergo sicut de ea sic facta gaudere, ita etiam ut sic naturaliter eveniat in somno (immo etiam in vigilia, Vasquez, Sanchez citati) propter bonum finem, desiderare licite possunt; intellige semper *desiderio*, vel *affectu simplici, & inefficaci*: & dummodo illud desiderium simplex non sit ita intensum, ut moraliter evadat efficax, & probabiliter credatur fore causa ipsius pollutionis. Constat enim apud omnes, ob nullum finem bonum, vel causam (de morte evitanda aliqui contra sentiunt) licere efficaciter illam desiderare, vel procurare, ut quomodolibet eveniat, sive in somno, sive in vigilia: tunc enim eo ipso non esset evacuatio naturalis, sed moralis, volita, seu procurata. Vide Navarr. & Sanch. *cit.*

SUBSECTIO III.

Delectatio morosa conditionata de re mala cogitata.

SUMMARIUM.

35 *Quandocumque licita sunt desideria conditionata, seu velleitas rei malæ, sub eadem conditione etiam licitæ sunt delectationes morosæ* rationales: *non tamen sensibiles semper. Sic*

36 *Utraque delectatio morosa, rationalis, & sensibilis sub conditione licita est de re tantum extrinsece mala.*

37 *Ac etiam per se loquendo rationalis de re intrinsece mala sub conditione auferente malitiam actus.*

38 *Non autem sensibilis de re intrinsece mala, sub quacumque conditione, quando res secundum se, ut delectat sensum, imbibitam habet malitiam.*

39 *Unde semper illicita est mortaliter delectatio morosa sensibilis venerea, directe voluntaria, sub quacumque conditione actu non existente, sive possibili, sive impossibili.*

REGULA.

Quandocumque licita sunt desideria conditionata, seu velleitates rei malæ, etiam licitæ sunt delectationes morosæ rationales de illa re sub eadem conditione; quia nimirum non est alienum a recta ratione de eo gaudere, quod licet desiderare: non item licitæ erunt delectationes sensibiles, & nullo modo venereæ.

EXPLI-

EXPLICATIO.

35 Ratio discriminis inter utramque delectationem est. Quia delectatio rationalis, seu gaudium in voluntate sequitur immediate cognitionem intellectus: intellectus autem potest apprehendere, & proponere voluntati objectum, ut vestitum conditione auferente omnem malitiam; ideoque etiam delectatio voluntatis tendens in illud objectum, sub ea conditione immunis erit a malitia. At vero delectatio sensibilis in appetitu sensitivo consurgit ex imaginatione sensibili phantasiæ, seu potentiæ æstimativæ, quæ tendit in objectum sensibile absolute prout obiicitur sensibus, nec ullam potest apponere conditionem: consequenter, si objectum absolute malum sit, etiam delectatio necessario mala erit. Et licet conditio apprehensa ab intellectu purget voluntatem, quatenus consentit in gaudium de objecto apprehenso, non tamen potest purgare voluntatem quatenus consentit in delectationem inferiorem sensibilem tendentem in objectum absolute, & illa conditione destitutum. Jam exemplis monstremus.

§. I. *Utraque delectatio licita.*

36 Licita est delectatio morosa, non tantum rationalis, sed etiam sensibilis de re jure tantum positivo prohibita, sub conditione, *si liceret*, vel *si prohibita non esset*. Ut si quis in Quadragesima videns alios ex dispensatione carnes edentes, & ipse de cogitato esu carnium delectetur, etiam sensibiliter, & non sine mota saliva. Si die jejunii similiter delecteris de cogitata cœna. Idemque est, si Carthusianus, vel aliquis voto obligatus jejunare, de esu carnium, vel cœna cogitata se se oblectet: supposita semper dicta conditione: *si liceret*, *si prohibitum non esset*. Ut notant etiam *Lessius lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. *Layman lib.* 1. *tr.* 3. *cap.* 6. *num.* 9. Ratio est eadem, quæ supra *nu.* 16. de desideriis conditionatis, Quia nimirum delectatio rationalis abstrahit, & per conditionem appositam excludit prohibitionem talis actus: delectatio vero sensibilis tendit in illum actum absolute, quatenus secundum substantiam suam bonus est, & nullo modo tendit in ejus prohibitionem, quippe per imaginationem sensitivam minime cognitam. Quemadmodum ergo Ecclesia in prohibitione non efficit malum ipsum esum carnium secundum se, ita neque delectationem de earum esu cogitato secundum se, malam reddidit.

§. II. *Amplius licita delectatio rationalis.*

37 Licita est delectatio rationalis de re etiam intrinsece mala, sub ea conditione, quæ, si poneretur, revera auferret malitiam actus, etiam in materia venerea, per se loquendo, & secluso periculo consensus in aliud peccatum grave: minime vero sub conditione impossibili, *si liceret*, *si peccatum non esset*: aut sub alia conditione nullo modo auferente malitiam actus. Omnia dicta supra *sect.* 3. *num.* 19. 20. 21. de verbo ad verbum huc referenda sunt. Eadem enim prorsus est ratio de desideriis, ac de delectationibus rationalibus conditionatis: immo adeo similis ratio est, ut discrimen verbis explicare difficile sit. Confusim exprimunt Doctores per verba *vellem*, *placeret*, *cuperem*, *liberet*, *&c.* At nonne hæc significant desideria, & velleitates? Melius sic exprimes delectationem verbo indicativo: *delector*, *gaudeo*, *lætitia afficior*, cogitans hunc hominem occidere, si judex essem, spoliare hunc divitem avarum, si Deus licentiam daret, hanc uxorem ducere, nisi ligatus, vel Religiosus essem: hanc amplecti, si mea uxor esset, &c. Ubi tamen maxime in materia venerea cavendum periculum, juxta admonitionem factam *ibid. num.* 19.

§. III. *Non item licita est delectatio sensibilis hic.*

38 Illicita est omnis delectatio morosa sensibilis de re intrinsece mala, sub quacumque conditione, etiamsi speculative auferret malitiam actus; ut si sensibiliter, non sine mutatione corporis, & motu spirituum delecteris de cogitato homicidio proximi, si judex esset; de gravi vindicta sumenda, si Deus permitteret; de copula cum aliena, si tua uxor esset, &c. mortalia sunt eadem ratione, qua de delectatione absoluta dictum est supra *nu.* 23. Multo magis, si conditio esset impossibilis, ut nullo modo auferret malitiam actus. *Sanchez cit. cap.* 2. *num.* 33. *Filliuc. Tract.* 21. *cap.* 8. *qu.* 10. *alii.* Ratio jam data fuit in explicatione; & accedit, quod in ejusmodi delectationibus sensibilibus deliberatis fere accedant aliæ species peccatorum, ut iræ, odii, vindictæ, avaritiæ. In materia autem venerea vix credo posse esse delectationem sensibilem in corpore, quin fiat venerea. Sed numquid nulla hic locum habebit limitatio? Accipe hanc ingeniosam ex *Valentia* 1. 2. *disp.* 6. *qu.* 4. *punct.* 2. *in fine*, *Sanchez lib.* 1. *Moral. cap.* 2. *nu.* 35. in hunc fere sensum.

Illicita est delectatio sensibilis de objecto malo, quod secundum se, & ut delectat sensum, imbibitam malitiam habet, conditio vere excusans a malitia, & non subsistens minime percipitur. Sic est in exemplis allatis, vindicta enim, homicidium, furtum, copula cum aliena &c. secundum se, & ut delectant sensualitatem, implicant deformitatem: conditiones vero, quæ excusarent a malitia, *si Deus permitteret*, *si judex essem*, *si mea uxor esset*, *&c.* minime apparent sensui, ideo delectatio sensibilis de istis mala est mortalis pro ratione materiæ. Non autem est illicita delectatio sensibilis de objecto malo, quando illud secundum se, & prout delectat sensum, nullam implicat malitiam, vel deformitatem, sed bonum est, vel in bonum sonat; conditio autem requisita, ut undequaque bona sit, sensibus non apparet. Ut si Laicus imaginando se Sacerdotem, magnoque fervore Confessiones excipientem: aut se ex alterius pecunia numerosam eleemosynam distribuentem: aut se judicem rectissime munus suum obeuntem, de malefactoribus suis justissimas pœnas exigentem: aut in bello injusto se Ducem strenue ducentem exercitum, pugnantem, vincentem, &c. atque ita se sensibiliter maxime oblectaret: nemo talem peccati gravioris condemnabit, licet objecta, seu actus ipsi revera jure naturæ essent illiciti mortaliter. Quare? Quia actiones illæ secundum se, & prout delectant sensum, nimirum audire sedulo Confessiones, eleemosynas magnas dare, justitiam severe exequi, strenue pugnare, nullam implicant malitiam: sed bonum sonant: at vero conditiones requisitæ, ad hoc ut omnino bonæ sint, videlicet, *jurisdictio*, *licentia Domini*, *officium Judicis*, *justitia belli*, ex quarum defectu actiones illæ revera malæ essent, sensui, & delectationi minime apparent, vel obiiciuntur.

§. IV. *Et nullo modo venerea.*

Illicita mortaliter semper est delectatio morosa venerea, 39
nimirum cum commotione carnis, & spirituum genitalium, directe voluntaria, sub quacumque conditione actu non existente, sive possibili, sive impossibili. *Certissimum*. Non enim vidi, qui contrarium aperte doceret, nisi de parvitate materiæ, de qua *supra num.* 18. Ratio solidissima est. Quia ad hoc, ut actus humanus, maxime externus, sit licitus practice, seu hic, & nunc, debent omnes ejus circumstantiæ practice, seu hic, & nunc esse licitæ: atqui delectatio morosa venerea veluti inchoata quædam seminatio, vere est actus externus tendens in objectum prout est a parte rei, ergo ut licitus sit, omnes ejus circumstantiæ debent esse licitæ. Atqui ulterius consensus voluntatis in delectationem veneream ex cogitato concubitu cum non sua, sub conditione, *si esset sua*, tendit revera in objectum practice, seu hic, & nunc mortaliter illicitum: a parte rei enim est non sua; conditio autem apposita, *si esset sua*, solum est objective in intellectu: nec consequenter quidquam facit ad actum præsentis delectationis; nec ullo modo practice aufert, sed solum speculative cogitatur auferre malitiam talis actus: ergo ejusmodi morosus delectator, non quidem speculative, sed tantum practice peccat mortaliter. Ais. Numquid non licet desiderare uxorem alterius, ejusque complexum, sub conditione, si esset libera a lege viri; aut absolute in futurum, quando erit libera a lege viri? Ita licet. Sed dispari ratione. Quia desiderium, vel propositum, natura sua, tendit in absens, vel futurum; si ergo addatur conditio justificans actum in futuro, licitum erit desiderium, quia rem licitam desiderat: at vero delectatio morosa, natura sua, tendit in rem præsentem, ac velut possessam, saltem in apprehensione: ideoque simpliciter mala est, si objectum hic, & nunc illicitum sit, non obstante conditione objectiva, vel futura tantum, quæ nihil potest facere ad præsentem actualem delectationem tendentem in rem, ut præsentem. Denique nono Decalogi præcepto *non concupisces*, *&c.* non prohiberis desiderare matrimonium, & complexum fœminæ, quæ modo uxor alterius est, sub conditione, si non esset alterius, vel pro tempore, quando non erit amplius: sed solum prohiberis eam desiderare pro hoc tempore, quando, & quatenus ejus uxor est, & consequenter etiam prohiberis actualiter hic, & nunc delectari veneree de ejus amplexu, quamdiu alterius, & non tua est. Et dicendum tibi. Si talis esset revera tua, sicut specularis, & supponis, non utique peccares de ea delectando: at quia tu de facto delectaris, & ipsa de facto non est tua, ideo tu de facto tantum peccas mortaliter. Ulterius, quia omnes judicabimur ex facto, ideo tu, in talibus pœnitens, non quidem speculative, vel de possibili, sed practice tantum, & de facto ibis in infernum.

SUB-

SUBSECTIO IV.

Delectatio morosa Statibus applicata.

SUMMARIUM.

40 I. Solutis *mortaliter illicita est omnis delectatio morosa sensibilis venerea; Sicut & desideria absoluta, vel consensus in opus turpe de præsenti. Similiter*

41 II. Sponsis *etiam mortaliter illicita est omnis venerea delectatio* sensibilis; *non tamen* rationalis *in copulam futuram.*

42 III. Viduis *quoque mortaliter illicita est omnis delectatio morosa venerea, æque ac solutis: licita tamen eis manent gaudium, vel delectatio* rationalis *de copula præterita, & delectatione annexa.*

43 IV. Conjugatis *vero de se invicem, etiam absentibus*, per se (*excluso periculo pollutionis, & coitu innaturali*) *licita est delectatio morosa, vel consensus in copulam, sicut & alia ad eam dispositiva, (saltem circa mortale.)*

44 *In actu autem conjugali sibi imaginari aliam, vel alium, mortale est.*

45 *Jactare seipsum de opere mortaliter malo, mortale est: de veniali, veniale.*

46 *Quod verum est, sive vere, sive falso quis se ita jactet.*

REGULA.

Q*Uocumque statu illicita est ipsa copula carnalis, nimirum extra matrimonium, etiam illicita est delectatio morosa venerea sub mortali: non item omnis delectatio rationalis.*

APPLICATIO.

I. Solutis.

40 ILlicita mortaliter est omnis delectatio morosa sensibilis, venerea, captata, admissa, permissa, aut ex ipsa copula cogitata, sive absolute, sive sub conditione, si esset sua, vel suus: aut ex quocumque alio actu, cogitatione, imaginatione, aspectu, tactibus, osculis, amplexibus; nulla etiam admissa parvitate materiæ a mortali excusante. *Supra num.* 23. & *num.* 39. ac *superius num.* 18. Absque tamen directa intentione, vel consensu delectationis venereæ, in prædictis actibus parvitatem materiæ a mortali excusantem, jam admisimus *cap. præced. nu.* 19.

II. Illicita sunt eis mortaliter proposita, & desideria absoluta, seu quivis consensus deliberatus in opus turpe de præsenti (non item desideria, vel proposita de futuro, quando contracto matrimonio, illi actus erunt liciti *supra nu.* 18.) Sicut & omnis delectatio rationalis de opere turpi cogitato, vel imaginato, sive absoluta, sive sub conditione impossibili, vel nullo modo auferente malitiam actus: immo etiam speculativa de ipsa imaginatione rerum obscænarum, *supra nu.* 27. Non item illicita, periculosa tamen sunt Solutis proposita, desideria, velleitates, complacentiæ simplices, atque ipsæ delectationes rationales conditionatæ ejusmodi rerum, sub conditione auferente malitiam actus, *supra sparsim præsertim numer.* 19. 20. 37.

II. Sponsis.

41 ILlicita mortaliter est omnis delectatio sensibilis venerea, & directe voluntaria, captata, admissa, permissa, tam ex ipsa copula futura cogitata, quam ex cogitationibus, aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus inter ipsos libidinosos. *Navarrus cap.* 16. *num.* 9. *aliisque citatis Sanchez lib.* 9. *de matrim. d.* 47. Ratio est. Quia delectatio venerea tendit in copulam ut præsentem, & pollutionem reipsa inchoat: at copula ipsis in eo statu adhuc mortaliter illicita est, secundum communem, & certam Doctorum sententiam: ergo & delectatio. Cæterum ipsa oscula, amplexus, & tactus, non nimium impudici ex objecto, & notabiliter moventes libidinem, inter sponsos ex sponsalibus cohonestantur, maxime si fiant ad bonum finem, puta, amoris conciliandi, vel contestandi, etsi præter intentionem, & secluso periculo consensus, aut pollutionis, sequeretur commotio nonnulla sensibilis. *Navarrus cit. cap.* 16. *num.* 12. *aliisque citatis Sanchez lib.* 9. *de matrim. d.* 46. *num.* 47.

II. Licita sunt Sponsis, non tantum consensus in ipsam copulam, ut futuram, cui talis consensus, saltem implicitus, in ipso essentiali consensu contractus matrimonii includatur: sed etiam desiderium, gaudium, delectatio rationalis de futura copula, ejusque delectatione capienda. Cum enim ex ipsis sponsalibus contractis, talis copula, & delectatio aliquando futura sit, numquid debent de ea tristari, vel eam aversari? Licite ergo in eam consentire de ea gaudere, complacere, & delectari possunt: cum hoc nihil aliud sit, quam gaudere de spe boni futuri, quæ spes præsens est, & licita. Dummodo semper absit periculum consensus turpis, aut pollutionis, *Sanchez cit. disp.* 47. *Diana par.* 3. *tr.* 5. *resol.* 2. *alii apud ipsos.*

III. Viduis.

ILlicita quoque mortaliter est omnis delectatio morosa venerea captata, admissa, permissa ex cogitata copula præterita tempore matrimonii, sicut, ac omnis alia venerea voluptas, æque, ac solutis. *Navarr. cap.* 16. *num.* 10. & *cap. Si cui, de Pœnit. d.* 1. *num.* 2. *Corduba, Lopez, Vasquez, alii cum Sanchez, dicta disp.* 47. *numer.* 7. Ratio est eadem, quæ de sponsis: Quia nimirum viduis non est amplius licita, immo nec possibilis illa copula delectabilis, itaque nec licita erit actualis delectatio, natura sua in copulam tendens, atque illam inchoans. 42

II. Licita tamen ipsis manent gaudium, complacentia, approbatio, ac delectatio rationalis tantum voluntatis de copula præterita, & delectatione annexa. Habent enim objectum licitum. Licita enim fuit illa copula, & delectatio, nec tenentur illam modo reprobare, vel detestari. *Omnes.* DICES. Plus est approbare, quam delectari tantum: sed viduis licet approbare copulam præteritam: ergo etiam de illa delectari. *Confirmas.* Conjugibus licet delectari sensibiliter de copula præterita, & futura: cur non etiam sponsis de futura, ac viduis de præterita? *Respondetur distinguendo antecedens.* Plus est approbare, quam delectari delectatione rationali tantum in voluntate: *concedo totum*; & hinc eam delectationem etiam sponsis, & viduis concessimus. Plus est approbare, quam delectari, delectatione sensibili venerea: *nego antecedens.* Hæc enim delectatio, quia natura sua tendit in copulam, non potest esse licita, nisi quibus licita est copula. Et hinc ad *Confirmationem*, negatur consequentia, & paritas. Quia conjugibus semper licita est copula, & ideo etiam ejus delectatio: sponsis autem copula licet nondum, sed licebit: Viduis non licet amplius, sed licuit tantum.

IV. Conjugatis.

SIcut per se semper licita est ipsa copula, ita etiam semper eis licita erit delectatio morosa de illa concepta quæcumque: quemadmodum eis etiam licent omnia alia ad copulam dispositiva inter sese, cogitationes, aspectus, colloquia, oscula, amplexus, tactus quicumque. Cui enim licitus est finis, etiam media ad illum finem naturaliter dispositiva licita esse debent. Et quidem, si prædicta fiant ad honestum finem, utpote præparandi ad copulam, aut etiam amorem conjugalem contestandi, omni culpa vacabunt: sin autem fiant absque animo copulandi, solius delectationis gratia, culpam venialem continent, tamquam excessus in re alias licita: Duobus tamen semper sub mortali exceptis. I. Manifesto pollutionis prævisæ periculo, nisi sint in loco, ubi statim copula haberi possit, aut nisi justa causa excusaret: v. gr. medendi: certe conjugem ad reddendum tales tactus alteri petenti excusari censet *Sanchez lib.* 9. *de matrim. disp.* 45. *num.* 33. II. Excluso omni coitu innaturali, etiam leviter tantum inchoato, & animo non extra consummandi, &c. De his legere poteris *Sanchez cit. lib.* 9. *disp.* 17. 44. 45. *Dianam par.* 2. *tr.* 17. *resol.* 37. *Marchant. Tribun. par.* 2. *tr.* 7. *tit.* 2. *in appendice, ac alios.* 43

II. Quin etiam conjugibus licita manent delectatio morosa venerea (dummodo semper absit periculum pollutionis) etiam quando, absente altero conjuge, copula haberi non potest, aut aliunde ab extrinseco impedita esset; uti ex communiori late docet *Sanchez cit. disp.* 44. *a nu.* 13. Ratio jam sæpe dicta est. Quia talis est delectatio, qualis est actus: sed etiam tunc copula conjugibus suapte natura ab intrinseco licita est, & hic, & nunc solum per accidens impeditur ab extrinseco, ut puta, per absentiam alterius conjugis, per supervenientem impotentiam, infirmitatem, puerperium, &c. immo etiam; si ob incestum commissum conjux amisisset jus petendi debitum, licet enim ei adhuc reddere: ergo etiam delectari. Licita, inquam, illa sunt, saltem citra peccatum mortale: cum sine dubio sint veniales deordinationes, ob defectum debiti finis, scilicet copulæ tunc impeditæ. Et duobus iterum casibus sub mortali exceptis. I. Quando practice dubitatur de valore matrimonii, tunc enim illicita eis ab intrinseco est ipsa copula, ut incidenter monui *cap.* 1. *num.* 77. *post medium.* II. Quando votum continentiæ esset emissum. Qui enim castitatem vovit conjux, tenetur abstinere ab omnibus, quæ adversantur castitati, salvo solummodo jure alterius conjugis debitum exigentis.

Denique apud omnes in confesso est, peccare mortaliter conju-

conjugem, dum in actu conjugali cum propria conjuge imaginatur sibi aliam fœminam, vel personam carnaliter dilectam, hoc est, aut efficaciter desiderando eam hic, & nunc habere loco conjugis, quod est verum mentale adulterium; aut morose solum delectando se in imaginatione alterius personæ, quasi præsentis loco conjugis: est enim objectum hic, & nunc mortaliter illicitum. Hoc enim esset imaginari *carnaliter dilectam*, uti loquuntur Doctores apud Sanchez mox allegandum. Quod si autem imaginatio, & delectatio conjugis versetur circa aliam personam, non ut carnaliter dilectam ullo affectu turpi, sed solum ut naturaliter delectantem, ob naturalem pulchritudinem, seu formam amabilem, ea omnino ratione, qua etiam delectaret formosa statua, vel imago picta, idque ad honestum finem sese provocandi, aut ut proles formosior concipiatur, per se loquendo, nullam saltem lethalem culpam recte agnoscit *Sanchez eodem lib. 9. d. 17. num. 14.* ut etiam merito fateatur rem esse plenam periculi, non facile permittendum, cautissime consulendum. Potius permittendæ imagines, sed certe prophanæ, non sacræ, ob gravissimum blasphemiæ periculum.

Dubium incidens.

Quale peccatum sit jactantia, gloriatio, laus de re mala.

R E S O L U T I O.

45 SEipsum jactare, ostentare, laudare, vane gloriari de opere malo mortali, mortale est, de veniali, veniale. *Ex communi Sanch. lib. 1. moral. c. 3. num. 4.* Ratio est. Quia jactantia de opere malo continet ejus approbationem, & quandam saltem implicitam complacentiam: ergo peccatum est, quale est peccatum jactatum: immo potest, & solet esse duplex peccatum mortale, unum ipsius jactantiæ, quærendo gloriam, vel laudem ex re mala, v. gr. homicidio patrato, vel adulterio; alterum actualis gaudii, complacentiæ, vel delectationis de admisso peccato mortali, & hoc spectat ad delectationem morosam, jam latissime explicatam. Unde ulterius in Confessione necessario explicanda sunt ipsa peccata, de quibus gloriatus es, atque eorum circumstantiæ speciem mutantes, ut si gloriatus es de percussione Clerici, de violatione Monialis, vel Conjugatæ, &c. Uti contra Navarrum, & alios cum aliis docet Sanchez *ibid. num. 13.* Eadem enim prorsus est ratio, quæ de delectatione morosa *supra num. 24.* & non solum, quando jactantia continet actualem complacentiam, & gaudium de malo admisso, sed etiam sine tali complacentia, ipsa jactantia secundum se adhuc aliquam talis mali approbationem continet: ideoque ejus speciem sortiri debet: dummodo jactantia revera fit de ipso opere malo, quatenus talem malitiam fundat. Qui enim se jactat, vel gloriatur, non de ipso opere malo, sed de sua tantum fortitudine, ingenio, artificio, dexteritate in opere malo demonstratis, non erit culpa lethalis, ut notat Sanchez *ibid. num. 12.*

Resolutionis Extensio.

46 IDem dicendum, sive quis vere, sive falso se jactet de opere malo, utrobique enim eadem militat ratio. *Navarrus cap. 23. num. 13. Sylvest. August. alii cum Sanch. ibid.* Hoc tamen potest esse discrimen, quod in jactantia veri criminis commissi sæpius accedat actualis complacentia, & duplex peccatum fiat, quam in jactantia falsa.

II. Idem etiam dicendum de jactantibus, vel laudantibus alium de peccato admisso, vere, vel falso. Quia hoc est vere peccatum alterius approbare. Unde etiam mortaliter peccant, qui alium vituperant, quod præclaram occasionem peccandi, fornicandi, vindictam sumendi, &c. prætermiserit.

III. Etiam lethale est velle, vel acceptare laudem, ac gloriam ab aliis de opere mortaliter malo, sibique, quod ita laudetur, complacere: Non tamen solum tacere semper. Quod si cui enim ita laudato res ipsa displiceat, & solum præ verecundia taceret, non peccaret. *Navarr. nu. 15. Sanch. cit. nu. 10.*

IV. Idem dicendum de audientibus alium se jactantem, vel jactatum de peccato mortali. Si enim admirentur, complaceant, ac velut laude dignum suspiciant ipsum opus malum, mortaliter peccant: quia est vera approbatio operis mortalis. Secus, si solum admirentur, suspiciant, complaceant de male operantis viribus, arte, industria, &c.

C A P U T VII.

DE CAUSIS PECCATORUM.

Et Peccatis Capitalibus.

PEccatorum causæ, aliæ per se sunt, & effectivæ, nimirum homo peccans, ejusque libera voluntas, cum objecto, & cæteris concurrentibus requisitis, hactenus late satis explicatis. Aliæ sunt causæ per accidens, & inductivæ: & hæ rursus aliæ extrinsecæ, ut homo alliciens, dæmon tentans, addunt blaspheme Hæretici, Deus permittens. Aliæ vero intrinsecæ ex parte ipsius hominis, & numerantur communiter tres: ignorantia, infirmitas, malitia. His affines sunt consuetudo, & contemptus. Denique vulgata illa septem vitia capitalia ideo dicuntur, quod plurium aliorum peccatorum causæ sint. Quæ singula ordine, & strictim explicanda sunt. Alia de peccatorum causis, & effectibus scholastica sunt, & speculativa, ideoque, quia supra nos, nihil ad nos.

S E C T I O I.

Peccatum ex ignorantia, infirmitate, malitia, remissive.

S U M M A R I U M.

47 *Peccatum ex ignorantia ex parte intellectus quid?*
48 *Peccatum ex infirmitate ex parte appetitus quid?*
49 *Peccatum ex certa malitia ex parte voluntatis quid?*
50 *Et hoc prioribus gravius.*

I. Peccatum ex ignorantia.

(*ex parte intellectus*)

DIcitur, quod committitur ex ignorantia juris, vel facti, vincibili, & culpabili, non tam affectata. 47
Peccatum enim ex ignorantia affectata commissum, potius ex certa malitia dici meretur. Nam ut ait *S. Gregor. lib. 21. moral. c. 11. Nescire ignorantia est: nolle autem scire, superbia.* De his sufficienter dictum, *cap. 2. sect. 4.*

II. Peccatum ex Infirmitate.

(*ex parte appetitus*)

DIcitur, quod ex vehementi passione appetitus sensitivi, seu sensualitatis passione, sive naturaliter, sive 48
ex instinctu diaboli excitata, committitur. Ut si ex vehementi motu sensualitatis pecces contra castitatem: ex vehementi iræ passione percutias, occidas, &c. De his actum *ibid. §. 4.* Merito autem passiones illæ dicuntur hominis infirmitas: quia debito statui rectitudinis, ac velut morali valetudini hominis adversantur, atque ad mortem spiritualem peccati disponunt.

III. Peccatum ex certa malitia.

(*ex parte voluntatis*)

DIcitur, cum quis, neque ex intellectus ignorantia, vel errore aliquo inductus, neque ex appetitus ve- 49
hementi aliqua passione impulsus, sed sciens, volens, libere, ex mera voluntatis perversitate peccat, v. g. inebriatur, scortatur, &c. Et hoc

IV. Tertium prioribus gravius.

(*cæteris paribus*)

QUia enim ignorantia difficulter vincitur, ut plerumque homo se solo vincere non possit, sed egeat ope, 50
vel informatione extrinseca, hinc peccatum ex ignorantia, cæteris levius est, & magis excusabile. Et quia infirmitas, seu passio appetitus sensitivi, multum quidem, & valde inclinans ad peccatum, impediendo liberum indifferens, ut suo loco dictum, facilius tamen vincitur, *immo potest, & debet vinci* a voluntate, juxta illud Genes. 3. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*: hinc peccatum ex infirmitate, priori gravius est, minusque excusabile. Denique quando & ignorantia, & infirmitatis passio deest, sed scientia, & libertas omnimoda, atque peccatum ex certa, & mera malitia, utique cæteris longe gravius, & nulla omnino excusatione dignum erit. Lege *S. Thomam 1. 2. qu. 76. 77. 78. D. Bonav. in 4. d. 22. art. 2. qu. 3.*

SECTIO II.

Peccatum ex Consuetudine.

SUMMARIUM.

51 *Peccatum ex consuetudine explicatur.*
52 *Scienter consuetudinem contrahens peccandi in materia alias mortali, dupliciter peccat mortaliter.*
53 *Et sub mortali operam dare tenetur, ut eam deponat.*
54 *Ac illam etiam in Confessione fateri tenetur.*
55 *Si vero adhibito conatu, eam deponere non potuit, tunc actus ex ea naturali quasi impetu erumpentes ad peccatum imputari non possunt.*

51 DEfinitur, quod vi habitus per frequentatos actus acquisiti, quasi naturali impetu, & omnino indeliberate committitur. Ut sunt jam toto orbe communissima peccata blasphemandi, pejerandi, detrahendi, mentiendi, &c. addunt aliqui non male, consuetudinem delectandi morose in venereis; quando nimirum quis toties consentiendo voluntarie in eas delectationes, jam ita habitum induit, ut quacumque data occasione, nihil amplius deliberando quasi naturaliter admittat. Cæterum ejusmodi actus peccaminosos, ex naturali impetu inveteratæ consuetudinis, atque omnino indeliberate factos, formaliter peccata non esse, neque formales blasphemias, perjuria, detractiones, &c. censeri posse, constat apud omnes, & notat etiam *Scotus in 3. d. 39.* Solum ergo explicandum est, qualiter peccata sint in sua causa, scilicet ipsa consuetudine contracta, & non deposita. *Ex communi doctrina apud* Suarez, & Sanchez, *lib. 3. Moral. cap. 5. numer.* 28. Laym. *libr. 1. tract. 2. cap. 3. num. 6.* breviter sic accipe.

§. I.

52 SCienter, & voluntarie frequentatis actibus contrahens consuetudinem peccandi: v. gr. qui deliberate frequentat blasphemias, simul advertens sensim sibi consuetudinem blasphemandi ingenerari, graviter, & dupliciter peccat mortaliter. I. Ipsa actuali blasphemia, vel simili peccato, voluntarie ponendo causam secuturis blasphemiis, vel similibus malis. Licet enim secutæ blasphemiæ ex consuetudine, vel habitu contracto formaliter peccata non sint, ob defectum voluntarii, si omnino indeliberate, & naturali quasi impetu fiant, ipsa tamen voluntas ponendi earum causam, scilicet consuetudinem per frequentatos actus, sufficienter voluntaria fuit, ideoque duplicatam sortitur malitiam, & ab actu deliberate frequentato, & a prævisis secuturis actibus indirecte saltem volitis, etsi materialiter tantum malis. Rationem peto ex dictis *cap. præc.* de delectatione, & desiderio rei materialiter tantum malæ, *nu.* 31. atque hinc porro

§. II.

53 ILle, qui voluntarie ita contraxit consuetudinem peccandi, blasphemandi, pejerandi, &c. tenetur sub peccato mortali operam dare, ut eam consuetudinem vincat, atque deponat. Quia advertens quis suam pravam consuetudinem blasphemandi, & quantum potest deponere non conatur, censetur eam velle, & approbare, & consequenter etiam indirecte censebitur velle ipsas blasphemias ex illa consuetudine factas: ideoque peccat formaliter, & manet in continuo statu peccati mortalis omissionis; atque ipsæ blasphemiæ sic factæ adhuc ei in peccatum imputantur, tamquam indirecte voluntariæ in sua causa, mala scilicet consuetudine voluntarie non ablata: graves deordinationes contra virtutem Religionis, & cultus divini: ea ratione, qua *supra cap. 2. sect. 3. a nu.* 23. de voluntario indirecto dictum est. Et hinc ulterius

§. III.

54 ILle, qui voluntarie contraxit consuetudinem peccandi, blasphemandi, pejerandi, &c. In primis non satisfacit in Confessione, si dicat se toties *trigesies, centies,* deliberate blasphemasse, &c. sed dicere etiam debet, se ita continuo frequentasse blasphemias deliberate, ut jam consuetudinem sibi blasphemandi quasi naturalem induxerit, ob rationem jam supra dict. *num.*52. Deinde, plerumque non sufficit talem hominem dolere de præteritis peccatis, blasphemiis, perjuriis, &c. atque firmum abstinendi propositum concipere; sed requiritur propositum ita efficax, quod se extendat etiam ad propinquas occasiones, & pericula blasphemandi, vel pejerandi cavenda, & tollenda, quatenus fieri potest sine magno incommodo: uti cum *Sayro, Valentia, & aliis* optime notat *Laym. cit. nu.6. ante fin.* Unde & Confessarius quoque talem compellere potest, & debet ad fugiendum lusus, potiones, & similia, quibus blasphemandi, vel pejerandi consuetudinem exercet, atque confirmat: non item ad deserendam mercaturam, officium militare, aurigandi, vel similia, quæ sine gravi suo incommodo deserere non potest. Vide *Sanch. loc. cit.*

§. IV.

DEnique postquam Pœnitens pravam consuetudinem ita blasphemandi, pejerandi, &c. efficaci proposito retractavit, debitumque conatum eam deponendi, atque cautelam adhibuit, tunc consequentes blasphemiæ, &c. ex vi ejusdem consuetudinis, inculpabiliter contra voluntatem, & conatum tuum remanentis, quasi naturali, ac necessario impetu erumpentes, nullo modo amplius ad peccatum imputari poterunt, quia tunc non sunt amplius ullo modo voluntariæ, neque in se directe, ut supponitur: neque indirecte in sua causa, scilicet consuetudine, etiamsi voluntarie contracta, jam tamen voluntarie, & efficaciter retractata, ut amplius voluntaria censeri non possit. 55

SECTIO III.

Peccatum ex Contemptu.

SUMMARIUM.

56 *Quid sit peccatum ex contemptu.*
57 *Transgressio cujuscumque legis, in quavis materia, etiam minima, est peccatum mortale.*
58 *Et speciale formalis inobedientiæ.*
59 *Si fiat ex contemptu, non item* cum *contemptu tantum.*
60 *Ex contemptu scilicet* formali (*quo contemnitur lex, vel Superior ut talis.*)
61 *Et* injusto.
62 *Quod maxime verum est, si talis transgressio sit legis divinæ.*

PEccatum ex contemptu dicitur, quod ex contemptu legis, vel legislatoris committitur: sive, uti explicat S.Thomas, cum quis ideo peccat, legem, vel præceptum transgrediendo, quod nolit esse subjectus legi, ex affectu indignationis erga legem, Legislatorem, ejusve legislativam potestatem. 56

ASSERTIO.

TRansgressio cujuscumque divinæ, vel humanæ legis, vel præcepti, in quacumque materia, quantumvis minima ex contemptu formali injusto ipsius legis, vel legislatoris præcepti, vel præcipientis, est peccatum mortale, & speciale formalis inobedientiæ. Doctrina certa, & Orthodoxa.

EXPLICATIO.

I. ASsertionem inter alios SS. Patres perspicue docet D. Bernardus *l. de præcepto, & dispensat.* inter alia dicens: *Contemptus in omni specie mandatorum pari pondere gravis, & communiter damnabilis est. Sive enim Deus, sive homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Item. *Ubique, & neglectus culpabilis, & contemptus damnabilis est.* Hæc Bernardus. Similia alii Patres passim. 57

II. Ratio ex Scriptura Sacra desumpta est. Quia transgredi legem, vel præceptum ex formali, & injusto contemptu legis, vel præcepti, aut legislatoris, vel præcipientis, est directe, & formaliter contemnere ipsam potestatem legislativam Superioris: atqui contemnere ipsam potestatem legislativam, utpote a Deo ordinatam, de se est gravissima injuria in ipsum Deum, ejusve sapientissimam ordinationem, uti demonstrat Apostolus Rom. 13. *Non est potestas, nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Utique pœnam peccati mortalis: maxime autem resistunt potestati, qui etiam contemnunt: ergo ex formali contemptu transgredi legem, vel præceptum de se *peccatum mortale est.*

III. *Et speciale formalis inobedientiæ.* Quemadmodum enim obedientia omnium virtutum in observatione præceptorum versantium generalis conditio est, at specialis virtus efficitur, cum quis opus præceptum exequitur cum formali intentione ac motivo obediendi, & satisfaciendi præcepto, adeo ut talis eodem actu, v. gr. servando jejunium præceptum, simul exerceat actum duplicis virtutis, & temperantiæ, & obedientiæ formalis: ita quidem 58

inobe-

inobedientia omnium peccatorum contra leges, vel præcepta commissorum generalis quædam conditio est, at vero efficitur speciale peccatum formalis inobedientiæ, si legem, vel præceptum violes formali, & directa intentione non obediendi: quod ipsissimum fit per formalem contemptum præcepti, vel præcipientis: adeo ut ex formali contemptu præceptum, v. gr. jejunii violans, uno actu duplex peccatum committat, & intemperantiæ contra legem jejunii, & formalis inobedientiæ per contemptum legis: estque hoc posterius peccatum gravius priori, ideoque in confessione necessario explicanda hæc circumstantia contemptus tamquam speciem mutans, seu novam diversam peccati speciem constituens, ut cum Valentia & aliis observat Sanchez *libr.* 1. *Moral. cap.* 5. *num.* 9.

IV. Jam ulterius. Atqui etiam in re levissima resistere divinæ ordinationi, eamque contemnere, semper est peccatum mortale, quia est injuria directe contra infinitam perfectionem Dei, nimirum sapientiam, æquitatem (juxta dicta *supra cap.* 5. *nu.* 14.) ergo transgredi legem, vel præceptum ex formali contemptu, etiam in re levissima, semper erit peccatum mortale. Quod quidem adeo verum est, ut non solum ea, quæ præcepta sunt, sed etiam, quæ sub consilio tradita sunt a Christo, vel Ecclesia, puta, status Religionis, extrema Unctio, usus aquæ benedictæ, &c. ex formali contemptu negligere mortale sit ob eamdem rationem, teste Cajetano, *v. Contemptus.* Navarro *cap.* 23. *num.* 41. Consentit glossa *in capit. Quis autem d.* 10. *Aliud est contemnere, aliud non parere. Nam consilio sine culpa non paretur; sed non sine culpa contemnitur.* Addit *S. Thomas* 2.2.*q.*182.*art.* 9. ab omnibus receptus: etsi statuta Ordinis Prædicatorum (idemque est de statutis Fratrum Minorum, exceptis iis, quæ per obedientiam, vel sub excommunicationis pœna statuuntur) non obligent ad culpam, sed tantum ad pœnam, nihilominus eorum transgressionem ex contemptu formali esse mortalem, ob eamdem rationem. Jam vero, ut assertio recte intelligatur, observa terminos, notanter enim dictum est,

§. I.

59 EX *contemptu*; non *item cum contemptu* tantum. Differunt hæc. *Ex contemptu* transgredi legem, vel præceptum est, quando contemptus est causa transgressionis, sic ut ideo quis nolit servare legem, vel præceptum, quia contemnit præceptum, vel præcipientem; & si abesset talis contemptus, non transgrederetur: & hoc est peccatum semper mortale, & speciale inobedientiæ. *Cum contemptu* tantum transgredi legem, vel præceptum est, cum quis quidem de facto contemnit præceptum, vel præcipientem, is tamen contemptus non est causa, vel motivum transgressionis: sed sicut, stante illo contemptu, posset adhuc servare legem, ex alio motivo, utpote, quia timet pœnam, vel observatio ipsi opportuna est: ita etiam, absente illo contemptu, adhuc transgrederetur legem ex alio motivo, vel vitiosa affectione. Et hoc casu ipse contemptus legis, vel Superioris erit peccatum mortale, vel veniale, prout injustus, gravis, vel levis fuerit: & transgressio legis erit simplex, pro ratione materiæ gravis, vel levis, mortalis, vel venialis absque speciali peccato inobedientiæ formalis: quod bene notandum monet **Marchant. Tribun.** *tom.* 2. *tract.* 1. *tit.* 9. *q.* 2. *append.* 2.

§. II.

60 EX *contemptu formali*: quo nimirum contemnitur lex, vel præceptum ut tale, & Superior, quatenus legem ferens, vel præcipiens est; adeo ut quis ob hoc ipsum nolit obedire, faciendo præcepta, vel omittendo prohibita, quia præcepta, vel prohibita sunt: vel quia Superior præcepit, vel prohibuit. Hoc enim est formaliter, & directe contemnere potestatem a Deo ordinatam, cum gravissima injuria non tantum Superioris, sed etiam ipsius Dei, ideoque semper peccatum mortale. Ut cum Ecclesia præcipit jejunium, Prælatus Religiosus silentium, Magistratus tributum, vel ne quis armatus noctu incedat, &c. Tu autem, forte alias talia libenter facturus, tamen ob hoc ipsum, quia præcepta sunt, non vis jejunare, silentium servare, tributum pendere, armatus incedis, &c. peccas semper mortaliter, quia ex formali contemptu legem transgrederis. Secus dicendum de transgressione legis ex contemptu materiali tantum præcepti, vel præcipientis. Nam ex contemptu materiali ipsius legis, vel præcepti, transgreditur, qui solum ipsam materiam præceptam parvi æstimat, levem censet, vel inutilem, & ideo contemnens negligit præceptum. Ut si Religiosus frangere silentium, unum haustum in civitate facere, bona fide, levem materiam, & parvi momenti judicet & ideo secus faciat, culpam venialem minime excedet. Ex contemptu vero materiali ipsius Superioris legislatoris, vel præcipientis legem, vel præceptum transgreditur, qui solum contemnit ipsam personam Superioris secundum se, quatenus talis homo est ineptus, defectuosus, malitiosus, & ideo ex quadam indignatione, vel aversione erga ipsum hominem talem, minime vero ipsam potestatem, præceptum ejus negligit, & tunc speculative loquendo, ultra peccatum contemptus personæ majus, vel minus, vel forte nullum, si contemptus, vel indignatio justa esset, manebit transgressio legis simplex, gravius, vel levius, pro ratione materiæ, absque speciali peccato formalis inobedientiæ: practice vero valde periculosum est, ne subrepat contemptus etiam formalis ipsius potestatis in tali persona contempta residentis. Ideoque ex contemptu personæ Superioris negligere, vel transgredi legem plerumque esse peccatum mortale, bene notat *Lessius libr.* 1. *cap.* 46. *num.* 45. *communi Doctorum assensu.*

§. III.

EX *contemptu formali injusto*, qualis semper est, quando manifeste non constat de injustitia, vel inutilitate legis, vel præcepti. In dubio enim subditus tenetur se conformare sententiæ Superioris, uti *c.* 1. *nu.* 95. dictum fuit. Secus dicendum, quando contemptus esset justus: utpote, si absque tergiversatione constaret, præceptum esse injustum, inutile, reum tanta pœna minime dignum, &c. Tunc enim merito contemneretur, ac negligeretur a prudenti, & probo viro, etiam formaliter. Neque talis contemptus ullo modo redundaret in injuriam potestatis ordinatæ a Deo; cum nulla potestas sit a Deo ordinata, & collata homini ad præcipiendum aliquid injustum, vel inutile. Interim tamen monent omnes Doctores, maxime cavendum subditis, ne leges, vel præcepta Superiorum temere judicent, sed ubi manifeste non constat, legem esse iniquam, vel inutilem, semper in favorem legis, ac præcipientis judicent, atque supponant, Superiores causas habere, cur ita præcipiant. Alioquin facillime ignorantia, errore, vel pravo affectu, & inclinatione propriæ libertatis decipientur. Et hac ratione verum esse potest vulgatum illud dictum D. Gregorii *hom.* 26. *in Evang. Sententia Doctoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.* Hoc est, non temere statim contemnenda, quousque manifeste esse injustam constiterit, uti communiter glossant Doctores. 61

§. IV.

HActenus de transgressione humanæ legis, vel præcepti potissimum sermo fuit. Strictius omnino loquendum quoad transgressionem Legum divinarum. Nam 1. Omnis transgressio legis, vel præcepti divini etiam de re minima, v. gr. non esse otiose loquendum, mentiendum, &c. ex quocumque, seu formali, seu materiali contemptu ipsius Legislatoris Dei, sine dubio semper est peccatum mortale gravissimum. 2. Etiam ex contemptu formali ipsius præcepti cum relatione ad Deum, ac potestatem divinam; quia nimirum, servando illud leve præceptum, non vis Deo subdi, mortale est, & gravissima Dei injuria. 3. Etiam ex contemptu ipsius præcepti divini, absque explicata relatione ad Deum, vel absque omni potestatis divinæ contemptu, ut si velis mentiri, quia præceptum illud vilipendis quasi inutile, & vanum, iterum mortalis culpa est, secundum omnes; continet enim gravem contra Deum blasphemiam: qualem etiam contineret, si quis consilia Christi Domini, quasi inutilia, & vana negligens vilipenderet. 4. Denique ex contemptu mere materiali ipsius rei præceptæ, ut si velis transgredi præceptum, mentiendo non quod præcipientem ipsum, vel præceptum vilipendas, sed quia rem ipsam, scilicet ita jocose, sine ullius nocumento, mentiri leve quid judicas, cujus non multum intersit, solum venialem culpam continere longe probabilius, contra *Sanch. lib.* 1. *Moral. c.* 5. *nu.* 11. nimis rigorose locutum, cum *Laym. lib.* 1. *tract.* 3. *c.* 7. *nu.* 6. docet *Tamburinus lib.* 1. *c.* 1. §. 4. *nu.* 8. Ratio est, quia in hoc casu non parvipenditur, nisi res levis, & non nisi remotissime redundans contra Deum. Tunc enim voluntas mea resolvitur in hunc modum. Contemno rem levem, quia levis est: Nam si esset gravis, aut cederet in gravem injuriam Dei, non contemnerem.

SECTIO IV.

Peccata capitalia strictim explicata.

SUMMARIUM.

63 *Peccata capitalia (sic dicta, quod sint omnium aliorum radices) sunt septem.* Superbia. Avaritia. Luxuria. Invidia. Gula. Ira. Acedia.

64 *Quid sit* Superbia: *quando peccatum mortale, quando veniale.*

65 *Quid sit* Avaritia: *quando mortale, quando veniale.*

66 De-

66 *Definitur*, *& explicatur breviter* Luxuria *cum suis speciebus*; fornicatione: stupro: raptu: adulterio: incestu: sacrilegio: peccata contra naturam, & impudicitia.
67 *Definitur*, *& explicatur* Invidia.
68 *Definitur*, *& explicatur* Gula. *Et occasione hujus*
69 *Definitur*, *& breviter explicatur* Ebrietas.
70 *Definitur*, *& explicatur* Ira.
71 *Explicatur* Acedia.

63 PEccata capitalia communiter enumerantur septem, indicata hac dictione SALIGIA, singulis litteris, ordine indicantibus litteras initiales peccatorum. Superbia. Avaritia. Luxuria. Invidia. Gula. Ira. Acedia. Dicuntur autem Capitalia: vulgo etiam Mortalia, non quod de se semper mortalia sint, sed quod sint velut *capita*, radices, origines, & causæ omnium aliorum peccatorum, & totius perditionis humanæ. Strictim ergo, & pure assertorie quid, & qualia peccata sint, definiam absque allegatione Auctoritatum, & rationum, cum nulla sit specialis controversia.

§. I. *Superbia*.

64 DEfinitur: *Inordinatus appetitus propriæ excellentiæ*. Sic dicta, quod quis in donis naturalibus, vel supernaturalibus inordinate appetat ipse excellere, vel eminere *super alios* ac velut alios *superare*. Hujus quatuor gradus assignantur *a D. Greg. & aliis*. 1. Cum quis appetit habere, vel videri habere bona, quæ revera non habet. 2. Cum quis appetit habere, vel videri habere bona a se ipso, & non ab alio, maxime Deo. 3. Cum quis agnoscens se habere bona sua ab alio, Deo maxime, tamen appetit habere, vel videri habere tamquam sua, suisque meritis, vel industriæ debita, non ex gratia. 4. Cum quis bona sua appetit habere, vel videri habere singulariter, & eminenter cum contemptu aliorum.

II. Superbiæ duæ sunt filiæ: AMBITIO, quæ est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ in honoribus, vel dignitatibus non debitis, vel debito majoribus, & VANAGLORIA, quæ est appetitus inordinatus manifestationis propriæ excellentiæ, seu humanæ laudis, & gloriæ. Hujus, penes diversos modos, quibus quis conatur manifestare propriam excellentiam, rursus quatuor sunt species. 1. *Jactantia* est declaratio inordinata propriæ excellentiæ per verba tantum. 2. *Ostentatio* est declaratio inordinata propriæ excellentiæ per facta, vel signa, ut pompa gestuum, vestium, conviviorum, &c. quo spectat inventio novitatum. 3. *Præsumptio* est declaratio inordinata propriæ excellentiæ per aggressionem factorum, vires suas excedentium. 4. *Hypocrisis* est declaratio ficta propriæ excellentiæ per facta, vel signa ficta, & falsa: idque dupliciter. I. Cum quis vult esse malus, foris tamen videri bonus, intuitu gloriæ. II. Cum aliquis solum non existens bonus, tamen foris vult videri bonus, ob intuitum gloriæ. Denique ad superbiam pertinent, vel ex ea nascuntur, pertinacia, discordia, contentio, inobedientia, aliaque innumera peccata.

III. Superbia completa, qua quis appetit excellere, seu eminere absolute respectu omnium, etiam ipsius Dei, adeo ut neque ipsi Deo subesse velit, qualis de facto est superbia diaboli, peccatum mortale longe gravissimum, nemine dubitante: quemadmodum etiam quoties conjuncta est cum gravi injuria, & contemptu Dei: ut cum quis bona sua æstimat se habere, vel vult videri habere non a Deo, sed a se, aut dolet se ea habere a Deo, aut saltem meritis, & industriæ suæ debita æstimat, vel æstimari vult. Et quamvis incredibile videri possit, hominem rationalem creaturam eo dementissimæ superbiæ progredi, ut in hujusmodi appetitum deliberato, & pleno actu voluntatis consentiat, certe tamen fit indirecte, & tacite, adeo nimirum extollendo se de bonis suis, maxime ingenii, industriæ, fortitudinis, divitiarum, fortunæ, &c. absque omni relatione in Deum, ut revera censeatur æstimare, se illa habere a seipso, non a Deo; & dicere illud Deut. 32. *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia*. Qui proinde non possunt excusari a mortali, ob gravissimam Dei, omnium bonorum principii, ac fontis, injuriam.

IV. Superbia incompleta, qua quis salva subjectione erga Deum, & eos, quibus subjectio debetur, in aliis inordinate super alios excellere appetit, quemadmodum & *ambitio*, *vanagloria*, *jactantia*, *ostentatio*, *præsumptio*, *hypocrisis non perniciosa* per se peccata solum venialia sunt. Quia appetitus propriæ excellentiæ habendæ, vel manifestandæ ex natura sua indifferens est, & ordinatus in bonum finem, bonus, & meritorius esse potest. Licite enim appetis habere, vel manifestare excellentiam tuam in virtute, scientia, dignitate, fama, in ordine ad Dei gloriam, proximorum salutem, ac propriæ famæ tutelam. Qua ratione viri Sanctissimi se laudarunt. Certe Apostolus. 2. *Corinth.* 11. Catalogum laudum suarum texit hoc exordio. *Hebræi sunt? & ego. Israelitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego. Servi Christi sunt? (ut minus sapiens dico) plus ego*. Quod si ergo talis appetitus inordinatus sit, & ad finem indebitum, scilicet solam propriam complacentiam, erit sane peccatum, non tamen per se grave, utpote excessus in re indifferenti. Per accidens autem peccatum grave, & mortale erit. 1. Si prædicta superbia, vanagloria, jactantia, &c. conjuncta sint cum gravi contemptu proximi, ut si superbiendo de tua excellentia, asperneris, ac reprobes vilem proximi statum, quasi complacendo tibi in ejus vilitate. 2. Si conjuncta sint cum gravi damno proximi. Ut si jactes te magnum Doctorem, Concionatorem, Juristam, Medicum, &c. cum detrimento aliorum Doctorum, &c. vel damno populi. 3. Si sint causa aliorum peccatorum. Res nimis nota. 4. Si fiant ad malum finem, cum scandalo, vel alio modo ex iis, quibus veniale fit mortale, juxta dicta *c.* 5. *n.* 32. *& seqq.*

§. II. *Avaritia*.

I. AVaritia definitur, *appetitus inordinatus habendi* seu immoderatus amor, cura, & sollicitudo acquirendi, ac retinendi pecunias, divitias, seu bona temporalia. Opponitur virtuti liberalitatis secundum excessum; & per se ex genere suo solum peccatum veniale est: utpote excessus in re alias indifferenti, ac licita, juxta regulam traditam *c.* 5. *nu.* 31. At vero per accidens nimis sæpe mortale fit. 65

II. Avaritia fit peccatum mortale, quando repugnat Charitati Dei, quando scilicet homo adeo inordinate, & immodice appetit divitias, ut in eis ultimum finem constituat, paratus ob eas legem Dei violare; atque adeo amicitiam Dei, curamque salutis omnino postponat, vel excludat: quod significare voluit Christus Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis servire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum sustinebit, & alterum contemnet* (statim intulit.) *Non potestis Deo servire, & mammonæ*. Ita scilicet, ut in divitiis totum affectum, curam, sollicitudinem, spem, ac velut ultimum finem constituatis; sic enim Deo contempto, mammonæ pro Deo servietis. Unde emphatice Apostolus avaritiam *Idolorum servitutem* appellavit. Idque verum est, etiamsi divitiæ injuste acquisitæ non essent. Nullus ergo glorietur avarus, quod nihil rapuerit, nullum violentus oppresserit, &c. hoc ipso enim quod excessivo adeo amore in divitias fertur, ut dicto modo charitatem Dei excludat, peccat mortaliter, & ab Apostolo idololatræ comparatur.

III. Avaritia fit peccatum mortale, quando repugnat graviter charitati, vel justitiæ erga proximum. Utpote immodico habendi amore, vel injuste auferendo, vel detinendo rem alienam, aut duriter non succurrendo extremæ, vel gravi proximorum necessitati. Quin etiam, ut bene notat *Toletus lib.* 7. *c.* 25. Avaritia non tantum sævit in alios, sed etiam in ipsum avarum prohibendo eum, ne vel suis utatur ad necessitatem, vel sufficientiam. Hi nimirum ultra peccatum etiam insaniunt.

IV. Avaritia denique, post superbiam, merito secundo loco numeratur inter capitalia, quia revera plurimorum peccatorum caput, & causa est. Ejus septem speciales filiæ numerantur a *S. Gregorio lib.* 31. *Moral. c.* 31. Obduratio, inquietudo mentis, proditio, fraus, perjurium, fallacia, mendacium. Quæ passim apud Summistas explicata habes.

§. III. *Luxuria*.

I. DEfinitur *Appetitus*, *vel usus venereorum inordinatus*, *vel indebitus*. Tam quoad copulam illicitam, quam quoad delectationem veneream morosam directe voluntariam, est semper peccatum mortale, uti *cap.* 5. *num.* 18. probatum est. Hujus septem sunt species, fornicatio, adulterium, stuprum, raptus, incestus, sacrilegium, peccatum contra naturam: quibus accedit impudicitia. Filiæ vero, & malæ soboles hujus maxime capitalis peccati enumerantur a D. Gregorio octo. Cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, Amor sui, odium Dei, amor mundi, horror futuri sæculi. Species breviter definio ex sexto præcepto Decalogi. 66

II. FORNICATIO simplex est Concubitus naturalis illicitus, soluti cum soluta. Est peccatum mortale ex natura sua, adeoque non tantum lege divina, vel humana positiva, sed naturali jure prohibita. Alia dicitur vaga more pecudum, modo cum hac, vel hoc, modo cum illa, vel illo. Alia determinata saltem ex parte fœminæ dicitur concubinatus, & respective simplex, adulterinus, sacrilegus, incestuosus, &c. Cujus aggravans malitia est perseverantia voluntatis in peccato, quod nimirum concubinarius non tantum peccet fornicando, sed etiam in continuo saltem virtualis proposito peccandi perseveret, quamdiu nimirum concubinam voluntarie detinet. Unde absolvi non potest, nisi certe promittat illam dimittere, quamprimum absque graviori damno poterit: & secundo reverso concubi-

cubina sine justa causa nondum ejecta, absolutio neganda.

III. STUPRUM stricte sumptum est Concubitus cum Virgine per vim coacta. Ideoque præter peccatum mortale fornicationis, continet aliam speciem peccati contra justitiam, gravissimæ scilicet injuriæ, & damni illati virgini, & consequenter ejus parentibus, & inducentem obligationem ad omnia damna inde consequentia compensanda; ut nimirum stuprator vitiatam aut ducat uxorem, aut honeste dotet. Quod si tamen puella ob illatum stuprum nullum aliud damnum passa fuit, puta, quia factum occultum mansit, & æque honestum matrimonium consecuta est, probabile est, ad nullam restitutionem obligari stupratorem ante judicis sententiam. Quia pro injuria, secluso damno, nulla debetur restitutio, sed pœna a Judice.

IV. RAPTUS generatim dicitur abductio violenta fœminæ cujuscumque in alium locum ad exercendam libidinem: quæ si virgo sit, effectu violenter secuto, non nisi valde accidentaliter differt a stupro, eademque ratione culpæ & obligationi restitutionis obnoxius erit raptor. Si conjugata, vidua, non virgo, censetur potius oppressio, parique ratione sequetur obligatio compensandi damna secuta fœminæ oppressæ. Strictius autem raptus dicitur similis abductio violenta puellæ, seu Virginis, seu non virginis, e domo, vel potestate paterna in ordine ad contrahendum cum ea matrimonium, & sic ultra peccatum mortale, novo jure, est impedimentum dirimens matrimonium; quod neque validari poterit, nisi puella loco tuto reddita de novo libere consentiat.

V. ADULTERIUM est concubitus illicitus in alieno thoro: & sive sit, aut conjugati cum soluta; aut soluti cum conjugata; aut conjugati cum conjugata, quod dici solet adulterium duplex; est semper peccatum mortale gravissimum multiplicis malitiæ mortalis, puta contra castitatem, & contra justitiam, violando jus alterius conjugis; & ordinarie insuper causa maximorum, & vix compensabilium damnorum, quando nimirum proles ab adultera concepta est. Ipse quidem adulter, si ex assertione adulteræ ligatæ, aliisve sufficientibus argumentis, ac indiciis credat, vel credere debeat prolem ex se genitam esse, in conscientia obligatur ad restitutionem faciendam, in primis patri putativo pro sumptibus necessariis factis in alenda, educanda, dotanda prole spuria: deinde reliquis legitimis pro damno, quod per prolis intrusæ successionem patiuntur: idque in toto, vel in parte, prout adultera ad restitutionem cooperari multum, vel parum potuerit. Ipsa autem adultera non tenetur aperire suum adulterium, neque marito, neque proli illegitimæ, ad avertenda damna inde emergentia marito, & proli legitimæ; tenetur tamen in conscientia compensare illa damna, quantum in se est, & salva vita, & fama sua, est possibile.

IV. INCESTUS est Concubitus illicitus inter consanguinitate, vel affinitate junctos. Peccatum mortale gravissimum duplicis malitiæ, & contra castitatem, & contra pietatis personis conjunctis debitæ virtutem: eoque gravius, quo vicinior gradus est, & linea recta: omnium gravissimum est in primo gradu lineæ rectæ, v. gr. patris cum filia, filii cum matre. Unde eas circumstantias graduum, & lineæ in Confessione explicandas esse, monui *c.3. nu.*20. Quod si quis cognovit consanguineam uxoris suæ, vel e contra, copula illegitima, intra primum, & secundum gradum, consummata tamen intra vas naturale, ante contractum matrimonium est impedimentum dirimens; post contractum vero amittit jus petendi debitum: quamvis adhuc reddere teneatur, quod obiter hic notare placuit.

VII. SACRILEGIUM carnale, & personale est concubitus illicitus personæ, aut sacræ cum non sacra, aut non sacræ cum sacra, aut sacræ cum sacra, isque, vel naturalis, vel innaturalis, &c. intelligendo semper personam sacram solemniter per Professionem Religionis approbatæ, aut susceptionem sacri Ordinis. Peccatum mortale gravissimum, & speciale contra virtutem Religionis. Quamvis autem etiam voto simplici castitatis adstrictus, castitatem violans contra Religionem peccet, & eam circumstantiam in Confessione exprimere tenetur, secundum omnes; quia tamen per illud votum, utpote ab Ecclesia solemniter non acceptatum, non fit persona sacra, ideo non dicitur committere sacrilegium. Aliud dicitur sacrilegium carnale locale, quod committitur in loco sacro: sed de eo alibi *cap.3. num.26.* ubi de circumstantia *Ubi*, *& tract.2. cap.*10. *sect.4. per tot.* ex professo.

VIII. PECCATUM CONTRA NATURAM. I. Bestialitas est concubitus carnalis quicumque hominis cum bruto, aut (infandum!) cum dœmone incubo, vel succubo. II. Sodomia perfecta est concubitus carnalis hominis cum homine ejusdem sexus, &c. III. Concubitus innaturalis, vel sodomia imperfecta est coitus hominum diversi quidem sexus, sed non servato debito vase, &c. phui monstra infanda! Apage. IV. Mollities est procuratio pollutionis voluntaria in se, vel in alio, extra aliquem concubitum, solius voluptatis gratia. Omnia peccata mortalia gravissima. Quin pollutio directe voluntaria, procurata, vel quæsita, peccatum mortale est inexcusabiliter, etiam ad mortem evadendam: indirecte vero causata tunc tantum peccatum mortale est, quando causa posita pollutionis prævisæ, seu actio illa, ex qua prævidetur secutura pollutio, est peccatum mortale in genere luxuriæ: utpote aliquid per se turpe, & natura sua multum provocans libidinem, ut turpes cogitationes, aspectus, & maxime tactus partium inhonestarum. Quando vero causa posita, vel actio illa non est peccatum in genere luxuriæ, ut nimius potus, vel esus calidorum, &c. tunc pollutio prævisa, sed minime intenta, culpam venialem non excedet. Denique quando causa posita, seu actio illa est omnino licita, necessaria, vel utilis, utpote studere, Confessiones excipere, mederi, equitare, certo, & commodo situ in lecto accumbere, &c. dummodo semper absit periculum consensus, tunc pollutio prævisa, ac præter omnem intentionem mere naturaliter secuta nullam culpam adferet, ut alibi jam sæpius monuimus.

IX. IMPUDICITIA generatim dicitur voluntaria occupatio potentiarum circa provocantia ad libidinem: & quadruplex distingui potest: scilicet *cordis*, *oris*, *aspectus*, *tactus*, quo spectant oscula, & amplexus. Sed de his sufficiens mentio facta capite præcedenti toto, *& c.3. nu.*18. & late 19. & ex professo *p.4. Theol. Sacram. c.3. sect.6.*

§. IV. *Invidia*.

I. Definitur: *Odium alienæ felicitatis*. *Tristitia de bono alieno inordinata*. Sed clarissime ex D.Th.2.2. 67
*q.63. a.*1. Invidia est tristitia de bono alieno æstimato ab invidente, ut malo proprio; quatenus scilicet minuit, & obscurat propriam invidentis excellentiam; quo, licet simillimum, tamen differt ab odio proximi. Odio enim quis male vult proximo, gaudet de ejus malo, & consequenter etiam tristatur de ejus bono, sed absolute, & in ordine ad ipsum tantum proximum, quatenus nimirum proximi bonum est, invidia autem solum tristatur de bono proximi non absolute, sed in ordine ad ipsum tantum invidentem, quatenus nimirum invidus bonum proximi æstimat malum proprium. Est ergo invidia genuina proles superbiæ, cujus inordinatio consistit in hoc, quod quis ita inordinate amet, vel appetat sibi propriam excellentiam in bonis veris, vel fictis, ut nolit ejusmodi, vel similia bona inesse proximo suo; indeque, si videat ea proximo inesse, invidet, tristatur, ac velut tingitur amarulento affectu. Præclare D. Aug. *l.*11. *de Genesi ad litt. c.* 14. *Amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur: vel inferioribus ne sibi coæquentur: vel superioribus, quod eis non coæquetur*.

II. Invidia peccatum mortale est in genere suo, *secundum omnes*. Duplicem enim malitiam involvit: unam contra charitatem proximi: alteram specialem contra voluntatem Dei; cum enim voluntas Dei sit immediata causa distributionis bonorum, ac donorum omnium, voluntati Dei repugnare convincitur, qui invidet, & tristatur de bono, vel dono proximo a Deo collato: ideoque peccare mortaliter, nisi parvitas materiæ, vel imperfectio actus excuset. Sunt enim quidam natura proni in invidiam (quod etiam in brutis advertimus) adeoque facile moventur invidia in proximum. Qui motus, si rationem omnino præveniant, culpa vacabunt, si aliqualis semiplena tantum advertentia accedat, venialia evadunt, juxta superius dicta. Nam, uti etiam advertit *S. Thomas cit. q.63. art.* 3. constat, aliquos primos motus invidiæ inveniri quandoque etiam in viris perfectis, qui sunt peccata venialia: Similiter, ob levitatem materiæ, proximo solum leve aliquod bonum, lucrum, fortunam, &c. invidere, non tamen animo invidendi etiam majora, vel quævis bona (N.B.) non nisi veniale erit.

III. Invidiæ ergo peccati gravitas mensuranda est ex magnitudine boni corporalis, vel spiritualis, quod invidetur. Hinc omnium gravissima est invidiæ species, atque peccatum in Spiritum Sanctum, quod dicitur *fraternæ charitatis invidentia*, qua scilicet ipsa bona spiritualia, ac dona Spiritus Sancti, atque adeo ipsam charitatem, & gratiam Dei, virtutem, & sanctitatem proximo quis invidet: qui nimirum illa propriam suam excellentiam minuere, sui vilipensionem causare, aut certe vitam, & actus suos redarguere, & condemnare videt, vel æstimat. Unde odium, detractiones, temeraria judicia, persecutiones bonorum. Talis fuit invidia mortifera Cain occidentis fratrem suum Abel, de quo I. *Joan.* 3. *Hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justa*. Simili invidia rabidi clamant impii *Sap.2. Circumveniamus hominem justum, quoniam*

dissimilis est operibus nostris. Gravis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius. Vide S. Augustinum *lib.* 1. *de Sermone Domini in monte*, *cap.* 43.

IV. Invidia denique jure optimo computatur inter peccata capitalia: quippe plurimorum, & omnium fere peccatorum contra proximum, caput, & causa. Ejus a D. Gregorio quinque assignantur filiæ. 1. Odium, quo quis mala vult illi, cui bona invidet. 2. Susurratio, quæ apud alios invisum reddere molitur eum, cui invidetur, adeoque amicitiam dissolvere. 3. Detractio, qua famam denigrat bonam, quam proximo quis invidet. 4. Exultatio in adversis. 5. Afflictio in prosperis proximi. Et hæc est pœna continua invidi, qua suo livore tabescit, ac velut serpentina morsicatione cor exedit. Ps. 111. *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet. Desiderium peccatorum peribit*. Et optime D. Damascenus *orat.* 27. inquit: *Solus in omnibus affectibus iniquissimus simul, & æquissimus, invidia est. Iniquissimus, quia bonis omnibus adversus est. Æquissimus, quia dominos suos exest, & conficit*. De his iterum vide *Tract.* 2. *cap.* 6. *sect.* 4. ex professo fuse.

§. V. *Gula*.

68 I. Definitur: *Inordinatus, seu immoderatus appetitus, ususque cibi, ac potus*. Hujus quinque modos, seu gradus ex D. Gregorio assignat *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 148. *art.* 4. I. Quoad *substantiam* cibi, ac potus, nimirum lauta, & exquisita appetendo. 2. Quoad *quantitatem*, ultra naturæ ordinarium appetitum sumendo, ac ingurgitando. 3. Quoad *qualitatem*, & excessivam præparationem, nimis delicata appetendo. 4. Quoad *tempus*, nimirum tempore indebito comedendo, & bibendo, aut excessive protrahendo, vel multiplicando comessationes, & potationes. 5. Quoad ipsam *delectationem* gustus, in ea sibi nimium complacendo, aut nimis avide, & impotenter vorando, potando, &c. Gulæ ergo duæ sunt species, seu quasi filiæ: comessatio, & potatio per excessivam frequentationem: & ebrietas, ac crapula, usque ad rationis privationem, seu perturbationem, de qua infra.

II. Gula, comessatio, potatio, ex genere suo peccatum solum veniale est, juxta regulam traditam supra *cap.* 5. *n.* 31. Quia nimirum excessus in re alias indifferenti, vel licita non nisi venialis culpa est. Per accidens tamen peccatum gulæ mortale evadit multipliciter. 1. Ratione enormis excessus, & deformitatis contra virtutem temperantiæ, qua homo statum naturæ rationalis enormiter, & horrende deturpat: ut maxime, qui scienter, & ordinarie se infarciunt & ingurgitant usque ad vomitum, qui ex proposito comessant, & potant, ut vomant, & vomunt, ut rursus comessare, & potare possint. Sane ratione hujus enormis deformitatis, gula, & comessatio in sacra Scriptura numerantur inter peccata mortalia. *Rom.* 13. *Gal.* 5. 1. *Petri* 4. *& in Epistol. Judæ v.* 12. Dixi tamen, *scienter, & ordinarie*. Nam si subinde fieret, a mortali excusant *Navar. Toletus*, alii, non dissentiente *Laym. l.* 3. *sect.* 4. II. Ratione gravis nocumenti corporis, ut qui ob nimiam ingluviem, sciens, & advertens, vel advertere debens, graviter lædi valetudinem corporis. Nam *propter crapulam multi perierunt, Eccli.* 37. III. Ratione gravis nocumenti animæ: ut cum quis advertens nimia ingluvie delicatorum sibi causari graves motus libidinosos cum periculo consensus, se ineptum reddi ad functiones necessarias, aut executionem aliorum præceptorum, &c. & universaliter omnes, quorum tota cura est in cultu ventris, ac ut describit Apostolus, *quorum Deus venter est*. IV. Ratione præcepti specialis, aut positivi, ut frangere jejunium; aut naturalis, ut comedere carnem humanam, quod quidem etiam in extrema necessitate famis licere negant *Victoria, Valent. alii apud Laym. cit. nu.* 3. Qui tamen cum aliis communius censet licere. Quia licet aliqua absolute sint aliena a natura, & ratione humana, ideoque lege naturali vetita, tamen in extrema necessitate permissa sunt, ut abscindere membrum pro tuenda vita, &c. ita etiam dicendum de comestione carnis humanæ, si habeatur jam mortua: nullo enim casu licebit ad hunc finem occidere.

Ebrietas.

69 Definitur: *Excessus voluntarius in potu inebriante, voluptatis gratia usque ad privationem, vel gravem perturbationem usus rationis*. Dicitur I. *Excessus voluntarius*. Excluditur omnis ebrietas ex errore, vel inadvertentia proveniens, ideoque involuntaria, ut contingit iis, qui ad satietatem naturæ bibentes, ex mera debilitate naturæ, vel potus malitia inebriantur: qui fortitudinem vini non norunt, aut alia de causa futuram ebrietatem prævidere, vel advertere non potuerunt. Tunc enim committitur peccatum ebrietatis, quando quis advertens periculum probabile imminentis ebrietatis, esto primo post horam, vel cum in liberum aerem exeuntem secutura sit, nihilominus libere potare pergit: bestia est, si etiam intendit. II. *Voluptatis gratia*. Ob alium enim finem honestum, v. g. ad recuperandam sanitatem, vel dum ustio, sectio, aliave enormis medicina sustinenda est, licitum est forti haustu se inebriare. Neque enim tunc absurdum judicat recta ratio ad breve tempus usu rationis destitui (quod etiam in somno accidit) ut reparata valetudine, munera rationis rectius præstentur. Addit *Less. lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 4. etiam licitum fore se inebriare ad evadendam mortem intentatam, nisi propinanti respondeas. Sed aperte repugnat D. August. *Serm.* 232. *de temp.* dicens: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris: melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur*. III. *Usque ad privationem usus rationis*. Quod si enim, stante usu rationis sufficiente, solum phantasia nonnihil turbata sit, etiamsi lingua titubet, pedes vacillent, oculi duplicata aspiciant, fenestræ circumagi videantur, imperfecta erit ebrietas, & peccatum veniale, etsi unum de gravioribus, si deliberate fiat. IV. *Vel gravem perturbationem rationis*; ut nimirum homo amplius discernere inter bonum, & malum, & actiones suas ordinarias saltem dirigere nequeat (nam perficere non posse, ex ebrietate etiam imperfecta oriri potest.) Nam certe ad ebrietatem perfectam, & mortalem requiri non videtur, ut usum rationis omnino tollat, & plane brutum, vel truncum efficiat. Pudendum est aliquorum exemplum; Eum, qui ebrietate velut sepultus jacet in platea, si se movere possit, ne super eum currus transeat, aut saltem sinum dare, ut currus alio divertat, non esse perfecte, vel mortaliter ebrium. Nonne hoc brutum facere potest? in quo ergo rationis usu talis differet a bruto? Sic ergo explicata.

IV. Ebrietas perfecta est peccatum mortale. Communis, & receptissima doctrina cum *S. Th.* 2. 2. *q.* 150. *ar.* 2. Certe Sacra Scriptura, *Galat.* 5. 1. *Pet.* 4. ebrietatem absolute numerat inter peccata mortalia. Ratio autem est. Quia gravis revera deformitas est, & grande malum, ipsique Deo valde injurium, imaginem Dei ita deturpare, & abjecta rationis potestate, qua nihil in homine præstantius, ad brutorum stupiditatem, solius voluptatis gratia, ultro se abjicere. Cum ergo ebrietas per se intrinsece mala, & peccatum mortale sit, evidens fit, peccare mortaliter eos, qui alios jussu, suasu, propinationibus ad se inebriandum inducunt, & urgent, unde & SS. Patres tales graviter reprehendunt. Quin etiam illicitum manet alterum inducere ad ebrietatem formalem, & voluntariam: non item ad materialem tantum, utpote propinando vinum fortissimum, cujus virtute incognita, præter intentionem, adeoque sine peccato inebrietur, ad evitandum gravissimum malum, v. gr. proditionis, homicidii &c. ut contra *Less. sup. cit.* probabilius docent *Laym. l.* 3. *sect.* 4. *n.* 4. Quia universaliter numquam licet hominem inducere ad aliquam actionem, quæ intrinsece mala est, ut sine peccato fieri non possit: talis est ebrietas voluntaria solius voluptatis gratia: ergo &c. Licitum quidem est inducere alterum ad minus malum, ut impediatur majus malum ab ipso intentum, & aliter non impediendum: sed tunc tantum, quando minus malum formaliter, vel virtualiter includitur in illo majori, sic volentem furari mille, occidere, adulterium committere, recte dehortaris, & inducis ad potius furandum centum, percutiendum tantum, scortandum &c. Tunc enim non suades homini directe, ut malum faciat, sed solum dehortaris, ne tantum malum faciat. Falsum autem est, licere, aliquem ad evitandum peccatum majus inducere ad aliud peccatum minus, quod ille committere nec formaliter, nec virtualiter decreverat. Hæc enim esset vera inductio ad malum peccati, & scandalum activum, intrinsece malum, de quo suo loco. *Tract.* 5. *c.* 1.

§. VI. *Ira*.

I. Definitur communiter: *Inordinatus appetitus vindictæ*. Sed explicatius *Marcb. Trib. to.* 2. *tr.* 6. *tit.* 2. *q.* 3. Commotio inordinata animi, vindictam, vel quasi vindictam inordinate appetentis. Iræ enim peccaminosæ duplex est inordinatio. Una ex parte ipsius motus iræ, seu modi irascendi, ut si nimium interius excandescas, vel exterius per signa nimis patefacias: altera ex parte objecti, seu vindictæ, ut si proximo appetas vindictam injustam, vel justo majorem. 70

II. Ira inordinata primo modo, quoad motum passionis, seu modum irascendi nimium, est peccatum veniale ex genere suo. Est enim excessus voluntarius in passione animi de se indifferente, quippe quæ etiam bona, & virtuosa esse possit, ut si ea utamur ex motivo virtutis, & zelo justitiæ, ad propulsandum, vel vindicandum malum peccati in nobis, vel aliis nostræ curæ commissis, juxta illud *Psal.* 4. *Irascimini, & nolite peccare*. Excessus autem, vel inordinatio in re indifferenti per se culpam venialem non excedit, ju[...]

gulam jam sæpius repetitam. Recte tamen docet *March. cit.* iram etiam hac inordinatione motus, etiam seclusa vindicta injusta, evadere peccatum mortale ratione enormis excessus, & deformitatis in irascendo, cum quis deliberate, sciens, & volens motus iracundiæ adeo excrescere sinit, vel facit, ut erumpat in enormes gestus, clamores, tunsiones, spumas, membrorum contorsiones, ut gravissima injuria hominis constitutionem afficiat; talis utique peccat mortaliter, quia imaginem Dei, ac creaturam rationalem enormiter dehonestat, & deturpat, maximeque agit indecenter substantia rationali. Unde SS. Patres passim docent per iram hominem mutari in feram, immo in dæmonem. Et recte tres solent assignari iræ species. *Rancor*, *Insania*, *Furor*. Rancor est ira, quatenus causat, & continet internam indignationem, aversionem, odium, vindictam, &c. Insania, quatenus mentem rationis usu privat. Furor, quatenus in ejusmodi inordinatos, & enormes motus erumpit.

III. Ira inordinata secundo modo, quoad inordinatum appetitum vindictæ inferendæ, est peccatum mortale ex genere suo; quippe directe repugnans Charitati, quatenus proximi inordinate malum appetit: at etiam justitiæ, si actu in injustas vindictas erumpit. Hujus communiter quatuor assignantur gradus. I. Cum quis appetit vindictam in immeritum. II. Etsi in meritum, tamen ultra meritum. III. Etsi in quomodocumque meritum, tamen præter ordinem; ut si inimico appetas vindictam, vel pœnam propria auctoritate per te infligendam. IV. Etsi omnibus his servatis, tamen appetatur vindicta non ad debitum finem, ut justa est, ex zelo justitiæ, ac odio iniquitatis, sed mere ut satiativa animi tui malevoli, ex odio personæ, amore proprio, vindicandi libidine.

IV. Ira utrovis modo inordinata merito computatur inter peccata capitalia, quippe plurimorum peccatorum, ac malorum caput, & origo, quæ nimis nota. Sex tamen ejus peculiares filiæ, ac soboles enumerantur a *D. Gregorio lib. 31. moral. c. 17.* nimirum; Indignatio, tumor mentis, clamor, contumelia, rixa, blasphemia. Ira enim, aut remanet intus in corde, & sic nascitur 1. *indignatio*, seu aversio, & affectus inordinatus in proximum, ex eo, quod apprehendat se indigne a tali tractari. Et consequenter 2. nascitur *tumor mentis*, quo quis morose excogitat diversas vias vindicandi, iisque cogitationibus animum tumefacit, & inflat, & tunc est peccatum pro ratione vindictæ cogitatæ gravis, vel levis, mortale, vel veniale. Indignatio autem plerumque veniale est, nisi ad gravem proximi contemptum procedat. Aut ira ulterius erumpit in os: & sic nascitur tertio *clamor* indignationis index, cum iratus vocem tollit, multa inordinate, & confuse effundens: id Christus Matth. 5. significat per verbum *racha*, quod nihil distincte significat, sed solum motum indignationis exprimit. Et hic clamor per se peccatum veniale est. Consequenter autem 4. nascitur *contumelia*, interni contemptus index, qua quis proximo malum objicit intentione illum inhonorandi, quod Christus expressit per verbum *fatue*, quo omnis contumelia aperta significatur: Peccatum mortale ex genere suo. Aut ira erumpit in ipsum opus, & actualem vindictam, & sic 5. nascitur *rixa*, percussio, vulnera, cædes. Et consequenter, maxime si vindicta non succedat. 6. Etiam *blasphemia* in ipsum Deum. Omnia mortalia ex genere suo: de his nulla controversia.

§. VII. *Acedia.*

71 Triplex distingui debet, naturalis, moralis, capitalis. I. Acedia naturalis alia est mere corporalis, & definiri potest: Torpor, & hebetudo quædam virium naturalium deficientium respectu laboris suscipiendi, orta nimirum ex ipsa complexione corporis male affecta: res nimis nota. Alia dicitur sensualis, estque passio, seu tristitia appetitus sensitivi laborem, seu difficultatem operis refugientis. Ex eo enim, quod appetitus naturaliter fertur in bonum conveniens, vel delectabile sensui, naturaliter etiam abhorret ab omni disconvenienti, vel molesto sensui, indeque tristitia quædam, & aversio a labore, & difficultate operis. Acedia hæc naturalis utraque secundum se, quamdiu mere naturalis, & nullo modo voluntaria est, nullo modo peccatum est, sed virtutis, ac meriti materia, & seges. Facta autem voluntaria per liberum consensum voluntatis, jam evadet acedia moralis. Itaque

II. Acedia moralis, & peccaminosa, rursus alia est universalis, definiri solita: quidam remissi animi languor ad bene operandum in rebus salutis, seu in exercitio virtutum, quatenus laboriosum, & difficile est: potestque versari circa quodcumque præceptum, vel virtutem, & sic non est speciale peccatum, sed eatenus solum peccatum est, quatenus causat transgressionem, vel negligentem executionem præcepti, vel virtutis, ac semper idem numero cum ipsa transgressione, vel negligenti executione. Ex. g. Petrus ex acedia, & torpore proveniente ex apprehensione difficultatis, consentit in omissionem, & omittit Horas, erit idem numero peccatum mortale: Si solum negligentius, & oscitantius persolvat, idem erit peccatum veniale. Quod si vero, stante illa acedia, torpore, tristitia, nihilominus præceptum perfecte impleat, etsi difficulter, acedia nullo modo erit peccatum, sed augebit meritum. Alia est acedia moralis specialis, etiam capitalis dicta, quæ inter septem vitia capitalia ultimo loco numeratur: & hæc

III. Acedia specialis, & capitale vitium, est tristitia de bono spirituali, ac divino, quatenus hominem attinet, seu quatenus ab homine prosequendum est: utpote principaliter de ipsa gratia, ac amicitia divina conservanda, & beatitudine consequenda per virtutum exercitia laboriosa, & consequenter, etiam secundario, adhibendis mediis ad illum finem. Et hæc acedia, seu tristitia, omnino voluntaria, ac deliberata, est peccatum speciale, ac mortale gravissimum: quia directe repugnat Charitati divinæ, eamque destruit, quatenus continet veram, & actualem aversionem a Deo ultimo fine. Cujus signa pessima, & effectus sunt: Amaritudo, tædium, acidus gustus mentis ad omnia spiritualia, & divina, ac ipsam cogitationem Dei; aversio a verbo Dei, ut non nisi cum tristitia quis audire possit de Deo, æterna beatitudine, salute procuranda; incuria salutis, tædium vitæ, & alia mox inter filias acediæ enumeranda. Cæterum constat etiam hanc acediam posse esse peccatum veniale ex imperfectione actus, juxta dicta *c. 5. n. 12.* Similiter illa acedia, vel tristitia, qua quis non avertitur a Deo, sed, stante efficaci voluntate tendendi in Deum ultimum finem per media congrua, & opera salutis, solum inefficaciter ab eo fine abhorreret, ob difficultatem operum, eoque ea opera negligentius exequeretur, non esset nisi peccatum veniale. Talis enim tristitia non pugnat contra Charitatem, sed tantum contra modum Charitatis, scilicet fervorem.

IV. Acedia denique jure meritissimo computatur inter peccata capitalia, & quidem postremo, id est pessimo loco. Gravissimorum enim, & extremorum malorum, & peccatorum, causa est. Ejusque speciales filiæ a D. Gregorio enumerantur sex. 1. *Malitia*, qua homo odio habet ipsa bona spiritualia secundum se; vellet ea non esse, dolet, quod benefecerit; cuperet non fuisse natum, vel creatum a Deo; non agnovisse Christum, adeoque ipsa beneficia Dei contemnit. Malitiæ sine dubio mortales, nisi imperfectio actus excuset. 2. *Rancor*, quo ii sunt fastidio, qui hortantur ad spiritualia; ut Confessarii, Concionatores, Religiosi. Est ex se veniale, nisi conjungatur cum odio. 3. *Pusillanimitas* erga omnia bona spiritualia tamquam ardua, ea refugiendo, ab iis se subtrahendo, &c. est etiam de se veniale, seclusa transgressione mortali alicujus præcepti. 4. *Desperatio* consequendæ beatitudinis; peccatum mortale gravissimum, si pleno rationis consensu fiat. 5. *Torpor* in observantia divinorum præceptorum. 6. *Evagatio mentis* ad illicita. De his vide *S. Th. 2. 2. qu. 35. Laym. l. 2. tr. 3. c. 9. Marchant. Trib. tom. 2. tit. 4. sect. 1. q. 3.* §. 2. Et hæc hactenus in hoc Tractatu Procemiali pro apparatu, & faciliori ingressu ad ipsum Decalogum, ita late satis dicta Studioso Lectori sufficiant.

Ad Laudem Dei Optimi Maximi. Amen.

THEOLOGIÆ MORALIS DECALOGALIS TRACTATUS SEU PARS II.

PROOEMIUM.

Quid sit, & contineat Decalogus.

I. DECALOGUS vox græca, Latine quasi decuplex verbum, vel sermo, sic dictus, quod contineat decem præcepta divina partim lege naturali homini indita, partim lege positiva per Moysem tradita populo Israelitico, & deinceps toti humano generi in ipsum crediturо. De hoc Deut. 4. *Locutus est Dominus ad vos de medio ignis, ut ostendat vobis pactum, quod præcepit, ut faceretis, & DECEM VERBA, quæ descripsit in tabulis lapideis &c.* & hinc nata est divisio, ut eorum præceptorum alia dicantur *primæ*, alia *secundæ tabulæ*.

II. Atque secundum D. Aug. *quæst.* 71. *in Exod.* communiter jam in Ecclesia receptam doctrinam Præcepta primæ tabulæ sunt priora tria hominem ad Deum *in Sanctitate* ordinantia, videlicet. 1. *Non habebis* &c. 2. *Non assumes*. 3. *Memento* &c. Præcepta vero secundæ tabulæ sunt reliqua septem ordinantia hominem ad proximum in Justitia: videlicet *Honora patrem &c.* De excellentia, & sufficientia Decalogi videri possunt SS. PP. passim. Et præsertim *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 3. Ubi late, & optime ostendit, omnia præcepta moralia homini ad salutem necessaria actu, vel virtute contineri in Decalogo; consimiliter *Scotus in* 3. *d.* 37. *qu. un. a num.* 5.

III. Præcepta Decalogi etsi secundum sonum litteralem omnia fere proponantur, ut præcepta negativa, seu prohibentia sub negationibus; *Non habebis Deos alienos*: *Non assumes*: *Non occides* &c. præter tertium, & quartum, quæ proponuntur, ut affirmativa, & præcipientia: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*: *Honora patrem, &c.* Reipsa tamen affirmativa, & negativa sunt, ita ut quodvis affirmativum includat negativum in eadem materia oppositum: Et similiter quodvis negativum includat affirmativum: exemp. gr. primum Præceptum negativum: *Non habebis Deos alienos coram me*, includit hoc affirmativum: *Habebis me solum verum Deum: me solum ut Deum adorabis*. Similiter secundum negativum: *Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum*, includit hoc affirmativum; *assumes nomen Domini Dei tui in reverentia, & veritate*. Sic de cæteris. E contra similiter tertium præceptum affirmativum; *Memento, ut diem Sabbathi Sanctifices*, includit hoc negativum *ne diem Sabbathi profane violes*, & sic de cæteris, ut suis locis semper notabitur.

IV. Præceptorum affirmativorum, seu præcipientium, ea natura, & conditio est, quod obligent quidem semper, quia numquam obligare cessabunt, sed non pro semper, sine omni temporis differentia. Ratio est; Quia ea præcepta præcipiunt agere bonum; non autem quodvis bonum quovis tempore exequi necesse, immo nec possibile est, sed solum statuto, vel præcepto tempore, vel data occasione, non etenim omni tempore Deus colendus, sed statuto tempore: Non semper, sed data occasione parentes honorandi &c. Præcepta vero negativa obligant, & ad semper, seu in perpetuum, & pro semper, seu pro omni temporis differentia, quia nimirum ea præcepta prohibent agere malum, nullo autem tempore umquam licet, & omni tempore possumus non agere vel committere malum. Porro peccata contra præcepta affirmativa dicuntur peccata omissionis. Contra præcepta vero negativa dicuntur peccata commissionis, ut suo loco explicatum.

His ita generatim prænotatis in nomine Unius, & Trini Dei Supremi Legislatoris aggredimur expositionem Decalogi.

TRACTATUS II.

DE FIDE, SPE, CHARITATE, & Religione, atque Peccatis oppositis contra Primum Præceptum.

Textus Præcepti.

Ego sum Dominus DEUS tuus, qui eduxi te de terra Egypti, & de domo servitutis, non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem &c. Non adorabis ea, neque coles. Exod. 20.

Explicatio Præcepti.

SUbstantia primi Præcepti Decalogi, ut affirmativi, est cognitione, & affectu, Unum, Verum, solum Deum habere, eique soli verum Latriæ cultum exhibere; comprehendit sub se quadruplicia præcepta Fidei, Spei, Charitatis, & Religionis erga Unum Verum Deum. Ut vero negativum est, prohibet, cognitione nihil uni vero Deo debitum, eidem denegare, aut alteri præter Deum tribuere; comprehenditque quadruplicia præcepta opposita prohibentia peccata contra Fidem, Spem, Charitatem, & Religionem. *Est in re omnium*.

Declaratur ex terminis præcepti: *Non habebis Deos alienos, non adorabis eos, neque coles*.

Inde infertur affirmativum, habebis me solum Deum, me solum adorabis, & coles. Sic enim hoc præceptum explicat Christus Dominus Matth. 4. Diabolo dicens tentanti: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: Atqui habere verum Deum, eumque adorare, & colere, sine dubio requirit cognitionem intellectus, & affectum voluntatis erga verum & solum Deum. Ulterius cognitione, & affectu habere, & colere verum Deum quatuor necessaria requirit. 1. Fidem, qua agnoscamus, & profiteamur ipsum verum, & solum Deum. 2. Spem, qua bonum ab ipso expectemus, scilicet futuram Beatitudinem, & media opportuna ad illam consequendam. 3. Charitatem, qua ipsum super omnia amemus, & æstimemus. 4. Religionem, qua ipsum debito cultu veneremur. His enim quatuor modis habemus Deum in via, similibus proportionatis modis habituri in Patria: Utpote loco Fidei, clara visione: loco Spei, secura æterna possessione: loco Charitatis imperfectæ, perfecta fruitione, seu amore beatifico: loco Religionis, & cultus temporalis, æterna laude, & glorificatione. Ergo a primo ad ultimum, substantia primi præcepti est; cognitione, & affectu habere unum verum Deum, & nullum alium; comprehendendo præcepta Fidei, Spei, Charitatis, & Religionis affirmativa, & negativa. Cæterum primum præceptum quamvis litterali sono, & explicite solum videatur prohibere actum Religionis, seu cultum Latriæ idolis, seu Diabolo, aut cuivis alteri a Deo tribuere, & consequenter uni soli vero Deo præstandum præcipere. (Unde multi DD. *Navar. Fernand.* alii, hic nolunt primo præcepto comprehendi Præcepta Fidei, Spei, & Charitatis, sed ea tamquam fundamenta supponi) quia tamen cultus Religionis erga verum Deum necessario præsupponit Fidem, Spem, & Charitatem, ut merito dicat D. Aug. *lib.* 1. Enchyr. *Deus maxime colitur Fide, Spe, & Charitate; nemo enim colit Deum, nisi credens in Deum, sperans ab eo bonum, eumque diligens*. Hinc omnia quatuor ad unum Primum præceptum recte reducuntur. Quare & nos hic omnia complectentes præsentem Tractatum in decem capita, seu titulos dividemus. *Primum* de Fidei natura, & requisitis. *Secundum* de Fidei necessitate, & obligatione. *Tertium* de Infidelitate, & Hæresi. *Quartum* de Spe Theologica, & peccatis oppositis. *Quintum* de Charitate Theologica; peccatis oppositis respectu Dei tantum. *Sextum* de odio, & inimicitia Proximi. *Septimum* de Virtute Religionis, & oratione. *Octavum* de adoratione, & cultu Deo, Divisque debito. *Nonum* de peccatis contra Religionem, seu irreligiositate secundum excessum. Et *decimum* de irreligiositate secundum defectum.

CAPUT I.

De Fidei Natura, & Requisitis.

FIdes (omissis variis acceptionibus videndis apud Auctores passim) hic propriissime sumpta significat assensum alicujus

alicujus propositionis ob auctoritatem dicentis : aliaque est fides humana, qua credimus aliquid ob auctoritatem humanam, sed hominis dicentis : juxta illud Ecclesiastici: *Vir bonus fidem facit proximo suo*: alia est fides Divina, qua credimus aliquid ob auctoritatem Divinam, seu ipsius Dei dicentis, seu revelantis, de qua Apostolus ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*: Et mox eam definiens ait : *Est autem fides substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. Et hæc fides tam habitualis, quam actualis, hic consideranda est.

SECTIO I.

Fidei divinæ definitio.

SUMMARIUM.

1 *Fidei divinæ habitualis, & actualis definitio.*
2 *Explicatio fidei divinæ habitualis.*
3 *Explicatio fidei divinæ actualis.*
4 *Ad eliciendum actum, vel assensum, prærequiritur in intellectu lumen supernaturale actuale.*
5 *Et ex parte voluntatis pius motus antecedens, & consequens.*
6 *Explicatur definitio Fidei a S. Paulo data.*

ASSERTIO I.

1 F*Ides Divina habitualis est virtus Supernaturalis Theologica a Deo infusa inclinans intellectum ad firmiter, etsi obscure, assentiendum omnibus a Deo revelatis, quatenus a Deo revelata sunt : seu ob auctoritatem infallibilem ipsius Dei revelantis. Fides autem actualis est assensus firmus, & certus, etsi obscurus, quo homo Divino lumine illustratus firmiter assentitur omnibus a Deo, ut prima Veritate, revelatis, quatenus ita revelata sunt cum pio in illum affectu voluntatis*. Ita in re Omnes. Bonitas definitionis patebit explicatione.

§. I. *Fides Divina habitualis est virtus, &c.*

2 I. V*Irtus* generalissime definitur, *habitus indefectibiliter attingens bonum potentiæ rationalis*, nimirum aut intellectus, cujus bonum est verum, aut voluntatis, cujus bonum est honestum. Unde virtus generatim dividitur in intellectualem, & moralem. Virtus intellectualis est habitus indefectibiliter attingens verum in cognoscendo: Ut scientia, sapientia, intellectus &c. Ad hanc etiam fides Divina aliquo modo spectat, quatenus nimirum infallibiliter, etsi obscure, attingit verum. Virtus moralis est habitus indefectibiliter attingens bonum honestum in operando, seu ut communiter definiri solet : *Est bona qualitas mentis, quæ habentem perficit, & opus ejus bonum reddit*.

II. *Virtus* rursus alia dicitur naturalis, & Philosophica, quæ scilicet, & naturaliter acquiritur, & circa actus, & objecta naturalis ordinis versatur, ut Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Justitia: Quæ ideo dicuntur morales, quod mores, seu actus humanos recte ordinent : Philosophicæ, quod lumine naturali sint acquisibiles, quatenus distinguuntur a virtutibus Theologicis. Aliæ dicuntur virtutes supernaturales, & Theologicæ, quæ scilicet, & supernaturaliter acquiruntur per infusionem a Deo, & versantur circa actus, & objecta supernaturalis ordinis, nimirum circa ipsum Deum, & ea, quæ ad Summum Bonum, ultimum finem nostrum cognoscendum, & prosequendum pertinent. Unde & dictæ Theologicæ ab objecto primario ipso Deo; & hæ sunt tres, Fides, Spes, & Charitas Divina, & hinc ulterius dicitur Fides

III. *Virtus Supernaturalis Theologica a Deo infusa*. His terminis jam jam explicatis ; Fides jam differt a virtutibus moralibus, & tamquam genere proximo convenit cum reliquis virtutibus Tgeologicis, Spe, & Charitate Divina.

IV. *Inclinans intellectum ad firmiter assentiendum &c.* Per hoc differt a reliquis virtutibus Theologicis Spe, & Charitate, differentia desumpta a proprio actu, ad quem inclinat, scilicet firmiter assentiri omnibus a Deo revelatis, quatenus ita revelata sunt. Qui assensus est ipsa Fides Divina actualis, de qua mox. Fides enim tendit in Deum cognoscendo, ut primam veritatem ; Spes autem tendit in Deum prosequendo, ut Summum Bonum in se, & propter se. Ut latius patebit prosequendo. Ex dictis facile philosophabis bonitatem definitionis.

§. II. *Fides Divina actualis est.*

3 I. A*Ssensus firmus* : cum firma scilicet adhæsione potentiæ ad objectum, seclusa omni hæsitatione, dubitatione, vel formidine de opposito, ut infra *c.* 3. latius patebit.

II. *Certus* : seu infallibilis, nimirum ob certitudinem, & infallibilitatem motivi, scilicet veritatis Divinæ revelantis. Quibus excluditur fides humana, opinio, dubium &c. quæ Fidei Divinæ simpliciter repugnant.

III. *Etsi obscurus* : nimirum ob obscuritatem rei revelatæ, & creditæ, quæ non proponitur, prout, in se est, sed solum creditur firmiter, sic esse, sicut revelatur, & proponitur, juxta notissimum illud D. Augustini. *Quid est fides? nisi credere, quod non vides?* Sicque significat definitio supra recitata Paulina, & infra explicanda.

IV. *Quo homo assentitur omnibus a Deo, ut Prima Veritate revelatis &c.* seu, ut alii asserunt, *firmiter assentitur primæ Veritati, & omnibus ab ea revelatis* : Sed perinde est : Significatur hic Divinæ Fidei objectum, & materiale, quod est omnis Veritas revelata : & formale, quod est prima Veritas revelans, de quibus mox *Sect.* 2. & 3. Duo insuper ad hanc fidem actualem, seu actum Fidei necessario concurrunt in definitione expressa. Nempe

§. III. *Divino lumine illustratus.*

I*Ntellectus enim noster ad eliciendum assensum Fidei propter obscuritatem objecti, necessario indiget lumine, ac robore Divino supernaturali, quod partim est ipse habitus infusus Fidei Divinæ ; partim vero (maxime in prima conversione in rebus difficilioribus credendis) est concursus specialis Dei, & auxilium Spiritus Sancti illustrantis, & roborantis intellectum ad eliciendum, simulque moventis voluntatem ad imperandum intellectui assensum veritatibus revelatis. De quo lumine, & auxilio passim loquitur Scriptura. Joan. 16. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus cœlestis traxerit eum*. 1. ad Corinth. 12. *Nemo potest dicere, Dominus JESUS, nisi in Spiritu Sancto*. Ad Ephes. 2. *Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis ; Dei enim bonum est*. Et alibi sæpissime : Ut merito Petrus Canisius Fidem descripserit : *Donum Dei, ac Lumen &c.* Hoc efficax lumen Divinum ad credendum expertus D. Augustin. in sua conversione *lib.* 7. *Conf. c.* 19. dicebat : *Non erat prorsus, unde dubitarem : faciliusque dubitarem, me vivere, quam non esse veritatem, &c.* 4

§. IV. *Cum pio in illum affectu voluntatis.*

S*Ignificatur necessarius concursus voluntatis ad actum Fidei saltem meritorium, idque dupliciter, antecedenter, & consequenter. 5

I. Ad actum Fidei est necessarius pius motus voluntatis antecedens : etsi enim Fides sit virtus intellectualis, & actus elicitus intellectus, necessario tamen debet esse actus imperatus voluntatis pio motu imperantis, & moventis intellectum ad assentiendum obscuris Fidei veritatibus : Juxta illud 2. ad Corinth. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Nam firma illa, & certa adhæsio Fidei ad veritates revelatas non provenit ex speculatione objecti credendi, quæ obscuritatem non tollit, sed provenit ex determinatione liberi arbitrii Spiritus Sancti gratia adjuti. Et hinc actus Fidei meritorius est, & sub præceptum cadit, non utique quatenus præcise est actus elicitus intellectus, qui de se omnino naturalis est, sed quatenus est actus imperatus voluntatis, ac liberi arbitrii moventis, ac determinantis intellectum ad assentiendum rebus Fidei. Et hinc rursus fit, quod Fides, licet majorem certitudinem habeat, quam Scientia, facilius tamen perdi, & in dubium vocari possit, cum prædicto modo ex libera voluntate pendeat. Vide D. Bonav. *in* 3. *d.* 33. *c.* 1. *q.* 4.

II. Ad actum Fidei etiam pius motus voluntatis consequi debet, etsi enim actus Fidei exerceatur ab intellectu, non tamen sistit in sola speculatione intellectus, sed semper pium in voluntate cordis motum excitare debet ad virtutem Spei, vel Charitatis pertinentem, ut quilibet pie eliciens actum Fidei v. gr. Symbolum attente recitans experiri poterit : Atque ratione hujus utriusque motus voluntatis ad actum Fidei concurrentis actus Fidei a Sacra Scriptura sæpe tribuitur voluntati, seu cordi, ut Apost. ad Rom. 10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Et *act.* 8. ait Philippus ad Eunuchum : *Si credis in toto corde &c. licet*. Eadem de causa actus Fidei in Sacra Scriptura, & Symbolis, communiter exprimitur per particulam *in*, affectum quemdam, & motum in Deum significantem. Indeque SS. PP. pulchre distinguunt hæc tria : *Credere Deum, credere Deo, credere in Deum*.

Credere Deum significat tendentiam Fidei in Deum, ut objectum materiale, quatenus nimirum credimus Deum esse. *Credere Deo* significat tendentiam Fidei in Deum, ut objectum formale primarium, credimus enim principaliter Deo ut primæ veritati, revelanti nimirum infallibiliter vera esse, quæ ipse dicit, seu revelat. *Credere in Deum* significat tendentiam Fidei in Deum, ut ultimum Finem, & Summum Bonum nostrum, cum pio motu voluntatis, nimirum

Spei,

Spei, Charitatis, Religionis. Audi pulchre explicantem D. August. Serm. 181. de tempore. *Credo in unum Deum. Non dicit: Credo Deum, vel Credo Deo, quamvis & hæc saluti necessaria sint, aliud enim est credere illi, aliud credere illum, aliud credere in illum. Credere illi est, credere vera esse, quæ loquitur; credere illum, est credere, quia ipse Deus est; credere in illum, est diligere illum. Credere vera esse, quæ loquitur, multi & mali possunt. Credere ipsum esse Deum, hoc & Dæmones possunt. Credere vero in Deum soli norunt, qui diligunt illum, quia sine dilectione Fides inanis est.* Hæc Augustinus. Ex dictis patere debet sensus Paulinæ definitionis Fidei *ad Hæb.* 11.

Est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.

6 III. *Est substantia*, grece hypostasis, id est substantia, *rerum sperandarum*: Cui scilicet tamquam basi, & fundamento firmissimo Spes, & Salus nostra innititur, quatenus scilicet ea, quæ speramus, per Fidem certissimam fiunt certa, & consequenter per eam nos certi, & securi reddimur. D. Chrysost. in illum locum (quem alii Græci sequuntur) per substantiam, vel hypostasim intelligit substantiam, seu existentiam hoc sensu, quod fides sit velut jam existentia rerum sperandarum, eo quod ille, etsi Spe adhuc pendente, non existant, Fides tamen eas ipsas nobis quodammodo existentes, & præsentes exhibeat, dum nos adeo de iis certificat, ac si re ipsa jam essent præstitæ, & obtentæ. Unde Paraphrasis Syriaca habet: *Est autem fides persuasio super iis, quæ sunt in spe, etsi essent ipsis* (credentibus) *in actu, sive effectu*. Sed tu intellige hæc quantum est ex parte Dei, & revelationis, ac promissionis Divinæ, & (en grande nisi!) dummodo ex parte nostra nihil desit.

IV. *Argumentum*: seu, ut legit D. Augustinus, *convictio*, id est, certissima persuasio, ostensio, ac velut demonstratio: *Rerum non apparentium*, intelligendo in sensu ampliativo, quod nimirum Fides sit firma adhæsio, faciatque nos firmissime adhærere, & certissime præcipere ob Divinam auctoritatem etiam illa, quæ aliunde non apparent nobis, immo quæ sensus humanus, ac intellectus naturaliter credere refugit, ut Deum esse Unum in Essentia, Trinum in Personis, Christum unam personam simul esse Deum, & hominem, esse realiter præsentem in Eucharistia, homines clare visuros Deum &c. Non autem voluit Apostolus fidem esse tantum illarum rerum, quæ aliunde non apparent, seu id omne, quod Fide creditur ob auctoritatem Divinam, esse non apparens, cum sine dubio aliqua Fidei mysteria aliunde ratione naturali possint nobis esse evidenter nota: ut quod Deus sit, quod unus tantum sit Deus. Quamvis hæc ipsa, quatenus iis ob solam auctoritatem, & revelationem Divinam assentimur, vere Fide Divina credantur: Attamen in iis credendis, non ita elucet virtus Fidei, quippe cum illa etiam citra divinum testimonium præcipiantur, ut post alios bene observat *Herincx hic disput. 2. q. 1. n. 5.* Hinc jam advertere debuisti, hanc posteriorem partem longe plura complecti, quam priorem, nam plura creduntur, quam sperantur. Sperantur enim sola bona, atque futura, & absentia; ut æterna Beatitudo, perseverantia, auxilium Divinum; creduntur autem bona, & mala tam præterita, & præsentia, quam futura: quare Fides non est tantum substantia rerum sperandarum, sed generaliter est argumentum omnium non apparentium, seu a Deo revelatorum, etsi aliunde sperandorum, Sensus ergo adæquatus definitionis est: *Fides est certa, & firma persuasio omnium nobis revelatorum in ordine ad finem supernaturalem adhuc latentem sperandum, & consequendum.*

SECTIO II.

Fidei Divinæ objectum materiale, seu materia.

SUMMARIUM.

7 *Fidei objectum materiale duplex: complexum, & incomplexum.*
8 *Objectum materiale Fidei est verbum Dei immediatum, & mediatum: privatum, & publicum.*
9 *Verbum Dei publicum aliud est scriptum, aliud traditum; quid, seu quænam quodlibet comprehendat.*
10 *Quid, & quot sint Fidei* Symbola.
11 *Quid*, & *quot sint* Articuli *Fidei*.

7 Fidei objectum materiale dicitur omne id, quod Fide creditur, estque duplex: complexum, & incomplexum. Objectum Fidei complexum, seu subjectum Fidei dicitur omne id, de quo aliquid Fide Divina creditur affirmando, vel negando. Et sic objectum Fidei primarium, & principale, &, ut vocant, attributionis, est ipse Deus, de quo sunt principales veritates Fidei, & articuli Fidei credendi, reliqua omnia sunt objectum secundarium, quatenus nimirum ad Deum, vel ut auctorem, vel ut Finem, ordinantur. Objectum Fidei complexum dicitur omnis veritas, seu propositio a Deo revelata, & Fide Divina credenda, & appellatur *verbum Dei*, accipiendo nimirum verbum Dei objective pro omni eo, quod Deus locutus est, vel revelavit frequentissima Scripturæ phrasi; formaliter enim verbum Dei est ipsa locutio, vel revelatio Divina, quæ est objectum Fidei formale immediatum, de quo sequenti Sectione.

ASSERTIO II.

Fidei Divinæ objectum materiale est verbum Dei universum, seu quidquid divinitus homini viatori quomodocumque revelatum, immediate, mediate, scripto, traditione &c. Communissima DD. cum D. Thoma, & Scoto. Et patet ex ipsa definitione Fidei Divinæ, qua nimirum firmiter assentimur omnibus a Deo revelatis, quatenus ita revelata sunt: Atqui ea ipsa revelata dicuntur verbum Dei objective: ergo objectum materiale Fidei Divinæ recte dicitur Verbum Dei universum: Cum omne, quod a Deo revelatum est, & nihil non a Deo revelatum credendum sit. Solum hic explicandæ sunt aliquot divisiones verbi Divini in Assertione indicatæ.

§. I. *Verbum Dei immediatum, & mediatum; privatum, & publicum.*

Verbum Dei (objective sumptum) semper definitur: *Veritas a Deo inspiratione, verbo, vel signo manifestata homini viatori*. Dividitur primo in immediatum, & mediatum. 8

Verbum Dei immediatum dicitur, quod Deus per se ipsum, nullo alio ut Legato, vel internuntio mediante, revelat. Qualia sunt verba Dei facta ad Prophetas, Moysen, Isaiam, Jeremiam &c. Et vox illa lapsa de cœlo: *Hic est Filius meus dilectus*. Et alia sunt etiam verba a Christo facta ad Apostolos, & Judæos. De quo Joann. 1. *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*.

Verbum Dei mediatum dicitur, quod Deus per alium tamquam Legatum, vel internuntium, sive Angelum, sive hominem, loquitur, & revelat, sic Deus olim verba sua partim per Angelos loquentes Patriarchis, & Prophetis, partim per homines ipsos scilicet Patriarchas, & Prophetas reliquo humano Generi revelavit; de quo Apostolus ad Hebræos 1. *Multifariam multisque modis Deus olim loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*. Tandem Deus, & Christus locutus est nobis per Apostolos, & Evangelistas in Scripturis sacris. De quo Apostolus 1. ad Thessalon. 2. *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis*: Omne ergo verbum Dei saltem publicum, respectu nostrum mediatum tantum est.

Utrumque hoc verbum Dei aliud potest dici *privatum*, quod soli homini pro se revelatur, ut verba illa ad Ezechiam: *Dispone domui tuæ, quia morieris*. Christi ad Petrum: *Ter me negabis*. Aliud *publicum*, seu publicam auctoritatem habens, omnes nimirum concernens, quodque ab omnibus recipi, & credi debet, hujusmodi est Vetus, & Novum Testamentum, Traditiones, & Definitiones Ecclesiæ. Et hoc proinde verbum Dei publicum dividitur *in scriptum, & traditum*.

§. II. *Verbum Dei scriptum, & traditum.*

Verbum Dei scriptum est, quod continetur in Scripturis Canonicis totius Veteris, & Novi Testamenti, cujus proinde utriusque sententiæ omnes formaliter a Scriptoribus Canonicis enunciatæ, nimirum in recta significatione verborum ex mente ipsorum Scriptorum a Deo inspiratæ sunt de Fide Divina, & necessarie credendæ saltem negative, ut scilicet nulla ejusmodi sententia negetur, vel in dubium revocetur. Quænam autem sententiæ, seu veritates Fidei necessario etiam positive credendæ sint a Fidelibus, videbitur *c. seq.* Secus est de sententiis materialiter tantum relatis a Scriptoribus Canonicis, nimirum non ex propria, sed ex aliorum non recte sententium mente: Ut verba impiorum in Libris Sapientiæ, blasphemiæ Judæorum contra Christum, & alia innumera, quæ sine dubio formaliter in sua significatione non sunt de fide; immo falsissima, sed solum sunt de fide materialiter, & historice, quod nimirum ita ab aliis dicta sint. 9

Verbum Dei *traditum*, seu non scriptum, dicitur, quod absque scriptura a Deo, vel Christo per Apostolos suos, & Ecclesiam, Fidelibus suis voce consequenter traditum est, quale necessario admittendum contra Hæreticos, late, & efficaciter probant Controversistæ. Accipe paucis. Nam

1. & ipsam S. Scripturam de facto habitam, esse verbum Dei, non constat nobis, nisi ex traditione perpetua Ecclesiæ. 2. Verbum Dei Novi Testamenti a Christo traditum non statim scriptum, sed sola voce traditum est Fidelibus usque post multos annos ab ejus Ascensione, quando primum ab Apostolis, & Evangelistis scriptum est, quando se tempus, & occasio scribendi obtulit: Atqui ante illam scriptionem per tot annos sine dubio erat verbum Dei Fide Divina credendum. 3. Non omnia, quæ Christus docuit, & fecit, scripta sunt ab Apostolis, & Evangelistis, ut omnium ultimum in fine sui Evangelii scribit Jo. 4. Id ipsum convincit unanimis consensus SS. PP. Sufficiant pro nunc duo illustria testimonia. D. Epiphanius Hæresi 61. *Oportet autem & traditione uti, non enim omnia a Scriptura Divina accipi possunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione per vocem Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Sanctus Apostolus: Sicut tradidi vobis.* Et alibi: *sic doceo, & sic tradidi Ecclesiæ.* Hæc iste. D. Jo. Chrysosto. 2. ad Thessal. 2. *Hinc patet, quod non omnia per Epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine litteris; ideoque Traditionem quoque Ecclesiæ fide dignam putamus. Traditio est; nihil quæras amplius.* Sic ille. Tandem accedit ratio: Nam signum, quo verbum Dei hominibus revelari, ac revelatum propagari potest, non est sola Scriptura, neque se sola in omni casu sufficeret; cum libri scripti vetustate corrumpi, vel omnino absumi possint: ergo necessaria est Traditio vocis continuo per Ecclesias propagata per scripturas, tum ad ipsas Scripturas discernendas, tum etiam ad alia nonnulla credenda, v. g. parvulos esse baptizandos; ubinam hoc scriptum in libris? &c.

Porro ad verbum Dei publicum, & traditum, juxta communissimam DD. cum *D. Thom.* 2. 2. *q.* 5. *art.* 3. etiam revocantur Definitiones Ecclesiæ per Summos Pontifices, & Concilia generalia, populo Christiano propositæ, & Fide Divina credendæ.

Probatur: Quia *Ecclesia* (ut ait Apostolus 1. ad Timoth. 3.) *Dei vivi columna est, & firmamentum veritatis.* Et juxta promissionem Christi Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* Consequens est, quod quæcumque Ecclesia in rebus fidei, vel morum populo Christiano decernit, ac proponit, firma esse, & infallibilia. Ulterius: quia Spiritus Sanctus ex promissione Christi Joan. 14. & 16. missus Ecclesiæ, ut maneat in æternum, doceatque omnem veritatem, eidem Ecclesiæ assistit, instruens, atque gubernans, prout etiam Apostoli in primo Concilio Jerosolymitano congregati professi sunt. Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis &c.* Ita efficaciter arguitur. Omnis sermo, vel sententia procedens ex infallibili assistentia Spiritus Sancti est verbum Dei revelatum, & Fide Divina credendum: Sed Definitio Ecclesiæ procedit ex infallibili assistentia Spiritus Sancti (ut modo dictum) ergo est verbum Dei habendum, & Fide Divina credendum. Unde D. Athanasius *l. 6. Epist. ad Africanum Episcopum* ait: *Verbum Divinum per OEcumenicam Nicææ Synodum in æternum stat.* Et *D. Gregorius primus lib.* 1. *Epist.* 24. dicit: *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia* (Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense) *venerari me, ac suscipere fateor.* Plura de his apud Bellarminum de Verbo Dei, aliosque Controversistas passim. Denique hoc verbum Dei publicum, quoad objecta Fidei communiter ab omnibus credenda coordinatur per Symbola, & Articulos Fidei, de quibus

§. III. *Fidei Symbola.*

10 Dicuntur certæ coordinationes præcipuorum Fidei objectorum communiter ab omnibus Christi fidelibus credendorum; Sic dicta quasi tesseræ militares Fidei, quibus Christi fideles ab infidelibus discernuntur, quantum ad Professionem Fidei.

Tria potissimum Symbola sunt in usu in Ecclesia Catholica. Apostolicum, Nicænum, & S. Athanasii. Primum Symbolum Apostolicum ab ipsis Apostolis ante sui divisionem in omnem terram, pro generali tessera compositum, omnia præcipua Fidei Divinæ capita continet. Recitaturque ab Ecclesia quotidie ter in Divino Officio ad initium Matutini, & Primæ, & ad finem totius Officii. Reliqua duo Nicænum, & S. Athanasii aliquos solum Symboli Apostolici Articulos contra emergentes tunc hæreses clarius explicant, & declarant. Symbolum enim Nicænum contra Arianos potissimum explicat Divini Filii Unitatem, & Consubstantialitatem cum Patre, *& in unum Dominum &c.* Item Divinitatem, & Processionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio. *Et in Spiritum Sanctum, & Dominum vivificantem &c.* Recitatur in Ecclesia solum in Missa solemni. Symbolum S. Athanasii potissimum explicat duo mysteria Fidei, scilicet SS. Trinitatis, & Incarnationis Verbi. Recitatur ab Ecclesia in Officio Dominicæ ad Primam.

Symbola porro constant suis certis articulis quasi parvis membris.

§. IV. *Fidei Articuli.*

Articulus Fidei (quasi membrum parvum Symboli) dicitur verbum Dei particulare continens specialem, & distinctam revelationem a Deo factam Ecclesiæ in ordine ad consecutionem vitæ æternæ. Tria ergo requirit articulus Fidei. 1. ut contineat verbum Dei publicum toti Ecclesiæ propositum, & credendum. 2. Ut contineat peculiarem, & distinctam difficultatem credendi speciali operatione, vel revelatione Divina superandam. Hinc, ut optime notavit *S. Thomas citat.* Unicus est Articulus Fidei, de Christo passo, mortuo, & sepulto; Quia in his una eademque est difficultas credendi, ut uno per Fidem suscepto, non sit difficile & aliud credere. At vero de Christi morte, descensu ad inferos, Resurrectione, & Ascensione jam sunt quatuor distincti Articuli Fidei, quia in his quatruplex distincta est difficultas credendi necessario distincta revelatione superanda; credita enim morte Christi, alia est difficultas credendi descensionem ad inferos, alia Resurrectionem &c. 3. Ut contineat veritatem Fidei per se revelatam in ordine ad consecutionem vitæ æternæ, omnibus necessario credendam; est enim Fides substantia rerum sperandarum, & principaliter æternæ Beatitudinis. Unde proprie non dicuntur Articuli, nec in Symbolis ponuntur ea, quæ per accidens tantum revelata sunt, ut quod *Abraham duos filios habuit*, & similia historica innumera, etsi ad Articulos Fidei reducantur, ut eo ipso, quod Divinitius revelata sint, si Fideli proponantur, Fide Divina credenda sint, saltem negative, ut jam supra innui. 11

Articuli ergo Symboli Apostolici, etsi vulgo numerentur duodecim juxta numerum duodecim Apostolorum, a quorum singulis singuli compositi pie creduntur; revera tamen quantum ad distinctionem rerum credendarum quatuordecim sunt. Septem spectantes ad Divinitatem, utpote, 1. ad Unitatem Essentiæ Divinæ. *Credo in unum Deum.* Tres alii spectantes ad Trinitatem Personarum. 2. *Credo in Deum Patrem.* 3. *Et in Jesum Christum Filium ejus.* 4. *Et in Spiritum Sanctum.* Tres alii pertinentes ad triplicem operationem Dei conferentis creaturæ triplex esse: Scilicet *esse naturæ*: 5. *Creatorem Cœli & terræ.* Deinde *Esse gratiæ*: 6. *Sanctam Ecclesiam, Sanctorum Communionem, Remissionem peccatorum*, ubi continetur Fides omnium Sacramentorum: Denique *Esse Gloriæ*: 7. *Carnis resurrectionem, & Vitam æternam. Amen.* Septem alii Articuli pertinent ad humanitatem Christi. 1. Incarnatio, & Conceptio: *Conceptus de Spiritu Santo.* 2. Nativitas: *Natus ex Maria Virgine.* 3. Passio: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.* 4. *Descendit ad inferos.* 5. *Resurrexit a mortuis.* 6. *Ascendit ad cœlos &c.* 7. *Inde venturus est judicare vivos, & mortuos.* Ita unanimiter DD. cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 8. & Scoto *in* 3. *d.* 23. *quæst.* 1. Ubi ait: *Sciendum, quod si articuli distinguantur quantum ad ipsa credita, sic sunt quatuordecim: Si autem distinguantur secundum numerum eorum, qui primum articulos distinxerunt, sic sunt duodecim juxta numerum duodecim Apostolorum.* Sic ille. Verum pro praxi fidelium retinenda est vulgaris duodenaria divisio Articulorum Fidei secundum ordinem verborum Symboli. Theologica, & speculativa est illa prima divisio, hæc posterior cathechetica, & practica.

SECTIO III.

Fidei Divinæ objectum formale.

SUMMARIUM.

12 *Objectum Fidei formale, seu ratio credendi est prima, & summa Dei veritas in dicendo.*
13 *Principale nimirum, & ultimatum, ipsa Dei veritas.*
14 *Proximum vero, & immediatum, ipsa revelatio.*
15 *Eaque essentialiter obscura, saltem ex parte rei revelatæ.*

SUBSECTIO I.

Fidei Divinæ objectum formale, seu principium formale, & ratio formalis credendi adæquate est prima summa Dei Veritas in dicendo: Seu, quod idem est, Auctoritas Dei infallibilis revelantis aliquid obscure: Principale nimirum, & ultimatum, est ipsa Veritas, proximum vero, & immediatum, est ipsa revelatio, eaque abscura essentialiter saltem ex parte rei revelatæ. Communis DD. cum D. Thom. *cit. q.* 1. *art.* 1. Scot. *cit. d.* 23. *q.* 1. aliisque quos late citat, & sequitur Tannerus *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 1. *dub.* 3. Explicabo breviter.

§. I. *Est prima, & summa Dei Veritas in dicendo.*

Ratio est: Quia objectum formale Fidei seu principium formale, ac ratio formalis credendi est illa ratio, secundum 12

cundùm quam, & propter quam fidelis firmiter certò, & infallibiliter assentitur veritatibus Fidei, cuique innititur infallibilis certitudo assensus Fidei: Sed illud nihil aliud esse potest, quàm prima Veritas Dei in dicendo, seu infallibilis Auctoritas Dei revelantis aliquid. Unde S. Scriptura passim pro motivis, & ratione assensus Fidei assignat Divinam revelationem, veritatem & auctoritatem infallibilem. Matth. 16. *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*, 1. Jo: 1. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, quoniam testificatus est de Filio suo: qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*. 1. ad Thess. 2. *Cùm accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est verè, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis*. Et aliis locis innumeris. Ergo sicut Fidei humanæ fallibilis objectum, & motivum formale, seu formalis ratio assentiendi est veritas, & auctoritas hominis dicentis, etsi fallibilis: ita omnino Fidei Divinæ infallibilis objectum, & motivum formale, ac ratio formalis assentiendi est prima, & summa Veritas Dei in dicendo, seu auctoritas infallibilis Dei revelantis aliquid obscurum.

§. II. *Objectum ultimum, & proximum.*

13 Objectum hoc formale adæquatum scilicet prima Veritas Dei revelantis duo includit, ipsam primam Veritatem Dei, & ipsam revelationem, seu locutionem Dei, nimirum verbum Dei formale: ita nimirum (uti ex communi rectè notat *Tanner. cit. n.* 34. 5) ut objectum formale, principale: & ultimatum sit dicta prima Veritas, & auctoritas Dei: Objectum verò formale proximum, immediatum, & non ultimatum sit ipsa Divina revelatio, seu verbum Dei formale. Etenim fidelis quispiam rogatus, cur credat talem propositionem, v. g. Deum esse unum, & trinum: Verbum caro factum &c. immediatè, & rectè respondet: Quia Deus revelavit: rogatus ulteriùs, cur credat Deo revelanti, seu verbo Dei? Respondet: Quia ipse est prima, & summa Veritas, & infallibilis auctoritatis in dicendo. Et hìc est status. Nam quærens ulteriùs, cur credat primæ Veritati, stultè quærit, nec est responsione dignus, ut bene notat *Cajet. hic q.* 1. *a.* 1.

§. III. *Dei Veritas, & revelatio.*

14 Dei prima Veritas, seu infallibilis Auctoritas in dicendo (objectum formale, principale Fidei) duas perfectiones Divinas includit, & connotat. 1. Infallibilitatem Divini intellectus in cognoscendo vero: 2. Indefectibilitatem Divinæ Voluntatis in volendo dicere, & revelare verum; adeòque ut utrinque repugnet Deo, & in intellectu posse falli cognoscendo aliquod falsum, & in Voluntate posse fallere volendo dicere, vel revelare aliquod falsum, & verbo posse mentiri. Ut latè demonstrant DD. communissimè. Et hinc sicut omnia a Deo revelata sunt infallibilis veritatis, ut repugnet eis subesse falsum; ita actus, vel assensus Fidei ob id sortitur infallibilem certitudinem, etsi obscurus sit, ut supra in definitione notatum.

Ipsa quoque revelatio Divina, seu verbum divinum formale similiter duo includit. 1. Locutionem Dei internam, hoc est, ipsum conceptum Divinæ mentis de veritate aliqua credenda. 2. Locutionem Dei externam seu manifestationem talis veritatis utpote per inspirationem, per voces, per scripturas, uti nunc maximè ex Scriptura sacra, quibus omnibus velut instrumentis Deus hominibus suos conceptus manifestat, atque revelatio, seu verbum Dei, prout utrumque includit, est objectum formale proximum Fidei Divinæ.

§. IV. *Revelationis Divinæ obscuritas.*

15 Dicta revelatio Divina, quatenus est objectum formale proximum Fidei, necessariò est obscura: idque dupliciter, & obscuritate revelantis & obscuritate ipsius rei revelatæ: ut scilicet excludat, & evidentiam revelantis, & evidentiam rei revelatæ: ita videlicet, ut nec ipse Deus revelans homini, nec res revelata clarè fiat cognita: sed solùm obscurè, etsi firmissimè credatur, & Deum ita revelasse, & rem sic esse, sicut Deus revelavit; utramque obscuritatem de facto habet fides nostra. Et quidem obscuritas rei revelatæ est de ratione essentiali Fidei, ita ut Fides divina simpliciter stare non possit cum evidentia objecti, seu rei revelatæ. Definitur ab Apostolo: *Substantia rerum sperandarum: argumentum non apparentium*. Et D. Aug. *tr.* 40. in Joan. *Quid est Fides, nisi credere, quod non vides?* Greg. hom. 26. in Evang. *Fides illarum rerum est, quæ apparere non possunt: Quæ enim apparent, jam Fidem non habent, sed agnitionem*. Et ibidem ad verba Christi: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*: Respondet: *Aliud vidit, aliud credidit, scilicet vidit hominem, credidit Deum*. Unde Fides non manet in Patria, sed ut ait Apostolus, *evacuabitur*, quia nimirùm ibi clara visio Dei: & evidentia rerum antea creditarum obscurè. Et insuper actus Fidei cum actu scientiæ de eadem re simul stare posse cum communissima negat melior Philosophia: quæ recole.

Altera autem obscuritas Dei revelantis non est ita de ratione essentiali Fidei, quin possit stare cum evidentia Dei revelantis, seu evidenti cognitione, quòd Deus ipse loquatur, revelet, vel revelaverit: Prophetæ enim, & Patriarchæ aliqui habuerunt evidentiam Dei revelantis, & loquentis sibi, nihilominus verè crediderunt Fidei Divina mysteria sibi revelata v. g. Messiæ venturi. Et licèt fortè etiam intuitivè, & clarè viderint ea, quæ sibi revelata erant (v. gr. Passionem Christi futuram, unde eam tam clarè descripserunt, David *Psal.* 2. *Isa.* 35. *alii*) unde & *videntes* dicti sunt, ea tamen visio citò transiens, & non permanens erat, ideòque deinceps verè solùm crediderunt.

SECTIO IV.

Fidei Divinæ propositio, & resolutio.

SUMMARIUM.

16 *Fides de lege ordinaria necessariò pendet a sufficiente credendorum propositione per motiva humana ad persuadendum efficacia.*

17 *Talia autem motiva olim fuere potissimùm miracula; modò verò congregatio fidelium.*

18 *Ultimatè autem fides resolvitur in ipsam primam infallibilem veritatem Dei revelantis, ut motivum primarium & principale, & secundariò etiam in auctoritatem Ecclesiæ.*

ASSERTIO IV.

Fides Divina etsi primariam, & essentialem infallibilem veritatem, ac certitudinem suam habeat ab ipso objecto formali scilicet prima veritate, & infallibili auctoritate Dei revelantis, tamen lege ordinaria necessariò pendet a sufficienti propositione credendorum, ut credibilium, per motiva humana efficacia ad persuadendum. Ita omnes. Et significat Apostolus ad Ro. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* qui scilicet credenda de Deo proponat, & suadeat. *Et ratio est*. Quia debet esse assensus firmus, etsi obscurus, rerum a Deo revelatarum, ut revelatæ sunt: sed nemo potest, nec debet assentiri alicui tamquam revelato a Deo, nisi proponatur ipsi ea res esse revelata a Deo; & insuper aliquibus motivis credibilis, & rationabiliter credenda suadeatur. Quòd si enim Doctor Christianus prædicet infidelibus Deum esse Trinum, & Unum, Dei Filium incarnatum, mortuum &c. idque a Deo esse revelatum, ac proinde certissima fide tenendum, nisi assertionis suæ, & factæ a Deo revelationis indicia, & motiva afferat, nemo credere, nec credere poterit, minùs debebit: Nam; *Fidei obsequium rationabile est*. Rom. 12. *Et qui citò credit, levis est corde*. Eccl. 19. Erga &c. 16

Talia autem motiva credendi olim quidem in prima propositione, & prædicatione fidei potissimùm fuerunt miracula, & Sanctitas prædicantium, modò verò Ecclesia per orbem propagata præcipuum motivum credendi est, & semper fuit ipsa auctoritas Ecclesiæ, non tam prout est organum Spiritus Sancti, & ex infallibili assistentia Spiritus Sancti directa, credenda proponit, ac decernit: sic enim dicit Verbum Dei Fide Divina credendum, & committeretur vitiosus circulus, ut discurrenti patebit: Sed quatenus est congregatio plurimorum hominum vitæ innocentia, & virtute præstantium, qui unanimi consensu tot continuis sæculis toto terrarum orbe eamdem Fidei doctrinam, ab eo, quod mundus, & caro amare solet, adeo indubitatè tenuerunt, & contra tam multos adversarios invictè defenderunt, & sæpissimè sanguine, & morte sunt professi, & attestati. Ita disertè D. Aug. in variis locis. *Ut lib.* contra Epist. Fundamenti *c.* 4. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moveret auctoritas*. Et ibidem *c.* 4. *Multa sunt, quæ me in ejus* (Ecclesiæ Catholicæ scilicet,) *gremio justissimè teneant; tenet consensus populorum, atque gentium; Tenet auctoritas miraculis inchoata, Spe nutrita, Charitate aucta, & firmata; Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli (cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit) usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum*. Hæc S. Augustinus. 17

Fides ergo Divina resolvitur in ipsam primam Veritatem, seu infallibilem Auctoritatem Dei revelantis tamquàm in principium, & motivum per se primarium; ac principale, quantùm ad ipsum objectum creditum, & resolvitur etiam in auctoritatem Ecclesiæ tamquàm motivum secundarium, seu conditionem sine qua non, quantùm est ex parte credentis. Ita communis DD. Et omnino Scot. in 3.

in 3.d.23. cit. Ratio clara est, quia resolutio Fidei Divinæ nihil aliud est, quàm deductio veritatis creditæ usque ad primum principium, & motivum formale assentiendi veritatibus Fidei, seu ad primam rationem, propter quam credantur veritates revelatæ: Sed primum illud principium, ac motivum, seu prima, & principalis ratio, cur credatur veritas revelata, est prima Veritas, & Auctoritas Dei revelantis. Nam, ut supra jam indicavi: Fidelis quæsitus, cur credat v. g. Deum esse Unum in Essentia, & Trinum in personis? Respondet: Quia Deus revelavit. Ulteriùs interrogatus: Cur credat Deo revelanti? Respondet: Quia ipse est Prima, & summa Veritas, & infallibilis Auctoritatis in dicendo. Et hic est status rationis credendi: Nam ulteriùs quærens, cur credatur Primæ Veritati? responsione dignus non est.

At verò ulteriùs rogatus fidelis, cur, & unde credat talem propositionem esse a Deo, ut Prima Veritate, revelatam: ordinarie, & pro moderno tempore resolvit se in Auctoritatem Ecclesiæ, quia nimirum sic credit, & ad credendum proponit Ecclesia, talis illustris Congregatio &c. juxta paulò ante dicta: ergo &c. Atque hoc omnino vult Scotus *l.c.* dicens: In resolutione Fidei recurrendum ad Fidem acquisitam propter Auctoritatem Ecclesiæ, quatenus est illustris Congregatio tot hominum excellentium: Non enim loquitur de resolutione Fidei in principium, & motivum principale, sed de resolutione in motivum secundarium, ceu adjumentum extrinsecum tamquam conditionem sine qua non, quasi applicantem objectum, & motivum principale credendi.

Dices: Ipsa Prima Veritas Dei resolvitur in Essentiam Divinam, seu Deitatem; ergo Fides Divina, in ipsam Essentiam Divinam, seu Deitatem ultimate resolvitur, prout multi resolvunt Thomistæ. Resp. Disting. Anteced. Prima Veritas resolvitur in Deitatem tamquàm in rationem essendi Conc. antec. tamquàm in rationem credendi, Nego antec. & consequentiam. Nam quærenti, cur Deus sit Prima Veritas? Utique rectè respondetur, quia Deus est Deus. At verò quærenti, cur credatur propositio a Deo revelata? non rectè respondetur: Quia Deus est Deus, sed quia Deus est Prima Veritas.

CAPUT II.

De Fidei Divinæ necessitate, & obligatione, seu Præceptis.

SUMMARIUM.

1 *Necessitas Fidei duplex*: medii, & præcepti.
2 *Fides actualis, item duplex est*: explicita, & implicita.

1 Fidei (uti & aliorum ad salutem necessariorum) duplex necessitas, *medii & præcepti*. *Necessitas medii* dicitur, qua aliquid ita necessarium est ad finem, seu salutem consequendam, ut eo destitutus homo, secundùm legem Dei ordinariam, simpliciter salvari nequeat, stante quacumque impotentia, & ignorantia quantumvis invincibili, & inculpabili. Hoc modo ipsi habitus Fidei, Spei, & Charitatis, Baptismus infantibus, in adultis etiam peccatoribus pœnitentia, sunt necessaria ad salutem.

Necessitas *præcepti* dicitur, qua aliquid ad salutem consequendam etiam necessariò præstandum est ex lege Dei, si tamen præstandi facultas, & occasio adsit: ita scilicet, ut quis propter impotentiam, vel ignorantiam excusetur ab obligatione talis præcepti ad consequendam salutem, & sine ejus executione in tali casu salvari possit. Sic observatio omnium præceptorum Divinorum, immo & Ecclesiæ, est necessaria ad salutem consequendam. Hic autem sermo non est de Fide habituali, hanc enim, uti & cæteros habitus infusos, Spem, Charitatem, & gratiam Sanctificantem cuivis homini simpliciter esse necessariam ad salutem consequendam, certissimum est de Fide. Et novissimè definitum in Concilio Tridentino *sess. 7. c. 7.* Et ratio est: Quia homo in puris naturalibus absque donis supernaturalibus simpliciter impotens est tendere in suum supernaturalem ultimum finem, qui est ipse Deus Summum Bonum nostrum, & Beatitudo objectiva.

2 Sermo ergo, & quæstio tota est ad nostrum propositum de fide actuali, quæ duplex esse potest: *explicita, & implicita*. Fides *explicita* dicitur, qua aliquid in se ipso, & propriis terminis expressè creditur; sive deinde cognitione confusa, & generali significatione terminorum, quomodò rudiores explicitè quidem, attamen confusè valde intelligunt, & credunt, Deum esse, Trinitatem, Incarnationem &c. sive cum cognitione distincta sub aliqua propria ratione terminorum, quatenùs homini naturaliter cognoscibiles sunt veritates Fidei, quod doctiorum est.

Fides *implicita* dicitur, qua aliquid creditur non in se, & propriis terminis cognitis, sed in alio aliquo modo continente. Idque dupliciter 1. Ratione ipsius veritatis creditæ, ut qui credit explicitè, Deum esse Creatorem omnium, eo ipso implicite credit, esse Creatorem Angelorum, hominum, atque etiam Creatorem suum. 2. Ratione motivi credendi, seu principalis, quod est Auctoritas Dei revelantis, seu secundarii, quod est Auctoritas Ecclesiæ proponentis. Qui enim generaliter credit, quidquid Deus revelavit, vel quidquid credit, & credendum proponit Ecclesia, eo ipso implicitè credit omnes veritates credendas. Aut qui particulariter credit hunc Articulum, v. gr. Deum Hominem factum, ex Virgine natum, &c. quia Deus revelavit, vel quia Ecclesia credit, & credendum proponit, is rursus implicitè credere censetur omnes alios Articulos a Deo revelatos, vel ab Ecclesia ad credendum propositos: Quia ita animo dispositus est, ut paratus sit etiam credere quidvis aliud, quod Deus revelat, vel Ecclesia credendum decernit, dummodo ei proponatur. Simile habet in materia de Pœnitentia, de contritione, seu dolore universali eliciendo. Et hoc modo fides implicita omnium omnino credendorum sine dubio omni homini adulto necessaria est ad salutem: eo ipso enim, quo quis paratus esset aliquid a Deo revelatum, vel ab Ecclesia ad credendum propositum non credere, infidelis esset, vel hæreticus; immo eo ipso aliam illam veritatem non crederet Fide Divina ob Auctoritatem Dei revelantis, si aliquid similiter a Deo revelatum paratus esset non credere, ut intuenti patet. Sermo ergo est de fidei Articulis, & explicitè credendorum necessitate, seu quænam actu, & explicitè necessariò credenda sint necessitate tam medii, quàm præcepti.

SECTIO I.

Qualiter Fides necessaria necessitate medii.

SUMMARIUM.

3 *In omni statu necessitate medii necessaria est ad salutem aliqua fides naturalis.*
4 *Et quidem* explicita, *unum, & verum esse Deum; Principium, & finem nostrum ultimum.*
5 *Post lapsum etiam necessaria est fides in Christum Mediatorem.*
6 *De necessitate præcepti quidem semper* explicita.
7 *An verò in eum etiam* explicita, *sit necessaria necessitate medii, duplex est sententia.*
8 *Proponitur sententia affirmativa, probabilior.*
9 *Proponitur sententia negativa, probabilis.*
10 *Qualiter fides necessaria sit necessitate præcepti.*

ASSERTIO I.

Omni homini in omni statu legis Naturæ, Scriptæ, & Evangelicæ, necessitate medii simpliciter necessaria est ad salutem aliqua Fides Divina supernaturalis, & explicita, unum, & verum esse Deum, Principium, & Finem nostrum ultimum: Et post lapsum etiam Fides in Christum Mediatorem, saltem implicita.* Est tota communissima cum D. Thoma, & Scoto; excepto ultimo validissimè controverso.

§. I. *Necessaria est aliqua Fides Divina supernaturalis.*

Hoc ipsum est de fide, quod latè docet Apostolus tota epistola ad Romanos, & ad Galatas, neminem scilicet esse justificandum, nisi per Fidem. Et ad Hebr. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Et 1. ad Corint. 2. Omnem humanam, & naturalem cognitionem, ac sapientiam tamquam ad salutem sufficientem rejicit dicens: *Ut Fides nostra non sit in Sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam verò non hujus sæculi, neque Principum hujus sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, &c.* Et rationem indicavit ibid. ad Hebræ. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum*, id est, fundamentum, ac basis totius Spei, ac salutis nostræ. Unde sic argumentari licet: Salus, Beatitudo, & ultimus finis hominis est supernaturalis maximè; in quem tamen assequendum Fide, Spe, & Charitate tamquam mediis tendere debet homo: atqui implicat in finem supernaturalem assequendum tendere, eumque attingere per media naturalia tantùm: ergo homini in omni statu necessitate medii necessaria est Fides aliqua supernaturalis ex triplici capite. Primò ex parte principii: ut scilicet eliciatur ab habitu supernaturali infuso Fidei, aliove auxilio supernaturali Gratiæ divinæ. Secundò ex parte motivi formalis, ut scilicet concipiatur principaliter propter revelationem, & veritatem Dei infallibilem. Tertiò ex parte objecti, seu ipsius veritatis creditæ, ut scilicet res credita Fide Divina necessaria ad salutem, non sit naturalis ordinis, ac naturaliter tantùm cognoscibilis, sed ordinis supernaturalis, ac supernaturaliter tantùm, ac Divina Fide cognoscibilis, At nonne supra concessimus, Deum esse, 3

esse, & unum esse, esse naturaliter cognoscibile? Resp. ita, sed concipiendo Deum sub ratione Primæ causæ, seu primi Motoris, ac primi Principii naturæ: minimè verò sub ratione Auctoris Gratiæ, & ultimi Finis Supernaturalis, quod ipsum tamen necessitate medii necessariò credendum, ut mox patebit, & nullus umquam Philosophus lumine naturali assequi potuit.

§. II. *Et Explicita, unum esse verum Deum, Principium, & Finem nostrum ultimum.*

4 UTpote omnium Creatorem, bonorum Remuneratorem, malorum Vindicem, etiam supernaturaliter in altera vita. Rationem indicat Apostolus Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & quia requirentibus se Remunerator sit.* Nam ipsa lege naturali homini a principio suæ creationis indita, eumque ad finem supernaturalem æternæ Beatitudinis dirigente, tenetur omnis homo adultus tendere in ultimum finem, ad quem creatus est: sed principium tendentiæ in ultimum finem est Fides juxta Apostolum cit. & implicat, hominem ullo modo tendere in ultimum Finem Deum, nisi credat, Deum esse suum Principium, & ultimum Finem, bonorum Auctorem, & Remuneratorem: Ergo Fides hæc explicita in unum verum Deum est necessaria ad salutem, non tantùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii, ut sine hac Fide simpliciter ultimus Finis acquiri nequeat, stante etiam quacumque impotentia, vel ignorantia. Quia absolutè loquendo, nullam hìc in ullo homine adulto posse dari impotentiam, vel ignorantiam invincibilem apertè docet D.Paulus ad Rom.1. dicens: *Revelatur ira Dei a cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in justitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit; invisibilia enim Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus Virtus, & Divinitas; ita ut sint inexcusabiles, &c.* Hæc Apost. Certissima ergo Fide tenendum, absq; Fide unius veri Dei neminem salvatum, nec salvari posse. Unde meritò reiicitur ab omnibus sententia nostri *P. Vegæ l.6. in Conc. Trid. c.7. & 20. Et Soti 2. De natura, & Gratia, c.11.* Hominem, qui cognoscens legem naturalem, faceret, quod potest, etsi invincibiliter ignoraret Deum, salvari posse. Atque insuper sub Innocentio XI. Anno 1679. damnata est hæc propositio 22. *Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii: Non autem explicita Remuneratoris.*

§. III. *Et post lapsum, etiam Fides in Christum Mediatorem.*

5 CErtissimum de Fide. Ex Scriptura passim. 1. Act. 4. *Neq; enim aliud nomen datum est sub cœlo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Rom. 3. *Quem proposuit Deus Propitiatorem per Fidem* 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Et ipse Salvator Io. 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto* (in figura scilicet futuri Mediatoris, in quem credentes salvi fiunt) *ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et ratio est clara; Quia Fides manet necessaria necessitate medii etiam post lapsum: Atqui post lapsum, quando agnoscit homo, se Divina gratia privatum, ex se non posse ampliùs consequi ultimum finem, Fides, & Spes nostra necessariò debet tendere in Deum etiam ut Salvatorem, & Liberatorem suum, quocumque tamdem medio, vel mediatore sibi placito, qui de facto est Christus; ergo necessitate medii necessaria semper fuit, & est Fides aliqua in Christum Mediatorem, explicita, vel saltem implicita: atque certissima Fide tenendum absque Fide saltem implicita in Christum Mediatorem, nullum umquam hominem salvatum, aut salvari posse.

6 Fidem autem explicitam in illum saltem necessitate Præcepti semper necessariam fuisse, juxta modum tamen, & mensuram revelationis factæ pro temporum, & personarum varietate, certum est apud omnes ex eadem ratione modò data: quia post lapsum etiam lege naturali tenetur homo tendere in ultimum Finem Deum, & consequenter etiam in Mediatorem suum: atque a principio mundi Deus constituit Christum Mediatorem humani generis, eumque pro omni statu aliquo modo revelavit: ergo tenetur homo habere aliquam Fidem actualem, & explicitam in Christum Mediatorem, & Salvatorem hominum pro quocumq; statu; tamen juxta modum, & mensuram revelationis, & pro temporum, & personarum varietate. Nam quantò homines remotiores fuerunt a tempore Christi, eò obscuriùs Mysteria Christi revelata crediderunt. Pro statu enim Legis Naturæ, juxta communem Theologorum, solùm præcipuis Patribus, Adamo, Abrahamo, Job, &c. expressiùs revelatum est mysterium venturi Liberatoris, seu Messiæ; cæteris obscuris figuris, & Sacrificiis eò directis sufficiebat credere in confuso ad futurum aliquando aliquem, sive Deum, sive Hominem, sive Angelum, qui humanum Genus a peccato, & damnatione eriperet, ac Beatitudini restitueret, qua Fide etiam constabat Fides parentum pro remedio parvulorum a peccato originali, fortè (ut divinat Scotus) ejusmodi verbis expressa: *Venturus, Mediator, vel Messias te salvet, vel salvabit.* At verò in Lege Scripta per Moysem Prophetam Mysterium Incarnationis, & venturi Messiæ apertiùs patefactum, jam magis explicita, & distincta Fides in Christum necessaria erat, & etiam fuit. Unde Matth. 2. Scribæ Herodi sciscitanti, ubi Christus nasceretur, expeditè respondere poterant. *In Bethlehem Judæ, Sic enim scriptum est, &c.* Sed numquid ea Fides explicita necessaria est ad salutem etiam necessitate medii? Dicimus in assertione.

§. IV. *Saltem implicita.*

CErtum videtur, olim quoad necessitatem medii sufficisse Fidem implicitam in Christum Mediatorem, cùm certè non omnibus facta fuerit ea revelatio: Ut meritò dicat *D.Thomas loc. cit.* Si qui autem salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque Fide Mediatoris: Quia, etsi non habuerint Fidem explicitam, habuerunt tamen Fidem implicitam in Divinam Providentiam, credentes Deum liberaturum esse hominem secundùm modos sibi placitos, & secundùm quod aliquibus veritatem cognoscentibus ipse revelavit. Hæc S. Thomas. Sed quæstio difficillima est, an modò Lege Evangelica per orbem sufficienter promulgata sufficere possit Fides implicita, an verò etiam necessitate medii necessaria sit ad salutem Fides explicita in Christum Mediatorem, atque etiam in ipsam SS. Trinitatem, ut sine illa nullus salvari possit, stante quacumque ignorantia. 7

Sententia affirmativa est communior DD. apud Tanner. *to.3. disp.1.q.7.dub.2.* qui probabiliorem judicat. Fundamentum sumitur tum ex Scripturæ locis plurimis, partim §. *præced.* citatis, quæ post Christi Ascensionem absolutam necessitatem Fidei Christianæ, ac in Christum, ad salutem exprimere videntur. Tum ex ratione, quia sicut secundùm omnes Fides explicita in Deum est medium necessarium ad salutem, cùm Deus sit causa principalis efficiens nostræ salutis; ita Fides in Christum sufficienter propositum debet esse medium ad salutem; Quia ipse est etiam causa meritoria nostræ salutis. Confirmant: sicut in veteri Testamento Fides saltem implicita in Christum Mediatorem fuit medium necessarium ad salutem, ita in Nova Lege sufficienter proposita Fides explicita debet esse medium necessarium. 8

Si dicas: Tot Gentiles ignorantia invincibili Fidei Christianæ laborantes, cùm eis Evangelium numquam annuntiatum fuerit, ob defectum Fidei, solùm damnari, non convenire infinitæ Dei Bonitati, & Misericordiæ, *qui vult omnes homines salvos fieri.* Resp. Non fuisse damnatos, vel de facto damnari ob defectum Fidei, vel infidelitatis peccatum, sed ob alia peccata, quibus impedierunt Gratiam Dei, ne illuminarentur in Fide vera, & Christiana. Deus enim cum gratia sua omnibus sufficienter præstita, facienti quod in se est, ulteriorem gratiam non denegat: Quòd si ergo Gentiles illi cum gratia sibi præstita cognoscentes Deum, & servantes Legem Naturæ, fecissent, quod in se est, utique accepissent ulteriorem Gratiam Dei, & illuminati fuissent vera Fide in Christum per media opportuna, prout hoc, & priori sæculo in India, & America maximè, mirabiliter factum videmus. Confirmat id tum variis Dei promissionibus 1. ad Timoth. 2. *Qui omnes homines vult salvos fieri.* Joann. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ps. 9. *Non dereliquisti quærentes te, Domine.* Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit, introibo ad eum.* Isa. 5. *Quid est, quod debui facere vineæ meæ, & non feci? &c.* Tum etiam exemplis Cornelii, Centurionis. Act. 10. Eunuchi Candacis Reginæ Act. 8. & Macedonum. Act. 16. Qui omnes facientes quod in se est, mirabilibus mediis a Deo ad Fidem perducti sunt: alia exempla in historiis obvia præsertim proximis sæculis: ergo, inferunt, Gentiles in Fide non illuminatos, ideoque damnatos non fecisse, quod in se est, atque adeo causam culpabilem dedisse ignorantiæ, & negatæ illuminationis: consequenter negant de facto ullum hominem posse laborare ignorantia invincibili, & inculpabili Fidei Christianæ; quia si facerent, quod in se est, illuminarentur. Sed his non obstantibus,

Mihi valde probabilis semper visa est opposita sententia negativa, videlicet etiam post promulgatam Legem Evangelicam Fidem explicitam in Christum, adeoque etiam in SS. Trinitatem non esse necessariam ad salutem necessitate medii, sed solùm necessitate Præcepti post factam sufficientem propositionem, a quo proinde ignorantia invincibilis excuset: ergo hominem de facto habentem Fidem explicitam

tam de uno vero Deo, & implicitam de Christo, Trinitate, aliisque Mysteriis Fidei Christianæ, tamen servata lege naturali salvandum fore. Hæc est etiam plurimorum, & gravissimorum DD. quos recitant *Tannerus loc. cit. & Dian.* qui probabilem censent & facilè defendi posse censet Laym. *hic tr.* 1. *c.* 8. *num.* 5. Et satis bene defendit noster Herincx *hic q.* 5. Ratio sufficiens est: Quia revera talis necessitas medii neque ex Scriptura, neque ex rei natura necessariò colligitur. *Non ex Scriptura:* nam omnia illa loca assignata, partim solùm significant credentes in Christum salvari per istam Fidem, per quod non negant posse alium excusari ignorantia invincibili: partim excludunt a salute incredulos, seu non credentes in Christum, quibus fides Christiana sufficienter proposita est: partim optimè intelliguntur de necessitate Præcepti tantùm. Nec plus convincit ratio oppositæ sententiæ, adeoque facilè negantur consequentiæ. *Neque ex rei natura.* Nam ante Evangelium promulgatum sine dubio homines credentes unum verum Deum, & servantes Legem naturæ, etsi ob invincibilem ignorantiam defectu promulgationis absque omni explicita Fide in Christum, salvati fuerunt: Atqui etiamnum de facto post promulgatum licèt Evangelium, potest quis cum Divina Gratia unum Deum Auctorem bonorum supernaturalium credere, in eo sperare, eumque super omnia diligere, naturæ legem servando, & tamen revera invincibiliter ignorare Christum, ac Fidei Christianæ Mysteria; neque enim Mysteria Fidei Christianæ, maximè Trinitatis, & Incarnationis, possunt cognosci, nisi revelatione divina: & debita promulgatione, ac propositione per prædicationem, ac instructionem legitimam: Certissimum autem est, promulgationem Fidei Christianæ non pervenisse ad omnes prorsus Regiones, ac nationes, etsi pervenerit ad præcipuas Orbis partes, juxta illud Psalmistæ: *in omnem terram, &c.* Hodie etiam adhuc multæ partes Orbis nondum sunt detectæ: & plurimæ, ac maximæ partes his sæculis detectæ sunt in India, & America, in quibus nullum vestigium inventum est Fidei Christianæ, Baptismi, vel aliorum mediorum salutis: ergo etiamnum saltem in aliquibus locis potest dari ignorantia invincibilis, & inculpabilis Christianæ Fidei, & aliqui homines per illam excusati salvari poterunt. *Confirmatur:* Non est conceptibile, quomodo promulgatio Fidei Christianæ facta in his partibus Orbis possit inducere majorem necessitatem credendi in Christum, in aliis Orbis partibus, ubi numquam facta est promulgatio, quàm fuerit ante omnem promulgationem Fidei Christianæ: Sed ante omnem promulgationem Fidei Christianæ sine dubio apud multos sufficiebat Fides implicita in Christum Mediatorem, ut paulò ante dictum: ergo eadem etiam modò sufficere potest illis, quibus nondum ea promulgatio, vel propositio facta est. Et hactenus de necessitate Medii utiq; satis speculationi datum. Nunc tamdem ad praxim procedendum, & videndum.

Qualiter Fides sit necessaria necessitate Præcepti.

10 Fidei præceptum quintuplex assignatur, tria affirmativa, scilicet 1. Scire credenda. 2. Credendis assentiri interiùs. 3. Fidem profiteri exteriùs, dum opus est, quibus opponitur triplex præceptum omissionis contra Fidem, scilicet 1. ignorare credenda. 2. Non assentiri Articulis Fidei sufficienter propositis tempore debito. 3. Non profiteri exteriùs, dum opus est. Alia duo sunt præcepta negativa scilicet. 4. Non negare Fidem exteriùs. 5. Non sentire contra Fidem interiùs per infidelitatem positivam. Quibus similiter opponitur duplex præceptum commissionis, nimirum negare Fidem exteriùs, & sentire contra Fidem interiùs. De hoc ultimo seorsim c. sequenti. Reliqua priora hoc capite explicanda sunt.

Primum Fidei præceptum affirmativum scire credenda, non habet oppositum negativum; quia non nescire credenda, idem est, ac scire, cùm duæ negationes faciant affirmationem, & sic affirmativa, & negativa reincidunt in id ipsum.

SECTIO II.

Primum præceptum, & obligatio Fidei quoad scientiam credendorum.

SUMMARIUM.

11 *Quilibet adultus sub mortali tenetur scire, & credere explicitè.*

12 *Præcipua Fidei mysteria, & capita. 1. ad rectè credendum. 2. ad debitè sperandum. 3. ad honestè vivendum & 4. ad salutem consequendam necessaria.*

13 *Saltem quoad substantiam, & vero aliquo conceptu, saltem confuso, & crasso.*

14 *Pro ratione status, & conditione personarum.*

15 *Praxis Confessarii quoad pœnitentes in his ignorantes valdè notanda.*

ASSERTIO II.

Omnis Fidelis adultus tenetur sub mortali scire, & credere explicitè præcipua Fidei Christianæ Mysteria, & capita ad rectè credendum, debitè sperandum, honestè vivendum, & salutem consequendam necessaria: Saltem quoad substantiam, & vero aliquo conceptu, etsi valdè confuso, crasso, imperfecto: Alii tamen aliis plura, distinctiora pro ratione status, & conditionis.* Communissima cum D. Thoma 2. 2. *q.* 2. *art.* 2. Assertio loquitur necessariò de solis fidelibus adultis præcepti capacibus. Nam baptizati pueri, & amentes perpetui, & omnis præcepti incapaces, salvantur Fide habituali, & gratia in Baptismo collata.

§. I. *Tenetur sub mortali scire, & credere explicitè.*

Ratio sumitur ex verbis Christi, Marc. 16. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Et Matth. ult. *Docete omnes Gentes baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Unde facilis est ratio; Quia professio essentialis Fidelis Christiani est tendere in Deum ultimum Finem secundùm Fidem, & Legem Christi, credendo, & agendo; ita ut secùs credendo, & agendo, privatus ultimo Fine, æternam damnationem incurrat: ergo omnis Fidelis adultus sub mortali tenetur scire, & credere præcipua Fidei Christianæ Mysteria: nullus quippe tenetur explicitè scire, & actu credere omnia prorsus revelata, & Fide credenda, sed sufficit, quòd reliquis habitu, & implicitè creditis, paratus nimirum omnia credere quæcumque a Deo revelata ipsi proponuntur, ipse sciat, & explicitè credat. 11

§. II. *Præcipua Fidei Mysteria, & capita necessaria.*

I. Ad rectè credendum; utpote Symbolum Apostolorum, quo totam Summam Fidei Christianæ, sufficienter contineri pulchrè docet *D. August. Serm.* 18. *De Tempor.* Continet enim omnia credenda, quæ ab Ecclesia tanquam ad salutem necessaria communiter omnibus proponuntur, & per annum celebrantur, utpote Mysteria, & Articulos SS. Trinitatis, Incarnationis, Passionis, Mortis, Resurrectionis, Ascensionis Christi, Remissionem peccatorum, (ubi implicitè continetur usus Sacramentorum) futurum Judicium, pœnam, & Gloriam. Excipiunt articulum de communione Sanctorum, qui intellectu difficilis est ob veritatem expositionum; ut pluribus implicitè credere sufficiat: Sed certè communiori, & plano etiam rudibus noto sensu significat communionem meritorum, orationum, & suffragiorum inter membra triplicis Ecclesiæ triumphantis, militantis, & purgantis. 12

II. *Ad debitè sperandum:* Nimirum Oratio Dominica: Hac enim pulcherrimo ordine omnia a Deo speranda, & petenda continetur, nimirum ipse ultimus Finis, & omnia media ad eum consequendum necessaria: uti præ aliis pulcherrimè explicat D. Thom. cit. Quam explicationem in formam orationis pulchrè redactam habes, in Paradiso Animæ Iacobi Merlo-horstii die Dominica 1. loco Salutationem Angelicam, etsi Ecclesia maximè commendet, & plerumque Orationi Dominicæ annectat, nullum tamen constat esse præceptum.

III. *Ad honestè vivendum:* Nimirum præcepta Decalogi, & Ecclesiæ: his enim continentur omnia requisita ad honestè vivendum, in ordine ad ultimum finem prosequendum, & obtinendum per gratiam, & Gloriam. De his per decursum.

IV. *Ad salutem consequendam necessaria.* Nimirum Sacramenta omnibus ad salutem consequendam necessaria, videlicet Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia: Cætera autem tunc tantùm scire, & credere oportet, quando quis vult ea suscipere. Communissima cum Sanch. *lib.* 2. *Moral. c.* 3. *n.* 6. Laym. *lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 9. *n.* 2. March. *hic to.* 2. *tit.* 2. *qu.* 1. Hæc ergo omnia tamquam ad fidelis Christiani in rectè credendo, & honestè vivendo directionem spectantia in ordine ad salutem, ut sine gravissimo animæ periculo ignorari non possint, per se loquendo tenetur sub mortali fidelis adultus scire, & credere explicitè.

Dico autem I. *scire.* Certè non etiam memoriter tenere, & eo ordine scire, quo præscribuntur: sed sufficit illa ita scire, & tenere, ut facta de iis inquisitione, vel discursu, & data occasione iis utendi, statim intelligat, credat, & inquisitus rectè respondeat: ut contra aliquos docet communis sententia DD. cum Sanch. Laym. *cit.* Non est ergo mortale non posse memoriter dicere Decalogum, Symbolum, Orationem Dominicam: est tamen crassum nimis veniale (nisi hebetudo mentis, vel fragilitas memoriæ excuset) prætertim ob textus Juris ita præcipientes; attamen ultra veniale

niale non obligantes, consuetudine ita interpretante: uti observant Navar. Lop. Busemb. Alii apud Sanch. & Lay. *cit.*

Dico 2. *Et credere explicite*. Utique fideles communiter non tenentur credere, & intelligere Mysteria etiam præcipua Fidei conceptibus distinctis, secundum proprias, & distinctas rationes terminorum, in quibus etiam Doctissimi laborant, & sudant, sed

§. III. *Saltem quoad substantiam, & vero aliquo conceptu, etsi valde confuso, crasso, &c.*

13 V G. Mysterium SS. Trinitatis quoad substantiam, & vero conceptu sufficienter scitur, & creditur concipiendo Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Et hos non esse tres Deos, sed unum Deum. Item concipiendo Patrem sub titulo Creatoris Omnipotentis: Filium sub titulo Dei, & hominis nati ex Maria Virgine, pro nobis passi, &c. Spiritum Sanctum sub titulo Sanctificatoris, qui nos spiritualiter sanctificat, justificat, &c. Sub his enim rationibus terminorum ipsi Apostoli istud Mysterium, & Personas proposuerunt, ut a quovis facile apprehendi possit, & ita de cæteris Articulis. Immo notat Sanch. *cit. c. 3. n.16.* rudes facile præsumi posse scire, quantum sufficit, mysteria Fidei, ut Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, Decalogum, eo quod se Christianos baptizatos confiteantur, ad Confessionem accedant, Sacrosanctam Eucharistiam adorent, atque inter Christianos versentur, cum aliquo timore peccandi: hæc enim sunt signa, quod illa quoad substantiam sciant.

Atque sub ejusmodi vera aliqua etsi imperfecta ratione, prædicta præcipua Fidei Mysteria fideli scienda, & credenda sunt pro captu cujusque sub mortali: adeo ut si Fidelis culpa, & negligentia sub notabili illa, vel illorum aliqua ignoret, sit in statu peccati mortalis omissionis, ob rationem supra datam. Et sane infidelibus inter Fideles habitantibus vix possibile est dari ignorantiam invincibilem excusantem a peccato, & in communi, & quoad omnia Mysteria Fidei præcipua explicite scienda, & credenda, cum continuo audiant immo quasi videant prædicta Mysteria ab, & in Ecclesia proponi in Concionibus, & celebrari Festis per annum, ut merito rejiciatur sententia Rosellæ apud Sanchez *cit.* putantis rudibus satis esse præcipuos etiam Fidei Articulos præter necessarios necessitate medii, credere implicite, credendo scilicet, quidquid S.Mater Ecclesia credit. Attamen in particulari, quoad aliqua etiam ex præcipuis Fidei Mysteriis potest sane etiam in Fidelibus quandoque dari ignorantia inculpabilis, a peccato excusans, idque ex duplici causa. *Primo* ob impotentiam naturalem, & hebetudinem ingenii aliquorum, qui etsi Dei, & Christi, ac aliorum obviorum Articulorum Fidei generalem quamdam apprehensionem assequantur, multorum tamen præcipuorum, ut Trinitatis, Incarnationis, &c. substantiam, nec in confuso capere, nec quovis modo explicare possint, contentis ipsis sufficiente generali Fide implicita, qua quoad hæc credunt, quod credit Ecclesia, vel quod Pastor eorum asserit. De quibus est vera sententia communis; rudibus sufficere aliquot saltem Articulos faciliores scire, & credere explicite, reliquos implicite: credendo scilicet, quod credit Ecclesia. *Secundo* fit ob defectum sufficiens propositionis, & instructionis, utpote, vel quia habitantes inter infideles Pastore, ac Instructore omnino carent, vel quod deterius, & non raro contingit, etiam habitantes inter Fideles sub Pastoribus tamen de Articulis Fidei, aliisque necessariis ad salutem non instruuntur, ob ignorantiam, vecordiam, aut etiam superbiam Pastorum, qui aut ipsi ignorant, aut detrectant, aut superbe verentur explicare Catechismum, & Articulos Fidei, intenti, nescio quibus declamationibus absque omni, vel cum exiguo fructu animarum. Juvat audire verba *Emmanuelis Sà, V.Fides* ita loquentis: Esse necesse explicite credere Fidei Mysteria, quæ publice in Ecclesia celebrantur, sentiunt multi cum *S.Thom.* Alii censent excusari multos ignorantia, præsertim cum deest, qui doceat, sufficereque in illis cum Baptismo credere, quod credit Ecclesia. Quam opinionem, etsi solebam impugnare, nunc non ausim. Quid enim? dicemusne perire infinitam Christianorum alioquin bonorum multitudinem, qui de Mysterio Trinitatis, Incarnationis, &c. vix quidquam recte norunt, immo perverse sentiunt, si interroges? Immo crediderim condemnari eorum Pastorem ob negligentiam docendi eadem. Ita Sà. Et hinc ulterius dicimus denique.

§. IV. *Alii tamen aliis plura, distinctiora pro ratione status, & conditione.*

14 N Am imprimis Majores, & eruditi in Ecclesia tenentur sub mortali plura & distinctius scire, & credere, quam inferiores, & simplices. V.G. Episcopus (per se loquendo) plus, quam Parochus: Theologus, Prædicator, Confessarius plus, quam simplex Sacerdos, Clericus, Laicus, &c. uti significat Salvator in Parabola talentorum varie distributorum, & vario lucro exacto. *Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum,* ait Greg.Mag. *ibid.hom.9.in Evang.* Deinde Curati, quorum est alios in Fide, & rebus necessariis instruere, vel de instructione providere, peccant sine dubio mortaliter, si aut ipsimet necessaria Fidei ignorent, aut de necessaria instructione non provideant: & specialiter, qui scienter promovent Pastores ignaros, aut quos sciunt, suos subditos non instruere in necessariis ad Fidem, & Salutem. Consequenter peccant mortaliter omnes Pastores (ad quos etiam parentes respectu filiorumfamilias reducuntur) qui suæ curæ commissos instructione indigentes culpabiliter non instruunt in necessariis ad Fidem, & Salutem. Contra quos omnes Pastores, aut ignaros, aut negligentes terribiliter tonat S.Scriptura Isa. 56. *Speculatores ejus cæci omnes, nesciunt universi, canes muti, non valentes latrare, &c.* Osee 4. *Quia repulisti scientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Et Apost. 1. ad Cor.9. *Væ mihi, si non Evangelizavero.* 1. ad Tit. 4. monet id ipsum; *Attende tibi, & doctrinæ.* Et ibidem de Episcopo, & pari ratione de omnibus Curatis dicens: *Quod debet esse potens in doctrina sana.*

COROLLARIUM.

Ad praxim Confessariorum pro ignorantibus pœnitentibus.

I. Confessarius ergo advertens pœnitentem in Articulis Fidei præcipuis, ac necessariis, uno, vel pluribus 15
prorsus ignarum, vel erroneum, vel defectuosum, sciat, se illum absolvere non posse nisi exigat, & impetret firmum propositum addiscendi, vel curandi se instrui: aliter absolvens & ipse peccat mortaliter. Ratio clara est: Aut enim pœnitens eo usque laboravit ignorantia culpabili, & sic peccavit mortaliter, & consequenter per se requiritur firmum propositum emendandi, & addiscendi Articulos scitu necessarios, alioquin censebitur permanere in peccato mortali, & incapax absolutionis. Aut laboravit ignorantia inculpabili necessariorum ad salutem ob ruditatem, vel defectum instructionis: & tunc de hac ignorantia informari debet, & adigi ad propositum addiscendi, alioquin nisi sic proponat, ignorantia antea inculpabilis fiet culpabilis, & pœnitens non proponens addiscere, peccaret, & sic rursus fit incapax absolutionis. Et si quidem ignorantia esset de aliquo essentialiter requisito ad valorem Sacramenti, v. g. de dolore, vel proposito requisito, aut de aliquo necessario credendo necessitate medii, ut mysteria SS.Trinitatis, Incarnationis, &c. etiam Sacramentum esset nullum, pravissimo sacrilegio commisso ab utroque. Juxta latius dicta suo loco de Pœnitentia. Unde inter Propositiones damnatas ab Innoc. XI. ponitur & hæc 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei: & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri JESU CHRISTI.*

II. Si Confessarius absque incommodo possit, debet pœnitentem ignarum breviter instruere de Articulo Fidei necessario ignorato, & actum credendi ab eo elicere. Sin vero id commode fieri nequeat, non tenetur, nisi pœnitens laboraret ignorantia alicujus Articuli Fidei ipsum Sacramentum Pœnitentiæ, vel sumendæ Eucharistiæ concernentis, tunc enim maxime tenetur, ut evitetur periculum sacrilegii, ut modo innui. Optima autem, & facilis praxis est ignaro, ac rudi pœnitenti in Articulis Fidei necessariis absque multis inculcationibus, & explicationibus tædiosis tam brevi tempore numquam satis capiendis, illius ignorantiam supplere proponendo illi Articulos præcipuos necessario credendos, & ad singulos actum credendi exigendo hoc, vel simili modo: Credis Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse tres Personas, & unum Deum? credo. Credis JESUM Christum esse verum Filium Dei: verum Deum, & hominem pro te natum, crucifixum, mortuum & sepultum? Resurrexisse, ascendisse, sedere ad dexteram Dei Patris, venturum Judicem? credis unam Ecclesiam Sanctam Catholicam, extra quam non est Salus? credis in Ecclesia esse potestatem remittendi peccata, Sacramenta, Christum vere esse in Eucharistia sub speciebus panis,& vini? &c. Quod si pœnitens ad singula cum pio affectu prompte respondeat, *credo*, vel: *ita, mi Domine:* quantumvis, ignarus, & rudis sit, censebitur sufficienter elicuisse actum explicitum Fidei ad Salutem necessarium, ac proinde cum proposito ejusmodi Articulos melius addiscendi, quantum est ex hoc capite, satis dispositus ad Sacramentum. Quæ quidem praxis maxime necessaria est in ejusmodi rudibus moribundis, vel periculosa infirmitate laborantibus: sine dubio enim tales plurimi pereunt, quia numquam actum explicitum Fidei elicuerunt, de quo mox.

SECTIO II.

Secundum Præceptum, & obligatio Fidei quoad actum internum credendi.

SUMMARIUM.

16 *Quilibet adultus rationis compos tenetur assentiri explicite Articulis fidei sufficienter propositis.*

17 Idque

17 *Idque quam primum* moraliter *potest*, *aut sufficienter capit unus citius*, *aut tardius altero*, *pro conditione subjecti*.
18 *Quo assensu semel habito*, *præceptum hoc affirmativum Fidei per se directe amplius non obligat*.
19 *Assignantur tempora*, *quibus per se obligat hoc præceptum*.
20 *Per accidens enim sæpissime obligat*.
21 *Cujus*, *velut regulæ*, *ponuntur quatuor casus*.

ASSERTIO III.

Omnis homo adultus, *& rationis compos tenetur actu interno assentiri articulis Fidei*, *sibi explicite*, *& sufficienter propositis*, *quam primum moraliter*: *eo assensu saltem semel habito*, *præceptum hoc affirmativum per se directe amplius non obligat*, *per accidens autem sæpissime*. Communis DD. ut patebit explicando particulatim.

§. I. *Tenetur assentiri articulis Fidei sibi explicite*, *& sufficienter propositis*.

16 Videlicet tamquam revelatis a Deo, & credibilibus ob argumenta, & motiva adeo apparentia, ut secundum regulas Prudentiæ omnino moveri debeat ad assentiendum seu ad Fidem talem acceptandam. Nullus enim, sive jam fidelis, sive infidelis, tenetur, immo nec potest assentiri alicui Articulo Fidei tanquam revelato a Deo, nisi sufficienter sibi proposito ut credibili, juxta dicta *c. præc. Nota hic*, aliquem infidelem, vel ignarum adhuc rerum Fidei, varie posse se habere ad Articulos Fidei credendos.

I. Potest se habere ut *pure ignorans*: Utpote, quia, vel nunquam, aut cogitavit de rebus Fidei, vel si audivit, tamen non nisi confutando, irridendo, blasphemando, ut solet fieri apud hæreticos, vel certe sic, ut non apparuerit sibi probabile, vel credibile, &c. Et talis sine dubio non tenetur, immo nec potest in hoc statu assentiri, juxta regulas Prudentiæ: *Quia qui cito credit*, *levis est corde*.

II. *Ut dubius*: quando audiens scilicet de rebus Fidei, incipit dubitare, an non forte in sua Secta erret, & altera Fides Catholica vera sit. Et in hoc statu etiam nondum quidem tenetur assentiri ob eamdem rationem, jam tamen tenetur sub mortali diligenter inquirere de veritate: alias enim eo ipso ignorantia veræ Fidei fieret ipsi culpabilis voluntaria, quæ in rebus ad salutem necessariis sine dubio est peccatum mortale: Atque in hoc statu plurimi, immo forte plerique, nunc sunt apud hæreticos, præsertim inter Catholicos viventes.

III. *Ut suasus* de majore probabilitate; Quando scilicet ob argumenta, vel motiva vere agnoscit Fidem nostram esse probabilem, ac probabiliorem, quam suam sectam: & in hoc statu jam incipit major obligatio credendi. Et quidem *communis sententia cum Laym. cit. c.*10. asserit tunc jam teneri assentiri, Sanch. *tamen l.*2. *mor. c.*1. *n.*6. cum aliis pluribus negat, eum tunc teneri statim assentiri, quamdiu sua Secta adhuc ipsi probabilis apparet: sed posse differre ad rem melius perpendendam, ut certior fiat in re gravissimi momenti, extra tamen articulum, vel periculum mortis, quando ob periculum animæ partem tutiorem amplecti oportet. Certum autem est talem suasum de majori probabilitate veræ Fidei, & falsitate suæ Sectæ, ob suam minorem probabilitatem non posse etiam positive, & pertinaciter dissentire veræ Fidei sine peccato infidelitatis: cum in rebus ad salutem adeo necessariis tutior pars eligenda sit. Ut merito sub Innoc.XI. damnata sit ista proposit.4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens*, *ductus opinione minus probabili*.

IV. Denique, ut *persuasus*, & quasi convictus de veritate, quando nimirum ei Articuli Fidei Catholicæ adeo proponuntur credibiles, Scripturis, rationibus, miraculis, sanctitate, & Sapientia talem Fidem sectantium, aliisque motivis, ut intellectus ipsius omnino convincatur agnoscere, Fidem veram esse, & in hoc statu nimirum censentur articuli Fidei ei sufficienter propositi, & is obligatus ad actum credendi, sic ut renuens assentiri, adhuc sine dubio peccet mortaliter contra dictamen conscientiæ & hoc præceptum affirmativum Fidei, nimirum peccato omissionis. Nam si insuper pergat pertinaciter dissentiri, & suæ falsæ Sectæ assentiri, peccabit etiam peccato commissionis, seu formalis infidelitatis, v.grat. hæresis. Ratio sumitur ex apertis verbis Christi Matth. ultimo: *Docete omnes Gentes*, *baptizantes eos in Nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, *qui crediderit*, *& baptizatus fuerit*, *salvus erit*: *qui autem non crediderit*, *condemnabitur*: Quasi aperte Salvator dicat, & præcipiat: cum eos docueritis, sive cum vestra doctrina debite informati fuerint de mea Fide, tunc, aut debent credere, aut condemnari: atqui condemnatio est pœna peccati mortalis; ergo sub mortali adultus tenetur credere, & assentiri articulis Fidei sufficienter propositis. Unde & ipse Christus in eis, quos vocavit, & Apostoli in eis, quos converterunt, semper exigebant actum Fidei circa Fidem propositam, ut passim videre est in Evangelio, & Actis Apostolorum, v. gr. Act.8. Philippus Eunucho petenti Baptismum ait; *Si credis in toto corde*, *&c.*

§. II. *Quamprimum moraliter*.

Postquam nimirum Articuli Fidei ita sufficienter propositi sunt. Pueri ergo inter Fideles educati tenentur elicere assensum Fidei, quando usum rationis consecuti perfecte Mysteria Fidei tamquam a Deo revelata sufficienter apprehendunt. Infidelis autem Adultus tenetur elicere actum Fidei, quando, propositis sibi Articulis Fidei, incipit jam prudenter agnoscere, eam esse veram Fidem, ea Mysteria credita esse vera, & contrarias Sectas esse falsas juxta dicta immediate §. *præced.* Communissima DD. pluribusque congestis Sanch. *cit. cap.*1.*n.*8. Lugo *De Fide d.*3. *Sect.*1. Tann. Laym. Tamb. *lib.*2.*6.*1. §.1. *nu.*8. Sumitur aperte ex verbis Christi Matth. ult. modo allegatis. Et ratio est: quia Divino, & naturali jure ad statum viatoris pertinet, ut ad propositum sibi finem tendat, atque ab eo non aberret; hoc autem fieri non potest, nisi finem suum Deum per ea, quæ ad illum Finem obtinendum necessaria sunt, cognoscat, & credat: ergo homo adultus, & rationis compos tenetur statim assentiri iis Articulis sufficienter propositis; saltem tenetur non diu differre assensum in re tanti momenti, ubi mora culpabilis, & mortalis æstimari debet arbitrio prudentis, maxime in pueris. Unde notanter 17

Dixi *quamprimum moraliter*, recte enim monet Sanch. *cit. c.*1. *n.*3. in praxi cum pueris non esse scrupulose agendum quoad impletionem hujus præcepti, & peccatum omissionis. Nam præterquam quod frequenter accidat, pueros diu usum habere rationis, & tamen eis Mysteria Fidei, ut Fide supernaturali credenda, sufficienter non proponantur, & apprehendantur (quousque a præcepto Fidei sine dubio excusati sunt.) Insuper ipsi revera non advertunt talem obligationem credendi: Unde vix evenit, ut peccent non eliciendo actum Fidei contra hoc præceptum. Adulti autem Fideles post Fidem veram sufficienter, & plene propositam, si non statim, aut brevi assentiantur, citius contra hoc præceptum peccabunt prudentis arbitrio; & vix sistent in incredulitate negativa contra hoc præceptum affirmativum, sed positive simul dissentientur, & in sua secta pertinaciter perdurabunt, positiva incredulitate, & peccato commissionis, hæresis v. gr. contra præceptum negativum non negandi veram Fidem agnitam.

Denique tam pueri adulti, quam infideles conversi, postquam didicerunt Mysteria Fidei, Festa Christi coluerunt, Conciones, Missas, &c. audierunt, nisi prorsus brutorum instar vixerint, omnino judicandi sunt, præbuisse saltem semel assensum iis Fidei Mysteriis, adeoque satisfecisse huic præcepto.

§. III. *Eo assensu semel habito*, *Præceptum hoc affirmativum Fidei per se directe amplius non obligat*.

Ita contra Antiquos varios, communis RR. cum Card. de Lugo *d.*13.*Sect.*2.*nu.*44. Tambur. *lib.*2.*c.*1. §. *in* 9. Ratio solida est: Quæ ex una parte, nullum potest assignari tempus certum, & determinatum, neque Christi, neque Ecclesiæ Lege, quo per se directe obligaret præceptum Fidei quoad actum internum, ut mox patebit: ex altera parte sæpissime obligari per accidens, ut §. *seq.* videbitur. Ut vel ideo Christus Dominus prudenter credatur non voluisse imponere præceptum per se directum Fidei, sed satis superque judicasse, eum sæpius debere exerceri propter alios actus necessarios: quare Lugo cit. merito censet inutilem hanc quæstionem de tempore, quo tenentur Fideles actus Fidei repetere, ut satisfiat obligationi Fidei, cui non videtur satisfieri semel tantum amplectendo Fidem, ejusque Mysteria credendo; Quia nimirum non potest contingere moraliter, quod homo Christianus, qui semel Fidem Christianam toto corde amplexus est, nec postea ab ea defecit, vel de ea dubitavit, non repetat sæpissime actus Fidei tum per se, tum per accidens una cum aliis actibus bonis necessariis, vel liberis, ut orando, Missam audiendo, Sacramenta suscipiendo, ut proinde hanc sententiam minime involvere posse videatur propositio 17. damnata ab Innocentio XI. *Satis est*, *actum Fidei semel in vita elicere*. Sicut nec alia 65. & ultima: *Sufficit illa Mysteria* (SS. Trinitatis, & Incarnationis) *Semel credidisse*. Cum nullus sit Catholicorum, nisi longe improbissimus, qui illa Mysteria quotidie non sæpius credat in actu exercito, vel tot formationibus S.Crucis, & invocationibus SS.Trinitatis, &c. etsi in actu signato expresse non dicat: *Credo verum*, *& a Deo revelatum esse tale mysterium*: ut supra jam innui. Sed videamus tempora communiter assignata ab Antiquis, quibus per se obligat præceptum Fidei affirmativum ad actum internum credendi. 18

Primum tempus ab omnibus etiam nobis assignatum est, quando incipit usus rationis, vel adulto vera Fides sufficienter proponitur, juxta dicta §. *præced.* Verum id non fit tantum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii juxta dicta §. I. 19

Secundum tempus assignatur in articulo mortis, quia tunc Fidelis debet se contra Dæmonis tentationes infestissimas per actus Fidei munire, quod quidem per accidens libenter conceditur in casu, quo tentatio aliter superari nequit,

aut alii actus actum Fidei necessario supponentes (ut Contritio, Confessio, &c.) exercendi sunt: juxta dicenda §. *seq.* Per se autem nullum plane est fundamentum ejus obligationis.

Tertium tempus assignatur his terminis: *Saltem aliquoties in vita*. Sed confuse nimis, & scrupulose: Aliqui determinant, obligare hoc præceptum saltem semel in anno, sicut præceptum Confessionis, & Communionis: Alii diebus Dominicis, & Festis, inter quos etiam dubitative Scotus. Alii aliter, ut late videre potes apud Suarez *hic d.* 13. *sect.*5. Et Sanch. *lib.*2. *moral. c.*1. *nu.*3. Qui optime refutant; cum nullum sit omnino fundamentum ejusmodi obligationis per se: per accidens autem ratione aliorum actuum per annum, vel totam vitam exercendorum, nullum potest esse dubium, ut patebit.

Quartum tempus etiam communiter assignatum est, quando urget gravis tentatio contra Fidem, vel in communi, vel in particulari contra aliquod mysterium, quam quis non videatur posse superare, nisi contrarium actum Fidei eliciendo; tunc nimirum sub mortali obligari hominem actum Fidei elicere: quia alioquin relinquet se in periculo labendi in Fide,& consequenter omittendo actum Fidei peccabit mortaliter. Verum in primis casus iste rarissimus est, quia ordinarie ejusmodi tentationes multo securius superantur, mentem alio efficaciter convertendo, quam per contrarios actus cum iis quasi altercando, quibus tentatio plerumque intendi, & exasperari solet, essetque nimis dura obligatio, maxime pro scrupulosis, ut bene notant Lugo, & Tamburin. cit. Deinde, dato casu, aliter non posse superari tentationem nisi per elicitum contrarium actum Fidei, adhuc obligatio credendi non erit per se directe ex præcepto Fidei, affirmativo de eliciendo actu interno Fidei; sed per accidens, & indirecte, ratione scilicet præcepti negativi de Fide non abneganda, contra hoc ergo, non contra illud, peccabit tentatus omittendo actum Fidei, sicque se exponendo, vel relinquendo in periculo labendi in Fide. Unde in Confessione non opus erit confiteri peccatum omissionis v. gr. dicendo: *Semel non elicui actum Fidei, cum necesse esset;* sed tantum peccatum commissionis contra præceptum illud negativum: Utpote; *Exposui, vel permisi me in periculo in Fide labendi talis, vel talis mysterii: etiam lapsus sum:* Quod valde notandum est, & patebit mox amplius.

§. IV. *Per accidens autem sæpissime.*

20 Regulam generalem optime tradit Card. de Lugo cit. sect.2. n.43. *Toties erit obligatio eliciendi assensum Fidei, quoties is necessarius est ad observandum aliud præceptum, quod tunc obligat.* Ratio est: quia qui tenetur ad aliquem finem, tenetur etiam ad ponenda media necessaria, & proportionata: atqui v.g. obligatus die Festo audire Sacrum, non potest eum actum debite exercere, nisi supposito actu Fidei, ut per se clarum est: ergo. Obligatio ergo hæc per se directe non erit ex præcepto aliquo Fidei, sed ex obligatione alterius illius præcepti v.g. Missam audiendi, vel dicendi, communicandi, &c. ad ejus observantiam necessarius est actus Fidei: & contra illud solum præceptum peccabitur omittendo actum Fidei, atque non erit duplex peccatum explicandum in Confessione, sed unum tantum contra illud aliud præceptum, v.g. dicendo: *Invalide, vel sacrilege celebravi, communicavi, &c.* Ut cum Sanch. cit. Coninch. aliisque docet Lugo *cit. n.*34. *in fine*. Et jam accipe.

CASUS.

Quibus per accidens est obligatio eliciendi assensum Fidei?

21 Primus: Quando quis tenetur, vel vult justificari, seu gratiam amissam recuperare per contritionem, aut attritionem cum Sacramento. *Certum apud omnes.* Non enim potest quis actum Contritionis, vel Attritionis supernaturalis elicere, nisi credat in Deum cum spe veniæ: nisi credat Deum esse Summum Bonum, cujus amore conteritur: aut nisi credat, esse pœnas æternas, & temporales a Deo peccatoribus decretas, quarum timore atteritur: denique nisi credat, esse Sacramentum pœnitentiæ, ac potestatem remittendi peccata, cujus ope liberari a peccatis intendit.

Secundus: Universaliter quandocumque homo tenetur elicere, vel exercere actum supernaturalem, qui necessario semper supponit Fidem: Ut Spei, Charitatis, Religionis, v.g. orare, suscipere, vel administrare Sacramenta: ob eamdem rationem facile applicabilem. Advertit tamen recte Lugo *cit. d.*13. *sect.*2. *n.*51. in his omnibus necessario quidem intervenire Fidem actualem, non tamen semper actum formalem explicitum, qua nimirum quis expresse dicat: Credo Deum esse, quem nunc oro. Credo Sacramentum esse, quod nunc ministrare, vel suscipere volo, &c. Sed saltem implicite, & in confuso, quatenus ex memoria notitiæ per Fidem comparatæ habet Fidelis intentionem Deum amandi, sperandi, orandi, Sacrum audiendi, vel offerendi, Sacramenta suscipiendi, aut administrandi, &c. ex Fide prius, & toties exercitia sciens, Deum esse, &c. Quamvis autem ad valorem Sacramenti non requiratur ea Fides in ministrante, ut nimirum is sciat, vel credat, illud esse Sacramentum, certum tamen est, requiri in fideli ministro ad licitam ministrationem intentionem absolutam ex Fide, & doctrina Christi.

Tertius. Quandocumque urget gravis tentatio contra quamcumque virtutem, & maxime ipsam Fidem, ut revera aliter superari non posse videatur, quam scuto Fidei se muniendo, juxta illud 1.Petri 5. *Estote fortes in Fide, &c.* Et si quidem tentatio illa sit contra aliquam virtutem, utpote Spem, Charitatem, Chastitatem, &c. obligatio Fidei erit omnino per accidens, & indirecta: sin autem tentatio sit contra ipsam Fidem, obligatio erit quidem directe ex ipsa virtute Fidei, sed iterum non ex isto præcepto affirmativo, sed, si sit periculum omnino deficiendi, vel negandi Fidem etiam interius, obligatio erit ex præcepto negativo non negandi Fidem exterius, vel interius: ad idem enim præceptum spectat non facere actum prohibitum & excludere ejus proximum periculum per media opportuna: Quale medium in proposito supponitur esse, munire se actu Fidei elicito. Vide, quæ dixi §. *præced.* sub finem. Et hinc est casus

Quartus. Quanto quis tenetur exterius confiteri Fidem, maxime coram Tyranno cum periculo deficiendi in Fide, quod aliter non posset vitari, nisi fortiter urgendo actum internum Fidei, ea obligatio est etiam per se directe ex virtute Fidei: sed iterum non ex præcepto affirmativo, sed ex præcepto negativo non negandi Fidem interius, vel saltem exterius, prout fuerit periculum negandi, ob rationem modo datam.

SECTIO IV.

Præceptum tertium, & quartum Fidei, quoad confessionem, & negationem Fidei externam.

SUMMARIUM.

22 *Qualis sit, aut esse debeat confessio Fidei externæ.*
23 *Præcepto divino naturali tenentur fideles Fidem exterius verbo, signo, vel opere confiteri sub mortali.*
24 *Quoties id exigit honor Dei, vel Christo debitus, ut pulchre exemplificatur quatuor casibus.*
25 *Et fidei confirmatio.*
26 *Aut quando Salus propria,*
27 *Vel proximorum periclitatur.*
28 *In persecutione Fidei per se semper fugere licet, nisi officium obstet.*
29 *Nullo unquam casu, etiam mortis periculo, licet Fidem negare, sive expresse, sive interpretative verbo, signo, vel facto, &c.*
30 *Quando quis censeatur negare Fidem explicite: quando interpretative*
31 *Quando quis obligante præcepto, simulando, vel æquivocando in verbis censeatur interpretative negare Fidem.*
32 *Præcepto Fidei confitendæ etiam non obligante, Fidem tamen interpretative negat, qui utitur signo directe, vel indirecte manifestativo hæresis.*
33 *Talia autem signa non sunt, v.gr. ornatus, vel vestimenta, gentis solum, & non sectæ distinctiva.*
34 *Immo esto etiam sint distinctiva sectæ, modo non sint protestativa ejusdem.*
35 *Bene autem si sint non tantum distinctiva sectæ, sed & manifestativa ejusdem.*
36 *Et multo magis si insuper contineant actualem cultum auctoris falsæ sectæ.*
37 *Item Fidem interpretative negat, exercens opus, vel actionem ex natura sua, institutione, aut circumstantiis hæresis manifestativam, ut in sacris gentilium, v.g. adorare idolum, &c.*
38 *Quando quis interpretative Fidem negare censeatur, communicando eorum cœna,*
39 *Frequentando eorum Ecclesias,*
40 *Comedendo carnes die prohibito,*

Fidei tertium præceptum affirmativum est *confiteri Fidem exterius*, cum opus est; huic oppositum quartum, & primum negativum Fidei præceptum est, non negare Fidem exterius. Utrumque propter maximam connexionem explicabimus hac *Sectione* sub gemina assertione. Quintum autem Fidei præceptum, & secundum negativum, Non negare Fidem etiam interius, importat infidelitatem positivam, ac præcipue hæresim, & ei annexa: ideoque necessario pluribus seorsim explicandum *Seq. cap. toto*. 22

Confessio externa Fidei est *Manifestatio Fidei internæ signo aliquo externo ad hoc specialiter ordinato, & comprobato.* Utpote, vel apertis verbis, vel signis, & actionibus ex speciali ordinatione significantibus, exprimentibus, & distinguentibus Fidem. Etenim ad Confessionem Fidei Catholicæ de facto non sufficit uti verbis, signis, vel actionibus communibus Fidei Catholicæ cum aliis Sectis, ut dicere se Christianum esse, Symbolum Apostolorum, vel Orationem Dominicam recitare, sacram Scripturam profiteri. Sed oportet uti

uti verbis, signis, vel actionibus distincte significantibus, & distinguentibus Fidem Catholicam ab aliis Sectis, utpote dicendo, se esse Catholicum Romanæ Fidei, se cruce signare, Catholico more Sacrum facere, communicare, jejunare, &c. His positis, sit

ASSERTIO IV.

23 PRæcepto Divino naturali tenetur Fidelis Fidem exterius confiteri verbo, quoties ita exigit honor Deo, vel Christo debitus, Fidei confirmatio, propria, vel proximi Salus. Seu quod idem est, & regula generalis esto; Quotiescumque ex taciturnitate, vel dissimulatione Fidei oritur detrimentum honoris Dei, Fidei, & Religionis Catholicæ, salutis propriæ, vel proximorum, quod professione Fidei impediri potest, tenetur omnis Fidelis ad hoc idoneus sub mortali Fidem suam profiteri, & defendere, etiam cum periculo mortis aut cujusque boni temporalis detrimento. Ita D. Thom. 2. 2. 4.3. ab omnibus receptus. Et sumitur clare ex verbis Christi Matth.10. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Qui autem negaverit, &c.* Et Apost. ad Rom.10. *Si confitearis in ore tuo Dominum JESUM CHRISTUM, & in corde tuo credideris, quia Deus suscitavit illum a mortuis, salvus eris, corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Sic Apost. aperte significans, confessionem externam Fidei necessariam esse ad salutem: adeoque obligare quandoque sub mortali. Ratio ergo ex allegatis verbis Christi desumpta est: Quia omnis homo Christianus Christo in Baptismo nomen dedit, & se obligavit ad ejus Fidem tenendam, tuendam, & confitendam, etiam sua morte, & sanguine, si opus fuerit, velut juramento implicito. De quo Div. Hieron. Epist. ad Heliodor. *Recordare tyrocinii tui diem, quo Christo in Baptismate sepultus, in Sacramento jurasti.* Et Apost.1.ad Th.6. *Certa bonum certamen Fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus confessionem bonam coram multis testibus.* Et ad Hebr.3.Vocat Christum *Pontificem confessionis nostræ.* Ergo, sicut qui se Regi cuidam juramento Fidelitatis in militia, vel alio obsequio obstrinxit, tenetur illud servare, etiam sub pœna mortis, vel quavis alia, ubi nimirum aliqua necessitas id exigit; certum enim est, præceptum affirmativum Fidei confitendæ non obligare pro semper, sed solum pro certo tempore, & ratione necessitatis ita exigentis, uti in assertione expressum est, nimirum quando ita exigit

§. I. *Honor Dei, & Christi.*

24 FIdes confitenda est, quando sic exigit, & alioquin notabiliter diminueretur honor Dei, & Christi: idque maxime quando quis a Magistratu, vel judice absolute ad Fidem probandam, sive ut sciatur, cujus Fidei sit, auctoritate publica interrogatus, an sit Catholicus, vel quid de aliquo Articulo Fidei sentiat. Sive id fiat publice, sive privatim, sive ad Finem bonum, ut inter Catholicos: sive ad finem malum, ut si interrogetur apud hæreticos, vel infideles, tenetur sub mortali Fidem suam confiteri, & profiteri positive, & explicite sine ambiguitate, seu æquivocatione verborum, etiam cum mortis periculo, ob rationem datam. Nam alioquin Deo, & Christo magnus honor detraheretur. Vere enim magnus est honor Dei, & Christi, Principis, & Capitis Fidei nostræ, quod Christianus coram Principibus, & Magistratibus hujus sæculi contra oblatrantibus, & persequentibus Fidem suam fateatur. Præterea, dum mortis, & periculorum minis in publico Judicio Fides nequaquam perit, mirum in modum ejus veritas confirmatur, atque in regnis radices agit: Quare si unquam ejus confessio urget, tunc certe maxime urgere rationabile est; atque is semper fuit sensus Ecclesiæ, quæ se in ejusmodi casu obligatam esse ad confitendam Fidem semper existimavit. Sic Petrus, & Joannes Fidem, & virtutem Christi Nominis confessi sunt contra Tribunalia Judæorum *Act.4.* Et, cum eis comminarentur, audacter responderunt. *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate.* Quidquid contra perdite sentiant politici nostri temporis: immo etiam non nemo ex Catholicis. Certe, & merito ab Innocentio XI. damnata est hæc Propositio 18. *Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo, & Fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum non damno.*

II. At vero si privatus quidam infidelis, vel hæreticus interrogat, nullus per se loquendo tenebitur fateri, sed vel tacendo, vel alio modo eludere potest. Cum enim talis publicam auctoritatem non gerat, nullus inde honor Christi periclitabitur. Sic contigit, quod multis navigantibus in navi hæretica quidam hæreticus stricto gladio discurrens quæreret, quinam ex istis sint Papistæ, minatus eos omnes velle obtruncare, aderant permulti Catholici, sed nemo Fidem suam fassus est. An recte? Recte factum respondent Sanch. *lib.26.* Tabiena, Bonav. alii cum Tambur. *cit.cap.1. §.2. nu.3.* Quia scurra ille cum publicam auctoritatem nullam gereret, adeoque nullus inde honor Christi periclitaretur, explodendus potius fuit, quam audiendus. Dixi autem *per se loquendo:* recte enim monet D. Thom. Quod si vir admodum gravis interrogaretur etiam a privatis hæreticis de sua Fide, ipse autem si taceat, vel dissimulet, magnum aliquod scandalum oriri rationabiliter timeat, tacere sane non posset, quia in illis circumstantiis magnus Dei honor, aut saltem salus proximorum externam ejus Fidei confessionem exigit.

III. Quod si quis interrogaretur, vel examinaretur ab hæreticis, quavis auctoritate publica, vel privata, sit ne Sacerdos, vel Monachus, an Sacrum dixerit, vel audierit, an die Veneris carnibus abstineat, &c. Etiamsi Catholicus advertat ex mente interrogantis idem esse, ac quærere, an sit Catholicus; Adhuc non obligaris respondere, sed quoquo modo dissimulare potes. Quia multi sunt Catholici, qui non sunt Sacerdotes, vel Monachi, qui Sacrum sæpe non dicunt, nec audiunt, nec carnibus abstinent. Secus dicendum, si interrogeris, an sis Papista: quia hæc interrogatio in terminis æquivalet huic, an sis Catholicus, ideoque fateri debes, si publica auctoritate interrogeris, secus si privata, juxta modo supra dicta.

IV. Si Tyrannus, vel Princeps, aut Magistratus hæreticus generatim præcipiat, ut omnes se prodant Catholici, ut certas vestes, vel signa ferant, quibus noscantur esse Catholici, aut omnes Catholicos ex regno, vel regione exulare præcipiat, aut certas eis pœnas taxet; teneantur ne Catholici obedire, & ita Fidem profiteri? Resp. Non teneri, quia ex una parte injuste agit Tyrannus, vel Magistratus talis; ex altera parte nemo non particulariter, seu personaliter interrogatus tenetur profiteri Fidem suam. *Excipe:* Nisi magnus Dei honor, & proximorum salus aliud requireret: Sicut contra teneberis, te occultare, si Spes sit in futurum, te posse Fidem melius profiteri, ac promovere, præsertim si Sacerdos sis. Communis apud Sanchez, & Tamburin. *cit.* De fuga in persecutione Fidei dicam inferius in fine.

§. II. *Fidei Confirmatio.*

QUotiescumque nimirum doctrina, Fidei firmitas, vel auctoritas Catholicæ Ecclesiæ periclitatur, præsens, & advertens, si prodesse possit, tenebitur Fidem profiteri, v.gr. Intervenit quis, vel interest colloquio, vel disputationi Catholicorum cum hæreticis: advertit ob illorum ruditatem, doctrinam Fidei, & Ecclesiæ, irrisioni, & blasphemiis exponi: Si se sufficientem, & prodesse posse putet, tenetur sub mortali, etiam cum periculo vitæ, pro veritate decertare, Fidem suam profiteri, ac defendere. Hoc enim Fidelitas erga Christum, & ejus Verbum postulat, scilicet, ut ait Apost. ad Tit.2. *Ut non blasphemetur Verbum Dei.* Et 2. Pet.2. *Ne via veritatis blasphemetur.* Eadem est ratio de tuenda veritate Ecclesiæ, de qua Dionys. Alexand. Epist. ad Novat. *Non est inferior gloria sustinere Martyrium pro eo, ne scindatur Ecclesia, quam est illa, ne idolis immoletur. Immo secundum meam sententiam majus hoc puto Martyrium: ibi enim unusquisque pro sua tantum anima, in hoc vero pro omni Ecclesia Martyrium sustinet.* Hæc ille. 25

Similiter, si videas infidelem, vel hæreticum, v.g. sanctam Eucharistiam, sacras imagines, Reliquias, Virgines sacras violare, si possis, teneris illos cohibere, & te Christianum, & Catholicum manifestare, etiam cum periculo vitæ: Quia ita exposcit & Dei honor, & veræ Fidei indemnitas. Si potes, inquam semper; Nam si tuus conatus nihil profuturus prævidetur, non erit ratio, unde obligeris. Ita DD. *cit.*

§. III. *Salus propria.*

FIdes confitenda est, quandocumq; exigit propria salus, quæ alias periclitaretur; utpote si tacens, & dissimulans, eo ipso periculum subeas, ne Fidem abneges, juxta dicenda *Assertione seq.* Item si Fidem tuam dissimulans, cogaris multa agere contra conscientiam, & legem Dei, & ut plurimum gravissima peccata mortalia, v.g. Servit Catholicus Domino hæretico, si se Catholicum esse dissimulet, cogetur profana conventicula hæreticorum adire cum Domino, conciones hæreticas audire, nefandæ cœnæ communicare, aliisque actibus hæreticis; &c. tenetur sub mortali profiteri suam Fidem, aut, si nihil proficiat professio Fidei, recedere a Domino hæretico, quocumque periculo, vel damno imminente, cum detrimentum animæ cuicumque damno corporali præponderare debeat. 26

§. IV. *Salus Proximorum.*

FIdes confitenda est, quotiescumque ita exigit salus proximi, quæ alias periclitaretur: utpote, si proximorum scandalum, vel ruina spiritualis imminet, & tua professione Fidei impedire potes e. g. Petrus Theologus adest convivio, & colloquio multorum Catholicorum, & hæreticorum, miscentur profani sermones, irrisiones, &c. contra Fidem, & Religionem Catholicam, comeduntur carnes die vetito, videt, & advertit, si taceat, corrideat, comedat carnes, scandalizandos Catholicos, eosque labefactandos in Fide, Fidei suæ incertitudinem suspicaturos, e contra hæreticos in sua Secta confirmandos, & defectum Fidei 27

ex

ex sua taciturnitate præsumpturos; talis omnino sub mortali tenetur Fidem suam profiteri, falsis dictis, & sannis contradicere, ab esu carnium abstinere.

Denique sermo tantum fuit de Fidei confessione externa, quatenus est de jure Divino ex virtute Fidei. Jure autem humano, & lege positiva Ecclesiæ certæ personæ in certis casibus tenentur etiam sub mortali professionem Fidei facere, utpote omnes Beneficiarii, Canonici, Parochi, intra duos menses adeptæ possessionis. Ex *Trid. Sess.24.c.22.* Item ordinandi, Doctores creandi, Reges, & Imperatores in sua inauguratione, & alii nonnulli, idque ex gravi causa, nempe ut animabus, & populis commissis bene sit provisum: nec earum regimen spirituale, vel temporale, hæretico, vel infideli committatur, quæ, cum sit gravissima materia, præceptum transgredientes, seu scienter Fidem profiteri detrectantes sine dubio mortali peccato adstringit: tum ex generali præcepto Charitatis, tum ex speciali præcepto Fidei confitendæ in casu necessitatis: Exemplum plusquam Christianum ante Christum præbuit heroicæ plane Confessionis Fidei, & legis Dei, Senex ille Eleazarus 2. *Machab.6.* Qui cum a Tyranno adigeretur carnes suillas comedere, & quidam amici suaderent id simulare, comedendo alias carnes licitas, generose respondit, & respuit dicens. *Non enim ætate nostra dignum est fingere, ut multi adolescentes arbitrantes, Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur,* (& addendo obligationem hujus sub mortali, ait.) *Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis, nec vivus, nec defunctus effugiam.*

COROLLARIUM.

28 EX dictis facile colligitur, qualiter, urgente persecutione Fidei, liceat, vel non liceat Catholico fugere, ne cogatur cum mortis, vel alio periculo Fidem suam confiteri. Per se enim, & ratione fugæ præcise, semper licet; quia fuga de se non dicit negationem, vel dissimulationem Fidei, multo minus simulationem alterius Sectæ: quin immo hoc ipso, quod Catholicus fugit, se Catholicum fatetur, & prodit; quippe qui ad conservandam illibatam Fidem suam fugit non vacillans in Fide, sed diffidens de sua fortitudine, & constantia ad perferendas persecutiones, vel pœnas imminentes; atque omnino jure suo utens, quo licet omni modo licito tueri Fidem suam, quod Christus non tantum verbo Matth. 10. *Cum persequentur vos in una civitate, fugite in aliam,* Sed & exemplo docuit sæpius fugiens impiorum persecutiones; & Sancti factis suis ostenderunt. Lege præclaram Homiliam, & Apologiam D. Athanasii de fuga sua. Pars legitur in suo Festo 2. Maji.

Dixi: *Per se ratione fugæ præcise:* Nam aliunde ex ratione personæ, vel officii sæpe non licebit fugere; Sic tempore persecutionis Fidei non potest Episcopus, vel Pastor, fugere, si ex ejus fuga immineat periculum gregi sibi commisso; nam bonorum Pastorum est, animam ponere pro ovibus suis, & non tantum *in pace*, sed etiam (teste S. Cypriano Epist.54.) *in acie oves tueri:* idque ex obligatione Charitatis, & Justitiæ, adeo ut si opus fuerit, teneatur etiam sanguine, & vita, Fidem pro ovium suarum confirmatione firmare.

Regula ergo hic esse potest. Si sis ejus conditionis, ut, te fugiente, periclitetur honor Dei, vel Salus animarum, tuique muneris observatio, fugere non poteris, juxta modo dicta. Quod si solum esses utilis manendo, non tamen necessarius, potes manere, sed non teneris cum tam gravi tuo incommodo, vel periculo. Quod si denique remanendo potius obesses, quam promoveres, peccares non fugiendo propter malum, quod inferes, nisi te bona fides excusaret. Sic post alios Tambur. *cit. n. 6.*

ASSERTIO V.

29 EX *præcepto Fidei Divinæ negativo sub mortali nullo unquam casu, vel periculo, etiam mortis, licet Fidem negare, sive expresse, sive interpretative, nimirum verbo, signo, vel facto aliam falsam Sectam simulando, etiamsi quis Fidem veram illibatam intus in corde retineat.* Communissima, & certissima omnium Orthodoxorum cum D. Thoma supra. Et omnium, quos vidi, optime, latissimeque Gregor. de Valent. *hic qu. 3. punct. 2.*

Expresse probat, & docet Christus Matth. 10. *qui autem negaverit me coram homibus, negabo & ego eum coram Pater meo, qui in cœlis est.* Et Luc. 9. v. 26. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua, & Patris, & SS. Angelor.* Ubi notanter dicit 1. *qui me erubuerit;* quod non tantum negationem expressam, sed etiam dissimulationem, vel iniquam simulationem significat 2. *Me, & sermones meos:* Erubescens scilicet confiteri non tantum Christum, sed etiam Doctrinam Christi, & Fidem. 3. *Erubescet*, seu ut est apud Mat. *negabo eum &c.* quod sine dubio pœnam peccati mortalis significat: Ratio ergo est eadem, quæ in *Assert. præc.* a fortiori, cum longe plus sit Fidem exterius negare, quam solum occultare, dissimulare, & non confiteri exterius, cum opus esset. *Deinde*, aut aliquis serio, & ex animo Christum, vel veram Fidem abnegat, falsamque Sectam profitetur: & tunc vere, & proprie committit peccatum infidelitatis gravissimum, & mortale, exterius quoque consummatum. De quo *c. sequenti;* aut ficto animo, in corde vero veram Fidem retinendo solum exterius verbo, signo, vel facto simulat, se veram Fidem negare, & falsam amplecti; & tunc licet non peccet peccato interno infidelitatis, nec hæreticus, vel apostata formalis fiat, ut ex communi DD. bene probat Sanch. *lib. 2. mor. c. 7. n. 8.* peccat tamen peccato externo infidelitatis contra præceptum negativum de non negando Christum, & veram Fidem, quod & ad semper, & pro semper seu pro omni temporis differentia obligat: Et quia in re gravissima, utique sub mortali, simulque mentitur perniciose in re gravissima, utpote contra Veritatem Divinam nobis revalatam, & agnitam. Etenim sicut virtus veritatis generatim obligat nos affirmative, ut cum opus est, & circumstantiæ id requirunt, verum non celemus, sed sincere aperiamus, negative vero, ut nullo unquam tempore falsum verbo, vel facto mentiamur, vel simulemus: ita virtus Fidei Divinæ multo adhuc gravius, & strictius obligat, affirmative quidem, ut veritates Divinas nobis revelatas, cum opus est, & circumstantiæ exigunt, juxta dicta *Assertione præced.* palam profiteamur: negative vero ne oppositam Fidei falsitatem ullo unquam tempore, seu verbo, seu facto mentiamur, vel simulemus, negata, vel dissimulata vera Fide.

Damnabilis ergo, & damnatissima est sententia antiquorum hæreticorum, ac etiam nostri temporis politicorum, ac libertinorum, quorum velut axioma est; Licere Fidem suam negare, & alienæ Religionis cujusvis quælibet exercitia facere, modo quis Fidem suam in corde fixam, firmamque conservet. Jam ergo Assertio quoad terminos sigillatim explicanda est, & ad casus applicanda.

§. I. *Expresse, vel interpretative.*

EXpresse, explicite, ac positive Fidem negat, & mortaliter peccat, quisquis apertis verbis, sive serio, sive ficte, aut negat se Christianum, Catholicum, Pontificium esse, talem Articulum Fidei credere &c. aut asserit, se esse alterius Sectæ, Turcam, Calvinistam, Lutheranum &c. vel credere talem Articulum contra veram Fidem, v. gr. Christum non esse in Eucharistia, nullum esse purgatorium &c. Quod si serio, & ex animo fiat, vere est infidelis, & hærericus formalis: si ficte, etsi verus infidelis, & hæreticus non sit, tamen mortaliter peccat, juxta dicta pro Assertione. 30

Interpretative, seu implicite negat Fidem, & mortaliter peccat, quisquis aut Fidem veram, quando obligat præceptum confessionis externæ, juxta *Assertione præcedenti* dicta dissimulat, aut *verbo, signo, vel facto* falsam Sectam aliquam simulat. Differunt quam maxime *dissimulare verum, & simulare falsum.* Dissimulare verum ob certas causas, quandoque licitum est, quando nimirum interroganti non teneris respondere, & justam celandi causam habes: sic in proposito extra casus, quibus obligat præceptum confessionis Fidei, semper licet celare, & dissimulare Fidem, sive silentio, vel verbis ambiguis, vel signis, vestibus, &c. ut infra exemplificabitur. Simulare vero falsum nunquam licet, cum id sit mendacium intrinsece malum, uti docet *communissima DD. cum D. Thoma* ab omnibus recepto 2.2. *q.* 111. *art.* 1. Unde quando vilis, & plebejus homo ab aliquo Fidei confessionem exigit, sciscitando, an sit Catholicus, Pontificius &c. graviter quidem peccat contra confessionem externam Fidei, si neget esse Catholicum, aut dicat, vel simulet se esse hæreticum, Lutheranum &c. At vero non peccat, si dissimulet verum, vel tacendo, vel eludendo, v.gr. dicendo; *Quid tua interest? quid tu me interrogare habes? &c.* Quia tunc nullam Fidem confitendi necessitas cogit, ut ex communi docent Navarrus *comment. in caput Humanæ aures q. 3. in fine*. Azor. *t. 1. lib. 8. cap. 27. qu.* 1. Valent. *qu. 3. punct. 2. dub. 3. & 4.* Laym. *lib. 2. tr. 1. cap. 11. n. 3.* Secus esset, si Magistratus, vel Judex publica auctoritate interrogaret, ut jam supra audivisti. Specificatum est in Assertione, Fidem interpretative negari, simulando aliam falsam Sectam *verbo, facto, signo.* Pro quibus optime traditur a Tambur. *lib. 2. Decal. cap. 1. §. 3. num. 2. hac.*

Regula universalis: Omnia illa verba, signa, & facta, vel actiones ex hoc præcepto vitare debemus, quæ ex se, & circumstantiis suis sunt significativæ internæ abnegationis Fidei, v.g. dicere non sum Catholicus, communicare cœnæ lutheranæ. Quæ vero per accidens, & indirecte tantum sunt significativæ negationis Fidei, v.g. gestare vestem Turcicam, vel prædicanticam &c. per se quidem vitanda sunt, ne demus causam aliis credendi, nos Fidem negare, attamen ob justam causam necessitatis illi deceptioni præponderantis, licita fiunt. Quæ vero plane non significant abnegationem Fidei, v.g. dicere, non sum Romanus, non sum Sacerdos, Monachus, non audivi Sacrum, comedi carnes die Veneris, &c. per se seclusso scandalo, huic præcepto non adversantur: his enim non negatur Fides ullo modo,

modo, sed aliquid aliud. Verum claritatis gratia percurramus sigillatim, incipiendo a verbis.

§. II. *Simulando verbo.*

31 Fidem negat interpretative, & mortaliter peccat, qui quando obligat præceptum confessionis Fidei, utpote a Magistratu, vel publice interrogatus de Fide cum intentione Religionis explorandæ, respondet verbis ambiguis, & æquivocis, ut juxta mentem, & sensum interrogantis præsumatur, & intelligatur Fidem suam negare, aut falsam Sectam profiteri, v.g. qui interrogatus a Magistratu hæretico, an sit Evangelicus; Responderet, quod sic: intelligendo per Evangelium, non Religionem illam novam, ut intendit interrogans, sed veram Religionem suam juxta verum Evangelicum sensum. Item qui interrogatus in Anglia, an sit Fidei Regiæ; Responderet quod sic: intelligendo non modernam Fidem Regum hæreticorum, sed antiquam Catholicorum Regum, & similes infiniti modi æquivocandi adferri possent &c. Peccat, inquam, mortaliter; quia juxta sensum, & mentem interrogantis vere publice præsumitur Fidem suam negare, & falsam profiteri cum detrimento honoris Dei, & veræ Fidei. Secus esset, si privatus quisnam privatim interrogasset, & scandalum abesset.

Ceterum qui interrogatus, etiam publica auctoritate, vel tacet, vel obscure, & ambigue respondet, vel dicit, se non teneri, vel non velle respondere, & dicere aliis cujus Fidei sit, vel quod ipse credat: aut dicit moderna multorum phrasi, se esse ejus Fidei, in qua confidat se salvandum; aut alio simili modo tergiversatur, is quidem Fidem non negat contra hoc præceptum negativum non negandi Fidem, atque adeo non peccat contra præceptum hoc negativum, nisi in casu, quo ipsum tacere, vel dissimulare idem esset, ac negare: ut si plures interrogentur, an velint negare Fidem; aliis dicentibus, quod non, tu taceas, utique interpretative negares: Talis tamen publica auctoritate interrogatus adhuc peccaret contra præceptum Fidei affirmativum de Fide Christi exterius confitenda, juxta *Assertione praecedenti* dicta.

§. III. *Simulando signo.*

32 Fidem negat interpretative, & mortaliter peccat, quisquis, etiamsi non obliget præceptum confessionis Fidei, utitur signo aliquo directe, vel indirecte, manifestativo hæresis, vel infidelitatis; talis enim eo ipso censetur exterius confiteri, vel consentire in hæresim, vel infidelitatem, vel falsam sectam tali signo manifestativo significatam. Ejusmodi signa consistunt potissimum in vestibus, vel ornatu, & possunt esse quadruplicis generis.

Signa primi generis.

33 Signa aliqua, vel vestimenta solum sunt distinctiva Gentis, & non Sectæ. Sic vestis oblonga Turcarum, & pileus fascia circumvolutus, vulgo *Turbante*, distinguit Turcam ab aliis nationibus materialiter tantum, non autem formaliter, quoad eorum Sectam, nam etsi omnes converterentur ad Fidem Christianam, adhuc talis vestitus perseveraret. Idem est de vestibus propriis certæ Nationis hæreticæ. Et hic consentiunt omnes DD. Christianum, atque Catholicum posse licite uti ejusmodi vestitu ad occultandam suam Fidem. Licet quippe Christiano eunti per Turciam, vel Mauritaniam uti veste Turcica, vel Mauritana: eunti in Angliam incedere veste Anglicana pro usu usurpata, hoc enim non est negare suam Fidem, & eorum Sectam profiteri, sed est solum dissimulare, vel occultare suam Fidem, & ad summum simulare se esse talis nationis: esto alii inde decipiantur, putantes eum esse talis Sectæ Turcicæ, Anglicanæ &c. Dummodo adsit aliqua justa, & rationabilis causa præponderans illi deceptioni. V. g. ad securitatem itineris, ad evadendum periculum vitæ, vel bonorum temporalium. Non enim sine sufficiente, & proportionata causa possumus permittere deceptionem proximi, præsertim in re tanti momenti, ut nos judicent falsæ Sectæ cultores: Ut cum Sanchez, Diana, & aliis recte monet Lugo *cit. disp.*14. *sect.*5. *n.* 70. Simili modo Sacerdos, vel Religiosus iter agens per terras hæreticorum, ob pericula evidentia, induit se veste sæculari, non utique intentione, ut se simulet laicum, vel Religiosum, vel Sacerdotem esse se dissimulet, & celet, cum non teneatur statum suum vestimento prodere, sed jus occultandi habeat, permittendo interim alios falli, existimantes ipsum esse laicum sæcularem, quod minus malum est, quam periculum, quod rationabiliter timere debet.

Signa secundi generis.

34 Alia sunt signa distinctiva quidem Sectæ a Secta, at non protestativa talis Sectæ: non enim sunt instituta ad profitendam talem Sectam, sed ad alium finem politicum: nimirum, vel ut dignoscatur, quinam sint talis Sectæ, vel Religionis, ut est Judæorum flavus pileus Romæ, vel annulus flavus in pallio Francofurti, vel solummodo ad significandum eminentiorem statum in tali Secta, ut est byretum, & sagum multiplicatile Prædicantium in Germania, quibus non intendunt profiteri suam Sectam, sed solum ostendere suum statum. Et hic iterum contra Cajetanum, Toletum, Becanum, aliosque non paucos censentes semper esse mortale, *communior, & verior est sententia DD.* ob gravissimam causam, v.g. ad evadendam mortem, aliudve grave malum, & secluso scandalo, & quando non obligat præceptum confessionis Fidei, licere Christiano, vel Catholico uti ejusmodi signo, vel vestitu ad occultandam Fidem suam. Ita Sanch. cit. Suar. Coninch. aliis relatis, Layman. *lib.* 2. *t.*1. *c.*11. *nu.*2. Lugo *cit. sect.*5. *nu.*71. Alii RR. passim, Ratio: Quia licet ea signa significent v.g. Judæum, vel hæreticum, adeoque iis uti sit aliqua simulatio, & quidem longe major (unde & major, & gravior causa excusans requiritur) quam in casu præcedenti: non tamen sunt signa protestativa talis Sectæ, vel hæresis, ita ut iis utens, a noscentibus hominem, statim debeat censeri talem Sectam, vel hæresim profiteri; sicut si Prædicans occultet se, & fugiat in habitu Monachi, non ideo censeretur a noscentibus ipsum acceptare, vel profiteri Religionem, vel statum Monasticum in his circumstantiis.

Signa tertii generis.

Alia sunt signa non tantum distinctiva Sectæ a Secta, sed etiam ex institutione, vel consuetudine manifestativa, & protestativa talis Sectæ, vel hæresis: V.gr. imago Mahometis in veste, vel clypeo, est signum protestativum Sectæ Turcicæ: Similiter hæretici sæpe certis signis utuntur pro contestatione suæ Sectæ, ut scilicet omnis tale signum gestans, vel exhibens intelligatur se manifestare, ac profiteri talis Sectæ asseclam, sive ejusmodi signa consistant in vestitu, sive in certis verbis, vestibus &c. 35

Et tali signo nullo unquam casu, vel periculo licere uti, citra peccatum mortale interpretativæ saltem negationis Fidei, docent DD. communiter cum Sanchez *cit. l.*2. *c.*4. *nu.* 20. Sed placet distinctio Card. de Lugo *d.*14. *sect.*5. *n.*82. Aut enim illa signa ita sunt determinata ad contestationem falsæ Sectæ, ut nullum alium usum habeant: adeo ut omnes, qui personam eo utentem noverunt, omnino certo judicent eum Fidem negare, & falsam Sectam amplecti: ut est v.g. imago Mahometis, certa fascia gestata in pileo ad significandam hæresim: vestis, vel ornatus Sacerdotalis Judæorum, vel Gentilium, & tunc certissimum est apud omnes, nullo unquam casu, vel periculo licere uti tali signo, vel vestitu ad occultandam Fidem. Sunt enim manifesta negatio Fidei, & professio falsæ Sectæ; Quemadmodum nullo unquam casu, vel periculo licet proferre illa verba: *Abnego Christi Fidem, sum Lutheranus*, aut solemnem precandi formulam Turcarum: *alla alla* &c. quia ejusmodi verba sunt omnino determinata ad significandam abnegationem veræ Fidei, & professionem falsæ sectæ, & nullum alium usum habent. Unde si Princeps infidelis, vel hæreticus volens omnes subditos suos infideles, vel hæreticos, institueret universaliter, ut omnes portent tale signum in pileo, vel veste in signum protestationis suæ Fidei, nullus omnino Christianus, vel Catholicus posset eo signo, vel veste citra gravissimum peccatum abnegationis Fidei, etsi ficte, uti, non obstante quocumque periculo. Quo spectat abominabilis praxis quorundam frigidorum Catholicorum, qui per terras hæreticorum peregrinantes, vel negotiantes a Magistratu hæretico acceptant salvos conductus, & syngraphas, quibus significatur ejusdem eos esse Religionis, vel juramentum Religionis præstitisse, similes infamibus illis Libellaticis tempore S. Cypriani, qui quidem Fidem non negarunt, tamen procurabant, & acceptabant a Magistratu infideli, vel gentili libellos, quibus significabatur, eos Imperatoribus paruisse, idolis sacrificasse, ut a persecutione securi essent: unde velut infames a Fidelibus Libellatici, vel libellis maculati dicebantur.

Aut illa signa, vel vestimenta non sunt ita determinata ad significandam professionem falsæ Sectæ, sed alium usum habere possunt, adeo ut qui novisset hominem eo utentem antea fuisse Christianum, vel Catholicum, non statim judicaret eum negasse Fidem suam, & aliam sectam amplexum, sed posset putare, vel dubitare, an non ad alium finem tali signo, vel veste utatur, ut sunt vexilla, & insignia propria Turcarum, vel Hæreticorum, aut certa vestis alioquin usualis, instituta tamen ad profitendam talem sectam, & tunc omnino probabile est ob gravissimam causam (eoque graviorem, quo magis habet speciem negationis veræ Fidei) v.gr. mortem, aliudve gravissimum malum evitandum, ad justam victoriam de hostibus Fidei obtinendam, licere uti tali signo, vel veste. Qua ratione Sanch. cit. defendit Christianos, vel Catholicos, qui pugnantes contra Turcas, vel Hæreticos utuntur signis turcicis, vel hæreticorum, ad commodius invadendum hostem, & justam victoriam reportandam. Item si Princeps hæreticus instituisset certum genus vestis alioquin usualis gestandum a subditis in signum protestativum Sectæ suæ, Catholicus peregrinus transiens ob similem gravissimam causam, licite ea uteretur

tur ad se occultandum. Qui enim nossent eum ante Catholicum fuisse, non ideo statim judicarent eum Fidem negare, sed potius occultare tantum.

Signa quarti generis.

36 ALia denique sunt signa non tantum protestativa falsæ Sectæ, sed etiam continentia actualem cultum auctoris illius Sectæ: ut imago Idoli Apollinis, Mahometis, Hæresiarchæ, Lutheri, Calvini &c. gestata in collo, clypeo &c. Quorum usum ullo unquam tempore, aut casu licere negant DD. communissime. Aliqui adhuc excusant. Puto ego cum Lug. *cit.* posse adhiberi eandem prædictam distinctionem: si enim illorum signorum nullus sit usus alius, quam significare talem falsum cultum, sine dubio mortaliter illicita erunt; si vero posset esse alius usus, ob aliquam causam gravissimam uti liceret. Sic imaginem idoli, Mahometis, Lutheri &c. e collo gestare semper illicitum est; ibi enim non habet alium usum, quam cultum illum falsum. At vero gestare in clypeo, vel vexillo ad decipiendum hostem, probabiliter defenditur: quia hæc ibi non tantum significant cultum auctoris falsæ sectæ, sed etiam armaturam talis gentis. Unde de his loquens Laym. *cit. c.*11. *n.*4. *ad finem* dicit: *Hanc professionem falsi cultus generatim non cogimur agnoscere, cum etiam apud Christianos ejusmodi signa, puta Mercurii &c. tamquam fabulosa, ornatus gratia adhibeantur: ideoque non damnari milites nostros, si illis tamquam indifferentibus insidiarum causa in bello uterentur &c.* Sic Layman.

§. IV. *Simulando facto, vel opere.*

FIdem interpretative negat, & gravissime peccat, quisquis voluntarie exercet opus, vel actionem, quæ ex natura sua, ex institutione, aut certe ex circumstantiis loci, temporis, personarum, falsam Fidem, Sectam, hæresim manifestant, vel significant, ut exemplis communioribus patebit explicatione.

I. Sacra Gentilium.

37 FLectere genu coram idolo, thus adolere, sacrificare, si voluntarie fiant absque violentia physica, etiam ex quocumque metu, vel periculo mali cujuscumque, peccatum mortale est. Hæ enim actiones ex natura, & institutione sua exhibitæ coram idolo cultum idololatriæ designant. Est perpetuus sensus Ecclesiæ, & illustrissima exempla Martyrum, & in defectu S. Marcellini Papæ. Neque obstat exemplum Naaman Syri 4.Reg.5. Qui ab Eliseo sanatus, & ad veram Fidem, cultumque veri Dei conversus petiit, ut liceret sibi ex officio cum Rege suo intrare templum idoli, & cum eo genuflectere inquiens: *Et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re: qui dixit ei, vade in pace.* Non enim ibi permisit Eliseus, ut idolum adoraret, neque actio illa, seu genuflexio fuit signum protestativum, seu actus idololatriæ, sed solum fuit actus politicus, & cæremonia aulica exhibita Regi Syriæ, cujus mos fuit in adoratione idoli sustentari manu primi Principis aulæ, qui proin necessario cum Rege genuflectente & ipse genuflectere debebat, quod officium, seu famulatus aulicus tunc ad illum Naaman Syrum spectabat. *Ita communis DD. & Interpretum.*

II. Hæreticorum.

38 SIne dubio mortaliter peccat contra professionem Fidei, quisquis profanæ hæreticorum cænæ communicat: intellige tamen formaliter, quatenus sacra eorum cœna habetur; nam ex circumstantiis cæremoniarum determinatur ea cœna ad profitendum cultum Religionis. Cæterum cessante scandalo, nemine vidente maxime, eos panes comedere, vel vinum epotare materialiter tantum, res esset indifferens: ut ex communi notat Layman supra. Itemque mortale est hæreticorum exercitiis cooperando assistere, ministerium aliquod ad eorum Sectam spectans exercere: hæretico ministro parvulum solemniter baptizandum offerre: coram hæretico Ministro Matrimonium contrahere &c. Hæc enim omnia ex natura, vel institutione sua professionem, & approbationem falsæ Sectæ, adeoque abnegationem veræ Fidei preseferunt. Attamen in Germania, ubi hæretici tolerati cum Catholicis permixti sunt, subinde audire conciones hæreticorum, assistere Baptismo eorum pro Patrino, in nuptiis paranymphum agere, funus comitari, etiam in lugubri habitu, immo ubi non adest Parochus Catholicus, ita permittente, vel dissimulante Ordinario, etiam parvulos baptizandos Ministro hæretico offerre, ut in multis locis fieri vidi, non habetur pro signo protestativo falsæ Fidei, & seclusso scandalo, vel periculo subversionis, licite fiunt. De quo plura *c. seqq.* cum de communicatione Catholicorum cum hæreticis, & infidelibus.

III. Frequentare Ecclesias hæreticorum.

SIne dubio mortaliter peccat, & Fidem implicite negare censetur quisquis ordinarie, & sine legitima causa hæreticorum templa, conventus, conciones frequentat, ut merito intuentibus videatur tanquam unus ex illis. Quod adeo verum est, ut etiamsi Rex, Princeps, vel Magistratus hæreticus publico edicto sub gravissima pœna præcipiant subditis, ut omnes ad hæreticum conventum, & exercitium accedant, peccet mortaliter Catholicus accedens, ut bina responsione declaravit S. Pius V. ad Anglicos Catholicos apud Sanch. *cit. cap.*4. *n.*27. Cum enim tale edictum directe, & ex proposito tendat ad augmentum Religionis hæreticæ, & Catholicæ destructionem, atque ut inter Catholicos, & hæreticos distinctio appareat, certum omnino est, Catholicum non posse obedire, absque peccato contra professionem externam Fidei, & apertæ simulationis hæresis; & quidem in re gravissima, unde & Religionis vilipensio, & scandalum proximorum pendet; ubi maxime obligat præceptum externæ confessionis Fidei. Quod vero aliqui asserant, tale scandalum, & peccatum evitari posse, si quis publice protestetur se ad eorum conventum, & exercitium accedere, non ut eorum Religionem profiteatur, sed solum ut Magistratui politice obediat, insufficiens est: nam tunc protestatio inutilis erit ad pœnam evadendam, neque omne scandalum, & propriæ salutis periculum auferet, ut late prosequitur, & declarat Sanchez *loc. cit.* Dixi autem: *Ordinarie, & sine legitima causa.* Qui enim semel, aut iterum ex curiositate interesset: aut ex rationabili causa, utpote, ut errores Prædicantis annotet, & confutet, vel confutandos alteri referat, aut ut Dominum suum ex officio comitetur, ut Naaman ille Syrus supra, vel alia simili ratione, aut venialiter tantum, aut nullo modo peccabit. 39

IV. Comedere carnes die prohibito.

CErtissimum est, non licere comedere carnes die prohibito, quando comestio carnis habetur pro signo protestativo Sectæ falsæ: ut si hæretici die jejunii cum Catholicis in hospitio considentes, vel convivantes, ad eorum Fidem explorandam dicant: Qui Evangelicus, vel Papæ inimicus est, ex hoc ferculo carnium, ex hoc capone, ansere, &c. comedat (idem est: si Catholico propinent in sanitatem hostium Papæ, & Religionis Catholicæ, isque respondeat) peccabit mortaliter comedens nulla usus protestatione contraria, utpote, hoc non oportere esse signum explorandæ Religionis, cum etiam Catholicis diebus jejunii ob certas causas carnes edere liceat: alioquin enim comedens vere interpretative Fidem negaret. Item mortaliter peccat, & implicite saltem Fidem negare censetur, quisquis ordinarie, & sine omni justa causa aliis nota, cum hæreticis carnes comedit; etenim comedere carnes etiam feria sexta, ex se est indifferens, & etiam Catholico causa necessitatis, vel infirmitatis licitum: Quia tamen abstinere a carnibus feria sexta est observantia communis, & propria Religionis Catholicæ, & oppositum hæreticorum; hinc qui sine legitima, & omnibus manifesta causa ab hæreticis invitatus, vel inter eos vivens per simulationem, & insolentem libertatem passim carnes eo die comedit, censetur omnino Fidem Catholicam interpretative negare, & peccare mortaliter: atque etiam inter Catholicos id sæpius actitans merito censetur suspectus de hæresi, & pœnas de hæresi suspectorum incurreret juxta communem DD. apud Sanch. Laym. Lugo *cit. sect.*8. §.2. Dixi iterum: *Ordinarie, & sine justa causa.* Nam quando non urget præceptum confessionis Fidei, nec carnes appositæ sunt ad explorandam Fidem, nec periculum gravis scandali imminet, vel subest, licitum est Catholico etiam inter hæreticos carnes comedere, non tantum ab intrinseco, puta infirmitatis, vel necessitatis causa, sed etiam ab extrinseco, utpote ad occultandam Fidem suam ob mortem, vel aliud grave damnum, vel periculum evadendum. *Communissima.* Talis enim non peccabit contra Præceptum Ecclesiæ, quod in tali necessitate non obligat; nec contra Præceptum confessionis Fidei, quando hic, & nunc non urgere supponitur, & quia esus carnium de se non est protestativus hæresis, sed ad hunc finem, scilicet Fidei professionem, certis diebus interdictus est ab Ecclesia: Et licet hæretici inde colligere soleant, talem v.g. feria sexta carnes comedentem non esse catholicum, hæc tamen eorum deceptio ob gravem causam, qualem semper supponimus, permitti in te potest. Ita Sanchez, Azorius, Becanus, aliique citatis Layman *l.*2. *t.*1. *c.*11. *n.*5. Monent tamen DD. si Catholicus sit apud hæreticos in hospitio, apud quos nullum grave periculum, sed solum irrisio, & jocus timeri posset, si quis inter eos a carnibus abstineat (idem est de signo Crucis, aliisque exercitiis propriis Catholicæ Religionis sub præcepto obligantibus) tali causa abstinendum esse, & Legem Ecclesiæ servandam. Simile judicium esto de aliis similibus actionibus, etsi ex se bonis, vel indifferentibus, tamen ex instituto, consuetudine, vel usu hæresi appropriatis, ut orare in templis hæreticorum, canere Psalmos Davidicos &c. more hæreticorum, aliasve cantilenas 40

lenas hæreticis proprias, præsertim contra Religionem Catholicam blasphemas &c. quæ exercere non licet Catholico aliis videntibus, vel audientibus, quia eo ipso, quo hæreticis specialiter propriæ sunt factæ, significant hæresim saltem exterius cum periculo detrimenti Religionis, & scandali.

COROLLARIUM.

EX dictis denique sequitur, eum, qui quoquo modo negavit Fidem cum gravi detrimento Religionis, vel scandalo, teneri, si potest, & prodesse videtur, ad revocationem verbo, vel scripto sub mortali; quia qui causam mali dedit, tenetur eam tollere, quantum potest. Quomodo autem abnegans Fidem fiat infidelis, hæreticus, apostata, jam jam videbimus *cap. sequenti*.

CAPUT III.

De Infidelitate, & peccatis contra Fidem.

SECTIO I.

Infidelitas generatim quid, & quotuplex.

SUMMARIUM.

1 *Infidelitas pure negativa est carentia Fidei in homine pro tunc non apto habere illam.*
2 *Infidelitas privativa est carentia Fidei in homine apto habere illam.*
3 *Dubium in Fide est suspensio mentis inter assensum, & dissensum &c.*
4 *Deliberate dubitans dubio positivo, seu positive judicans rem esse dubiam, vel minus certam, peccat mortaliter, & accedente pertinacia est formalis hæreticus.*
5 *Dubitans vero negative tantum, suspendendo omne prorsus judicium, esto peccare possit mortaliter contra præceptum tunc obligans, non tamen fit hæreticus.*
6 *Nisi voluntas imperet talem suspensionem ex motivo difficultatum oppositarum ab intellectu.*
7 *Non vero, si illam suspensionem imperet ex alio motivo.*
8 *Quid sit infidelitas positiva, materialis, formalis.*
9 *Quid Paganismus, seu Gentilismus, & quæ communicatio cum eis prohibita.*
10 *Quid Judaismus: & quæ communicatio cum eis prohibita.*
11 *Quid, & quotuplex apostasia.*

ASSERTIO I.

INfidelitas generatim dicitur peccatum, vel defectus contra fidem: Et sic latissime sumpta dividitur *in negativam, & positivam*, vel distinctius, *in negativam, privativam, & positivam*. Explico breviter.

§. I. *Infidelitas negativa: Ignorantia.*

1 INfidelitas pure negativa dicitur carentia veræ Fidei in homine pro certo statu non apto habere Fidem ob impotentiam, vel ignorantiam, prout est in carentibus usu rationis, pueris, & amentibus, &c. invincibiliter, vel etiam vincibiliter ignorantibus. Huc ergo spectat ignorantia tam invincibilis, quam vincibilis credendorum. Ignorantia invincibilis, & inculpabilis credendorum, aut est credendorum necessariorum ad salutem necessitate medii, ut unius veri Dei, & in communi sententia, Christi Mediatoris, ac SS. Trinitatis, & ob hunc homo etsi nihil peccet, tamen necessario damnatur ob defectum medii necessarii ad salutem, aut est credendorum necessariorum ad salutem necessitate Præcepti tantum, & hæc a peccato excusat, cum sit omnino involuntaria, nec salutem impedit, cum non tollat medium necessarium ad salutem. E contra ignorantia vincibilis, & culpabilis credendorum necessariorum ad salutem semper peccatum mortale est, simplex quidem in plebejis, & subditis; duplex vero in Pastoribus, Prælatis &c. quorum officium est alios in Fide, & necessariis ad salutem erudire. Duplex inquam, & quia ipse nescit necessaria contra præceptum scientiæ credendorum, & quia sic culpabiliter non præstat suum officium contra justitiam. Hæc omnia probata, & declarata sunt *cap. præced. Sect. 1. & 2. per totum*.

§. II. *Infidelitas privativa: Incredulitas &c.*

2 E*St carentia Fidei actualis in homine apto habere, seu qui posset, & deberet habere Fidem;* Utpote, cui credenda, seu Articuli veræ Fidei sufficienter propositi sunt; etsi positive non dissentiatur, vel assentiatur contrario: Et sic dicitur proprie *incredulitas*, ad quam proxime accedit dubium in Fide. Incredulitas ergo est negatio voluntaria assensus prædicti præstandi rebus, vel Articulis Fidei sufficienter ad credendum propositis, absque contradictorio, vel contrario assensu. Hæc quidem, si absit pertinacia, simplex peccatum est mortale contra præceptum affirmativum exercendi actum internum Fidei in casibus, in quibus ejusmodi præceptum obligat. Ut late declaratum est *c. præced. Sect. 3. & 4.* Quod si vero ejusmodi incredulitas conjuncta sit cum pertinacia, ita ut quis nolit assentiri pertinaciter Articulis Fidei sufficienter ab Ecclesia ad credendum propositis, tunc revocatur ad infidelitatem positivam, utpote, si incredulitas universalis sit, & quoad omnia credenda, ad Paganismum: si vero incredulitas particularis sit, & quoad aliqua credenda, pertinet ad hæresim. Aliquo ejusmodi incredulitatis genere (etsi aliqui excusare conentur) peccavit Thomas Apostolus, qui aliis Discipulis, & SS. mulieribus oculatis testibus tam perseveranter attestantibus, & omnino sufficientissime proponentibus Resurrectionem Christi, tamen noluit credere dicens: *Nisi videro &c. non credam.* Et audivit a Christo: *Noli esse incredulus, sed fidelis.*

§. III. *Dubietas in Fide.*

E*St suspensio mentis inter assensum, & dissensum de re, vel Articulo ad credendum sufficienter proposito:* adeoque dubius dicendus est omnis, qui proposita sibi sufficienter Fide, vel Articulo aliquo Fidei voluntarie, & deliberate suspensus manet, & de ejus veritate in se ipso disputans, nec illi, nec ejus opposito assentitur; si enim assentiatur illi, jam non erit dubius, sed Catholicus: si assentiatur opposito, jam non erit rursus dubius, sed hæreticus. 3

Hic duæ quæstiones magni momenti resolvendæ sunt. *Prima;* an omnis deliberate in Fide, vel de aliquo Articulo Fidei dubitans peccet. *Secunda;* an etiam sit hæreticus. Ad conciliandas diversissimas DD. sententias, supposita necessaria distinctione dubii positivi, & negativi tradita in materia de conscientia dubia. *Tract. 1. c. 1. Sect. 4. nu. 65.* Respondeo distincte quatuor dictis.

I. Certissimum est, omnem deliberate dubitantem de quacumque propositione Fidei sufficienter ad credendum proposita dubio positivo, qui nimirum actu positivo judicat, res Fidei ab Ecclesia propositas ad credendum dubias esse, incertas, & ambiguas, de quibus merito dubitari possit, an veræ sint, peccare mortaliter, & accedente pertinacia (*Sect. sequent.* explicanda) esse formalem hæreticum, & hoc solum volunt DD. satis communiter indistincte affirmantes dubitantem in Fide esse hæreticum. Apud Azor. *l. 8. c. 9. q. 5.* Tolet. *lib. 4. c. 4.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 13. nu. 5.* Et significatur *cap. 1. de hæret. Dubius in Fide infidelis est, nec ei omnino credendum est.* Ratio est: Quia quicumque aliquem Articulum Fidei ab Ecclesia receptum in dubium revocat, sine dubio peccat contra Fidem, etsi enim non expresse ipsam Fidei veritatem, tamen ejus firmitatem, & certitudinem essentialem tollit, & explicite negat, & consequenter, accedente pertinacia, formalis hæreticus, & infidelis est, sed hoc facit dubitans deliberate positive de aliquo Articulo Fidei, ut ex terminis patet: ergo &c. 4

II. Dubitans deliberate de Fide, vel aliquo ejus Articulo sufficienter proposito dubio negativo tantum, qui nimirum disputans intra se de Fide, vel aliquo ejus Articulo solum voluntarie suspensus manet inter assensum, & dissensum, absque omni judicio positivo de certitudine, vel incertudine rei, etsi possit peccare mortaliter contra præceptum affirmativum Fidei, nimirum assentiendi actu interno, rebus Fidei sufficienter propositis tunc obligans, eum tamen non fore hæreticum, post alios expresse docet Filliucius *to. 2. tract. 22. cap. 6. qu. 7.* Et hoc ipsum volunt alii DD. communiter cum Sanchez *lib. 2. cap. 7. num. 12.* indistincte asserentes dubitantem in Fide non esse hæreticum: *Et Ratio clara est:* quia hæresis est error positivus, seu assensus falsus, & pertinax contra Fidem, vel veritatem revelatam, sed solum negative dubitans in Fide nullum habet errorem positivum, vel assensum inter, & dissensum, suspensus manet: ergo non est hæreticus, consequenter talis dubius, etsi hoc dubium suum exterius proferat, non incurrit hæresim externam, ejusque excommunicationem, sed dicere potest cum D. Augustino. *Errare possum, hæreticus non ero.* Advertunt tamen DD. periculum subesse, ne talis negative dubitans, & voluntarie suspensus manens de re Fidei, acquirat dubium positivum, & pertinax, & sic concomitanter fiat hæreticus pertinax. Certe res est delicata, & plena subtilis periculi, & mihi quoad hoc ipsum dubium negativum omnino placet necessaria alia distinctio, quam affert Cardin. de Lugo *De fide disp. 17. Sect. 5. & disp. 20. Sect. 1. nu. 15.* Cum quo ulterius dico: 5

III. Etiam dubium negativum formaliter continet, malitiam hæresis, vel infidelitatis, quando voluntas imperat suspensionem assensus in intellectu ex motivo difficultatum oppositarum ab intellectu, etiam per solam apprehensionem propositarum absque judicio, quasi absterrita, & verita periculum deceptionis, vel falsitatis: eo ipso enim voluntas implicite, & virtualiter approbat illa motiva contra Fidem, quæ non deberet approbare, & suspensio sic subsecuta in intellectu ab illa voluntate denominatur mala vera malitia hæresis, vel infidelitatis, accedente nimirum 6

rum pertinacia, qua quis nolit auctoritate Ecclesiæ induci ad assensum resolutum illius Articuli.

7 IV. Quando vero voluntas imperat suspensionem assensus in intellectu, non ex motivo ejusmodi difficultatum oppositarum, sed propter aliam causam, puta, quia vult modo aliis intendere, aut quia non vult in re tanta modo fatigare caput, aut vult melius inquirere motiva commodius & suavius assentiendi &c. certe neque hæresis, neque ullum peccatum erit. Excepto casu, quo tunc urgeret præceptum affirmativum assentiendi rebus Fidei sufficienter propositis, quibus aliquis numquam assensum præbuisset, semper enim loquimur de rebus Fidei sufficienter propositis modo infra explicando magis; nam quamdiu, res vel Articuli Fidei sufficienter propositi non sint, cum tunc nemo teneatur assentiri, de iis tam positive, quam negative dubitare fas est.

§. IV. *Infidelitas positiva*, *Paganismus*, *Judaismus*, *Hæresis*.

8 INfidelitas positiva *est error*, *vel assensus positivus contrarius*, *vel contradictorius veræ Fidei in iis*, *quæ Divina Fide credenda sunt*. Utpote cum quis positive assentitur contrario, vel contradictorio alicujus Articuli, vel propositionis a Deo revelatæ, & Divina Fide credendæ, v.g. non dari Purgatorium, Christum non esse in Eucharistia. Dividitur in materialem, & formalem. Infidelitas materialis dicitur, quando quis ex sola ignorantia infallibilis veritatis assentitur alicui contrario veræ Fidei. Formalis vero dicitur quando quis vel ignorantia culpabili, & crassa vel etiam cum sufficienti notitia veritatis, adeoque cum pertinacia assentitur contrario veræ Fidei, ut latius patebit infra in declaratione hæresis.

9 Infidelitatis positivæ, ac formalis communiter a DD. cum D.Thom. 2.2. *q.*10. *ar.*5. numerantur tres species. *Paganismus*, *Judaismus*, *Hæresis*, scilicet penes diversos modos contrariandi, vel contradicendi veræ Christianæ Fidei. Infidelitas enim aut contradicit veræ Christianæ Fidei totaliter, & numquam ullo modo receptæ, & tunc est Paganismus vel Gentilismus: quo etiam spectat Turcismus, ut supra insinuatum est; aut contradicit veræ Christianæ Fidei etiam totaliter, sed aliquando susceptæ in figura, & typo veritatis, non ipsa veritate expresse revelatæ: & tunc est Judaismus: aut denique contradicit veræ Christianæ Fidei in veritate susceptæ, non tamen totaliter, sed particulariter quoad aliquos Articulos: & tunc est hæresis, vel apostasia. Duo priora, cum vix ad praxim faciant in his partibus, strictim hic tangam.

Paganismus.

10 EST *infidelitas ante susceptam Fidem*, *veritati Fidei universaliter contradicens*. Etsi enim Pagani, maxime Turcæ, in propositionibus materialibus quibusdam credendis cum Christianis conveniant, v. g. Unum esse Deum, esse futurum Judicium &c. non tamen conveniunt in ulla propositione formali Fidei, quatenus scilicet divinitus revelata est, sed solum quatenus proposita a suo Mahomete &c. quo differt Paganismus a Judaismo, & hæresi. Quoad communicationem cum Paganis breviter habendæ sunt sequentes Regulæ.

I. Jure Divino positivo, & Ecclesiastico prohibitum est fideli communicare cum infidelibus, seu paganis, in re quacumque Religionis, utpote doctrinis, ritibus sacris, cæremoniis ethnicis &c. sub peccato mortali. 2. Corinth. 6. *Nolite jugum ducere cum Gentibus*. Ratio est, quia talis interpretative abnegat Fidem signo, vel facto, simulando Paganismum juxta supra generatim dicta.

II. Jure Divino, & Ecclesiastico, & civili semper prohibitum fuit inire connubium cum infidelibus Fideli, quia Sacramentum esset nullum ob impedimentum dirimens disparitatis cultus.

III. Communicare cum infidelibus in actionibus civilibus quibuscumque, cessante periculo subversionis, nullo jure prohibitum Fideli.

Judaismus.

11 EST *infidelitas post susceptam veram Fidem in figuris*, & *signis eidem veritati clare revelatæ etiam universaliter contradicens*. Quoad communicationem Fidelium cum Judæis tres similiter sunt Regulæ.

I. Communicatio in Sacris v.g. circumcisionis, seu agni Paschalis, interdicta Fideli sub gravissimo peccato mortali, ob eamdem rationem supra.

II. Nulla lege, vel privilegio concessum est Fideli inire matrimonium cum persona Judæa, in judaica perfidia permanente, etiam sub spe conversionis illius, quia similiter esset sacrilegium, & Sacramentum nullum, ob idem impedimentum *cultus disparitatis*.

III. Omnis conversatio, commercium, convictus, famulatus Fidelis cum Judæis inducens vel modicum periculum subversionis in Fide, vel moribus, sub peccato mortali vitanda sunt Fideli. *Ratio:* Quia periculum, quod revera est modicum in conversatione ordinaria Fidelis cum alterius Sectæ hominibus, grave est in conversatione cum Judæis ob eorum perversitatem, perfidiam, invidiam, ac innatum quasi odium contra Christianos, & ipsum nomen Christi. Unde tot Leges Ecclesiasticæ, & civiles prohibentes omne commercium Fidelium cum Judæis. *Ne* (ut ait S. Ignatius Mart. Epist. ad Philipp.) *fieri videamur participes*, & *socii eorum*, *qui Dominum occiderunt*, & *Apostolos ejus*. Et Conc. Basileense *sess.*19. ob id præcipit, ut cogantur Judæi distinctum habitum ferre, & in locis separatis habitare. Similia alibi. Et proh pudor! melius hæc hodie observantur ab hæreticis, quam a Catholicis. Denique licet ex dissimulatione Ecclesiæ, & Magistratuum hodie commercia cum Judæis permittantur Fidelibus, certissimum tamen est, leges illas in vigore manere, & sub mortali obligare, ubicumque subest vel modicum periculum subversionis, vel scandali in Fide, & moribus, ob rationem datam.

Hæresis.

De hac seorsim *Sect. sequenti tota*.

Apostasia.

LAtine idem ac *discessio*, vel *defectio:* quatruplex communiter assignatur a DD. a Religione, a Sacro Ordine, ab Obedientia, & omnium gravissima a Fide. 11

Apostasia a Religione definitur: *Criminosa*, & *mortifera discessio a Religiosi Ordinis instituto sine animo revertendi*. Apostasia a Sacro Ordine, cum quis a statu Clericali, quem in manu Episcopi edito continentiæ voto assumpserat, ad statum Matrimonii, & laicæ conversionis propria auctoritate se transfert. Apostasia ab obedientia, alia est particularis, cum quis justis præceptis superiorum suorum se opponit: alia universalis, cum quis ab obedientia Summi Pontificis, & Ecclesiæ universalis se subtrahit, & dicitur proprio nomine *Schisma*, de quo alibi. Verum hæc omnia non sunt hujus loci.

Apostasia a Fide *est discessio a vera fide in Baptismo assumpta explicite professa*. Unde Pagani, Judæi, ac etiam Hæretici ab infantia semper hæresim professi, non sunt Apostatæ, sed illi tantum, qui baptizati Fidem veram Catholicam semel professi sunt, & postea ab illa discesserunt. Dupliciter autem considerari potest apostasia a Fide. I. Secundum terminum a quo, seu quatenus est discessus a vera Fide, & sic essentialiter non differt ab hæresi, sed solum accidentaliter tamquam majus a minore, extensius a minus extenso; nam apostata simpliciter dicitur, qui Christum, & Fidem Christianam, quam susceperat, penitus abnegat: hæreticus autem non omnino negat totam Fidem, sed solum quoad aliquos Articulos. Unde omnes pœnæ in Jure in hæreticos decretæ etiam incurruntur ab apostatis, & insuper plures, ut docent Canonistæ in *cap.*1. De Apostatis, & Theologi communiter. II. Apostasia considerari potest secundum terminum ad quem, ad quamnam scilicet sectam se transferat Apostata a Fide tota, utpote ad Judaismum, vel Paganismum, vel omnimodum Atheismum, ad quas species infidelitatis respective pertinebit apostasia, utique in confessione resipiscentis necessario explicanda. Quod si apostata a Fide Catholica transferat se solum ad aliquam Sectam hæreticam, Lutheranam &c. erit solum Apostasia a Fide particulari, & idem una numero peccatum cum hæresi assumpta. Iterum tamen in confessione explicanda erit circumstantia discessionis a Fide vera aliquando professa, cum id valde augeat malitiam hæresis, saltem in communi, & tutiori sententia.

SECTIO II.

Hæresis materialis, & *formalis cum sua excommunicatione*, & *pœnis*.

SUMMARIUM.

12 *Differentia inter ignorantem*, *errantem*, & *hæreticum*.
13 *Quid sit hæresis generatim*.
14 *Quid sit hæresis materialis: in ea triplex est gradus*, *seu triplici modo potest quis esse hæreticus materialis*.
15 *Hæresis formalis quid; constituitur formaliter in esse talis per pertinaciam*.
16 *Quando quis dicatur hæreticus pertinax*.
17 *Pertinaciæ triplex gradus ex parte personæ*.
18 *Pertinaciæ triplex gradus ex parte objecti*.
19 *Tres resolutiones corollariæ*.
20 *Hæresis formalis est peccatum gravissimum*, *gravius paganismo*, & *Judaismo*.
21 *Ut quis incurrat excommunicationem in hæreticos*, *vel hæresim latam debet esse* 1. *hæreticus formalis*, (*qualiter in hoc examinandus*.)
22 2. *Internus*, & *externus simul*.
23 *Silicet hæresim interna voce*, *vel actione mortaliter mala*

mala exterius distincte, ac assertive manifestans.
24 *Quando, seu quibus casibus fiat, vel non fiat hæreticus formalis, & excommunicationem incurrat, vel non incurrat.*
25 *Recensentur aliæ pœnæ huic excommunicationi annexæ.*

12 NOta in materia Fidei multum differre *ignorantem*, *errantem*, *& hæreticum*. Ignorans in materia Fidei dicitur, qui ex mera ignorantia veritatis assentitur errori alicui, seu propositioni erroneæ contra fidem absque eo, quod ratione aliqua, vel argumento moveatur, & non assensurus, si veritas ei constaret, vel proponeretur. Cujusmodi sunt innumeri, etiam inter Catholicos. Hi plane neque hæretici dici possunt, neque errantes proprie, cum non formali, & positivo erroris motivo, sed mera ignorantia rei ducantur. *Errans* proprie dicitur, qui alicui errori, seu propositioni erroneæ contra Fidem assentitur, & adhæret ob rationes quasdam sibi apparentes, cum imaginatione veritatis, vel etiam pietatis, paratus tamen corrigi, si ei veritas proponeretur, ac proinde neque hi hæretici sunt formaliter, defectu pertinaciæ. De his utrisque eleganter D. August. Epist. 162. *Quis nescit illo tempore*, (Arianorum) *obscuris verbis multos pauci sensus fuisse deceptos &c.* Et *Qui sententiam suam quamvis falsam, atque perversam pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt; sed a seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt; quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Hæc D. August. Hæreticus denique proprie dicitur homo baptizatus Christiani nominis errori alicui contra veram Fidem voluntarie, & pertinaciter adhærens, ac correctionem excludens, ut mox latius. Et hinc communissima divisio est hæresis in materialem, & formalem.

ASSERTIO II.

HÆresis materialis *est hominis baptizati, & Fidem professi erroneus assensus contra aliquam veritatem Fidei ex sola ignorantia, vel errore proveniens, absque pertinacia voluntatis in eo perseverandi*. Hæresis formalis vero, *est hominis baptizati, ac Christianam Fidem professi error voluntarius, ac pertinax contra aliquam veritatem Fidei: Peccatum mortale gravissimum gravius Paganismo, & Judaismo*. Communissima Theologorum.

Jam advertisti in utraque definitione, & genus, in quo conveniunt hæresis materialis, & formalis, simul ac differentiam utriusque. Explico.

§. I. *Hæresis generatim.*

I. EST *hominis baptizati*. Hinc excluduntur Paganismus ac Judaismus hominum non baptizatorum, ac Fidem Christi numquam professorum.

13 II. *Ac Christianam Fidem professi*. Excluduntur etiam baptizati, at Christi Fidem numquam amplexi vel professi, utpote post Baptismum in infantia susceptum, deinde educati semper inter infideles, Turcas, Judæos. At quid de Cathechumenis, qui ante Baptismum susceptum Fidem Christi amplexi, & professi sunt, & errori alieno contra Fidem pertinaciter assentiuntur? Eos hæreticos esse affirmant multi. Plures negant, sed lis est de nomine. Hi enim, etsi in conscientia, & foro Dei contrahant peccatum hæresis contra susceptam veram Fidem Christi, in foro tamen Ecclesiæ, & in ordine ad censuras, ac pœnas Ecclesiasticas proprie hæretici non sunt; hæreticus enim proprie dicitur, qui ab Ecclesia, cujus membrum erat, contraria in Fide sentiendo se segregat, ut propterea subjectus sit pœnis Ecclesiæ. Cathecumenus autem ante Baptismum, licet per Fidem susceptam inchoative membrum Ecclesiæ factus sit, non tamen formaliter, & complete, cum Fidem in Baptismo solemniter professus non sit (est enim Ecclesia Christi congregatio hominum fidem Christi solemniter professorum) consequenter nondum subjacet censuris, vel pœnis Ecclesiæ.

III. *Contra aliquam veritatem Fidei*, seu veritati Fidei ex parte repugnans. Nam error contra totam Fidem Christianam non hæresis, sed Paganismus, vel Judaismus erit, aut apostasia ad illos, aut denique Atheismus perfectus.

IV. *Erroneus assensus*, seu error positivus, nimirum assensus intellectus contrarius, vel contradictorius veritati Fidei. Excluditur omnis infidelitas negativa tantum, ignorantia, incredulitas, dubium negativum, modo tamen explicato *Sect. præced.* Quæ licet peccata sint contra præceptum affirmativum Fidei de sciendis, & credendis Articulis Fidei, quia tamen Fidei veræ positive non contrariantur, vel contradicunt, hæreses esse non possunt. Excluditur quoque hæresis, vel infidelitas positiva externa tantum, qua quis intus in animo veram Fidem retinens absque assensu in contrarium, solum exterius verbo, signo, vel facto veram Fidem negat, & falsam Sectam profitetur: cum quis interius assentiatur, & judicet, v.g. Christum non esse in Eucharistia, etsi verbo, vel facto exterius ita significet, v.g. non genuflectendo, non caput aperiendo, & consequenter mortaliter peccet contra præceptum negativum non negandi Fidem contra virtutem Religionis, hæreticus tamen simpliciter non est: etsi præsumptive talis censeri possit in foro Ecclesiæ, ut infra de excommunicatione hæreticorum notabitur. Atque in his terminis velut genere, vel potius materiali conveniunt hæresis *materialis*, *& formalis*; & si in his terminis sistatur, & nulla accedat pertinacia voluntatis, re ipsa erit hæresis materialis. Itaque

§. II. *Hæresis materialis.*

EST ejusmodi *erroneus assensus contra aliquam Fidei veritatem ex sola ignorantia, vel errore proveniens absque pertinacia voluntatis in eo persistendi, contra auctoritatem Ecclesiæ*. Et quia ignorantia illa, vel error, potest esse, aut inculpabilis, aut culpabilis, & vincibilis, eaque vel levis, vel lata, crassa, supina, vel denique etiam affectata, & directe voluntaria. Ideo triplicis gradus distingui possunt hæretici materiales. 14

Primi gradus hæretici materiales sunt Christiani, sive alias illam veram Fidem Catholicam, sive sectam falsam, & hæreticam professi, qui assentiuntur alicui errori contra veritatem Fidei ex invincibili omnino, & inculpabili ignorantia, vel errore, adeoque absque omni pertinacia, qui proinde non tantum a crimine hæresis, sed etiam ab omni peccato contra Fidem immunes sunt, & nisi aliunde deficiant, salute non excidunt. Tales sunt plurimi, maxime rudiores, non tantum inter Catholicos, præsertim in explicandis rebus Fidei sub vecordibus Pastoribus degentes, sed etiam inter hæreticos: nam omnes rite baptizati, sive a Catholicis, sive ab hæreticis, postea vero inter hæreticos, vel infideles educati, & continuo conversati, ubi de vera Fide, & Religione Catholica, aut omnino nihil audiunt, aut audiunt solum confutando, irridendo, blasphemando referri, aut non audiunt, nisi absurda, & infanda, ut Papam esse Anticristum, bestiam, idolum, ut Deum adorari, adeoque vera invincibili ignorantia veræ Fidei Catholicæ laborant: hi sane retinent habitum Fidei in Baptismo infusum, qui non nisi per actum infidelitatis formalis amittitur. Deinde eas Fidei veritates, quas nobiscum communes habent, unde de SS. Trinitate, Verbi Incarnatione, aliisque mysteriis Symboli, Fide divina, & supernaturali credunt. Certe nisi aliunde peccent, a salute excludi minime possunt. Lege *D. August. supra cit.* Epist. relata *c.126. dixit Apostolus 24. q. 3.*

Secundi gradus hæretici materiales sunt Catholici illi, qui scilicet Fidem Catholicam Romanam profitentur, atque Catholicæ Ecclesiæ infallibilem Auctoritatem in rebus Fidei proponendis agnoscunt, & tamen ex ignorantia vincibili, & culpabili, etiam quantumvis crassa, lata, supina, opinionem aliquam contra Fidem veram tenent, eo ipso tamen, quo universaliter veram Fidem profitentur, & Catholicæ Ecclesiæ Auctoritatem in rebus Fidei agnoscunt, non pertinaces, sed parati se corrigere, si contra Ecclesiæ sensum, & definitionem esse sciant. Hi nimirum etsi ob culpabilem, & crassam ignorantiam voluntarie errantes in rebus Fidei mortaliter peccent contra virtutem Fidei, quia tamen pertinaces non sunt, hæretici formales non sunt, neque excommunicationes, & pænas hæreticorum incurrunt. Ita expresse *D. August. Epist.172. Turrecremata, Canus, Alphonsus a Castro*, aliisque congestis Sanchez *l.2.c.7. n.20.* Vasq. *1.2. disp. 126. c.2.* Laym. *l.2. tr.1. c.13. n.2.* Ratio mox infra dabitur.

Tertii gradus hæretici materiales esse possunt iidem Catholici contra aliquam Fidei veritatem errantes ex ignorantia etiam affectata, non tamen pertinaciter contra Auctoritatem Ecclesiæ, sed solum ob tædium discendi, metum scrupulorum, vel similem causam. Addit Lugo *de Fide disput. 20. sect.6. nu.190. & seq.* etiam ad liberius errandum in Fidem: etiam non sine aliquo maligno in Ecclesiam, vel Pontificem affectu, secluso tamen contemptu Ecclesiæ quoad Auctoritatem, nimirum adhuc parati se corrigere; si de contraria mente, & propositione Ecclesiæ constaret. Sic non erit hæresis formalis, sed peccatum infidelitatis negativæ contra primum Fidei præceptum affirmativum de scientia credendorum necessariorum ad salutem.

Ratio omnium est: quia quamdiu aliquis erga Catholicam Ecclesiam recte affectus est agnoscens ejus infallibilem Auctoritatem res Fidei proponendi, & paratus ab ea corrigi, tandiu se non opponit pertinaciter Ecclesiæ, aut ab ea se separat: consequenter formalis hæreticus non est. Sed qui ex ignorantia culpabili crassa, vel etiam affectata ob discendi tædium, vel similem causam tenet errorem aliquem contra Fidem, v.g. non esse purgatorium, vel infernum ante extremum Judicium, eum utique derelicturus, si intelligat Catholicæ Ecclesiæ repugnantem esse, talis adhuc Catholicæ Ecclesiæ recte affectus est; consequenter nec pertinax, rebellis, nec hæreticus est. Esset autem, si ignorantia esset affectata sic, ut nollet veritatem inquirere, quia, qui auctoritatem Ecclesiæ minoris æstimat, contemnit, libere in rebus Fidei errare vult, ut de se patet. Quandocumque ergo ignorantia affectata est ex maligno in Ecclesiam affectu & contemptu Ecclesiæ quoad Auctoritatem, ex falsa nimirum

mirum opinione de Auctoritate ejus fallibili in proponendis rebus Fidei, atque ita ad liberius errandum, ut ita mente affectus sit, ut etiamsi constaret de mente Ecclesiæ contraria, tamen nollet a sua opinione erronea recedere, tunc sine dubio erit hæresis formalis, & positiva infidelitas, etiamsi talis ignorans alioquin Fidem Catholicam profiteretur: unde eos, qui cum tali affectu, vel crassa ignorantia, Fidem, vel sectam falsam profitentur, esse veros formales hæreticos, mox dicam inferius. Ita cum aliis *Lugo cit.* recte sic explicans *Sanchez*, *Vasquez*, & alios communiter indistincte asserentes esse hæresim formalem, quando ignorantia affectata est ex maligno in Ecclesiam affectu, vel ad liberius errandum in Fide.

§. III. *Hæresis formalis*.

15 Est ejusmodi *hominis baptizati, & Christianam Fidem professi contra aliquam Fidei veritatem assensus erroneus, vel error voluntarius, & pertinax*. Hic exprimitur ratio formalis proprie constitutiva hæresis, & hæretici formalis, & excluduntur omnes hæretici materiales tantummodo supra assignati.

Debet ergo hæresis formalis esse error voluntarius non tantum voluntario communi, quo omne peccatum debet esse voluntarium, sed etiam voluntario aliquo speciali, & pertinaci opposito Fidei: nam sicut ad Fidem requiritur pius motus voluntatis inclinantis intellectum ad assentiendum veritati Fidei obscure revelatæ, ita ad hæresim formalem requiritur prava affectio voluntatis ad assentiendum contrario, vel contradictorio Fidei pertinaciter contra Auctoritatem Ecclesiæ proponentis talem veritatem, in qua pertinaci voluntate consistit ratio formalis constitutiva hæresis formalis, & differentia essentialis ab hæresi materiali tantum, & cum sit res gravissimi momenti, accuratius explicanda est ea

Pertinacia.

16 Pertinax hæreticus dicitur, cum quis sciens suam sententiam, vel Sectam esse contra Ecclesiæ Catholicæ definitionem, nihilominus eam retinet, minime paratus corrigi ab Ecclesiæ Auctoritate, nisi forte evidenti ratione convictus, quacumque de causa id faciat, sive ex contemptu, & odio Ecclesiæ, sive ex superbia, vel contradicendi libidine, sive ex alio respectu, vel affectu quocumque, talis enim putat judicium Ecclesiæ non esse sufficiens motivum credendi, suamque opinionem Ecclesiæ universalis Auctoritati præfert, quæ est verissima pertinacia. *Ita DD.* communiter cum Layman. *cit. lib.2. tract.1.c.13.* Sed ut cum aliis brevius explicat Coninch. *hic disp.* 18. *dub.* 7. *a. nu.* 78. quando quis etiamsi ei veritas Fidei sufficienter, & credibiliter proponatur, ita ut de ea prudenter dubitare non possit, contrarium tamen judicat, a quo nollet avelli quavis auctoritate, nisi evidenter convictus.

Unde valde hic notandum. 1. Ad pertinaciam hæresis minime requiritur mora temporis, cum in instanti fieri possit talis voluntarius, & pertinax assensus contra Auctoritatem, & propositionem Ecclesiæ. 2. Nec requiritur, ut quis talem sententiam erroneam mordicus teneat contra factam admonitionem ab Ecclesia in foro conscientiæ, in ordine ad peccatum hæresis, & excommunicationis pænam incurrendam, licet id requiratur in foro externo, & in ordine ad externas pœnas infligendas, ut notat communis *DD.* sententia. *Vasquez*, *Valentia*, aliique *cit.* Lugo eadem *disp.20. sect.5. n.*157. 3. Neque requiritur ad pertinaciam hæresis, ut quis cognoscat oppositum suæ sententiæ esse verum, aut proponi ab Ecclesia infallibilem Auctoritatem in rebus Fidei proponendis habente; id enim ordinarie non agnoscunt hæretici: immo impossibile est tenere actu contrarium simul, & semel, si quis actu agnosceret oppositum esse verum, aut ut verum propositum ab Ecclesia infallibilem Auctoritatem habente, ut cum aliis notat Lugo *cit. n.*165. sed sufficit, quod alicui opposita veritas, & Ecclesiæ infallibilis Auctoritas sufficienter proposita vera sit, ita ut de ea amplius rationabiliter dubitare non possit, juxta dicta *c.2. sect.3.* §.2. Unde ulterius. 4. Pertinacia hæresis immediate, directe, & explicite non est contra veritatem, aut veracitatem Dei, numquam enim volunt agnoscere, vel fateri hæretici se agere, vel sentire contra veritatem revelatam, verbum, aut ipsam veracitatem Dei, quin potius contendunt suos errores esse veritates revelatas a Deo per ipsum purum purum verbum Dei; sed immediate, & directe ea pertinacia est contra Auctoritatem, & propositionem Ecclesiæ, quam possent, & deberent agnoscere, tamen agnoscere pertinaciter nolunt. Attamen quia revera Ecclesia Catholica de facto infallibiliter sufficienter proponit veritates revelatas a Deo prima Veritate, quod ipsi possent, & deberent agnoscere; eo ipso tunc pertinaciter repugnant. 1. Auctoritati Ecclesiæ proponentis. Consequenter, mediate, vel indirecte, & implicite saltem, 2. repugnant ipsi veritati revelatæ, & 3. Ipsi divinæ revelationi, ac 4. Ultimate repugnant ipsi primæ veritati, vel veracitati Dei infinitæ, quasi & ipsi, velut fallibili, non esset semper credendum, & in hoc consistit formalissime malitiosissima hæresis, seu gravissima malitia hæresis.

Pertinaciæ gradus.

Ejusmodi pertinacium hæreticorum ex modo repugnandi triplex gradus assignari potest, nimirum *veritate neglecta*, *veritate sufficienter proposita*, *veritate agnita*. 17

Primus gradus formalis, & pertinacis hæresis, est sentire contra Auctoritatem Ecclesiæ, *veritate neglecta*, nimirum per ignorantiam crassam, & affectatam, per contemptum Ecclesiæ, ejusque Auctoritatis, cum scilicet quis incipiens dubitare de veritate Fidei, data opera, non inquirit veritatem, de qua ambigit, ex odio, & contemptu Ecclesiæ, ejusque Auctoritatis, cujus judicio se subjicere nolit. Cujusmodi formales hæretici, possunt etiam esse Catholici, alioquin veram Fidem Catholicam profitentes, ut §. *præced.* in fine explicatum est, & de facto sunt hæretici, seu Christiani illi, qui falsam Sectam Lutheri, Calvini &c. professi, & ex simili ignorantia affectata, vel crassa errores contrarios Fidei retinent: utpote (prout sæpissime fit) qui inter hæreticos educati, postquam de Religionis suæ falsitate suspicari cœperunt, vel dubitare, & intelligere aliquid de Doctrina Catholicæ Ecclesiæ, ideo tamen errores suos non deserunt, quia veræ Fidei argumenta, & rationes credibilitatis cognoscere culpabiliter omittunt, vel contemnunt, neque Ecclesiæ Catholicæ in rebus Fidei proponendis infallibilem Auctoritatem agnoscere volunt, sive deinde agatur in genere de tota Religione, sive in particulari de hoc, vel illo Articulo Fidei. Hi sunt, & manent vere hæretici formales, ac hæreticorum pænis subjecti: quia eo ipso, quo Sectam contradicentem Ecclesiæ Catholicæ, palam profiteri pergunt, & in sua culpabili crassa, vel affectata ignorantia verum inquirere, vel cognoscere culpabiliter omittunt, veræ Ecclesiæ se pertinaciter opponunt, & formales hæretici sunt, Communis DD. quos generatim loquentes recte explicat Laym. *cit. c.12. n.3. & c.13.* Et diserte docet D. August. *lib.* 4. de Bapt. contra Donatum *c.16.* inquiens; *Constituamus duos isto modo: unum eorum sentire id de Christo*, v.g. *quod Photinus opinatus est, & in ejus hæresi baptizari, extra Ecclesiæ Catholicæ communionem. Alium vero hoc idem sentire, sed in Ecclesia Catholica baptizari, existimantem ipsam esse Catholicam Fidem: istum nondum hæreticum dico, nisi, manifestata sibi doctrina, Catholicæ Fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit; Quod antequam fiat, manifestum est, illum, qui foris baptizatus est, esse priorem. Itaque in hoc sola falsa opinio; in illo autem etiam ipsa divisio corrigenda est: Sed in neutro ipsorum Sacramenti veritas repetenda.* Hæc S. Doctor.

Secundus, isque communis gradus hæresis formalis, ac pertinacis est sentire contra Auctoritatem, & Definitionem Ecclesiæ, *veritate sufficienter proposita*, at numquam adhuc agnita: tales sunt communiter hæretici in nostris partibus, saltem prudentiores, & rerum periti. Habet enim Ecclesia Catholica pro se tot, & tanta motiva, ut ejus notitia se ingerat etiam nolentibus, ut volentes, nolentes sæpe fateantur hæretici suam fidem esse quidem meliorem in vita, at nostram meliorem in morte; quare in mortis articulo eam facile amplectuntur, re ipsa comprobantes, non veritatis studio, sed alio terreno affectu, vel respectu duci ad hæresim amplectendam. Tales ergo quamvis sciant opiniones suas esse contra Auctoritatem Ecclesiæ, sibi sufficienter propositam, tamen velut oculis clausis avertentes intellectum ad sua motiva contraria, Ecclesiæ judicio stare nolunt, quod eam, ejusque in rebus Fidei proponendis infallibilem Auctoritatem agnoscere nolint, sed sua sapientia, & rationibus nixi, sententias suas Catholicæ Ecclesiæ Definitionibus præferre audent, simulantes se velle corrigi, cum tamen re ipsa corrigi nec velint, nec possint, quamdiu Judicem superiorem in Fidei rebus agnoscere, & Ecclesiæ sensui, & definitioni stare nolunt. De quibus S. Augugin. *lib.* de utilitate credendorum *c.18.* dicit. *Nimis amando sententiam suam, & invidendo melioribus, usque ad hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est.*

Tertius gradus supremus, ac pessimus, non tamen adeo communis, hæresis formalis, ac pertinacis, est sentire contra Auctoritatem, & propositionem Ecclesiæ, etiam *veritate jam agnita*; utpote eorum, qui sciunt etiam convincibiliter ex Scripturæ rationibus, & aliis motivis suam sententiam esse falsam, sententiam vero Ecclesiæ veram, nihilominus odio Ecclesiæ, vel Papæ, superbia, vel malitia excæcati, contra propriam scientiam, & conscientiam suam contrariam docere, & tueri conantur. Tales fuerunt Hæresiarchæ, Lutherus, Calvinus &c. & modo fere sunt ministri hæretici, qui licet quotidie in Scripturis versentur, & Scriptura, maxime accedente ratione, SS.PP. & antiquæ Ecclesiæ universalis consensu eos convincat, sua tamen malitia Scripturas contorquent, novas, falsasque interpretationes comminiscuntur, sive ut docti appareant, sive ut populum sibi devinciant. Hos merito principaliter hæreticos definit S. August. *loc. cit. Hæreticus est, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi, & maxime gloriæ, principatusque sui gratia, novas, & falsas opiniones gignit, vel sequitur, sciens utique, esse falsas.*

Dices: Si veritas Catholica ipsis sufficienter proposita sit, & maxime etiam cognita, quomodo possunt dissentire? & si sciunt suas opiniones esse falsas, quomodo possunt iis assentiri? Resp. Ideo possunt, quia facta quacumque propositione, vel etiam agnitione veritatis, & suæ falsitatis, obstinata tamen voluntate ex causis indicatis, intellectum mox avertunt a consideratione motivorum veritatis, ac velut eorum obliti, motivis suorum errorum toti incumbentes, manent æque, ac magis obstinati in suis erroribus. Certum autem est, dum actu agnoscunt veritatem Catholicæ Ecclesiæ, & falsitatem suæ fidei, non posse tunc simul, & semel aut veritati dissentire, aut falsitati assentiri, quousque præfato modo intellectum a motivis veritatis avertant, & ad contraria motiva tota vi convertant. Quæ bene nota.

Aliter ex parte objecti crediti triplex potest assignari gradus hæreticorum formalium, ac pertinacium. *Primus* est eorum, qui sentiunt contra veritatem aliquam, quam de facto sciunt ab Ecclesia esse definitam, & ad credendum propositam, & oppositum esse damnatum, præfato modo agnoscere nolunt. *Secundus* est eorum, qui etiam ante definitionem Ecclesiæ adeo firmiter, & tenaciter adhærent alicui opinioni suæ, ut positive concludant, quod etsi Ecclesia contrarium definiret, tamen acquiescere nollent, hoc ipso pertinaces contra Ecclesiam, & hæretici, etsi non contra veritatem illius Articuli v. g. Beatissimam Virginem esse, vel non esse immaculate conceptam, qui potest esse verus, tamen contra Articulum universalem, nimirum Ecclesiæ Auctoritatem in rebus Fidei proponendis esse infallibilem. Tales etiam possunt inter Catholicos, v.g. in disputatione de dicta immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis. *Certius est* eorum, qui erronee credentes aliquam sententiam esse de Fide definitam, oppositam tamen tueri volunt: hi sunt formaliter hæretici, quod nimis sufficit, & non materialiter, cum revera res non sit de fide, & definita ut erronee putant. Denique de pertinacia ad hæresim requisita universaliter loquitur D. August. sæpe dicta Epist. 162. *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, pravumque sentiunt, si correcti, ut sanum, rectumque sapiant, resistant contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, hæretici sunt.*

COROLLARIUM.

19 EX dictis, patet solutio unius, & alterius quæstionis hic proponi solitæ. *Prima*. An negans propositionem, vel conclusionem Theologicam, scilicet ex una præmissa de Fide certa, altera lumine naturali nota deductam, v. gr. conclusiones hujus Syllogismi. *Omnis homo est rationalis. Christus est homo: ergo Christus est rationalis*. Hanc, inquam conclusionem negans, an ideo sit hæreticus. Affirmant Canus, Valent. *sup. p.* 11. *n.* 1. At rectius negant alii communiter cum Laym. *cit. c.* 13. *n.* 7. Ratio est, quia talis, vel agnoscit veritatem præmissarum, & bonitatem illationis, aut non cognoscit: Si cognoscit, non potest negare conclusionem: si non cognoscit, non est ei sufficienter proposita conclusio, consequenter eam negans non potest dici hæreticus, nisi ita pertinaciter negaret, ut, facta quacumque propositione etiam per Ecclesiam universalem, nollet tamen admittere.

Secunda quæstio. An revelationi divinæ sibi privatim factæ aliquis pertinaciter dissentiens sit hæreticus. Negant aliqui apud Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 7. *n.* 13. ipse vero cum aliis affirmat indistincte. Sed placet respondere distincte cum Laym. *cit. lib.* 2. *c.* 13. *n.* 6. talem vere formaliter, & positive esse infidelem; nam sicut omnis ille, qui ob Auctoritatem Dei revelantis, tamquam unum formale credendi motivum, veritatem aliquam prudenter, & pie credit, vere fidelis est, & fidei Divinæ actum exercet: ita huic oppositum formalem actum infidelitatis exercet, quisquis revelationi divinæ sibi factæ imprudenter, & pertinaciter dissentit. 2. Talem essentialiter non videri differre ab hæretico, quia revelationem rei credendæ a Deo fieri publice, & privatim, non est essentialis, sed accidentalis tantum fidei, vel infidelitatis differentia, 3. proprie, & in rigore loquendo talem non esse hæreticum formale, nec hæreticorum pœnis subjectum: hæresis enim proprie est error contra fidem Catholicam, & ille proprie hæreticus dicitur, qui in dogmatibus fidei Ecclesiæ universali contumaciter resistit: talis non est in proposito; ergo &c. Hæresis ergo formalis, & pertinax hactenus explicata est.

§. IV. *Peccatum mortale gravissimum, gravius Paganismo, & Judaismo.*

20 CErtum apud omnes. Docet in primis ipse Christus Matth. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Ubi licet de correctione proximi delinquentis sermo sit, constat tamen nullos esse magis incorrigibiles, atque Ecclesiæ monitionibus, & doctrinis rebelles, quam hæreticos. 2. Petri 2. Hæretici dicuntur, *superinducere sibi celerem perditionem: portare adversum se execrabile judicium filii perditionis, quibus caligo tenebrarum reservata est in æternum*: Et addit diserte Petr. v. 20. *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Salvatoris JESU Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam Justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato*. Ex quo facilis

Ratio est: Pejus facit, qui, Christo Salvatore cognito, ejusque sancto mandato, & Fide accepta post agnitionem veritatis, & justitiæ retrorsum revertitur, quam qui Christum Salvatorem, & viam justitiæ numquam agnovit, atqui hæreticus baptizatus, & Fide Christi institutus a via Fidei, & justitiæ recedit, cujus veram notitiam numquam habuit Paganus, vel Judæus; ergo error hæretici pejor, graviusque peccatum est, quam Pagani, vel Judæi. Unde Paulus ad Tit. 3. v. 10. statuit: *Hæreticum hominem post unam, & secundam correctionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.*

Atqui hinc vi potestatis a Christo collatæ Petro, ejusque Successoribus Principibus Ecclesiæ Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*. Antiquissimus mos in Ecclesia semper fuit, graves, & obstinatos peccatores, sed specialiter hæreticos, excommunicandi, jam a tempore Apostolorum usurpatus. Sic enim *Paulus* 1. *ad Tim.* testatur, se Hymenæum, & Alexandrum tradidisse Satanæ, quia circa Fidem naufragaverunt. Et hinc est

ASSERTIO III.

OMnis hæreticus formalis internus, atque externus, qui scilicet hæresim animo conceptam voce, vel actione mortaliter mala exterius distincte, ac assertive manifestat, ipso facto incurrit excommunicationem latæ sententiæ, Papæ soli hodie reservatam, nec non alias pœnas excommunicationi per se, vel per accidens annexas. Hæc est prima excommunicatio Bullæ Cœnæ sic dictæ, quod singulis annis feria V. Cœnæ Domini publice promulgetur Auctoritate Pontificia, quam ex professo explicant Navarr. *c.* 27. *nu.* 55. Tolet. *lib.* 1. *c.* 19. Suarez *de cens. disp.* 21. *sect.* 2. & alii plures apud Sanch. *lib.* 2. *mor. c.* 9. Laym. *cit. c.* 14. *n.* 1. Conditiones autem requisitæ ad hoc, ut hæreticus incurrat eam excommunicationem in Assertione expressæ nunc explicandæ sunt.

§. I. *Omnis hæreticus formalis.*

UT quis incurrat eam excommunicationem, requiritur ut sit verus, & formalis hæreticus, juxta definitionem hæresis formalis *Assertione præced.* §. 3. late explicatam. Minime vero incurrunt eam hæretici materiales tantum, qui scilicet errorem aliquem contra veram Fidem tenent ex sola ignorantia crassa, supina, affectata, absque tamen pertinacia contra Auctoritatem Ecclesiæ juxta dicta ibid. §. 2. Quales plerumque sunt homines plebeji, & rusticani, rudes, & simplices apud hæreticos educati: Quos male Confessarii, vel Parochi inscii, aut laborem subterfugientes statim remittunt ad alium habentem potestatem absolvendi ab hæresi, non sine eorum confusione, & terrore: sed ipsimet prius examinare debent: & si solum errantes, vel ignorantes, adeoque materiales tantum fuisse hæreticos deprehendant, in necessariis Fidei instruere, & confessos absolvere debent. Istud autem facile deprehendunt ita examinando. 21

I. Quamdiu est, ex quo de Fide nostra cogitaveris, & saltem dubitare inceperis de Fidei nostræ veritate, & tuæ falsitate? Si numquam ita cogitavit, vel dubitavit, aut licet cogitaverit, vel dubitaverit, veritatem tamen inquirere non potuit defectu instructionis veræ, cujusmodi plures sunt apud hæreticos, & Lutheranos; simpliciter erit ignorans invincibiliter, adeoque hæreticus materialis tantum primi gradus supra explicati, & sic post necessariam instructionem absolvendus a quolibet Confessario approbato a reliquis peccatis.

II. Si vero ita cogitavit, & dubitavit de suæ Fidei falsitate, & nostræ veritate, quære ulterius, an veritatem inquirere, vel cognoscere studuerit, vel culpabiliter neglexerit. Si ex tunc veritatem inquisivit, eaque utcumque cognita ad te accessit, vel a te primum veritatem cognoscere petit, habes rursus innocentem hæreticum materialem. Instrue ergo, & absolve. Sin vero veritatem inquirere culpabiliter neglexit; quare, ex quo motivo? Si solum ex tædio discendi, ob affectus, & respectus humanos, ad liberius errandum, vel peccandum, &c. paratus tamen corrigi ab Ecclesia, si veritas proponeretur: rursus manebit ignorans, vel errans, etsi culpabiliter ignorantia crassa, vel affectata, non sine gravi peccato mortali contra præceptum affirmativum Fidei de scientia credendorum, non tamen hæreticus formalis, sed materialis tantum secundi, & tertii gradus supra explicati: ideoque adhuc post instructionem competentem, & confessionem, a quovis Confessario approbato absolvendus. Si vero neglexit inquirere veritatem ignorantia crassa, vel affectata ex odio, & contemptu Ecclesiæ, ejusque Auctoritatis, cujus judicio stare noluit, jam erit hæreticus formalis primi gradus supra explicati, idemque remittendus ad facultatem habentem.

III. Tan-

III. Tandem quæratur: an non subinde revera agnoverit veritatem nostræ Fidei, & suæ Sectæ falsitatem, saltem sibi sufficienter proponi ad credendum, & tamen in sua Secta quacumque de causa, affectu, vel respectu permanserit. Si sic: En habes hæreticum omnino formalem consummatum secundi, aut tertii gradus supra explicati, ac proinde si facultate eum absolvendi careas, necessario remittendum.

§. II. *Internus simul, & externus.*

22 HÆresis potest esse, aut interna tantum, aut externa tantum, aut interna & externa simul.

I. Hæresis interna tantum est error voluntarius, & pertinax in Fide, sed intus reservatus in corde, & nullo modo, vel non sufficienter verbo, vel signo externo manifestatus. Et licet talis hæreticus internus verus, & formalis hæreticus sit coram Deo, & in foro conscientiæ, non tamen talis est in foro externo Ecclesiæ, neque excommunicationem, aut alias pœnas spirituales ab Ecclesia hæreticis inflictas incurrit. Ratio est: quia Ecclesia non judicat de mere occultis; quare talis hæreticus internus, qui hæresim suam nullo modo, vel non sufficienter manifestavit exterius, a quovis Confessario approbato absolvi potest, & debet; nec ad alium remittendus, nisi forte pro pleniori instructione.

II. Hæresis externa tantum dicitur error contra fidem, externo tantum signo, verbo, vel facto ostensus, servata intus veritate Fidei: ut qui expresse, vel interpretative verbo, signo, vel facto falsam Sectam hæreticam profitentur, vel potius tantum simulant, prout latius explicatum *c. præced.* §.4. Et ejusmodi hæretici externi tantum, licet revera coram Deo, & in foro conscientiæ neque hæretici formales, neque excommunicati sint, sed simpliciter peccato mortali peccent contra præceptum externæ confessionis Fidei, a quolibet legitimo Confessario absolvi possunt, per se loquendo; in foro tamen externo Ecclesiæ & pro excommunicatis habentur, & pœnis Ecclesiasticis subjacere coguntur; quia Ecclesia judicat secundum exteriora, atque ex actibus externis propriis hæreseos, merito præsumit actus internos hæresis, & punit, nisi oppositum aliunde constet, & probetur. Et, si talis pro hæretico, & excommunicato publice declaretur, tamquam talis & vitari deberet, & absolvi non posset, nisi Ecclesiæ reconciliatus.

III. Hæresis interna & externa simul est error pertinax contra Fidem, & intus animo conceptus, & foris verbo, signo, vel facto sufficienter manifestatus. Et ejusmodi hæretici interni & externi simul, ultra peccatum mortale gravissimum, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ in ipso puncto, quo hæresim mente conceptam exterius verbo, signo, vel facto manifestant, & profitentur, sive in publico coram Communitate, & tunc dicuntur hæretici publici: sive in privato coram paucis, & tunc dicuntur hæretici occulti, clancularii, æque perniciosi, & excommunicati; per accidens enim est, tunc a nemine audiri. Hinc dicitur ulterius,

§. III. *Hæresim distincte, & assertive manifestat.*

23 NImirum, qui hæresim vero animo conceptam voce vel actione externa distincte significativa, & mortaliter mala, clarius assertive manifestat, & profitetur. Ratio: quia Ecclesia neminem excommunicat, ut hæreticum, nisi propter peccatum mortale hæresis externum, ac sensibile: non potest autem peccatum mortale hæresis esse externum, nisi quis hæresim internam animo conceptam. 1. exterius distincte determinate significat: utpote verbo, vel scripto, signo, vel facto, vel omissione facti, sive ex natura sua, sive ex institutione, sive ex consideratis circumstantiis personarum, loci, temporis hæresim internam distincte, & determinate significantibus. 2. Et quidem affective, seu animo asserendi, ac profitendi suam hæresim, & non habeat aliam intentionem, ut mox patebit: alioquin eo ipso non erit peccatum hæresis externæ, & consequenter 3. *Actione mortaliter mala:* quippe ab hæresi interna profecta, vel imperata. Ita DD. passim cum Sanch. *lib.2. c.8. n.7.* & 17. Laym. *lib.2. t.1. c.14. n.3.* Quibus bene perceptis facile est intelligere casus, quibus quis incurrat, vel non incurrat eam excommunicationem. Nam

24 I. Non fit hæreticus externus formalis, neque excommunicationem incurrit, qui suam præsentem hæresim internam aperte manifestat Confessario, vel alteri, solum consilii, & instructionis gratia: quia talis manifestatio, cum non fiat animo asserendi, vel profitendi hæresim, sed potius veritatem inquirendi animo, non est actus malus, sed bonus, adeoque ab Ecclesia puniri pœna, præsertim tam gravi, non potest. Communis cum Sanch. Layman *cit.* Item non incurrit excommunicationem, qui hæresim internam manifestat in somno, vel plena ebrietate, esto quis in ebrietate occidens hominem puniri possit, & etiam excommunicationem incurrat. Dispar ratio est, quia hæresis consistit, & completur in intellectu, & per verba externa solum significatur, non possunt autem verba significare hæresim, nisi præsentem, & consequenter prolatio hæretici dogmatis non potest esse peccatum externum hæresis, nisi ab interno peccato hæresis directe procedat, & imperetur: neque hic sufficit voluntarium indirectum, licet enim sciat quis, se in ebrietate solere disputare de Fide, & hæreticas suas opiniones effutire, quia tamen ea prolatio in plena ebrietate a præsenti peccato hæresis non procedit, nec consequenter præsens peccatum hæresis significat, non est formalis hæresis externa, ut ex se patet. At vero homicidium, etsi præsupponat voluntarium internum, tamquam causam moralem, tamen consistit, & completur in externo opere; & ideo est verum peccatum externum homicidii, etsi indirecte tantum, & in sua causa sit voluntarium in ebrio; qui nimirum sciens se in ebrietate solere rixari, contendere, percutere, &c. se inebriando voluntariam causam posuit homicidii secuti, ideoque in utroque foro, & conscientiæ, & externo homicidii pœnis, ac censuris utpote excommunicationi, & irregularitati, &c. subjacet.

II. Hæreticus formalis externus fit, & excommunicationem incurrit, qui hæresi interna vere infectus, distincte, & exterius profitetur verbo, vel scripto, v.g. dicens, vel scribens Christum non esse verum hominem, non esse vere realiter in Eucharistia, &c. At non incurreret, si uteretur verbo, vel scripto indifferente, vel non determinate exprimente, v.g. si actu sentiens Christum non esse verum Deum, solum diceret exterius, non est vere Deus: vel caput concuteret, &c. aut ejusmodi internam hæresim scriberet signis aliis ignotis, & sibi soli cognitis; talis enim revera non manifestat suam hæresim, sed occultam tenet malitiam. Sanch. *c.8. n.8.* & 10. Laym. *hic c.14. num.1.* plures apud ipsos. Item non incurrit excommunicationem, qui aperte asserit se aliquando hæresim Lutheri sectatum esse, aut habere propositum eam sectandi: talis enim non manifestat, vel profitetur præsentem hæresim, sed solum præteritam, vel propositum futuræ, cum quo stat, ut interea tunc veram Fidem in animo retineat. Sanch. *cit. nu.21.* & 22. Azorius, alii cum Laym. *cit.* addentes tamen talem juste puniri posse. Item non incurrit, qui dum scribit, disputat, legit, dictat, &c. pronuntiat hæresim, quam etiam ipse tenet interius, sed ipse tunc solum pronuntiat, ut hæresim aliorum, nihil ad se referendo. Quemadmodum etiam, si disputes de tali hæresi, quam revera intus habes, ita tamen ut ex tua disputatione non appareat, te vere ex animo, & propria mente asserere, vel approbare velle talem hæresim, sed solum disputative loqui, non eris hæreticus externus, nec consequenter excommunicatus, ut etiam notavit Tambur. *cit. l.2. in Decal. c.1.* §.4. *n.7.* & 8.

III. Hæreticus formali externus fit, & excommunicationem incurrit, qui suam actualem hæresim internam exterius *distincte significat* signo, vel facto, ex natura sua, ex institutione, vel circumstantiis personarum, loci, temporis, hæresim significantibus, utpote, qui intus hæretice credens Christum non esse in Eucharistia, Sacram Hostiam pedibus conculcaret, conspueret, dum elevatur, vel transfertur, vel dum transit, genu non flecteret, caput non aperiret, ita quidem, ut appareat id fieri deliberate, & non possit præsumi factum ex inadvertentia, &c. Ut notant DD. communiter. Item qui hæresi Lutherana infectus interius, ordinarie frequentat eorum conventus, conciones, & maxime eo ipso, quo communicaret eorum cœnæ, coram eorum ministro matrimonium contraheret: Item qui numquam, aut rarissime accederet ad Ecclesiam Catholicorum statis temporibus; Missam audire, communicare, &c. negligeret, nisi adessent tales circumstantiæ, ut ejusmodi omissiones oblivioni, vel justæ causæ in foro externo adscribi possent. Azor. Tolet. alii cum Sanch. & Laym. *cit. n.4.*

IV. Idem omnino dicendum de eo, qui hæresi Lutherana jejunia Ecclesiastica reprobante infectus, diebus ab Ecclesia interdictis, carnem comedit passim, sæpius aut etiam semel tantum, ita tamen, ut non appareat, vel justa, vel probabilis causa excusans, vel saltem levitas, qua etiam Catholici quandoque jejunia violare licite, vel illicite solent: sed ex indiciis, ac circumstantiis evidenter appareat, eum nulla alia causa, quam ex perversa mente, & hæretica, id facere. Vide dicta *c. præc. sub fin.* Sanch. *cit. n.17.* hoc limitat dicens: *Si quis motus hæresi interna, qua putat licere esum carnium diebus prohibitis, tantillum carnium ederet, ut esus ratione parvitatis materiæ tantum veniale esset, non fore hæreticum externum, & excommunicatum.* Sicut leviter, & venialiter tantum percutiens Clericum, excommunicatus non est. Sed recte notat Laym. *cit. n.4.* hanc limitationem non esse universaliter in omni casu veram, cum possint quandoque tales circumstantiæ concurrere, ut etiam exigua comestio carnis sufficiens sit protestatio hæresis; utpote si expressa intentione explorandi, ac discernendi Fidem, publice apponantur carnes, ut ex iis comedentes discernantur a Catholicis: hic hæreticus occultus sine contraria protestatione, vel modicum ex iis comedens, etsi peccet venialiter tantum contra Ecclesiasticam legem ex Temperantiæ motivo latam, tamen mortaliter delinquit, & excommunicationem incurrit, quatenus hæresim suam internam sufficienter manifestat, & profitetur. Ubi discrimen adverte esse inter peccatum externum hæresis (quod solum consistit in significatione, & manifestatione hæresis in animo comple-

tæ, quæ manifestatio etiam in levi materia sufficienter fieri potest, adeoque peccatum mortale erit,) & inter peccatum externum percussionis Clerici, quod consistit in executione malignæ voluntatis, qualis executio in levi materia non potest fieri, sufficienter ad peccatum mortale externum: esto interna voluntas percutiendi graviter peccatum mortale fuerit, & in Confessione explicandum sit, minime tamen excommunicationem inducit: quippe quæ fertur in percussionem externam mortalem, & non in solam malam voluntatem internam. Vide Navarrum in explicatione *Bullæ cas.* 1. *n.* 3..

§. IV. *Omnesque pœnas excommunicationi per se, vel per accidens annexas.*

25 POEnæ excommunicationi per se annexæ, & velut intrinsecæ sunt. 1. Separatio a Corpore Christi, & Ecclesiæ quoad meritum, & quoad numerum. 2. Privatio usus omnium Sacramentorum active, & passive, excepto Pœnitentiæ. 3. Privatio suffragiorum Ecclesiæ communium omnium. 4. Privatio omnis consortii Fidelium, excepto casu necessitatis. 5. *Traditio Satanæ in interitu carnis*. 2. Corinth. 5. Nam olim in Ecclesia primitiva excommunicati statim a dæmone vexabantur. 6. Exclusio a Regno cælorum, quod enim *ligatum est in terris, etiam ligatum est in cœlis*, nisi per veram contritionem cum voto absolutionis, in foro Dei absolvatur.

Pœnæ excommunicationi maxime hæreticorum per accidens annexæ, Ecclesiasticæ sunt. 1. Irregularitas, seu incapacitas ad sacros Ordines suscipiendos, & in susceptis ministrandum. 2. Privatio omnis Beneficii, Jurisdictionis, & Dignitatis Ecclesiasticæ. 3. Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Pœnæ vero hæreticorum Politicæ sunt. 1. Confiscatio omnium bonorum. 2. Liberatio subditorum a juramento Fidelitatis. 3. Infamia. 4. Pœna capitis. De quibus ad nostrum forum nihil spectantibus consulendi Juristæ, & Legistæ. De pœnis autem excommunicatorum in communi ex professo agitur in materia de Censuris.

SECTIO III.

Communicatio Catholicorum cum hæreticis in crimine, Sacris, Matrimonio, politicis,

SUMMARIUM.

26 *Mortaliter peccant, & excommunicantur communicantes cum hæreticis in ipso crimine hæresis, ut sunt.*
27 *I. Eis in hoc credentes.*
28 *II. Eorum fautores.*
29 *III. Receptores, & defensores.*
30 *In causa hæresis: non autem in alia causa.*
31 *Quomodo, aut qualiter liceat, vel non liceat cum eis communicare in* Sacris, *v. g. concionibus, exequiis, Baptismo, &c.*
32 *Matrimonia Catholicorum cum hæreticis sunt quidem valida, mortaliter tamen illicita ob varia pericula.*
33 *Nisi rationabili causa excusentur.*
34 *Etiam quævis commnicatio cum eis politica periculum subversionis inducens est sub mortali prohibita jure divino, & naturali.*

ASSERTIO IV.

OMnis communicato cum hæreticis in crimine, in Sacris, in Matrimonio, & Politicis actionibus cum periculo subversionis in Fide, vel moribus mortaliter illicita est Catholico: at in crimine communicatio etiam inducit excommunicationem latæ sententiæ in Bulla Cœnæ. Certum apud omnes. Ratio patebit singula explicando.

§. I. *Communicatio in crimine.*

26 COmmunicantes cum hæreticis in ipso crimine hæresis, hoc est credentes, fautores, receptores, & defensores hæreticorum in causa hæresis Jure Divino peccant mortaliter, Jure vero Ecclesiastico incurrunt excommunicationem latæ sententiæ.

Ratio peccati nimis clara est: quia omnis consentiens, & quomodolibet favens peccatis mortaliter in causa peccati, & cum evidenti periculo salutis propriæ sine dubio peccat mortaliter: atqui hoc faciunt maxime credentes, fautores, receptores: & defensores hæreticorum in causa hæresis: ergo, &c. Jure vero Ecclesiastico hi ipsi nominatim, & expressis terminis excommunicantur in Bulla Cænæ Domini statim post excommunicationem ipsorum hæreticorum, supposita tamen ex dictis *semper pro semper*, quod hi suam credulitatem, favorem, defensionem erga hæreticos actu externo demonstrent. Termini ergo explicandi sunt.

Credentes

HÆreticis dicuntur, qui eorum erroribus aliquo modo assentiuntur, saltem implicite, & in confuso, v. g. dicendo vera esse, quæ Lutherus, ille, vel iste hæreticus contra Ecclesiam Catholicam docuit, vel dixit, etsi in particulari eorum errores vel ignorent, vel iis non adhæreant, cujus credulitatis signa sunt, si verbis hæretici Fidem præbeas, eum de sua hæresi dicentem libenter audias, approbes, ejus doctrinam apud alios laudes, &c. Quamvis autem tales credentes ordinarie sint veri formales interni, & externi hæretici (sicut formalis verus Catholicus est, qui Fidei Articulos implicite credit, credendo quidquid Ecclesia credit,) adeoque ipsa excommunicatione hæreticorum feriantur; quia tamen ex istis actibus non potest adhuc firma hæresis concludi, & res disputationi subesse possit, ne quis de horum hæreticis credentium excommunicatione dubitare posset, eorum etiam expressa mentio facta est in Bulla, cum tales actus ex natura sua pessimi, & saluti animarum, ipsique Ecclesiæ perniciosissimi sint. Vide Navarr. *c.* 27. *n.* 55. Toletum *lib.* 1. *c.* 19. Sanch. *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 2. 27

Fautores

HÆreticorum dicuntur, qui aliquem illis favorem præstant, quo eorum hæresis, aut immunis permaneat, aut illam liberius diffundere possint, exercitia sua hæretica, conventicula, aut alia quæque ad hæresim promovendam spectantia exercere valeant. Ubi maxime peccant, & excommunicationi subjacent Principes, & Magistratus Catholici, qui hæreticos in suis terris grassari sinunt, non puniunt, cum sciant, & possint, non denuntiant, immo ad munia Reipublicæ promovent. Excepto ubi pubblica auctoritate ob gravem necessitatem, etiam inter Catholicos, sub Magistratu Catholico, hæretici tolerari debent, ut nunc est in pluribus locis Germaniæ. 28

Receptores, defensores.

REceptores hæreticorum dicuntur, qui hæreticos domo, vel alio loco recipiunt, & abscondunt, ne hæretici ob hæresim legitime inquisiti capiantur. Qui hæreticos ad domos suas admittunt, cum sciunt, eos hæresim spargere, & dilatare, etiam sub mensa, & inter pocula, maxime cum ad id quomodolibet cooperentur. 29

Denique *Defensores* hæreticorum dicuntur, mortaliter peccant, & excommunicationem incurrunt, qui hæreticos in, vel extra judicium quomodolibet defendunt, excusant, impediunt quacumque ratione, ne cum eis justitia fiat. Ubi gravissime, & dupliciter peccant ipsi Magistratus Catholici, & omissione justitiæ, & commissione favoris hæreticis exhibiti in perniciem animarum, & Reipublicæ Christianæ. Quæ omnia, quia in Germania, ubi hæretici tolerati sunt, raræ praxis sunt, obiter indicasse sufficiat. Late videre poterit, qui volet, apud Azorium, Sanch. *cit.* 5. 10. *a n.* 4. & alios.

In causa hæresis.

NAm extra causam hæresis quoad alia credere, favere, recipere, vel defendere hæreticos, ex his titulis culpa non est. Comprehenduntur ergo solum credentes, fautores, receptores, defensores hæreticorum formaliter, quatenus hæretici sunt, sive ut hæresim suam impune, vel facilius tenere, docere, ac diffundere possint, ut explicant DD. communiter cum Navarro *cit. c.* 77. *nu.* 5. Ad hoc tamen non requiritur formalis, & directa intentio propagandi hæresim, sed sufficit indirecta, & interpretativa, ita ut peccent, & excommunicationem incurrant, qui hæretico in causa hæresis favent, vel auxilio sunt, etsi non directa intentione promovendi hæresim, sed alio motivo: e. g. amicitiæ, utpote si Judex, cum potest, & debet, non capiat, non puniat hæreticum, sive ex affectu amicitiæ, vel consanguinitatis, sive ex tædio laboris, &c. Sylvester *V. hæresis q.* 7. §. *Fautores*. Laym. *cit. n.* 5. Item qui amicitiæ, vel consanguinitatis ergo hæreticum recipiens domo in causa est, ne capiatur, vel puniatur. Tolet. *lib.* 1. *c.* 19. *Tertium est*. Sylvest. Laym. cit. Etsi contra sentiant Sanch. cit. & Tambur. *cit. c.* 1. §. 6. requirentes formale motivum favendi, ac fovendi, vel promovendi hæresim: quia alioquin non faveret hæretico, sed amico, & consanguineo, &c. ex alia obligatione humana: & per accidens est, quod redundet in favorem hæresis. Sed hoc minus probabiliter. Sic enim vix essent ulli fautores, vel receptores hæreticorum excommunicationi subjecti, nisi etiam ipsi sint formales hæretici, sicque illa specificatio Bullæ vere esset frustranea. Illud vero probabile, receptorem personæ conjunctissimæ, utpote patris, filii, fratris, ne in manus justitiæ deveniat, etsi peccare possit, tamen excommunicationem non incurrere: quia personam adeo conjunctam, & quasi eamdem cum illo non defendere in tanto periculo, valde difficile est. Ita Vivaldus, Azorius apud Layman cit. omnino probabiliter. 30

Magis

Magis adhuc probabile est, quod docet ipse Sanch. *c.* 10. *n.* 9. & ex eo Laym. *c.* 14. *in fin.* Hæretici fautorem, receptorem, &c. non incurrere censuram, nisi malus effectus, vel eventus sequatur, sed requiri, ut ex tali favore, vel auxilio præstito, hæreticus, v. g. liber evadat, hæresim liberius, ac latius effundat. Ratio est, quia quando in Canonibus Ecclesiæ factor alicujus rei principaliter, & omnes cooperatores accessorie excommunicantur, in excommunicationem non incurrunt, nisi effectu secuto, juxta communem DD. atqui hac prima excommunicatione Bullæ principaliter excommunicantur ipsi hæretici, accessorie vero solum eorum fautores, receptores, defensores: ergo isti non incurrunt excommunicationem, nisi ex favore, sive auxilio præstito sequatur malus effectus hæresis defensæ, & propagatæ. Contrarium tamen rursus probabilius censent Sayrus *lib.* 4. *c.* 4. Castro-Palaus, aliisque citatis, Tambur. *§.* 6. *nu.* 7. Quia talis ex parte sua posuit totam protestationem: ergo simpliciter favens, vel receptor fuit, ideoque censuræ subjectus. Sed priorem sententiam in conscientia tutam censeo.

§. II. *In Sacris, &c.*

31 Communicantes cum hæreticis in sacris hereticis, utpote in signis, ritibus, cæremoniis, & quibusvis aliis hæreticorum propriis, utpote eorum conventiculis, concionibus, cœnæ, &c. ordinarie, & quasi uni ex ipsis assistentes, &c. jure divino peccant mortaliter, & possunt incurrere excommunicationem: hoc enim proprie est *communicare operibus eorum malignis*, quod tantopere prohibet D. Joannes infra citandus. Ratio abunde patet ex dictis. Nam tales ita communicantes in prophanis eorum sacris, aut revera animo sunt infecti hæresi, aut saltem credentes, vel fautores hæreticorum: & tunc, cum suam hæresim internam, vel pravum in hæresim affectum, vel favorem opere externo solemniter & proprie manifestent, præter peccatum mortale, incurrunt excommunicationem Bullæ, ex modo dictis: aut denique licet animo nullo modo sint affecti in hæresim, sed Fidem illibatam servent, tamen adeo solemni actu falsam sectam simulando, gravissime peccant, contra professionem externam Fidei, & in foro externo pro hæreticis, & excommunicatis habentur, ac pœnis hæreticorum subjacere coguntur, ut jam sæpius dictum.

Dixi autem, *in sacris hæreticis:* nam in sacris Catholicis per se licet Catholicis communicare cum hæreticis toleratis, seu non vitandis, uti sunt nostri in Germania; licite enim admittuntur ad conciones, exequias, &c. modo absit periculum irreverentiæ, irrisionis, scandali, &c. idque maxime, quando speratur fructus, & effectus aliquis bonus, prout sæpius compertum fuit. At vero nullo modo licet citra mortale cum eis communicare in Sacris Catholicis active, ut eis aliquo modo cooperentur; immo peccat mortaliter Catholicus, qui ad Baptismum, vel Confirmationem adhiberet, nedum Ministrum, sed Patrinum hæreticum, cum enim officium sit Patrini infantem, vel puerum susceptum quandoque, cum opus fuerit, in Fide enutrire, & conservare, si hæreticum patrinum adhibeas præter scandalum inde oriri solitum, eo actu censeris perfidiæ illius consentire, & filio tuo obligationem quamdam ad hæreticum acquiris. Communis DD. apud cit. Maxime vero peccat mortaliter Catholicus Clericus, vel sæcularis hæreticum excommunicatum admittens ad participationem Sacramentorum, quia cooperatur, vel consentit eorum peccato, & sacrilegio, & si hæreticus esset non toleratus, Clericus admittens eum ad Sacra incurrit excommunicationem juris communis.

§. III. *In Matrimonio.*

32 Matrimonia Catholicorum cum hæreticis etsi secundum Leges Ecclesiæ facta valida fiant (de quo alibi) tamen jure Divino, & Ecclesiastico, illicita sunt sub peccato mortali, nisi rationabilibus causis excusentur. *Ita omnes Orthodoxi.* Ratio sumitur primo ex jure Divino, quo quilibet homo sub mortali tenetur devitare pro posse pericula proxima peccatorum salutis suæ: atqui in matrimoniis Catholicorum cum hæreticis sunt sane pericula proxima, & multiplicia peccatorum, & salutis. Nam

I. Est periculum maximum subversionis in Fide conjugis Catholici; si enim in quavis conversatione familiari cum hæreticis tantum censetur periculum, ut jure Divino vitari debeat, ut mox dicetur, quanto majus erit periculum in ipso matrimonio cum hæreticis, ubi sunt duo in carne una, quam facile uxor violentia viri, vir vero lenociniis uxoris in Fide pervertetur? Et istud quidem periculosius. Unde Deus in veteri Lege specialiter Hebræis prohibuit conjugia cum fœminis gentilibus ob evidentissimum periculum subversionis. Deuteronom. 7. versic. 4. *Quia seducet Filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat Diis alienis.* Et 3. Reg. cap. 11. *Certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Expertus nimirum mortalium sapientissimus Salomon. Et hic maxime urget præceptum Apostoli 2. Ad Corinth. 6. *Nolite jugum ducere cum gentibus.* Et, *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

II. Gravissimum est periculum subversionis prolium, quæ alterutro parente hæretico, aut potestate paterna Patris hæretici, aut blanditiis matris hæreticæ, vix fieri potest, quin pervertantur, aut saltem inficiantur. Sacrilegum autem pactum est, si persona hæretica cum Catholica contrahat ea lege, ut filii in Fide sequantur patrem hæreticum, filiæ vero matrem Catholicam, vel e contra.

III. Tertium periculum est, aut condescensionum perversæ charitatis, aut gravium dissensionum: aut enim ejusmodi conjuges conabuntur servare charitatem, & pacem, & quid non faciet, vel tolerabit contra conscientiam maritus Catholicus in gratiam uxoris hæreticæ? Et quid e contra uxor Catholica ob gratiam, & metum viri hæretici? aut uterque conjux conabitur tueri conscientiam zelo Fidei, & Religionis suæ: & quomodo hoc moraliter fiet absque frequentissimis, & gravibus dissensionibus, rixis, scandalis mutuis, aliisque peccatis? juxta illud D. Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 9. *Quomodo potest congruere charitas, si desit Fides?* Ergo Jure divino, & naturali, illicita sunt ejusmodi conjugia de se loquendo.

IV. Accedit Jus Ecclesiasticum frequenter in Conciliis, & Canonibus, prohibens ejusmodi conjugia. Concilium Laodicense c. 14. inquit: *Non oportet cum hæreticis universis nuptiarum fœdera celebrare, aut eis filios dare, vel filias, sed magis accipere; si tamen Christianos se fieri promittant.* Et in Concilio Elibertino canone 16. definitur. *Hæreticis, si se transferre noluerint ad Ecclesiam, nec ipsis dandas Catholicas puellas.* Conc. Calced. can. 14. *Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia, & vel filios, vel filias dare, sed potius accipere; si tamen profiteantur Christianos se esse futuros, & Catholicos.* Idem prohibet late Stephanus Papa Ep. ad Francorum Regem cap. 46. Bonif. VIII. cap. *Decrevit de hæret.* Et alibi. Vide Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *cap.* 14.

Dixi autem per se loquendo, *nisi rationabilibus causis excusetur.* Matrimonium ergo personæ Catholicæ, ut & validum, & licitum sit quatuor necessario requiruntur 1. Ut fiat secundum leges Ecclesiæ: videlicet secluso impedimento dirimente etiam juris Ecclesiastici tantum, coram Parocho, & testibus, de quibus suo loco: alioquin post Concil. Tridentinum receptum matrimonium esset nullum. 2. Requiritur, ut absit, & quantum fieri potest, excludatur periculum subversionis in Fide expresso pacto, ut conjugi catholico liceat secure, & quiete in sua Fide permanere, adeoque securitas salutis, & salus animæ præferenda est omni incommodo temporali, aut etiam commodo. 3. Requiritur pactum expressum, ut educatio prolium in Fide, & moribus, maneat penes conjugem catholicum, saltem usque ad annos pubertatis, & emancipationis. Et quia his omnibus stantibus revera adhuc subsunt moraliter pericula supra enumerata, propter quæ jure Divino, & Ecclesiastico prohibita sunt ejusmodi matrimonia; hinc 4. requiritur insuper causa rationabilis excusans, qualis potissimum triplex esse potest: 1. Utilitas spiritualis, utpote si conjux hæreticus promittat, vel certe magna spes sit illum Fidem Catholicam amplexurum. Ita expresse Concil. Elibertinum, & Laodic. supra allata, & communis DD. cum Layman *cit. lib.* 5. *tr.* 10. *par.* 4. *cap.* 14. Marchant. *to.* 2. *tr.* 2. *sect.* 3. *q.* 11. *in append.* Qui huc refert connubia cum hæreticis Regibus, & Principibus, si inde speretur conversio Regnorum, protectio Catholicorum, cessatio persecutionum. 1. Moralis quædam necessitas, utpote dum quis habitat in Regionibus hæreticorum prædominantium, nec facile repetit personam catholicam suæ qualitatis, & conditionis, cui honeste nubere possit. 3. Gravis damni evitatio, utpote quia alias esset periculum exhæreditationis, proscriptionis, ruinæ totius familiæ, hæreditatis totius ad hæreticos devolvendæ, &c. In his, & similibus casibus permittuntur connubia Catholicorum cum hæreticis, consulto tamen semper, cum fieri potest, Pontifice, vel Ordinario. Attamen, *Azorius, Sanchez alii apud Layman citat.* recte addunt in Germania, & cæteris locis, ubi hæretici tolerati cum Catholicis permixti sunt, id licere ex consuetudine, dummodo adsint conditiones quatuor enumeratæ. 33

§. IV. *In politicis.*

Omnis communicatio politica, seu quæcumque conversatio, commercium, convictus cum hæreticis, unde 34
imminet periculum subversionis Fidei, vel morum, Catholico jure Divino, & naturali sub mortali est prohibita. *Omnes.* Ratio datur, & fundatur in ipsa Lege Divina, & naturali: quia quilibet sub mortali tenetur vitare omnia pericula peccati, & subversionis in via salutis, quale periculum maxime est in communicatione, conversatione, convictu cum hæreticis. Unde & in S. Scriptura tam graviter prohibetur. Ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem, devita, sciens quia subversus est.* 2. ad Timot. 2. prohibet Apostolus omnem conversationem, & colloquium cum hæreticis dicens, *Prophana, & vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum*

rum ut cancer serpit, ex quibus Hymenæus, & Philotus, qui a veritate exciderunt. Et alibi. Severus adhuc dilectus discipulus Joannis Epist. 2. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec AVE ei dixeritis, qui enim ei dicit AVE, communicat operibus ejus malignis*. Unde idem S. Joannes advertens Cerinthum hæreticum in balneis, exclamavit, *Fugiamus, ne ruina domus opprimendo nos præveniat*, uti refert Irenæus *lib. 3. contra hæres. c. 3.* Peccant ergo graviter quicumque absque legitima causa continuis commerciis, & conversatione cum hæreticis assuescunt: nam licet non omnino pervertantur, tamen eorum mores, modos, errores, &c. imbibunt, approbant, Articulos, & mores veræ Fidei aut obliviscuntur, aut obiter æstimant, vel vilipendunt. Et execrandus est mos parentum, qui filios ad partes hæreticorum destinant educandos, & consequenter necessario aliquo modo inficiendos in Fide vel moribus, prætextu addiscendæ mercaturæ, conversationis politicæ, studiorum, &c. Cæterum ubi abest periculum subversionis in Fide, vel moribus, maxime ubi permixti vivunt hæretici cum Catholicis, nulla culpa erit communicare cum hæreticis in politicis alias indifferentibus. Ubi maxime excusantur opifices juniores, qui artis suæ causa in civitatibus Imperii operas suas locant, alioquin parvi æstimantur; excepto semper (quod in his terris raro evenit) nisi esset hæreticus excommunicatus nominatim denuntiatus; adeoque non toleratus; talis enim jure Ecclesiastico sub excommunicatione minori, quoad omnem excommunicationem evitandus est, extra casus Jure expressos, & hoc versu contentos.

Utile, Lex, humile, & res ignorata, necesse.

De quibus vide Auctores passim in materia de Censuris.

COROLLARIUM.

Confessarius ergo advertens pœnitentem suum ex conversatione cum hæreticis adire periculum Fidei, morum, & salutis, debet ei injungere: nec potest absolvere, nisi promittat devitare, vel abscedere quamprimum, absque gravi suo incommodo fieri potest.

SECTIO IV.

Librorum hæreticorum Lectio, Retentio.

SUMMARIUM.

35 *Quomodo differant liber hæreticus, liber hæretici, & liber prohibitus.*
36 *Mortaliter peccant, & excommunicantur*
37 *Quicumque cujuscumque conditionis, sine facultate Sedis Apostolicæ scienter legunt, retinent, vel imprimunt, &c. librum hæreticum hæresim continentem.*
38 *Atque adeo ad incurrendam hanc excommunicationem debet esse I. Liber hæretici, non alterius infidelis, Turcæ, Judæi, &c.*
39 *II. Debet esse Liber. Ubi, quæ censeantur, vel comprehendantur nomine libri.*
40 *III. Debet esse Liber* hæresim continens (*Quinam tales.*)
41 *IV. Aut de Fide, vel Religione tractans.*
42 *V. Debet quis scire esse talem librum: unde non tantum ignorantia invincibilis, sed etiam culpabilis, crassa, & probabiliter etiam affectata excusat, saltem ab excommunicatione.*
43 *VI. Debet etiam legere* intelligibiliter. *Ubi, quando quis moraliter sic censeatur legere, per se, vel per alium, ipsum auscultando.*
44 *Quæ quantitas requiratur, & sufficiat in tali lectione ad peccatū mortale, & incurrendam excommunicationem.*
45 *Quandonam ita peccent, & pœnam excommunicationis incurrant* retinentes *tales libros.*
46 *Quandonam eos* imprimentes,
47 *Aut* defendentes.
48 *Aliorum librorum sub mortali prohibitorum tres Classes.*

35 Liber *hæreticus*, liber *hæretici*, & liber *prohibitus* differunt sicut magis, & minus late patens. Liber *hæreticus* proprie dicitur, & definitur, qui Religionis materiam tangens in toto, vel in aliqua sui parte hæresim, vel contrariam Fidei Orthodoxæ sententiam continet, & ex mente Auctoris docet, a quocumque sit compositus. Liber *hæretici* vero latius patens, dicitur omnis ille, qui compositus, & editus est ab hæretico in quacumque materia; sive Fidei, & Religionis, sive alia. Liber *prohibitus*, adhuc latius patens, dicitur omnis ille, qui in Indice Romano Concil. Tridentino annexo prohibitus, designatus, vel adhuc legitime designandus est, a quocumque sit compositus, sive ab hæretico, sive a Catholico, & de quacumque materia tractet, sive Religionis, sive alia perniciosa, de quibus omnibus patebit.

ASSERTIO V.

36 *Quicumque hæretici librum hæresim continentem, aut de Fide, & Religione tractantem, absque Apostolicæ Sedis Auctoritate, scienter legunt, retinent, imprimunt, vel quomodolibet defendunt, jure naturali, Divino, & Ecclesiastico peccant mortaliter, & insuper incurrunt excommunicationem latæ sententiæ Summo Pontifici reservatam.* Omnes.

De peccato mortali constat *in primis* jure Divino naturali, quod sub mortali culpa prohibet omne periculum proximum peccandi, maxime in Fide, & Religione, adeoque etiam prohibet legere libros hæreticorum, saltem hæresim aperte docentes, ob gravissimum periculum subversionis: nam si teste Apostolo hæreticorum sermo serpit ut cancer, & venenum diffundit, sane eorumdem sermo in libris scriptus, quo intimius penetrat lectus, eo magis inficit, & velut serpens in silentio mordet. II. Jure vero Ecclesiastico idem sæpius, & severissime prohibetur sub excommunicatione, aliisque pœnis solis peccatis mortalibus debitis diversis constitutionibus Pontificum Pii IV. *constitut.* 77. Sixti V. *constitut.* 74. Clement. VIII. *constitut.* 36. quas lege in Bullario Romano. Denique Bulla Cœnæ primo excommunicat hæreticos, deinde etiam fulminat legentes eorum libros. Textus Bullæ sic habet; *Excommunicamus hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes sine Auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa publice, vel occulte; quovis ingenio, vel colore.* Hæc Bulla, distincte satis exprimens conditiones requisitas ad incurrendam hanc excommunicationem, & nunc breviter explicandas.

§. I. *Quicumque sine facultate Sedis Apostolicæ.*

Cujuscumque conditionis, dignitatis, doctrinæ, probitatis existat, atque, ut loquuntur Bullæ Pontificum, quacumque dignitate Ecclesiastica, etiam Episcopali, vel Archiepiscopali præfulgeat. Quamvis enim respectu alicujus particularis personæ, doctrina, probitate, & constantia præditæ nullum esset periculum legere ejusmodi libros hæreticos, quia tamen Ecclesia advertit sub tali prætextu quemlibet posse de se præsumere, & sic plurimos seduci, sicque populo Christiano gravia pericula subversionis imminere, hinc recte universaliter, doctis pariter, & indoctis lectionem librorum hæreticorum inhibuit, præter personas idoneas a Sede Apostolica specialiter deputatas, vel deputandas. *Ratio* fundatur in communissima sententia DD. quod nimirum cessante fine adæquato legis in una particulari persona, non ideo cessat lex eam obligare, quia lex principaliter fertur propter bonum commune totius communitatis, & non propter bonum privatum hujus, vel illius: ut si Magistratus præcipiat, ne quis de noctu arma portet propter periculum rixarum, homicidiorum, etiamsi quis ob senium, vel mores pacatissimus esset extra omne periculum rixarum, adhuc obligatur lege ob dictam rationem; eadem ratio a fortiori est in proposito. Insuper tametsi fatear non improbabilem esse sententiam multorum DD. nominatim *Dianæ*, variis locis apud Tamb. *cit. c.* 1. *n.* 38. nimirum quando cessat totus finis adæquatus legis in una persona particulari, tunc in illa cessare obligationem legis, saltem in foro conscientiæ: esto ita in aliis, at in proposito nostro vix unquam potest cessare finis adæquatus legis prohibentis lectionem librorum hæreticorum (moraliter loquendo) nam præterquam quod difficile videatur cessare omne periculum subversionis in lectione illorum librorum: revera periculum subversionis non est totus adæquatus finis illius tantæ prohibitionis: est enim etiam 1. hæreticorum contemptus ex exterminatione eorum librorum enascens: est 2. evitatio quantum fieri potest, omnis communicationis cum illis etiam in scriptis; est 3. ut ipsi, cum videant sua scripta a Fidelibus non legenda, a scriptione cessent. Accedit obedientia, & reverentia tam severis Conciliorum, & Pontificum Decretis debita: quia ergo numquam cessat finis adæquatus illius prohibitionis, non est aperienda janua, qua ejusmodi libros impune evolvere possis, etsi putes, (nam quando, vel quis certus erit?) te in pericula errandi non lapsurum. Verum quia nulla lex sine *Epikeia*; nulla regula sine exceptione; ex sententia P. Marchant. Tribun. *par.* 2. *tr.* 2. *sect.* 4. *q.* 3. *dub.* 1. probabilissima *Epikeia* excipiendi sunt Archiepiscopi, & Episcopi; in locis, ubi a Sede Apostolica aliter provisum non est, quibus tunc ex officio competat auctoritas legendi, corrigendi, condemnandi errores, & libros hæreticorum; siquidem Apostolus ad Titum 1. inter conditiones Episcopi maxime requirit, *ut possit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*: Quomodo autem arguet eos, qui contradicunt, si non licet eorum doctrinas falsas legere? Idem ibidem in generali regula etiam probabilissima *Epikeia* excusandum censet Theologum Confessarium, vel Concionatorem ab omni peccato, & consequenter etiam ab omni censura incurrenda, si ob rationabilem causam, utpote ad examinandam citationem hæreticam, ad satisfaciendum dubio juste interrogantis, ad convincendum hæreticum ex proposito suo, vel sui hæresiarchæ libro; & specialiter quando speratur inde vincere, & ubi res moram non patitur, nec patet recursus ad eum, qui habet licentiam legendi ejusmodi libros; & maxime si inde speretur bonus effectus ad conversionem alterius errantis,

rantis, ut merito lex Charitatis debeat vincere legem Ecclesiasticam, legat, quantum ad id opus est, librum hæreticum. Layman autem *lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 15. epikeiam hanc concedit cuilibet viro docto, & prudenti in Germania, legendi in libro hæretico, locum quærendo ad alium convincendum, si certo speret inde convertendum. Neque obstat, quod Bullæ Pontificum prohibeant ejusmodi libros legere, *quavis causa, quovis ingenio, vel colore*: nam præterquamquod causæ allatæ non sunt coloratæ, sed veræ, & reales, ac in Charitate fundatæ, istæ particulæ potius ad defendentes, quam ad legentes libros hæreticos referendæ sunt. Ut monet *March. l. c.*

§. II. *Hæretici librum hæresim continentem, vel de Religione tractantem.*

AD incurrendam ergo hanc excommunicationem ex parte libri lecti requiritur. 1. Ut hæretici sit. 2. Liber sit. 3. Hæresim contineat. 4. Aut saltem de Religione tractet, etiamsi hæresim manifestam non contineret. Percurramus breviter singula.

I. Hæretici, &c.

38 SEu ab hæretico compositum librum. Non enim hic comprehenduntur libri Infidelium, Turcarum, Judæorum, & quorumlibet non baptizatorum, quantumvis errores continentes contra Fidem, quia non sunt libri hæreticorum: multo minus libri Catholicorum hæreses referentes tantum immo hæresim continentes, etiam hæreticorum scholiis, & magnis quidem infectos, adhuc enim absolute sunt libri Catholicorum, sicut summa D. Thomæ simpliciter est ejus, licet copiosissimas annotationes ipso corpore majores inseruerit Cajetanus. Non ergo excommunicationem incurrunt, qui in libro auctoris Catholici, v. g. *Bellarmini, Beccani, &c.* hæreticorum doctrinas ad verbum relatas legit, etiam prava intentione, vel affectu hæresim discendi. Juxta communem DD. Navarr. *c.* 27. *n.* 56. Sanch. *cit. n.* 27. Azor. Laym. *lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 15. *& alii*. Ratio est: quia lex Canonica non punit affectum, sed factum legendi librum hæretici: talis autem non legit librum hæretici, sed librum Catholici, adeoque non incurrit censuram, etsi ex mala intentione peccet graviter. Idem dic de eodem, qui in libro alicujus S. Patris, Scriptoris Catholici, vel quovis alio, alias non prohibito, legit adjecta scholia, vel annotationes alicujus hæretici, ut sæpe occurrit: quia similiter talis liber simpliciter non est hæretici, sed Catholici, ut modo antea dictum; *ita citat. ex communi*. Item licet liber alicujus Catholici etiam ex mente auctoris hæresim contineat, legens tamen non incurrit excommunicationem ob eamdem rationem, ut ex communi cum aliis notat *Laym. cit.* Et specialiter opera *Origenis, & Tertulliani*; etsi apertas hæreses contineant, tamen ob insignem doctrinam, & quia modo illarum hæresum non est periculum, ab Ecclesia omnibus, saltem prudentibus, & intelligentibus permittuntur.

II. Librum.

39 EA nimirum quantitate compositum, ut vere censeatur liber, sive magnus, sive parvus, dummodo vere liber sit prudentis judicio. Decem foliorum magnitudinem requirunt aliqui apud *Tamb. cit.* sive totus simul compactus, sive solum pars libri seorsim legatur: immo ut ex communi recte monent *Sanch. & Laym. cit.* etiamsi solum legatur præfatio ad lectorem, seu epistola dedicatoria, aut index annexus libro hæretico, saltem totas propositiones continens; sunt enim veræ partes libri, & mentem auctoris hæretici, ac totam summam libri continent, & sæpe perniciosiores lectu, quam magna aliqua pars corporis ipsius libri. Adde etiam: sive impressus ille liber sit, sive manuscriptus, dummodo sit per modum operis completi, & per modum libri typis mandari soliti. Ita cum pluribus, Suarez *disp.* 30. *De Fide, sect.* 2. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 10. *n.* 35. Quia etiam manuscripta hominis, libri vocantur, & æque perniciosa sunt. Quamvis de hoc disputet *Tamb. cit.* §. 14. satis bene suadens, legentes talia manuscripta hæreticorum non incurrere hanc excommunicationem latam in legentes libros hæreticorum; fatemur tamen incurrere alias excommunicationes Pontificum, latas in legentes libros prohibitos, sed in praxi perinde est. At quid de legente solum brevem scripturam, epistolam, vel concionem hæretici, v. grat. apostatæ alicujus revocationem solemnem, seu ut vocant, professionem, impressam seorsim, quæ non sit pars alicujus libri hæretici, nec in formam alicujus libri, vel tractatus redacta, saltem minorem 10. foliis, ut determinarunt aliqui apud *Tambur. supra Suar.* proxime *cit.* censet, talem incurrere etiam censuram, eo quod ea prohibitio sit favorabilis Fidei, ideoque extendenda, non coarctanda ad proprie dictum librum, idque maxime, quia eadem ratio periculi militat in istis opusculis minutis hæreticorum, quæ in magnis libris. Sententia plane tutior, sed mitius dicendum cum citat. *Sanchez. Laym. Marchant. Tamb.* quamvis certum sit talem jure Divino naturali posse peccare, & sæpe peccare ratione periculi, cui se mortaliter exponit, probabilius tamen non incurrere excommunicationem. *Ratio* e contra est: quia licet illa lex prohibens favorabilis sit Fidei, absolute tamen odiosa est respectu libertatis humanæ, & per consequens stricte interpretanda intra rigorem verborum, & restringenda ad proprie dictos libros: atqui una talis parva scripta epistola, concio hæretica, &c. proprie non est liber, nisi forte ad quantitatem decem foliorum accedat: ubi tamen bene notandum, talia legentem, etsi non incurrat excommunicationem latam in legentes libros hæreticos, posse tamen incurrere excommunicationem ejusdem Bullæ, ut latam in credentes, faventes, vel defendentes hæreticos, si nimirum ejusmodi scriptis credant, consentiant, faveant, ea, vel eorum auctorem defendant, idque exterius imprimant, juxta dicta supra.

III. Hæresim continentem, &c.

NImirum ex mente Auctoris hæretici expresse tractantem: idque etiamsi exigua sui parte hæresim contineat, cætera bonas materias tractet. Immo Sanchez *supra num.* 35. censet, quod si quis habeat talem librum hæretici, in quo solum legatur una, vel altera hæresis, etiamsi illas omnino deleat, eradat, vel elaceret, non possit tamen deinceps legere, sed adhuc sub censura prohibitum debere existimari: quia particularis expunctio non tollit communem libri prohibitionem. Dubium tamen est de ejusmodi libris hæreticorum, quorum principale, & totale argumentum bonum est, tamen obiter, & per accidens hæreses, & errores continent, ut sunt vere libri Historici hæreticorum, utpote maxime *Centuriatorum Magdeburgensium, Aventini, Sleidani, Munsterii, &c.* Unum præcipuum illorum intentum fuisse videtur statum Ecclesiasticum, & Monasticum convellere, & denigrare; ideoque prohibentur sub mortali in Indice 2. classis. At an etiam comprehendantur in Bulla cœnæ sub excommunicatione reservata; sane valde conformiter verbis Bullæ affirmant Suar. *p.* 3. *tom.* 5. *disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 10. Sanch. *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 34. & alii: Bulla enim diserte sub disjunctione prohibet libros hæreticorum, qui aut hæresim continent, aut de Religione tractant: ergo, &c. Attamen Germanus Moralista Laym. *cit. c.* 15. *n.* 4. censet in nostris partibus Bullam cum tanto rigore non esse receptam: & opposita praxis est etiam proborum, qui tales libros sine scrupulo & legunt, & retinent; quare cessante periculo excusantur non tantum a censura Bullæ, sed etiam a prohibitione Indicis, & peccato. 40

IV. Aut de Fide, & Religione tractantem, &c.

UTpote Sacram Scripturam interpretando Commentariis, Postillis, Concionibus, quæstiones Theologicas disputando, de Fide, cultu Dei, & Sanctorum Justificatione, Sacramentis, statu Clericorum, &c. Etiamsi contingeret, & certum sit, in tali libro nullum errorem contra Fidem Orthodoxam concludi, nihilominus Ecclesia justissime prohibet sub mortali, & excommunicatione, partim in justissimum odium, & abominationem hæreticorum, quod nolit filios suos ex illa turbida aqua bibere, & putrido luto margaritas colligere; partim etiam ob periculum licet remotum, & omnem occasionem lapsus præcludendam; hæretici enim semper sunt hæretici, & quamvis in aliquo libro aperte hæresim non doceant, semper tamen venena stillant, & ipsa phrasi, & modo loquendi legentis animum facile inescant, ut aut in persona hæretici sibi complaceant, aut ad alias doctrinas, & libros hæreticos animum apponant, unde gravissima sæpe pericula incautis eveniunt. Cæterum hæresiarcharum, & hæreticorum, qui nominatim damnati sunt, ut *Lutheri, Calvini, Zuinglii*, omnes omnino libri prohibentur Regula 2. Indicis, sive de hæresi, vel Fide, aut Religione, sive de quacumque materia tractent. Sed de alia materia indifferenti, ut sunt libri hæreticorum Philosophici, Juridici, Medici, Grammatici, qui nec hæresim continent, nec de Fide, vel Religione tractant, omnibus permissi, vel saltem prohibiti non sunt. De libris prohibitis universim dicam seorsim inferius in fine. 41

§. III. *Scienter legunt.*

I. Scienter.

UTpote duplici scientia, seu notitia, & Juris, scilicet esse prohibitum legere ejusmodi libros hæreticorum, & facti, nimirum hunc esse talem librum hæretici prohibitum. Excusat ergo omnis ignorantia opposita juris, vel facti, prout late docetur in materia de Legibus. Nimirum 1. Excusat ignorantia juris, vel facti invincibilis, vel inculpabilis; sicut ab omni peccato, ita consequenter a pœna excommunicationis. 2. Omnis ignorantia culpabilis levis excusat a mortali, consequenter etiam excusat ab excommunicatione, quæ non potest infligi, nisi propter peccatum mortale. 3. Omnis ignorantia culpabilis etiam lata, crassa, supina, etsi non excuset a mortali, 42

tamen

tamen excusat ab excommunicatione incurrenda propter istam particulam *scienter*, revera enim non legunt *scienter*, qui, quantumvis crassa ignorantia, ignorant hunc librum esse hæreticum, & prohibitum. Secus censet communis sententia de ignorantia affectata, eo quod ignorantia affectata æquiparetur scientiæ, & sic tales quasi æquivalenter legant *scienter*. Tamen 4. probabile, & tutum est, etiam ignorantiam affectatam excusare ab excommunicatione ratione particulæ *scienter*, dummodo non sit cum ingenti temeritate conjuncta, ut cum *Sanch. cit. Bonac. Castro-Palao* docet Tambur. *cit. li.* 2. *c.* 1. §. 7. *n.* 27. Et ego alibi *tr.* 1. *c.* 2. *De actib. humanis*, *a n.* 38. Ratio bona est: quia quando lex imponitur sub hujusmodi terminis, *qui scienter, consulto, temerarie, ausu temerario hoc fecerit*, lex non videtur solum requirere ipsam meram transgressionem legis ad incurrendam pœnam, sed etiam contemptum aliquem, & contumaciam, quod saltem verosimillimum est in censuris, quæ finaliter, & principaliter feruntur ad frangendam contumaciam: atqui talis contemptus, seu contumacia non potest stare cum ignorantia quacumque, etiam affectata: nam in rigore verborum, *scienter*, & consequenter contumaciter non facit, qui ex quacumque etiam affectata ignorantia facit: ergo, &c.

II. Legunt, &c.

43 Utique moraliter, & intelligibiliter. Nam I. non legit moraliter, nec consequenter hujus prohibitionis pœnam incurrit, qui non percipit sensum libri, utpote sola voce legens in alieno idiomate ignoto; at vero legit moraliter, qui gnarus idiomatis solo visu, & mente librum hæreticum percurrit, ideoque excommunicationi subjacebit, quia ad moralem, immo proprie dictam lectionem non est necesse, ut verba oretenus proferantur. II. Non legit moraliter, qui alterum legentem librum hæreticum ipsum solum auscultat, ideoque non incurrit censuram latam in legentes libros hæreticorum, quia revera ipse nullo modo legit, quamvis peccet mortaliter, quatenus se eidem cum legente periculo subversionis exponit, & possit incurrere excommunicationem ejusdem Bullæ, latam in credentes, vel faventes hæreticorum, quando nimirum doctrinæ hæreticæ auditæ serio complacet, favet, assentitur. At contra III. vere legit moraliter, qui alteri famulo, v. gr. vel puero, sive intelligenti, sive non intelligenti tradit librum hæreticum legendum coram se, ut ipse audiat: vere, inquam, legit moraliter, etsi per alterius ministerium; nam quod quis per alium facit, per se facere censetur. Nec dubium est, Ecclesiam, & Pontifices etiam hos comprehendere voluisse in censura, nam alias quilibet in fraudem legis ageret, censuramque subterfugere facillime posset: atqui secundum Jura, & Canones *c. ultim. De Regul. Juris in 6.* casus per quem lex eluderetur, semper censetur prohibitus per ipsam legem, seu per illius dispositionem comprehensus: non quidem casu una cum præcipiente, etiam sponte legens, & intelligens excommunicationi subjacebit, ut notant DD. communiter, meique omnes. Contra rursus IV. Non legit moraliter, nec consequenter incurrit hanc excommunicationem latam in legentes libros hæreticorum, qui alteri tradit legendum librum hæreticum, permittens, etiam suadens, vel mandans, ut pro se legat: quia pœna, vel censura lata in facientes, non comprehendit mandantes, suadentes, consentientes, &c. nisi exprimantur, cum lex pœnalis stricte interpretanda sit. Attamen talis maxime potest incurrere, & plerumq; incurrit eam excommunicationem, ut latam in fautores, vel defensores hæresis, si nimirum maligno affectu in hæresim præcipiat, vel suadeat alteri legere pestilentem librum.

III. Legunt, &c.

44 Utique in quantitate aliqua etiam notabili moraliter & sufficiente ad peccatum mortale, tantamque consequenter pœnam: nam in lectione librorum hæreticorum legentem a peccato mortali, & consequenter ab excommunicatione incurrenda excusari ex pravitate materiæ lectæ apud omnes in confesso est. At quænam hic censeri debeat materiæ parvitas; Quænam non excusans; notabilis; hoc opus, hic labor est.

Sane regulariter intolerabilis est sententia Toleti *li.* 1. *c.* 19. *n.* 4. & aliorum asserentium unam etiam, vel alteram lineam legere scienter in libro hæretico sufficere ad incurrendam censuram, eo quod perfecta hæresis etiam in uno versu contineri possit. Sed recte respondet Layman *cit. nu.* 5. in lege præsertim pœnali spectari id, quod communiter, non quod raro, contingit: communiter autem non imminet grave periculum ex tam modica libri hæretici lectione. Dicit autem *regulariter*, *communiter*, nam recte observat Tambur. *cit. n.* 35. quod si paucæ lineæ, vel versiculi continerent totam doctrinam hæreticam, propter quam liber fuit proscriptus, certo non posse deliberari a peccato, & censura, qui illum locum scienter, deliberate, & consulto legeret; cum enim illæ paucæ lineæ sint tota causa prohibitionis tam gravis libri, inobedientia non levis, sed gravis censeri deberet, ideoque etiam censuræ obnoxia. E contra generaliter nimis late *Sanch. Rodriq. Sa*, aliique apud Dianam *par.* 5. *tract.* 5. *resol.* 42. integram paginam majoris voluminis hæretici pro parva materia a mortali, & censura excusante admittunt.

Principaliter ergo ratio habenda est finis præcepti sub excommunicatione prohibentis lectionem librorum hæreticorum, nimirum ad cavendum periculum subversionis in Fide. Placet judicium nostri Patris *Marchant. Tribun. to.* 2. *tr.* 2. *q.* 2. *conclus.* 1. non esse hic attendendum materialem parvitatem penes numerum linearum, vel paginarum magnitudinem, sed morale periculum subversionis ex materia, quæ legitur contra finem præcepti: v. g. aperit quis librum hæreticum & primo statim intuitu, in primo, vel altero §. advertit hæresim, vel errorem contra Fidem, & nihilominus, sive ex malitia, sive ex curiositate, vel levitate pergit, hic legens etiam paucas lineas, omnino peccat mortaliter, & anathemate feritur: quia & periculo se se exposuit, & contra totum finem legis processit. At vero talis advertens materiam esse indifferentem, Catholicis consonam, præsertim historicam, politicam sine hæresi, vel errore, etsi pergat legere unam, alteram, tertiam paginam, *post factum* non est condemnandus peccati mortalis, nec consequenter excommunicationis incursæ; quia revera respectu totius libri, & finis præcepti, materia parva est, cum nullum periculum subfuerit. Dico tamen *post factum*, non enim suadendum est uti hac licentia in futuro propter periculum, quod subesse facile potest: nam ut ex Apostolo iterate inculcatum: *Hæreticorum sermo serpit, ut cancer*. Quod si denique quis in libro hæretico a principio quidem intenderet legere multum, vel totum opus, & postea de facto tantum legeret parum intra limites parvitatis materiæ modo definitæ, quacumque de causa ulterius non perrexerit, peccasset quidem mortaliter ea modica lectione, ratione internæ intentionis mortalis seu in affectu; at non peccasset mortaliter ratione executionis externæ, seu in effectu; ideoque non incurret censuram; quia Ecclesia non punit intentionem internam malam, sed executionem, & lectionem externam, secundum omnes. Verum

IV. Legunt, &c.

Utique rationabili *Epikeia* excipiendi sunt casus urgentis necessitatis, vel gravissimæ utilitatis, prout de Episcopo, Confessario, Concionatore innuitur §. 1. *in fine*.

§. IV. *Retinent, imprimunt, vel quomodolibet defendunt.*

Post ipsos legentes etiam excommunicantur ii, qui juxta hactenus clare dicta, *librum hæreticum hæresim continentem, vel de Religione tractantem, scienter*

I. Retinent.

Omnis enim persona singularis absque auctoritate Pontificis librum hæretici retinens, non tantum formaliter ad lectionem, & usum sui, vel aliorum, suo vel alieno nomine, sed etiam materialiter tantum, v. g. ad ornatum, ob antiquitatem, vel aliam quamcumque causam, adeo ut Sanch. *lib.* 2. *moral. c.* 10. *a n.* 32. neque excuset aromatarios, librarios, &c. qui similiter libros minime ad legendum, sed ad involvendum aromata, libros, vel alias merces retinent. Sed numquid etiam retinentes pro usu a posteriori? credo *Sanch.* dicturum, quod sic, nisi forte ita dilaceret totum, ut nullus sensus inde legi possit. *Sed* credo, Germanos non admittere tantum rigorem: *Ratio est*. Quia Ecclesia, & Pontifex simpliciter prohibent asservare tales, vel illos libros, volentes illos penitus aboleri, cum eorum asservatio semen quoddam sit, & conservatio hæreticæ Fidei, & continuatio, occasio præsentibus, & posteris eos legendi cum periculo lapsus. *Communis DD. Sanch. Layman, alii cit.* Interim tamen admissa semper parvitate materiæ excusante, eaque sane majori in retentione, quam in lectione, cum longe minor sit culpa retinere, quam legere: excusat enim parvitas moræ, vel temporis in retinendo, immo etiam longior mora justa, dum expectatur tempus opportunum tradendi Inquisitori, Ordinario, vel Confessario, vel superiori Ecclesiastico. *Denique* quibus Auctoritate Apostolica licitum est legere libros hæreticos, utique etiam licere debet eos libros retinere, saltem quousque illa licentia durat, quæ moderno stylo Romano non solet concedi, nisi ad quinquennium, exceptis semper pestilentibus libris *Nicolai Machiavelli, & Caroli Molineri*, & tractantibus de Astrologia judiciaria: quo elapso, & ipsi jubentur eos libros eis tradere, nisi nova licentia impetretur. Sed hoc intellige de personis privatis: nam in Germania, ob permixtionem hæreticorum toleratorum licet in Collegiis, Conventibus, Monasteriis, eos libros seorsim asservare, etiamsi actu non adesset, qui habeat licentiam eos legendi, dummodo subinde adesse soleat, ut observat *Laym.* sæpe cit. Unde notanter dixi initio: *omnis persona singularis*.

II. Imprimunt.

46 PEccant hi, & excommunicationem incurrunt quomodolibet ad impressionem libri hæretici scienter propinque cooperantes. Utpote 1. qui librum imprimendum tradit. 2. Typographus, qui librum accipit. 3. Qui typos ordinat. 4. Qui imprimit. 5. Corrector, qui corrigit folia, ut emendata prodeant, nam & hic censetur imprimere, dum ad emendate imprimendum concurrit, præterquam quod jam legat, si intelligat, librum hæreticum, vel partes. *Communissima apud Sanch. cit.* Cæterum qui solum expensas facit ad impressionem, qui describit exemplar ad imprimendum, qui characteres, atramentum, & similia facit, ut ferat impressoribus, etsi hi fautorum hæreticorum censuram incurrere possint, non tamen ut imprimentes; cum remote satis concurrant ad impressionem; idemque a fortiori dicendum de Bibliothegis, & Bibliopolis ejusmodi librorum jam impressorum; nam nullo modo imprimunt, sed solum ut retinentes, vel hæresi faventes censuram incurrere possunt.

III. Quomodolibet defendunt.

47 UTpote, qui librum ejusmodi hæreticum ut talem, seu quatenus opus hæretici est, commendant, laudant, defendunt, tuentur verbo, scripto, facto, impediendo, ne in manus Inquisitoris tradatur, comburatur, &c. uti explicant Tolet. Sayrus, Suarez, Sanchez, alii.

APPENDIX.

De Lectione aliorum librorum prohibitorum.

48 LIbri in Romano Indice sub peccato mortali (quippe ob periculum subversionis in Fide, & moribus, seu causam gravissimam) prohibiti, sunt triplicis classis.

I.

PRimæ *classis* prohibiti sunt libri omnium hæreticorum de Religione tractantes, ac hæresim continentes (illi ipsi, de quibus hactenus) vel de hæresi publice suspecti, eo quod contineant propositiones, seu doctrinas. 1. *Hæresim sapientes*, ex quibus scilicet hæresis facile inferri potest. 2. *Male sonantes*, quæ licet in sensu Catholico intelligi possint, sæpius tamen in sensu hæretico accipi solent. 3. *Temerarias*, seu insolentes contra communem rationem, & auctoritatem. 4. *Scandalosas*, seu causam erroris, vel lapsus in rebus fidei, & morum præbentes. Hi omnes libri hæreticorum editi, & imposterum edendi prohibiti sunt sub peccato mortali, & excommunicatione reservata summo Pontifici. Idque propter ipsos auctores hæreticos; damnato enim auctore in certo genere, puta Religionis, damnata censentur omnia ejus scripta in eodem genere, scilicet de Religione tractantia, quam Regulam tradit *Abbas argum. c. Fraternis, de hæretici.*

II.

SEcundæ classis sunt certorum; & tertiæ classis incertorum Auctorum etiam Catholicorum libri prohibiti ob contentam doctrinam erroneam, suspectam, periculosam in Fide, & moribus Fidelium. Hi ergo libri prohibentur non propter auctores, sed propter errores contentos tantum, aliqui absolute, & perpetuo: aliqui cum conditione, & restrictione, donec expurgentur, prohibentur sub mortali. Sed tunc, & illi tantum, qui in Indicem relati sunt, vel fuerint, prohibentur etiam sub excommunicatione non reservata, a qua quivis Confessarius absolvere possit. Notat tamen Layman *hic c.* 15. *n.* 8. Indicem illum apud nos in Germania non esse cum tanto rigore receptum, quantum ad excommunicationem.

III.

ULterius prohibentur absque omni dubio sub mortali omnes libri de magia tractantes, *Regul.* 8. *Indicis*. Item libri omnes tractantes de astrologia judiciaria. *Clem. VIII. const.* 20. *Urban. VIII. const.* 13. *&* 14. *in Bullar.* Item omnes libri cujuscumque auctoris res obscœnas, & lascivas ex professo tractantes *Reg.* 7. *Indicis*, uti sunt *Aureus Asinus Apuleii, Ametistus &c.* Permittuntur tamen libri Poetarum Ethnicorum ejusmodi materiam continentes ob sermonis elegantiam, & proprietatem, ita tamen ut pueris non prælegantur, vel præbeantur, nisi purgati: quoad hos tamen libros legentes nulla extat censura excommunicationis, sed solum contrahitur peccatum mortale, si materiæ, & periculi gravitas adsit.

IV.

REgula quarta etiam prohibetur sub mortali, ne fideles laici legant Biblia vulgari idiomate sine Episcopi, Inquisitoris, aut alterius Superioris licentia. Item ne legant controversias contra hæreticos vulgari lingua editas. Item ne disputent publice, vel privatim cum hæreticis; quod etiam sub pœna excommunicationis prohibetur jure communi *cap. quicumque tit. de hæreticis in 6.* Verum licet hæ prohibitiones æquissimæ sint, cum in iis parum, vel nihil utilitatis, multum autem periculi subsit laicis, tamen in his nostris Regionibus receptæ minime, maxime quoad lectionem Bibliorum, ut merito dixerit Serrarius in prolegomenis Biblicis c.20.q.3. *Non puniuntur, sed laudantur, qui in Germania nostra, nulla diserte petita facultate, Biblia vulgata, & vernacula lingua Echii, & Dietembergii legunt.* Sic ille. Secus de versionibus *Lutheri, Calvini*, aut aliorum hæreticorum intelligendum, quæ ob corruptelas tamquam libri hæreticorum in 1. classe, & sub excommunicatione reservata prohibitæ manent.

CAPUT IV.

De Spe Theologica, & peccatis oppositis.

SPes apud Philosophos significat motum, seu passionem virtutis appretiativæ tendentis in bonum absens, ut arduum assequendum. Apud Theologos proportionaliter spes significat virtutem illam Theologicam, qua voluntas tendit in bona supernaturalia, maxime vero in ipsam Beatitudinem, ipsumque Deum, quatenus est summum Bonum nostrum, utique arduum a nobis assequendum. Dividitur, ut cæteræ virtutes, in *habitualem*, quæ est habitus infusus divinitus, inclinans ad sperandum bona supernaturalia; & *actualem*, quæ est ipsa actualis expectatio bonorum supernaturalium. Unde tam varie accipitur in Sacra Scriptura *Spes*. 1. pro habitu spei 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, major autem horum est Charitas*. 2. Pro actu sperandi, ad Rom. 8. *Spe salvi facti sumus*. 3. Pro ipso objecto materiali spei *ibid. Spes, quæ videtur, non est Spes*. 4. Pro ipso Deo, cujus promissioni, & auxiliis innititur spes, tamquam objecto formali. *Psal.* 21. *Tu es spes mea*. Et alibi sæpissime Thren. 3. *Spes mea Dominus, dixit anima mea propterea expectabo eum.*

SECTIO I.

Spei definitio, & actus.

SUMMARIUM.

1 *Definitio spei habitualis, & actualis.*
2 *Explicatur spes habitualis.*
3 *Objectum spei materiale.*
4 *Objectum spei formale.*
5 *Actus spei sunt quinque.*
6 *Explicatio spei actualis.*
7 *Spei actus secundarius*, timor.

ASSERTIO I.

SPes habitualis adæquate sumpta quoad omnem suum actum; *Est virtus Theologica supernaturalis, qua voluntas fertur in Deum, quatenus est Beatitudo nostra ex promissione Divina per media ordinata obtinenda.* 1

Spes autem actualis quoad actum principalem recte definitur communiter: *Certa expectatio futuræ Beatitudinis ex Dei gratia, & nostris meritis.* Communis Theolog. cum Magistro *in* 3. Scot. *dist.* 36. *ibid.* D. Thom. 2. 2. *quæst.* 18. *a.* 2. §. 1.

§. I. *Spes habitualis adæquate sumpta.*

NImirum quoad omnes actus ab ipsa procedentes circa quæcumque objecta speranda, quæ scilicet supernaturali lumine Fidei provenire nobis posse credimus, & virtute spei proventura speramus, est 2

I. *Virtus Theologica*, quia versatur immediate circa Deum, ut summum Bonum nostrum, tamquam proprium objectum principale. *Supernaturalis*: Quia est donum Dei supernaturale divinitus nobis infusum, neque enim sine supernaturali dono, & auxilio Dei speciali possemus sperare æternam Beatitudinem, bonum tam supreme arduum, omnemque captum naturalem transcendens. Prout definit *Concil. Trid. sess.* 6. *can.* 3. In his ergo terminis velut genere spes convenit cum Fide, & Charitate: reliqua explicant differentiam desumptam ab actu proprio.

II. *Qua voluntas fertur in Deum, quatenus est Beatitudo nostra* (significatur objectum spei primarium) *per auxilia & media ordinata* (significantur objecta spei secundaria) *ex promissione Divina obtinenda* (significatur objectum spei formale, ut mox intelliges amplius.) Omnimodis ergo: quemadmodum objectum materiale Fidei adæquatum sunt omnia a Deo revelata in ordine ad ipsum Deum, qui est præcipuum, revelatum, & objectum Fidei principale: reliqua omnia sunt objecta Fidei secundaria, & revelata velut media ordinata ad Deum: objectum vero Fidei formale proximum

ximum est revelatio divina; principale vero est prima veritas, seu infallibilis Auctoritas Dei in docendo, vel revelando, qui nec falli potest, cum sit infinite sapiens, nec fallere, cum sit infinite verax: ex qua causa Fides infallibilem credendorum certitudinem obtinet: ita plane, planissime.

3 III. Spei objectum materiale adæquatum sunt omnia bona a Deo nobis promissa in ordine ad ipsum Deum, qui est præcipuum promissum, & objectum spei principale, quatenus est summum Bonum nostrum, Beatitudo, & ultimus finis noster; reliqua omnia nobis promissa sunt objecta spei secundaria, tamquam media ad Deum ultimum finem nostrum consequendum, utpote gratia Dei per Christum, ejusque merita, auxilia divina, remissio peccatorum, conversio, justificatio, merita nostra, quatenus tamen meritis Christi, & gratiæ Dei innituntur. Et generaliter omnia media, & bona supernaturalia, ac etiam naturalia, vel temporalia, quatenus ad finem nostrum ultimum necessaria, & utilia sunt, quæ omnia a Deo nobis proventura, sicut Fide supernaturali speramus certo, etsi obscure, ita etiam spe supernaturali speramus certo, licet obscure proposita: est enim *Fides substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*, adeoque sicut Fidei, ita etiam spei objectum sunt res non apparentes: Rom. 8. *Spes autem, quæ videtur, non est spes, nam quæ videt quis, quid sperat? Si autem, quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.*

4 IV. Objectum vero spei formale, seu ratio formalis, & motivum formale sperandi, proximum quidem, est ipsa Dei promissio, principale vero, & ultimatum, est summa Fidelitas Dei promittentis, qui, quod promisit, potest præstare, cum sit Omnipotens; & vult præstare, adeoque certissime præstiturus est, cum sit benignissimus, & fidelissimus: unde alias communiter dicitur objectum formale spei esse summam Dei erga nos bonitatem, & benignitatem, atque hac quoque ex causa spes Theologica constantem, & infallibilem firmitatem obtinet, utpote innixa Divinæ promissioni, & fidelitati tamquam infallibili fundamento. Ad Roman. 5. *Spes autem non confundit*, Ad Tit. 1. *In spem vitæ æternæ, quam repromisit, qui non mentitur, Deus.* Ad Heb. 6. *Volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jus jurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendum propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Et ad Roman. 4. extollens Fidem Abrahæ inquit Apostolus. *In repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est Fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia, quæcumque promisit, potens est & facere.* Denique objectum hoc formale spei exprimit Scriptura singulis fere lineis per verba, *Sperate in Deum, in Deo, in misericordia, in adjutorio, &c.* sperare autem Deum significat objectum materiale.

§. II. *Spei adæquate sumptæ actus varii.*

5 Quinque potissimum sunt: Tres prævii; Quartus principalis: Quintus secundarius, & concomitans, scilicet, timor. I. Spei actus prævii sunt. 1. Amor Dei, ut summi Boni nostri, quo scilicet voluntas affectu concupiscentiæ fertur in Deum, ut summum Bonum nostrum apprehensum absolute. 2. Desiderium simplex, quo voluntas fertur in Deum, ut summum bonum nostrum, apprehensum ut absens, quod cuperet esse præsens. 3. Desiderium efficax, seu intentio efficax, quo voluntas fertur in Deum ut summum Bonum nostrum assequendum per media opportuna. Quod vero illud bonum assequendum est maxime arduum, nec in nostra potestate positum, hinc

II. Quartus, & principalis actus Spei est expectatio certa, qua scilicet voluntas tendit, & firma cum fiducia fertur in Deum, ut Summum Bonum nostrum assequendum per gratiam, & auxilia divina, ac media nobis promissa: ut eleganter docet *D. Th.* 2.2. *q.* 17. *a.* 1. 2. 5. & 6. Articulo quinto sic habet: Spes respicit arduum alterius auxilio assequendum; nam sicut omnis spes versatur circa bonum arduum, quod scilicet consequendi difficultatem habet, & tamen per media opportuna, sive nostræ, sive alterius potestatis assequendum judicatur; ita Spes Theologica versatur circa Deum, & Beatitudinem nostram, ut Bonum arduum, tamen per media opportuna ex gratia, & auxiliis Dei consequendum.

III. Cum ergo spes, quoad omnes actus prædictos tendat in Deum, ut Bonum nostrum, seu Beatitudinem, & ultimum finem nostrum nobis consequendum affectu concupiscentiæ, hinc Spes dicitur amor concupiscentiæ: Quo etiam differt, & imperfectior est charitate, quæ est amor amicitiæ, tendens in Deum, ut summum Bonum in se, & propter se ipsum super omnia amatum prout rursus eleganter explicat D. Th. *q.* 17. *a.* 8. Perfectus amor est, quo aliquis secundum se amatur, puta, cum aliquis secundum se vult alicui bonum, sicut homo amat aliquid non secundum se ipsum, sed ut bonum illud sibi proveniat; sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus amor pertinet ad Charitatem, qua homo inhæret Deo secundum se ipsum, sed Spes pertinet ad secundum amorem, quo ille, qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit. *Hæc S. Doctor.*

IV. Hinc intelliges, quare objectum formale, & motivum Spei dicatur aliquando summa Dei bonitas erga nos, aliquando summa Dei Fidelitas; utrumque verum est diversa ratione: Spei enim, quatenus includit amorem concupiscentiæ erga Deum actibus illis potissimum præviis, objectum formale est summa Dei Bonitas erga nos, seu ipse Deus ut summum Bonum nostrum. Spei vero, quatenus actu principali continet certam expectationem æternæ beatitudinis, objectum formale, & motivum est summa fidelitas Dei promittentis auxilia congrua ad illam consequendam: ut mox patebit amplius.

§. III. *Spes actualis, seu actus principalis Spei.*

I. Est *expectatio æternæ Beatitudinis.* Rursus significatur objectum materiale primarium spei, quod est 6
ipsa Beatitudo æterna, tum objectiva, quæ est ipse Deus summum Bonum nostrum a nobis æterna beatitudine fruendus, & nunc sperandus: tum formalis, quæ est clara, ac beatifica Dei visio, ac fruitio.

II. Expectatio *certa*: nimirum ob certitudinem motivi formalis, quod est summa Dei Fidelitas promittens nobis auxilia sufficientia, & efficacia ad æternam Beatitudinem consequendam, ut §. 1. indicatum, hac sola differentia, quod spei sic acceptæ quoad actum primarium objectum formale proximum sit ipsum auxilium divinum; mediatum sit promissio divina; ultimatum, & principale sit dicta Dei promittentis Fidelitas summa: nam ideo certo spero Beatitudinem, quia auxilia promissa scio: & ideo spero auxilia, quia Deus promisit; & ideo fido promissioni Divinæ, quia est summe, & infinite fidelis in promittendo, potens, & volens præstare, quod promisit, quia omnipotens, & summe erga nos bonus, ac benignus est. Hoc nimirum sensu David in Psalmis passim spem suam collocat in auxilio, adjutorio, gratia, & misericordia Dei dicens: *Deum adjutorium Spei suæ: Deus auxilium meum, & spes mea in Deo est.* Et Concil. Trid. *Sess. 6. cap.* 13. dicit: *In Dei auxilio firmissimam spem omnes collocare debent.*

III. *Ex gratia Dei, & meritis nostris*: nam æternam beatitudinem sperare debemus, neque ex sola gratia Dei sine nostra cooperatione, & meritis, uti sperant hæretici, neque ex solis nostris meritis, & operibus sine gratia Dei; sed in utroque, ita nimirum, ut gratia Dei sit motivum principale spei nostræ, nostra vero merita motivum secundarium, non quidem quatenus præcise a nobis, & nostris viribus sunt, sed quatenus & ipsa sunt ex gratia Dei, ac Dei dona, & media ordinata ad Beatitudinem. Deus enim est, ait Apostolus ad Philipp. 2. *Qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Et Christus Joan. 15. *Ego sum vitis vos palmites, &c.* quia *sine me nihil potestis facere.* Et Concil. Trid. *sess.* 6. *c.* 16. diserte ait: *Licet bonis operibus in S. litteris tanta tribuantur, absit tamen, ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Hæc Concil.

§. IV. *Spei actus concomitans*, Timor.

Spei Theologicæ tendentis in æternam Beatitudinem, ut 7
bonum maxime arduum assequendum per alia Divina actus concomitans, & secundarius est *timor*, ne illo summo Bono excidamus. Etsi enim spes nostra certissima sit, quantum est ex promissione Dei: quia tamen promissio non est facta nobis absolute, sed requirit nostram cooperationem, merita, & perseverantiam, de quibus nemo certus esse potest: nam ut ait Ecclesiast. c. 9. *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta:* Et Apo. 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum;* hinc in homine semper conjuncta esse debet & spes firma ex parte Dei de ejus gratia, & auxiliis; & timor humilis ex parte nostra, de nostra sufficiente cooperatione: Inde ne desperemus, hinc ne præsumamus, sed ut hortatur Apost. ad Phil. 2. *cum metu, & tremore salutem vestram operamini.* Id ipsum passim hortantur S. S. P. P. Juvat audire unam, & alteram D. Hieron. Epist. ad Celantiam: *Quamdiu in hujus vitæ agone versamur, nec peccator desperare debet, cum uno die se justum efficere possit, nec Sanctus (id est, qui nullius culpæ sibi conscius est) securus esse debet, ne de præterita justitia confidens remissior efficiatur, sed exemplo Apostoli* ad Philip. 3. *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea, quæ priora sunt, se extendat.* D. August. *lib.* de corrept. & grat. *c.* 13. *Propter hujus utilitatem secreti (ne forte quis extollatur, sed omnes, etiam qui bene currunt, timeant, dum occultum est, qui perveniant) credendum est, quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverandi usque ad finem in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere & aliquandiu fideliter, ac juste vivere, & postea cadere.* D. Bernard. Serm. 1. in Septuagesima. *Quis potest dicere; Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam; ego de numero filiorum? Reclamante Scriptura, nescit homo, si sit dignus amore, an odio? Certitudinem utique non habemus, sed spei fidu-*

fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur. Hæc Sanctus. Lege D. Bonaventur. in 3. *dist. 26. cap.* 1. 4. 5. Spei ergo Theologicæ actus principalis est sperare, & confidere in Deo contra desperationem, secundarius, & concomitans est timere, & diffidere de se contra præsumptionem. Ut infra patebit amplius.

SECTIO II.

Spei Theologicæ necessitas, & obligatio.

SUMMARIUM.

8 *Spes necessaria ad salutem necessitate medii, & præcepti in adulto.*
9 *Præceptum divinum naturale, & positivum obligat ad actum spei.*
10 Per se, *solum sub initium usus rationis.*
11 Per accidens *autem sæpius obligat.*
12 *Sicut & ad eliciendum actum timoris Dei, quoties imminet periculum proximum peccandi mortaliter.*

8 CErtissimum est de Fide, spem esse necessariam ad salutem necessitate medii, & consequenter etiam in potente sperare, necessitate præcepti. Ad Roman. 8. *Spe salvi facti sumus*. Et late ad Hebr. 10. & 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Ubi cum Fide Spes exprimitur. Ad Coloss. 1. *Si tamen permanetis in Fide fundati, & stabiles, & immobiles in Spe &c.* Ratio eadem est, quæ supra de Fide: quia ad salutem necessitate medii omnino necessarium est homini adulto tendere in ultimum finem cognitione, & affectu; cognitione quidem per Fidem, affectu vero per spem, & Charitatem. Fide enim apprehendimus Deum ultimum finem: Spe expetimus, & expectamus eum, ut summum Bonum nostrum: Charitate ei conjungimur, ut summo Bono in se; ergo &c. Præceptum spei quadruplex est, duplex affirmativum. 1. De eliciendo actu spei: 2. De eliciendo actu Timoris, certo tempore, & casu exigente, & his opponitur duplex præceptum omissionis, nimirum non sperare, & non timere, quando oportet; & de his dicam *in hac Sectione*. Est duplex negativum: nimirum, de non desperando, & non præsumendo contra Timorem Dei; quibus similiter opponitur duplex præceptum commissionis, nimirum desperatio, & præsumptio, de quibus dicam *Sect.* 3. & 4.

ASSERTIO II.

P*Ræceptum Divinum naturale, & positivum obligat ad eliciendum actum Spei solum quatenus necessarius est necessitate medii sub initium usus rationis: non item postea; per accidens autem sæpius, quemadmodum etiam ad eliciendum actum Timoris Dei, quoties imminet periculum proximum peccandi mortaliter*. Communissima DD.

§. I. *Præceptum Divinum naturale positivum Spei.*

9 RAtio præcepti naturalis est, quia quidquid est necessarium ad salutem necessitate medii homini adulto, etiam est necessarium necessitate præcepti naturalis, quo homo tenetur tendere in suam salutem, & finem ultimum per media ordinaria; sed Spes actualis Beatitudinis per media divinitus ordinata, & promissa obtinendæ, est necessaria necessitate medii, ut modo prædictum fuit: ergo præcepto naturali tenetur homo aliquando exercere actum Spei, saltem quatenus est necessarius necessitate medii. De præcepto positivo non potest esse dubitatio homini legenti Scripturas, cum nihil sæpius inculcetur singulis fere paginis, quam præceptum sperandi, & timendi Deum, ut superfluum sit allegare. Cæterum cum hoc præceptum Spei affirmativum sit, non utique pro semper, sed solum aliquando, & certo tempore aliquo per se loquendo, & eodem omnino modo, quo præceptum Fidei ad eliciendum assensum rebus revelatis, obligabit. Sed claritatis gratia brevissime applico.

§. II. *Sub initium usus rationis.*

10 CUm primum nimirum homini rationis usum adepto Deus, & Beatitudo æterna tamquam Finis, in quem bonis actibus, & mediis ordinatis tendere debet, sufficienter proponitur, tunc enim non diu saltem differre debet, quin in hunc finem per actum Spei feratur, mora culpabili prudentis judicio æstimanda. *Communis DD.* maxime *Thomistarum apud* Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 39. *n.* 3. Quamvis ipse contradicat cum multis aliis, & subdubitent *Scotistæ*: eo quod tunc sufficere videatur Spes implicita in pio motu voluntatis in Deum ipsum actum Fidei consequente. Et certe sufficienter censendi sunt elicuisse actum Spei, & præcepto satisfecisse, cum proponant abstinere a peccatis, & Deum non offendere, ne salute excidant. Et quis hominum non sæpissime elicit hunc actum? Vide, quæ in simili dicam *c. seq. de Charitate*, ubi explicabitur prima propositio inter damnatas sub *Alexand. VII. Pontifice*.

§. III. *Non item postea; per accidens autem sæpius.*

HAbito ergo semel actu sive explicito, sive saltem implicito Spei, quo necessitati medii satisfactum sit, 11
quando deinceps per se obliget præceptum affirmativum Spei, vana, & inutilis est quæstio; cum ex una parte nullum tempus assignari possit, quemadmodum de ipso actu Fidei, sicut supra suo loco demonstratum est *c.* 2. *sect.* 3. Ex altera autem parte moraliter non contingere possit, quin homo non desperatus sæpissime eliciat actum Spei. Per accidens autem sæpius obligari potest, & generaliter in duplici casu.

I. Quotiescumque homo gravi periculo, vel tentatione desperationis affligitur, & urgetur, unde eripi non posse videatur; nisi animum contrario actu Spei Theologicæ confirmet. *Communissima*. Tenetur enim tunc homo tentationi resistere, & periculum peccati fugere quantum potest, sub peccato mortali: at non potest resistere tali tentationi, & evadere periculum, nisi exercendo oppositum Spei, ut supponitur: ergo &c. Quo quidem casu non præceptum affirmativum spei per se, sed negativum, obligans ad non desperandum, obligat etiam ad sperandum tamquam medium necessarium ad evadendum desperationis barathrum sub eodem numero peccato, ut in simili supra de Fide ostensum est.

II. Præceptum Spei per accidens obligat, quotiescumque tenetur homo exercere actum necessario requirentem Spem: utpote actum Orationis, Pœnitentiæ, Contritionis, vel Attritionis, &c. Actus enim veræ Orationis, Contritionis, &c. simpliciter stare non potest absque formali, vel virtuali actu Spei de gratia, venia, misericordia divina, ut per se manifestum est; nullus enim orat, vel petit aliquid a Deo, quod non speret, & inanis est pœnitentia sine spe veniæ. Item per accidens obligat præceptum Spei de auxilio divino; quoties imminet tentatio cujusvis lapsus in peccatum, quamvis tunc omissio Spei non sit peccatum distinctum ab illo peccato, v. gr. luxuriæ cum omissione Spei perpetrato; ut ex communi notat Layman *hic c.* 2. *num.* 1. *in fine*. Et nos aliquid mox iterum.

§. IV. *Quemadmodum etiam ad eliciendum actum Timoris Dei.*

PRæceptum timendi etiam frequentissime inculcatur in 12
S. Scriptura. Ecclesiast. 1. *Timor Domini expellit peccatum; Et qui sine timore est, non potest justificari*. Atque Matth. 10. *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*. 1. Petr. 2. *Deum timete*. Ad Philipp. 2. *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini*. Et ratio præcepti est evidens: nam ipsum præceptum obligans ad prosecutionem boni consequendi, hoc ipso consequenter obligat secundario ad fugam, vel timorem mali oppositi incurrendi: atqui præcepto divino naturali positivo obligatur homo ad actum Spei, seu prosecutionis firmæ summi boni, ac beatitudinis per media ordinata consequendæ: ergo simili præcepto divino homo quoque obligatur ad actum Timoris Dei, seu fugam oppositi summi mali, scilicet æternæ damnationis, & omnium, quæ nos a summo Bono abducunt, & ad æternam damnationem adducunt, uti sunt omnia, & sola peccata mortalia, eorumque propinqua, ac proxima pericula; & consequenter præceptum timoris obligat per accidens (certe numquam per se, secluso periculo labendi) quoties imminet periculum proximum peccandi mortaliter: toties enim tenetur homo cavere peccatum; non cavet autem peccatum, nisi aliquo concussus timore Dei, sive filiali, sive initiali, sive etiam servili tantum. Timor filialis est, quo homo timet, & refugit peccatum ex amore Dei summi boni, & quasi affectu filiali abhorret offensam Dei cœlestis Patris. Et hic dicitur Timor Domini Sanctus; estque effectus Charitatis. Timor initialis dicitur, quo homo timet, & refugit peccatum, ut est offensa Dei, æterna, vel temporali pœna punienda. Dicitur initialis, quia talis timor est initium conversionis, juxta illud Isa. 26. *A timore tuo, Domine concepimus, & parturivimus Spiritum salutis*. Et talis timor est effectus Spei tendentis in Deum, ut Beatitudinem, & summum Bonum nostrum, & consequenter etiam timentis per peccatum, & offensam Dei ab illo summo Bono separari: est utilis, & meritorius. Timor servilis tantum dicitur, quo homo timet Deum, & peccatum solummodo ob metum, & ex metu pœnæ æternæ, vel temporalis a Deo comminatæ: & hic timor etsi sufficiat in periculo labendi, seu peccandi mortaliter ad peccatum impediendum, adeoque satisfaciat in periculo labendi &c. præcepto Timoris Dei tunc exercendi; quia tamen ordinarie est filius amoris proprii, inutilis est, non meritorius, etiam sæpe vitiosus mortaliter, quando nimirum homo ita constitutus est, ut positive nollet fugere peccatum, sed vellet hic, & nunc peccare, nisi illas pœnas timeret, ut alibi iterato explicatum est. Denique ex comuni recte hic concludit *Marchant*.

non

non elicere actum timoris Dei, cum periculum peccati urget, non constituit speciale peccatum distinctum ab eo, quod ob defectum timoris Dei omissi committitur, quia nimirum utrumque præceptum, & de eliciendo actu timoris, & de cavendo quocumque peccato, uno eodemque fine determinatur. Etenim præceptum timoris Dei est generale remedium a Deo impositum, & in quolibet præcepto particulari virtualiter inclusum, generaliter movens ad cavendum peccatum committendum, & ad recedendum a peccato jam commisso. Ex dictis jam patet de duobus peccatis omissionis contra virtutem Spei. Quæ sunt omissio actus sperandi, & omissio actus timendi tempore debito. Porro sicut in virtutibus moralibus uni virtuti opponitur duplex peccatum commissionis, unum per excessum, alterum per defectum (v. g. liberalitati opponitur per excessum prodigalitas, & per defectum avaritia) ita virtuti Spei Theologicæ opponitur duplex peccatum commissionis, desperatio per defectum, & præsumptio per excessum, contra duplex præceptum Spei negativum non desperandi, & non præsumendi, utrumque ad semper, & pro semper obligans.

SECTIO III.

Peccatum desperationis.

SUMMARIUM.

13 *Quid desperatio negativa, privativa, & positiva proprie dicta* desperatio.
14 *Desperatio positiva deliberata de beatitudine, vel mediis ad illam, peccatum mortale; magis tamen, vel minus grave juxta diversa motiva desperandi.*
15 *Quatuor viæ, & regulæ particulares dignoscendi gravitatem desperationis.*
16 *Desperare de propria virtute non semper est peccatum.*

13 DEsperatio, sicut infidelitas *cap. præced. sect.* 1. accipi potest negative, privative, & positive. Desperatio negativa, sed improprie dicta, est carentia Spei in homine, qui non potest, vel non debet habere Spem actualem, ut in pueris, amentibus, infidelibus, qui nihil umquam audierunt de Beatitudine æterna, ac etiam in fidelibus eo tempore, quo non obligat præceptum Spei; & sic nullo modo est peccatum. Desperatio privativa etiam improprie dicta, est carentia Spei, vel omissio voluntatis actus sperandi in homine, qui potest, & hic, & nunc deberet habere actum Spei, eo scilicet tempore, quo obligat præceptum sperandi, juxta supra dicta; & sic etsi sit peccatum mortale contra præceptum affirmativum sperandi, non tamen potest dici proprie desperatio, aut talem hominem desperare, quippe qui Spem numquam habuit. Omissis ergo his improprietatibus: positiva, & proprie dicta desperatio definitur *abjectio positiva voluntaria, & deliberata omnis Spei consequendi beatitudinem, vel media sufficientia ad illam.* Cum scilicet voluntas actu positivo deliberato deponit, & abjicit omnem spem consequendi beatitudinem, vel media ad illam; ideoque positive non vult amplius in operando tendere in illam, sicut enim ipsius Spei, ita etiam oppositæ desperationis objectum primarium est Beatitudo obtinenda; objecta vero secundaria sunt media omnia ad illam consequendam ordinata, ut gratia Dei, remissio peccatorum, & emendatio vitæ, Justificatio &c. Non enim peccat minus, qui desperat de remissione peccatorum, gratia Dei, emendatione vitæ, vel quocumque medio consequendæ Beatitudinis, quam qui directe desperat de ipsa Beatitudine consequenda.

ASSERTIO III.

14 D*Esperatio positiva, scilicet deliberata, & voluntaria abjectio omnis Spei consequendæ Beatitudinis, vel media ad illam, est peccatum mortale gravissimum, magis tamen, vel minus grave juxta diversa motiva desperandi.* Certa apud omnes.

Hoc nimirum est peccatum primum in Spiritum Sanctum, quatenus desperatio procedit ex diffidentia de bonitate, & misericordia Dei, Spiritui Sancto specialiter appropriata: & eo ipso, quo desperans abjicit spem Beatitudinis, & mediorum ex Dei gratia, & sua cooperatione præstandorum Spiritui Sancto, omnem prorsus viam, & aditum per gratiam in animam suam intercludit. Neque solum desperatio de se gravissimum peccatum est, cum per eam homo totaliter, & directe se avertat ab ultimo Fine, & volens in damnationem præcipitet, juxta illud D. Isidori *lib.* 2. *de Summo Bono, cap.* 14. *Perpetrare flagitium mors animæ est, desperare autem est descendere in infernum:* Verum est etiam multorum, & gravissimorum peccatorum causa. Ad Ephes. 4. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ &c.* Et Jer. 18. in persona peccatoris; *Desperavimus, post cogitationes enim nostras ibimus, & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.* Fit namque ut desperantes de misericordia Dei, & salute consequenda, abjecta omni cura salutis, absque omni fræno timoris se tradant omnibus peccatis, injustitiis, libidinibus, horrendis latrociniis &c. ut tandem conscientia scelerum cruciati, & vitæ pertæsi sibi ipsis mortem inferant, sequaces Judæ post traditionem Domini desperantis, qui abiens laqueo se suspendit. Dixi *esse peccatum magis, & minus grave juxta motiva diversa desperandi;* pro quo discernendo notentur sequentes

Regulæ Particulares.

I. QUisquis desperat ex eo, ut arbitretur, Deum illum salvare non posse, aut de facto nolle, aut illum de facto positive reprobasse absque peccatorum prævisione, aut peccata sua irremissibilia esse, aut suam malitiam, & operationem Dei gratia vinci non posse, ut dicat cum improbo Cain; *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*: præter peccatum mortale desperationis, etiam crimen hæresis committit. *Ratio clara est*; Omnis enim voluntarie, & pertinaciter adhærens propositioni hæreticæ, est formalis hæreticus, sed omnes illæ propositiones sunt hæreticæ, ut constat ex Sacra Scriptura, & Definitionibus Ecclesiæ: nullus enim est, quem Deus salvare non possit, aut nolit, aut positive damnare velit ante peccatorum, & finalis impœnitentiæ prævisionem; damnatio enim sequitur judicium Dei: At Jacobi 2. *Misericordia Dei superexaltat Judicium*. Et Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?* Isa. 1. *Lavamini, mundi estote, &c. si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* At quid si Deus peccatori revelaret suam damnationem? Speculativum dubium consulto rejicio in finem. 15

II. Quisquis desperat ex eo, quod credat se non esse de numero prædestinatorum, aut quia diffidit omnino se posse emendare vitam suam cum auxilio Dei, præter peccatum desperationis etiam crimen temeritatis in materia Fidei committit, quia nimirum in materia Fidei de occultis Dei judiciis judicare præsumit, quæ absque revelatione sciri non possunt, nam teste Sapiente Ecclesiastic. 9. *Nescit homo utrum amore, vel odio dignus sit:* & ideo juxta Apostoli præceptum, cum metu, & tremore quilibet salutem suam operari tenetur.

III. Qui desperat de misericordia, gratia, auxilio Dei absque errore, vel temeritate in materia Fidei, utpote quia putat Deum de facto sui non miserturum, non salvaturum, auxilia, efficacia non præstiturum &c. aut ex pusillanimitate, ob difficultates apprehensas, & infirmitatem suam tamdiu compertam, arbitratur se non perseveraturum, ideoque damnandum, sicque spem omnem Beatitudinis consequendæ abjicit, mortaliter quidem peccat peccato desperationis simplicis, tamen absque peccato admixto hæresis: quia nimirum talis desperatio nullo errore contra Fidem nititur: non enim est de Fide credendum, quod Deus de facto sit tui misertus, & te salvaturus, sed tantum quod possit tui misereri, teque salvare, atque etiam velit, si ex parte tua non deficias: nec est de Fide, quod tu sis perseveraturus, sed solum, quod cum Divino auxilio perseverare possis, & fieri possit, ut quis recta Fide quidem credat, quod credendum est, nimirum omnes homines ex gratia, & auxilio Dei sufficiente per merita Christi salvari posse, ipse tamen in particulari ex pusillanimitate ob apprehensionem difficultatum, & imbecillitatis suæ, se existimet de facto salvandum non esse, ideoque animo despondens omnem conatum omittere velit. Tota ergo tunc ratio peccati consistit in hoc, quod diffidat, & desperet, cum tamen confidere, & sperare deberet ex præcepto divino.

IV. Desperatio de propria virtute ex consideratione suæ infirmitatis, peccatorum gravitatis, ac multitudinis, frequentissimorum lapsuum, inveteratæ consuetudinis &c. si Spem Divinæ misericordiæ, & auxilii non excludat, sed retineat, vel apprehendat, peccatum non est, quin meliori vitæ incentivum; fieri enim potest, ut homo ex consideratione suæ infirmitatis, gravium, & multiplicium peccatorum, sentiens se omni virtute destitui, absolute de se omnibus suis viribus desperet, interim in solam Dei misericordiam infinitam, & omnipotens auxilium animum convertat, cum Spe plenissima in unum Deum, qui illum salvare potest. Et hæc est vera Christiani hominis Spes, & fortitudo confirmans ad salutem, tantopere commendata a Spiritu Sancto in sacris Litteris: Psal. 31. *Sperantem in Domino misericordia circumdabit.* Psal. 32. *In Domino sperans non infirmabor.* Isa. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Et eleganter depingit Jeremias Tren. 3. *Et dixi: Periit finis meus, & spes mea a Domino. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absyntii, fellis. Memoriæ memor ero, & tabescet in me anima mea, Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo. Misericordia Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus.* Ubi Propheta ex diffidentia, & desperatione sui assurgit ad spem in solo Deo collocandam, in quo sane consistit specialissimum, & fere unicum remedium contra desperationem in quantumvis gravi tentatione. Exempli gratia: proponit tibi Dæmon, vel ipsa mala conscientia tua multa, & gravia peccata, recidivas continuas, pessimos habitus, certam ex peccatis tuis damnationem, &c. prudenter facis, si omnia concedas, & de viribus tuis simpli- 16

pli-

pliter desperes: verum admissa in omnibus imbecillitate, & impotentia tua, animum converte ad Deum, qui solus te salvare potest, & qui infinitos peccatores, quorum salus desperata fuit, salvavit; idem tibi præstare posse per auxilia, & media opportuna, atque ex infinita bonitate, & misericordia, largisque promissionibus etiam velle, firmissime confide. Itaque totaliter innixus Bonitati, & Misericordiæ Divinæ, ejusque auxiliis semper paratis, ne anxie apprehendas omnimodam emendationem vitæ, & perseverantiam usque in finem, sed velut dietim, seu de die in diem vivens cum Deo tuo semper, saltem hoc die propone efficaciter gratiæ Dei cooperari, & facere, quantum potes, crastinum vero, & reliquum committens Divinæ Providentiæ, & infinitæ Bonitati non volenti mortem hominis, sed potius ut convertatur, & vivat. Lege *Marchant. hic tit. 3. q. 5.* Et vide etiam dicta in materia de Pœnitentia, cum de proposito.

Dicta semper intelligenda sunt de desperatione *voluntaria, & deliberata* Beatitudinis, & mediorum ad illam, ut excludantur involuntariæ, & indeliberatæ tentationes, imaginationes, phantasiæ melancholicæ, hypocondriæ, pro quibus curandis Medicus cum pharmacis advocandus est. Item desperationes etiam voluntariæ ex aliis motivis, ut ex avaritia, ex libidine, ex intento quovis impudenter appetito, & non consecuto. Ex quibus causis multi sibi sæpe mortem inferunt, quæ nefanda non pertinent ad desperationem contra virtutem Spei Theologicæ, ut patet, sed ad alia vitia, & homicidium sui ipsius. Quod si tamen quis ex desperatione Divini auxilii in suis laboribus, vel tribulationibus, præ impatientia mortem sibi optaret, vel inferret, is utique etiam peccaret peccato desperationis contra virtutem Spei.

SECTIO IV.

De peccato Præsumptionis.

SUMMARIUM.

17 *Præsumptio quid, quale, & quando peccatum.*
18 *Ad dignoscendum, qualiter peccetur, seu peccari possit peccato præsumptionis, statuuntur quatuor* regulæ particulares.
19 *Corollaria.*
20 *An quis, revelata sua damnatione, adhuc sperare possit. Respondetur sub distinctione.*

ASSERTIO IV.

17 PRæsumptio generatim *est actus voluntatis deliberate proponentis, ac confidentis Beatitudinem, remissionem peccatorum, aliave dona, vel beneficia consequi absque mediis a Deo ordinatis.* Specialiter autem: *Præsumptio est fiducia præpostera de bonitate, & misericordia, excluso rigore Justitiæ, peccatis liberius perpetrandis habenas laxans.* Omnes.

Specialis ista præsumptio propriissime dicta est peccatum gravissimum in Spiritum sanctum, quam maxime repugnans Bonitati, & Misericordiæ divinæ Spiritui Sancto attributæ: quippe virtualiter saltem negans Justitiam Dei, & ipsam infinitam Bonitatem, ac Misericordiam divinam in occasionem peccatorum, & malitiæ, ac impœnitentiæ ansam detorquens grandi blasphemia. Talis enim ita de Misericordia Divina præsumens habet hujusmodi judicium causale: quia scio Deum summe Bonum, & Misericordem, ac peccatoribus, quantumvis gravibus, propitium usque ad mortem, facili remedio contritionis, confessionis &c. peccata remittere &c. ideo liberius pecco, peccata peccatis accumulo, pœnitentiam usque ad mortem differo, facile tunc pœnitentiam acturus, confessurus, gratiam, remissionem peccatorum, ac salutem impetraturus: ideoque virtualiter saltem judicat infinitam Dei Bonitatem, & Misericordiam dare occasionem, vel ansam liberius peccandi, quæ gravissima est blasphemia. Quod si tamen ejusmodi fiducia Misericordiæ Divinæ, confessionis, remissionis &c. non esset causa peccandi, sed solum haberet se concomitanter, vel consequenter ad peccatum, neque præsumptio de Misericordia Dei, neque peccatum in Spiritum Sanctum dicendum foret, sed verus actus Spei Theologicæ, qua quilibet quantumvis gravis peccator quovis tempore usque ad mortem Misericordiam Dei sperare tenetur. Vide rursus in simili de Pœnitentia. Verum hic præsumptionis generatim sumptæ motiva explicanda sunt, pro quorum gravitate discernenda, sint sequentes

Regulæ particulares.

18 I. QUicumque præsumit, se gratiam, justitiam, ac æternam Beatitudinem ex se ipso, & solis suis viribus, virtute, & industria consecuturum, præter præsumptionis peccatum mortale, etiam crimen hæresis committit. Ideo enim dudum damnata est hæresis Pelagiana contra expressum verbum Dei: *sine me nihil potestis facere.* Eaque præsumptio sæpe damnatur in Scriptura. Judith. 6. *Præsumentes de se humiliat &c.* similiter, qui præsumit de tanta Dei Misericordia, ut confidat se æternam Beatitudinem consecuturum absque meritis, & cooperatione sua propria, aut remissionem peccatorum sine actibus propriis pœnitentiæ, aut cum hæreticis nostri temporis credit se sola fide in Christum absque sua cooperatione, & meritis justificari, & salvandum esse, adeo ut quantumvis peccet, & in peccatis perseveret, tamen virtute suæ fidei in Christum præcise, remissionem, & Beatitudinem consecuturum, simul & præsumptionis, & hæresis crimen mortale committit. *Ratio patet*, Hæreticum enim est credere, hominem adultum absque meritis, & cooperatione propria salvari posse contra Verbum Dei, & Definitionem Ecclesiæ; præsertim Concilii Trident. Et notissimum est illud D. Augustini: *Qui fecit te sine te, non salvabit*, (vel justificabit,) *te sine te.* Quam clarissimam sententiam impostor Calvinus depravavit, addito signo? Quasi loqueretur non negative, sed assertive. Denique Jacob. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Et juxta Apostolum supra: sola illa Fides justificat, quæ per Charitatem operatur.

II. Qui præsumit, aut de Misericordia Dei credens, quod quantumvis peccet, & in peccatis perseveret, Deum tamen tamdem misericorditer liberaturum, & salvaturum, aut de sua prædestinatione, credens scilicet pro certo se esse de numero prædestinatorum, & ideo sibi persuadet, quod, quidquid egerit, tamen opportuno tempore Dei gratia convertendum, & salvandum, aut de propria justitia, meritis, & donis supernaturalibus etiam de facto habitis, credens se de facto certo perseveraturum, & salvandum, nec a gratia, & salute excisurum, præter præsumptionis peccatum, temerarius est in materia Fidei, audens scilicet de occultis Dei circa se judiciis judicare, & præsumere, cum nesciat homo, utrum *amore, vel odio dignus sit.* Et Apostolus tam serio hortetur: *Qui stat, videat, ne cadat.* Hæresim tamen non committit, quia non est de Fide credendum, quod non sit convertendus, quantumvis peccet, aut quod non sit prædestinatus, aut quod non sit in bono perseveraturus.

III. Quicumque Beatitudinem, gratiam, donum, seu effectum quemcumque a Deo certo expectat mediis inordinatis, & supernaturalibus miraculosis, seclusis vel neglectis mediis ordinariis, ac naturalibus, ultra peccatum præsumptionis, etiam Deum tentat. Sic peccant in primis, qui pœnitentiam, Confessionem, aliaque media ad salutem necessaria usque ad mortem differunt, credentes, quod Deus illos in articulo mortis illos non derelinquet, sed mirabiliter extraordinario modo, raro exercito, juvabit, ut contigit latroni in Cruce. Item qui absque necessitate vel gravissima utilitate voluntarie se exponunt, vel permittunt evidenti periculo mortis corporalis, vel spiritualis animæ, id est proximæ occasioni peccati mortalis, præsumentes, quod Deus illos miraculose eripiet, vel conservabit. Item qui sanitatem corporis, vel quemcumque effectum similem, vel beneficium, quod naturalibus mediis acquirere possent, & deberent cum ordinario auxilio Dei, neglectis mediis naturalibus, intendunt, & confidunt consequi medio extraordinario supernaturali, & per miraculum. Denique omnium pessima, & blasphema est præsumptio, qui precibus, eleemosynis, aliis bonis operibus, & mediis sacris, ac tamdem ipso Sacrosancto Missæ Sacrificio intendunt, & sperant consequi, quæ per se mala sunt, v. g. possessionem bonorum injustorum, causæ manifeste injustæ victoriam, injustam de proximo vindictam, amorem illicitum &c. Cum tamen sciant injusta esse, & vetita, quæ sperant, & postulant. Hi omnes nimirum præter peccatum præsumptionis iniquæ contra virtutem Spei, qua dona a Deo per media ordinata sperare debemus, peccant etiam gravissimo peccato tentationis Dei contra virtutem Religionis, Divini nominis potentia, & Bonitate malitiose abutentes, & inhonorantes. De quo suo loco amplius.

IV. Quicumque spem suam in creatura inordinate collocat, seclusa scilicet, vel postposita Spe in uno Deo, ejusque ope, & auxilio: etiam peccatum mortale præsumptionis incurrit. De quibus Jerem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum; qui confidunt in verbis mendacii, qui sperant in incerto divitiarum suarum.* Et alibi sæpissime præsertim in Psalmis. Hujus damnabilis spei humanæ pessimus est effectus, ut quidam ob amissionem creaturæ v. g. amasiæ, pecuniæ, &c. mortem sibi optent, & inferant, omni in DEUM abjecta fiducia. Dixi tamen, qui *inordinate* collocant: nam supposita principali Spe in Domino, ejusque beneplacito, & auxilio, utique etiam licitum est secundario sperare in creaturis, tamquam mediis nobis ab ipso Deo ordinatis ad impletionem Spei nostræ, tam quoad spiritualia, uti speramus in oratione, intercessione, & meritis Sanctorum, quam quoad corporalia, & temporalia, uti speramus in gratia Principis, in perito Medico, in bono amico, etiam in propria virtute, ope, industria &c. referendo semper in beneplacitum, & auxilium Divinum, tamquam primarium motivum Spei nostræ.

Animadversiones corollariæ ad prædicta.

I. PEccata desperationis, & præsumptionis, etsi formaliter sint actus voluntatis, aut abjicientis omnem spem salutis, aut proponentis, & confidentis consequi salutem, vel alia bona sine mediis ordinatis, semper tamen innituntur 19

alicui falsitati, seu judicio erroneo intellectus proponentis voluntati motiva falsa desperandi, vel præsumendi: uti quoad desperationem patuit in Cain Gen.3. dicentis. *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Et quoad præsumptionem elegantissime exprimit Isaias *cap.* 18. in persona impiorum dicens: *percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.*

II. Quoties ergo desperatio, vel præsumptio innititur falsitati, seu judicio erroneo contra Fidem cum pertinacia, semper adjunctum habet crimen hæresis, & desperans, vel præsumens fit hæreticus saltem internus, ut *utraque Sect. Reg.*1. ostensum est. Quando vero innititur falsitati, præcise contra veritatem, quæ non est de Fide Divina, erit peccatum simplex erroneum, vel saltem temerarium juxta reliquas regulas datas.

III. Quemadmodum habitus infusus Fidei amittitur per peccatum infidelitatis positivæ, hæresis, apostasiæ, &c. ita etiam habitus Spei perditur per peccatum desperationis positivæ, & voluntariæ. Rursus sicut, amissa Fide, quæ est fundamentum Spei, seu (ut loquitur Apostolus) *substantia rerum sperandarum*, necessario semper amittitur habitus Spei (de Charitate per se patet amitti per omne peccatum mortale) ita etiam, amisso habitu Spei per desperationem ex motivo hæretico erroneo, etiam amittitur habitus Fidei ob adjunctam hæresim: non item per desperationem ex motivo non hæretico, etsi erroneo, vel temerario, juxta dicta.

IV. Peccatum tam desperationis, quam præsumptionis licet veniale esse possit ex defectu deliberationis, seu imperfectione actus, sicut omnia alia peccata, semper tamen mortale est ratione materiæ; quia directe repugnat infinitæ Bonitati, Misericordiæ, vel Justitiæ Divinæ (in quibus non datur parvitas materiæ juxta dicta suo loco) neque solum repugnat secundum pravam voluntatis affectionem, sed etiam secundum erroneum intellectus judicium, ut visum est.

Dubium incidens speculativum.

20 Quod si alicui revelaretur sua damnatio æterna certo futura, possetne tunc licite desperare? An vero adhuc sperare posset, & deberet? Voco dubium speculativum quia de facto non constat, factam esse alicui talem revelationem, & si fieret, accipienda esset in sensu comminatorio, uti aliæ pœnarum infligendarum comminationes, præsertim cum minus congruat Bonitati Divinæ ejusmodi revelatio: immo talem revelationem Divinæ Sapientiæ, & Bonitati repugnare pie opinatur S. Bonavent. *in* 1.*dist.*24. *In exposit. Magist.* Quamquam in hoc nullam repugnantiam merito agnoscunt cæteri DD. omnes. Posito ergo, certo constare ejusmodi revelationem esse absolutam, & non tantum comminatoriam, respondendum videtur cum distinctione.

I. Si cui reveletur damnatio incurrenda ob peccatum jam commissum, cum denegatione omnis etiam sufficientis gratiæ ad pœnitendum, talis utique sperare amplius non posset, sed posset desperare, seu non velle prosequi Beatitudinem, aut ad ejus assecutionem contendere, utpote impossibilem, cognitam ut talem; neque enim in hac cognitione esset turpitudo aliqua, quia esset cognitio rei inutilis, & impossibilis: immo velle eam prosequi esset malum. Non tamen esset licitum tunc se a Deo avertere, eum abominando, Beatitudinem contemnendo, teneretur que vitare nova peccata, quia revelatio ista non præjudicat libertati: desineretque in tali homine ex parte conditio viatoris, quatenus non posset amplius tendere in finem suum, etsi adhuc posset augere suam damnationem.

II. Si cui damnatio revelaretur ob peccatum futurum, vel etiam præteritum incurrenda, unde tamen cum auxilio sufficienti præstando resurgere possit, talis non posset desperare, seu nolle tendere efficaciter, quantum est in se, ad Beatitudinem consequendam, sed potius deberet adhuc sperare, & contendere ad illam per actus ab habitu Spei eliciendos, adeoque deberet confiteri, & pœnitere de peccato commisso, ob quod esset damnandus, aliudque nondum commissum, sicut & quævis alia peccata devitare. *Ratio est:* quia damnatio sic revelata ante mortem est actus Divinæ voluntatis consequentis tantum, ex suppositione nostræ operationis, & finalis impœnitentiæ: qua revelatione ab homine proin nec libertas, nec obligatio ad bene operandum, & peccatum vitandum tollitur: neque ipsa beatitudo impossibilis redditur: quare adhuc teneretur adhibere media ad Beatitudinem consequendam, & damnationem impediendam, adeoque etiam non ponere, sed tollere unicum Beatitudinis impedimentum, & damnationis revelatæ causam, scilicet peccatum. Nec obstat, quod certo sciatur Beatitudo non esse futura, sufficit enim, quod sciatur esse possibilis, ac etiam futura, si media adhibeantur, quæ, non obstante revelatione damnationis, possint, & debent adhiberi. Cæterum tamen certum videtur, talem non posse habere actum Spei principalem, & proprie dictum, qui est expectatio certa futuræ Beatitudinis, adeoque necessario videtur præsupponere judicium intellectus de apparente saltem futuritione Beatitudinis, quod sane non consistit cum opposito judicio infallibili. Talis ergo desideraret quidem Beatitudinem per actus a Spe elicitos, non tamen speraret ut futuram: immo sic sperando peccaret, ac proin posset hac ratione desperare, seu nolle prosequi Beatitudinem, ut simpliciter non futuram in sensu composito, & adhuc tendere in illam ut possibilem. Vide nostrum Henricx *Tom.*3. *tr.*1. *dist.*3. *nu.* 56. & *seq.*

CAPUT V.

De Charitate Theologica.

Quatenus ipsum Deum potissimum respicit.

SECTIO I.

Charitatis definitio, actus, objectum, excellentia.

SUMMARIUM.

1 *Charitas definitur esse* 1. *Virtus Theologica.* 2. *supernaturalis.* 3. *effective a solo Deo procedens.* 4. *ab habitu gratiæ realiter indistincta.* Exemplar Seraphicum.
2 *Cujus actus proprius, & primarius est diligere Deum propter se.*
3 *Quid sit diligere Deum super omnia*, objective, appretiative, & intensive.
4 *Quid sit amor concupiscentiæ, & amicitiæ.*
5 *Quid sit amor Dei affectivus, & effectivus.*
6 *Amor Dei affectivus alius est affectu complacentiæ* (Exemplar Seraphicum)
7 *Alius affectu desiderii.*
8 *Quid amor Dei affectivus, practicus, seu obedientialis.* (exemplar Seraphicum.)
9 *Explicatur Mandatum magnum*, Diliges Dominum Deum tuum, &c.
10 *Quid sit diligere ex toto corde, totalitate negativa, & positiva.* Exemplar Seraphicum.
11 *Charitatis objectum materiale, & formale est ipse Deus, ut summum Bonum in se.*
12 *Charitas est omnium virtutum perfectissima.*
13 *Et omnium forma, seu anima.*
14 *Ac radix omnis meriti.*
15 *Et hinc nullus omnino actus, quantumvis moraliter bonus, est meritorius gratiæ, & gloriæ, nisi sit a Charitate elicitus, vel imperatus, & in Deum actu, vel virtute relatus.*
16 *Quid sit actu, seu actualiter actiones suas in Deum referre &c.*
17 *Quid sit, seu quando quis censeatur eas* virtute, *seu virtualiter in eum referre.*
18 *Corollarium notabile.*
19 *Affertur sententia Suarez volentis actus aliarum virtutum in homine etiam ex charitate non elicitos, vel imperatos, adhuc esse per se meritorios.*
20 *Charitatis objectum, & actus secundarius est* proximus.
21 *Quis intelligatur nomine* proximi.
22 *Proximus diligendus est* propter Deum.
23 *Amore scilicet amicitiæ, propter ejusdem participatam a Deo bonitatem, ei volendo bona salutaria supernaturalia &c.*
24 *Qui amor amicitiæ debet esse supernaturalis tripliciter, ex parte* 1. Principii. 2. motivi. 3. objecti.
25 *Hinc a Charitate Theologica alienus est omnis amor proximi.* 1. *ex motivo tantum naturali.* 2. *de bono ad salutem non conducente; &* 3. *multo magis amor concupiscentiæ solum.*

ASSERTIO I.

Charitas est virtus Theologica supernaturalis, qua Deus propter se diligitur, proximus autem propter Deum. *Definitio est omnium: est paucis verbis, non tamen pauca, facilisque intellectu. Quatuor comprehendit explicanda. 1. Charitatis habitum. 2. Charitatis actum proprium primarium. 3. & Charitatis objectum primarium. 4. Charitatis actum, & objectum secundarium.

§. I. Charitatis habitus.

Est virtus Theologica supernaturalis.

I. Virtus: quia verissime, & omnium virtutum maxime Charitas est bona qualitas mentis, quæ habentem perficit, & opus ejus bonum reddit. Ut abunde patebit in sequentibus. *Theologica:* quia actu suo elicito immediate tendit in ipsum Deum, quo velut genere conveniens cum Fide, & Spe, jam clara eminentia differt a virtutibus moralibus, atque ipsa virtutum moralium Principe, Religione: Fides enim actu suo elicito immediate credit Deum, Deoque primæ veritati assentitur: Spes actu suo elicito immediate concupiscit, & intendit consequi Deum, ut Summum Bonum nostrum: Charitas actu suo elicito, immediate 1

te amplectitur Deum, ut Summum Bonum in se. Religio autem actu suo elicito, scilicet devotione, immediate vult non ipsum Deum, sed cultum Dei, orationem, adorationem Dei, Sacrificium &c. At nonne immediate oramus, & adoramus ipsum Deum? Ita. Sed Oratio, & Adoratio non sunt actus immediate eliciti Religionis, sed tantum devotio, quæ est prompta voluntas exequendi ea, quæ ad cultum Dei spectant, orandi, & adorandi &c. Longius a Divino objecto discedunt reliquæ virtutes morales, quam ut claram differentiam advertere non debeas.

II. *Supernaturalis*, nimirum a Deo per se infusa, juxta illud Apostoli ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, Deum omnino supernaturaliter attingens, tamquam finem nostrum, supernaturalem maxime. Secernitur ergo, & excluditur hic omnis amor Dei, seu charitas naturalis, & acquisita, qua nimirum diligimus Deum ex principio, & motivo naturali tantum; qualis naturalis charitas, & amor utique dari potest. Quemadmodum enim Deus, saltem ut unus, primum Ens, & omnium principium, infinitæ perfectionis, bonitatis &c. naturaliter est cognoscibilis, quidni etiam sic naturaliter cognitus a creatura rationali naturaliter sit amabilis? Attamen non sufficit ad salutem ejusmodi naturalis, & acquisita charitas, cum implicet per medium naturale attingi finem adeo supreme supernaturalem: per charitatem enim non tantum attingimus, sed intime conjungimur ultimo, & supernaturali fini nostro. III. Adeo quidem supernaturalis, & per se infusus est habitus nobilissimus Charitatis, ut a solo Deo effective in nobis producatur: a nobis vero solum acquiratur dispositive, vel meritorie, utpote per Sacramenta cum debita dispositione suscepta, aut extra Sacramenta per suum proprium actum, amorem Dei super omnia, aut contritionem perfectam. Semel acquisitus augeri potest perpetuo, tum per iterata Sacramenta, tum per actus suos elicitos, vel imperatos, seu quod idem est, per quosvis actus meritorios, ut §. 3. videbimus. Deperditur autem solum demeritorie, directe quidem per odium Dei, indirecte autem per omne peccatum mortale; quatenus unionem, & amicitiam cum Deo destruit, ut ex dictis de peccato mortali liquet. Hæc omnia certa apud Scholasticos: hic summarie innuisse sat sit. Unum tamen adhuc adde. IV. Suavis, & facilis est sententia Antiquorum Scholasticorum cum *Magist. in 2. dist. 27. Scoto ibid. qu. unic.* Et plurium RR. habitum infusum Charitatis Divinæ esse eumdem realiter cum gratia sanctificante, seu gratum faciente, differre solum ratione, respectu, vel connotato. Ita nimirum ut idem realiter habitus nobilissimus a Deo infusus dicatur Gratia in ordine ad subjectum, quatenus scilicet animam, vel hominem formaliter sanctum, justum, Deoque gratum, & dilectum reddit. Charitas vero dicitur in ordine ad operationem, quatenus nimirum inclinat hominem ad operationes sanctas, Deo gratas, & meritorias, seu, quod idem est, *Gratia* dicitur quatenus hominem Deo gratum, & dilectum facit, Deum velut inclinat, & movet; immo obligat ad hominem amandum, & tandem salvandum. *Charitas* vero dicitur, quatenus homini Deum reddit charum, & dilectum, illumque inclinat, & movet, ut Deum amet, gratisque actibus in eum tendat. *Ratio est*, quia si ullibi, certe hic militare potest Achilles ille Physicus: non sunt multiplicanda entia sine necessitate; quænam autem hic necessitas ponendi duos realiter distinctos habitus pro Gratia, & Charitate, quin idem realiter habitus exercere possit utrumque prædictum munus? Atque ut recte dicit Scotus *loc. cit. num. 3. Quæcumque excellentiæ tribuuntur Gratiæ, & Charitati tribuuntur, utraque enim formaliter, & æqualiter dividit inter filios regni, & damnationis*, 15. *de Civitate cap. 18. Utraque est etiam forma virtutis, & neutra potest esse informis: utraque etiam conjungit ultimo fini perfecta conjunctione, qualis potest esse in via, & si poneretur distincta, altera superflueret, quia reliqua sufficeret*. Hæc Scotus. Tu bene pondera. Alia huc spectantia qualiter nimirum Charitas sit omnium virtutum perfectissima forma, commodius dicam §. 3.

§. II. Qua Deus propter se diligitur.

Charitatis actus proprius primarius.

2 CHaritatis actus proprius primarius est amore amicitiæ prosequi Deum super omnia, ac propter se ipsum irreferibiliter. *Omnes*. Ratio est: quia Charitatis Theologicæ proprium munus est, hominem aliquo modo pro ratione status conjungere cum Deo, ut ultimo Fine, ac summo Bono: sed nullus amor conjungit nos ita cum Deo, ut ultimo fine, & summo bono, nisi is, quo amatur Deus super omnia, & propter se ipsum irreferibiliter, ita nimirum, ut ipse non referatur ad aliud, seu ametur propter aliud quodcumque bonum creatum, ut motivum primarium, & finale, ut satis ex terminis constat: nam eo ipso, quo amatur Deus propter quodcumque bonum creatum, ut motivum principale, & finale, jam non amatur Deus super omnia, sed minus, quam illud aliud bonum: nec consequenter talis amor conjungit nos Deo, ut ultimo fini, & summo Bono, sed potius illi alteri bono propter quod amamus Deum. Nam propter quod unumquodque tale, ipsum est magis tale, atqui sic amares Deum, teque conjungeres Deo propter aliquod aliud bonum, v. g. Beatitudinem, vel quod turpius, propter aliquod bonum, vel beneficium temporale, divitias &c. ergo magis amares illud aliud bonum, eique magis conjungereris, quam ipsi Deo: consequenter illud aliud bonum esset tuus ultimus finis, & summum bonum, non ipse Deus. Quod ipsum est *velle uti fruendis, & frui utendis*, omnis humana perversitas. Ut alicubi acutissime dixit Seraphicus Doctor D. August. de hoc iterum necessario *sess.* 4.

Amare Deum super omnia.

SEu magis, vel plus, quam omnia, tripliciter intelligi, 3
& fieri potest: *Objective, appretiative, & intensive*, I. Amare Deum super omnia *objective*, est vero amicitiæ affectu velle Deo majora bona, quam omnibus aliis: & sic necessario diligitur Deus super omnia. Deo enim velle debemus ipsum infinitum, & omne bonum suum, nec alteri velle possumus. Etenim aliquod bonum Divinum Deo proprium eidem nolle, vel invidere, ad odium Dei spectat. Idem alicui creaturæ tribuere, ad idololatriam, vel hæreticam blasphemiam. 2. Amare Deum super omnia *appretiative, vel æstimative*, est affectu amicitiæ Deum magis æstimare, seu in omni majori æstimatione, & quasi pretio habere, quam omnia alia: ideoque illi per amorem fortius, firmius, immobiliusque adhærere, quam omnibus aliis: adeo ut si opus fuerit, amans mallet omnia alia, & se ipsum potius perdere, quam Deum summum Bonum suum supra omnia dilectum perdere, vel amittere, aut offendere, ut quandoque in mentis excessu factus, aut raptus, audeat, universam creaturam in duellum provocare cum Apostolo, dicens: *Qui nos separabit a charitate Christi? &c.* Et sic amare Deum super omnia (*Sect. seq.*) videbimus esse necessarium de præcepto. 3. Amare Deum super omnia *intensive*, est intensiori actu, vehementiori motu, teneriori, atque ardentiori affectu Deum diligere, prosequi, in Deum tendere, ferri, abripi, quam in ulla alia. En perfectiones amoris secundum ordinem.

Prima perfectio amandi Deum super omnia *objective*, affectu benevolentiæ vult Deo ipsum suum esse, seu ipsum infinitum, & omne bonum suum, hoc ipsum vult quarta super omnia *intensive*, affectu, sensuque cordis, quam intensissimo, tenerrimo, flagrantissimo.

Altera perfectio amandi Deum super omnia *appretiative*, affectu concordiæ vult Deo ipsum, & omne velle suum: hoc ipsum vult quarta super omnia *intensive*, affectu, motuque cordis, quam potest, contentissimo.

Tertia perfectio amandi Deum super omnia *extensive*, vult Deo nos ipsos, omneque velle, & operari nostrum, affectu perfectæ tendentiæ. Hoc ipsum vult, & est quarta super omnia *intensive*, affectu, conatuque penitus ardente, & multa sæpe super vires moliente, uti docebit Assertio. Sed tu interim inspice, & jam aspira cum Seraphinis.

Exemplar Seraphicum.

DEUS MEUS, ET OMNIA.

O Quam super omnia *intensive!* Audi alterum Seraphim ad alterum clamantem, & dicentem. Bonaventura *Vit. S. P. N. c. 9. initio Charitatem ferventem, quam sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat? Totus namque quasi quidam carbo ignitus divini Amoris flamma videbatur absorptus. Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinsecæ chorda cordis interior tangeretur.* Quid amplius? ibid. §. 2. *Christus JESUS Crucifixus intra suæ mentis ubera, ut myrrhæ fasciculus jugiter morabatur, in quem optabat per excessivi amoris incedium totaliter transformari.* Quid amplius! officium SS. Stigmatum lect. 4. *Cum igitur Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, & affectus compassiva teneritudine in eum transformaretur, cui ex Charitate nimia crucifigi complacuit, vidit quasi speciem unius Seraphim &c.* Et quid tandem? Ibid. lect. 5. *Disparens itaque visio post arcanum, ac familiare colloquium, mentem ipsius Seraphico interius inflammavit ardore; carnem vero crucifixo conformi exterius insignivit effigie: tamquam si ad ignis liquefactivam virtutem sigillativa esset impressio subsecuta. Statim namque in manibus, & pedibus ejus apparere cœperunt &c.* Jam scis, quid velim.

Totus ergo amor Franciscus, totus ardor, totus ignis, totus incendium, & verbo Hæbreo, verissime totus SERAPH. *o charitatem ferventem!* illam *quis enarrare sufficiat?* Ecquis vero vel cogitare assequatur, quam seraphica intensissimi amoris flagrantia flammeum illud pectus, succenso corde, per totas noctes evaporarit illud suum, DEUS MEUS, ET OMNIA? Conare cogitare, & suspira.

Aspiratio S. Augustini, Manualis c. 10.

AMo te Deus meus, amo te, & magis, atque magis amare volo. Da mihi, Domine Deus, speciose præ filiis hominum, ut diligam te, ut amem te, quantum volo, & quantum debeo. Immensus es, & sine mensura debes amari. O Amor, qui semper ardes, & numquam extingueris! Dulcis Christe, bone JESU, Charitas Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tui, dulcedine tua, dilectione tui, desiderio tui, charitate tua, pietate, & suavitate tua, voluptate, & concupiscentia tui, quæ sancta est, & bona, & casta est, & munda, ut totus flamma charitatis tuæ vaporatus diligam te Dominum meum dulcissimum, & pulcherrimum ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, & ex omni intentione mea.

Hic jam ipse actus, & affectus amoris Divini, tamquam in proprio loco diligentius explicandus, & ad praxim applicandus est. Scripseram quidem de hoc ex professo in meo Seraphino Morali, sed ad paucorum manus pervenit iste libellus. Et rursus nuper in meo Tyrocinio, seu Tract.3. Sacramentali *a num.* 149. sed incidentaliter, quatenus opus erat ad naturam perfectæ contritionis intelligendam. Meretur nobilissimus actus etiam tertio inculcari, nec leniter remittendus est.

I. Amor generatim.

4 AMor generaliter est prosecutio boni apprehensi, seu motus appetitus in alium, vel aliud tamquam bonum apprehensum (sicut e contra, odium est fuga mali apprehensi, seu motus appetitus in malum apprehensum, illud aversando &c.) Duplex est amor, concupiscentiæ, & amicitiæ. *Amor concupiscentiæ est*, quo alterum amamus, & benigno affectu prosequimur, quatenus nobis est bonus, utilis, delectabilis, &c. ac proinde eo amore amamus magis nos ipsos, & nostrum commodum, quam illum. *Amor amicitiæ est*, quo alterum amamus, ac bono affectu prosequimur, quatenus ipse in se est bonus, ac propter ipsiusmet bonitatem propriam, & cum affectu unionis, tamquam aliquid ad nos pertinens; idque duplici affectu: 1. *Complacentiæ*. de ejus bono habito complacendo, gaudendo, favendo, gratulando quasi de nostro. Sicut e contra de malo ejus tristando quasi de nostro. 2. *Desiderii*, bona, quibus caret, & eget, ei desiderando, optando, ac pro posse etiam procurando, mala avertendo &c. Hæc omnia exigit verus amicitiæ amor. Itaque *Amor concupiscentiæ erga Deum* est, quo diligimus Deum ut *bonum nobis*, quatenus nimirum nobis benefacit, & benefacturus speratur in hac, & altera vita, innumeris, immensisque bonis, naturæ, gratiæ, & gloriæ, ac beatitudinis: Et hic est actus Spei Theologicæ, qua Deum ut summum bonum nostrum, æterna Beatitudine perfruendum principaliter, & secundario etiam omnia ad eum finem consequendum necessaria, ac utilia bona, ac media spiritualia, ac temporalia consequi *concupiscimus*, atque ex infinita Dei Bonitate, ac promissionibus consequi confidimus, ac certa cum fiducia expectamus. Non ergo huc spectat hic amor: fed ad caput præcedens de Spe Theologica. Vide interim *loco cit. Theol. Sacram. p.3. nu.*150. *Amor amicitiæ erga Deum est*, quo amamus Deum propter se ipsum, quatenus in se infinite bonus, ac summum Bonum est, propter suam intrinsecam, infinitam, omnimodam bonitatem, Perfectionem, Excellentiam: nimirum & affectu *complacentiæ* de omni bono habito complacendo, congaudendo &c. & affectu *desiderii* bonum extrinsecum Gloriæ, & placiti, desiderando, optando, ac pro posse in nobis, & aliis procurando, ut mox explicabo latius.

5 Mihi in ordine ad praxim semper placuit, & placet facilis, & simplex modus, quo Ascetici communiter amorem distinguunt in affectivum, & effectivum, seu practicum. Amos *affectivus* dicitur, quo affectu, & actu interno alteri (Deo vel proximo) bene volumus, de ejus bono habito gaudendo, bonum nondum habitum desiderando &c. Amor *effectivus & practicus* dicitur, qui ex affectu in opus procedit alteri (Deo, vel proximo) benefaciendo, bonum procurando, malum avertendo &c. Sic enim magnus Asceseos Magister Div. Ignatius *in Libello Exercit. hebdom. quarta ante contemplationem* de Amore Dei, præstanter dicit. *In primis duo notanda sunt. Primum, quod amor ipse ab operibus magis, quam a verbis, pendet. Secundum, notandum est, quod amor consistit in mutua facultatum, rerum, & operum communicatione, puta, scientiæ, divitiarum, honoris, & boni cujuscumque*. Sic Sanctus Ignatius: per *verba* utique intelligens affectus, atque hoc ipso, quod dicat amorem magis ab *operibus* pendere, non vult excludere amorem affectivum, quo in amati bonitate complacet sibi quispiam &c. sed vult indicare, quod amor affectivus non sufficiat ad perfectionem, & salutem, nisi ei etiam amor effectivus, & practicus in opus procedens jungatur: nam teste D. Greg. hom. 3. in Evangelia. *Numquam est amor Dei otiosus: operatur enim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est*, (perfectus intellige.) Et ipse Salvator Joan.14. Dixit: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*. Habent ergo se amor affectivus, & effectivus ad invicem, sicut Fides, & Charitas. Ac proinde sicut Fides sine operibus Charitatis mortua est: ita & amor affectivus sine effectivo.

II. Amor Dei affectivus.

I. Affectu complacentiæ.

EST, quo Deo volumus, gaudemus, complacemus, ac velut gratulamur omne, & infinitum bonum suum cum affectu unionis. Nam, ut ait D. Thom. 2.2. qu.27. art.3. *Amor importat unionem quamdam secundum affectum amantis ad amatum, quodammodo, ut unum sibi, vel ad se pertinens; & sic movetur in ipsum, ut ei se uniat*. Utpote, dum ex consideratione Divinæ Essentiæ, summæ, infinitæ Bonitatis, infinitarum perfectionum ejus, mirabilium ejus operum, beneficiorum, judiciorum, &c. anima inflammata amore, ac intimæ amicitiæ affectu, Deo Optimo Maximo vult, gratulatur, congaudet, & complacet omne, & infinitum bonum suum: gaudens, & exultans, vult esse tantum, quantus est: gestit, jubilat, exultat habere Deum tam infinite bonum, potentem, sapientem, excellentem, &c. se, suaque omnia offert, & devovet Deo. Optat per impossibile habere aliquid tribuendum Deo, quo ipsa careret, exemplo vulgo decantato vere Seraphici Doctoris, & Patriarchæ D. August. idque totum cum affectu unionis in Deum tamquam suum, ad se pertinentem, & sibi intime uniendum. Hunc affectum unionis optime exprimit amorosus ille Abbas Ludov. Blosius *in Tabella spirituali* prope finem ita scribens. *Beatus sane esses, si toto affectu dicere posses. O quantum bonum possideo! cum Deus meus, qui magis est mihi ego, quam ego ipse sim, adeo immensam gloriam, immensaque bona possideat! Nam illum revera pro meo magis habeo, ac teneo, quam unquam quidquam habui, ac tenui, &c.* Et hic amor negative quidem, & quoad prohibitionem excutit longissime, & excludit damnatissimum peccatorum omnium odium Dei: positive vero, & quoad exercitium, continet actum amoris divini omnium perfectissimum, excellentissimum, supremum, formalissimum, amorem amicitiæ erga Deum. Affectum *benevolentiæ* vocant: vero Seraphino opus esset qui pro dignitate explicaret; Sed quis mortalium caperet explicantem? Simplici, & rudi conceptu, ita acciperes iterato. 6

Amoris divini affectus benevolentiæ, quo amatur DEUS super omnia objective, reipsa est, velle DEO ipsum suum esse infinitum, ac omne bonum suum, quod est, habet, operatur: nisi, dum ex consideratione divinæ Essentiæ, Bonitatis, ac perfectionis infinitæ, ex mirabilibus ejusdem operibus, beneficiis, anima inflammata amore, ac intimo amicitiæ affectu, DEO Optimo Maximo vult, approbat, congratulatur, congaudet, condelectatur infinitum, & omne bonum suum, gaudio velut exultat, ac jubilat habere tam infinite bonum Deum, affectibus nullis verbis explicabilibus. Est enim amor hic vere *manna absconditum*, quod nemo novit, nisi qui accipit; quem expertus mellifluus Bernardus in Jubilo canit: *Nec lingua habet dicere: Nec littera exprimere, expertus potest credere: Quid sit JESUM diligere.*

Atque hunc ajo esse actum amoris divini omnium perfectissimum, & excellentissimum. Quemadmodum enim nullus potest amor major esse, nisi quo DEUS se ipsum diligit, sic amor noster non potest esse melior, atque perfectior, quam si sit amori illi divino quam maxime conformis: atqui Deus se ipsum amat volendo sibi, & infinito modo complacendo, gaudendoque infinitum bonum suum: nobisque dicitur: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*: ergo perfectiori, quam prædicto actu, Deum amare non possumus. Et quonam perfectiori? Omnium præsertim Philosophorum sensu, amor nil aliud est, quam alicui *bonum velle*: tanto ergo majorem, perfectioremque amorem esse oportet erga aliquem, quanto majus ipsi bonum volumus: atqui Deo bonum immensius velle non possumus, quam quod ipse est, bonorum omnium bonum immensissimum: ergo neque Deum ardentius, perfectiusque amare possumus, quam sua illi bona omnia velle, congaudere, gratulari, affectu, quo possumus, flagrantissimo.

Est præterea hic amor gustus quidam, & prælibatio futuræ beatitudinis, fruitionisque beatificæ, qua Beati summo illo, & infinito Bono perfruuntur, dum videlicet Essentiam divinam, ejusdemque bonitatem infinitam, immensissimasque perfectiones beatifica visione clare intuentes, mox in eandem amore beatifico abrepti, adeo eidem congaudent, condelectantur, gratulantur, ut totis viribus, & quam ardentissime, velint Deum esse, quod est, tam sapientem, tam potentem, tam misericordem, tam justum, quam est, dignum omnis honoris, & gloriæ amplitudine, ac majestate, exultates *lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei suæ*, ut loquitur Apostolorum Princeps, 1. Petri 1. Hinc illi concentus in cœlo festivissimi. *Alleluja. Laus, & Gloria, & Virtus Deo nostro est. Alleluja: quoniam regnavit Dominus Deus noster Omnipotens. Gaudeamus, exultemus, & demus gloriam ei, &c.*

Quamquam autem istiusmodi perfectissimo amoris divini actu,

actu, ad plenum perfectumque, Deum prosequi, proprium sit dictorum Beatorum amabile illud objectum clare intuentium; nos autem viatores, eo ipso, quo Essentiam divinam, ejusque infinitam bonitatem, & perfectiones clare non videmus, etiam eum amore benevolentiæ perfecte amare, suumque infinitum, ac omne bonum perfecte velle, & congaudere non possumus: quantum tamen per Fidem apprehendimus, opitulante divina gratia, & nos in amore isto ipsos Beatos imitari, ipsamque beatitudinem hic in terris prælibare, ac velut inchoare possumus. Praxim vero Tyronibus velut in os, ut ajunt, optime dictat Blasius Palma Canon. Regul. In laudatissimis suis *Actibus Virtutum*, quem quæso Lector familiarem habe. Actum Amoris sic habet.

Et ego desiderans exercere hunc excellentissimum actum amorosissime, amabilissime Deus, ac Domine, summe gaudeo, mihi complaceo, tibique congratulor de tuis infinitis perfectionibus, & attributis, quod solus tu sis, QUI ES: & summum infinitum bonum: sisque Deus inscrutabilis, & immensus, qui comprehendi non potest, neque satis ab ulla creatura cognosci. Gratulor tibi tantam super nos, & super omnia potestatem, gloriam, dominationem, imperium, & quod hæc habeas a te ipso; Profecto, Domine, si per impossibile aliquid ego possiderem, quo tu careres, illud omne tibi libentissime cederem, & tribuerem: immo si possem esse Deus, nollem, tantum ideo, ut tu solus esses, &c. Sed quid aliena consectamur? cum nobis domi sit

Exemplar Seraphicum.

DEUS MEUS, ET OMNIA.

O Quæ OMNIA DEUS tuus! quæ magna, quæ mira, quæ pulchra, quæ multa, quæ OMNIA DEUS tuus, quorum elevatissima contemplatione, gustuque mirifico, quasi quodam divinitatis haustu ebrius, aut potius immenso infiniti boni pelago absorptus, exultabundus, & gaudens in DEO tuo per noctes integras centies, & centies e succenso pectore eructabas illud *Verbum bonum*, illud tuum DEUS MEUS, ET OMNIA, o vere vir Seraphice: o FRANCISCE! Cœlesti rursus Seraphino opus esset, qui exprimat. Certe non exprimit, sed verbulo, velut digito vestigium tantum indicat alter Ordinis nostri Seraph. Doctor Seraphicus Bonaventura *Vita S. P. N. Firancsci c. 9. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, &c. Inauditæ namque devotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tamquam in rivulis degustabat.*

Sed vide, an non sensum illum Seraphicum proxime attingat Amorosissimus ille Abbas Ludovicus Blosius in suo illo *Sacello Animæ Tabel. Spirit.* longius post medium, sic habet. *Convenit plane, ut voluntatem tuam inclines ad concipiendam sanctam quamdam complacentiam, & gratulationem, de incomprehensibili gloria, & dignitate Domini Dei tui, ita ut gaudeas, atque etiam pro perfecta beatitudine tua ducas, quod illa majestas tantam potestatem, tantas opes, tantamque claritatem obtineat: quem quidem affectum verus, & sincerus amor Dei parit. Beatus sane esses, si toto corde dicere posses: o quantum bonum possideo! cum Deus meus, qui mihi magis est ego, quam ego ipse sim, adeo immensam gloriam, immensaque bona possideat! Nam illum pro DEO magis habeo, ac teneo, quam unquam habui, ac tenui, &c.* An non percipis sublimem, & arcanum sensum Seraphici illius enthusiasmi, DEUS MEUS, ET OMNIA? Gusta, vide, & aspira.

Aspiratio D. Augustini 10. Confess. 27.

S*Ero te amavi, pulchritudo tam antiqua, & tamen nova, sero te amavi; Et ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram, ea me tenebant longe a te, quæ si in te non essent, non essent.*

2. *Affectu desiderii.*

7 AMor affectivus affectu desiderii dicitur, quo Deo volumus, appetimus, desideramus omne etiam bonum extrinsecum tamquam nondum habitum, nimirum ejus majorem gloriam extrinsecam. Bonum autem Dei extrinsecum, & gloria Dei extrinseca in hoc ipso consistit, ut Deus ab omnibus, saltem quam plurimis, hic in via cognoscatur, ametur, laudetur, ei perfecte serviatur, obediatur, ejusque placitum ab omnibus, & in omnibus perfecte impleatur: ac tandem principaliter in Patria, æterna Gloria, visione, ac amore, seu fruitione Beatifica a quamplurimis ametur, laudetur, glorificetur in æternum, & in sæcula sæculorum: quemadmodum in terrenis gloria Principis consistit potissimum in copioso, magnifico, ac splendido famulatu, multitudine Procerum, Nobilium, ac populorum sibi servientium, obedientium, &c. Hic ergo Amor Dei affectivus affectu desiderii non potest esse sincerus, fervidus, efficax, quin eo ipso necessario simul transeat in amorem effectivum, & practicum, efficacemque conatum ad idem Dei bonum extrinsecum, seu Gloriam Dei extrinsecam in se, & in aliis pro posse procurandam, promovendam, propagandam, &c. Quare & nos amori affectivo nihil amplius immorantes, ad effectivum transeamus.

III. *Amor Dei* effectivus, & practicus, *dictus etiam* obedientialis.

EST, quo efficaciter, & in effectu bonum Dei extrinsecum, ejus Gloriam, beneplacitum in omni actione nostra intendimus, & procuramus: & in summa, efficaciter volumus DEO *omne velle suum*, voluntati, ac beneplacito Divino in omnibus consentientes. Unde plena conformatio voluntatis nostræ cum divina, est simplex, pura, ac Deiformis intentio solius gloriæ Divinæ, ac beneplaciti; ardens zelus Gloriæ Dei, & salutis animarum; ardens desiderium, constans voluntas, ac propositum, ut Dei voluntati, ac beneplacito, & maxime præceptis divinis in omnibus plane satisfiat, summum odium, ac detestatio peccati, & omnis illius, quod Dei voluntati, ac beneplacito contrarium, & vel levissime offensivum est; & tandem summa perfectio, ac consummata sanctitas hominis viatoris. Ubi præcepti, & obligationis est, observatio mandatorum Dei, saltem quoad substantiam, & excludendo peccatum: perfectionis autem, & consilii est in omnibus agendis, omittendis, tolerandis pure spectare voluntatem, & beneplacitum Divinum, perfecta conformitate voluntatis nostræ cum Divina, resignatione, oblatione, & traditione plenaria nostri in Divinum beneplacitum, & obsequium. 8

Dicitur autem hic amor Dei practicus, effectivus, & operativus, etiam amor *Obedientialis*: nimirum a præcipuo ejus officio, & effectu, videlicet obedientia, & observantia amorosa omnium præceptorum Divinorum, quia eo amore parati sumus, & fervidi ad obediendum Deo in omnibus, ubique, & semper, quandocumque, & ubicumque obligabimur: idque non metu pœnæ, non spe præmii, vel mercedis, sed purissimo amore amicitiæ, quia eum amamus, bonum volumus, optamus, & gaudemus, atque adeo etiam (nota per omnem modum) non solum, vel principaliter, ut nos Deo placeamus: hoc enim adhuc aliquid nescio, quid humani, & proprii respectus, vel affectus redolet: Sed solum, vel principaliter, quia Deo sic bene est; ipse sibi complacet, ac velut delectatur; ac voluptate afficitur, si ejus beneplacitum impleatur, & fiat, quod vult, & præcipit, indeque ejus gloria extrinseca augetur: & verbo, ut serviamus DEO, ut per hoc principaliter non nobis, sed ipsi Deo bene sit. Et hinc est, quod in Sacra Scriptura passim amori Divino tribuatur observantia mandatorum. Ut Joann. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate*. Item: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*. Iterum: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Et rursus cap. 14. v. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione*. Similia reperies passim apud Joann. *Epist.* 1. *cap.* 2. & 5. Et concludit Apostol. supra: *Qui diligit, legem implevit*. Hic est sincerus amor Dei amicitiæ, & super omnia appretiative, quo Deum ita super omnia æstimamus, ac velut appretiamur, eique per amorem fortius, firmiusque conjungimur, quam omnibus aliis, tantopere affectu nos DEO, ejusque voluntati unimus, ut mallemus omnia, etiam nos ipsos, perdere, quam Deum, ejusque amicitiam, dicam usque cum Apostolo: *Quis nos separabit a Charitate Dei? &c.*

Summa summarum. Amore Dei affectivo, & effectivo simul juncto. 1. Volumus Deo *ipsum esse suum*, *seu omne bonum ejus intrinsecum*, & *extrinsecum*: modo explicato N. II. Volumus Deo *omne velle suum practice*, & *quantum in nobis est*, *efficaciter*, modo declarato hoc N. III. Et eo ipso consequenter 3. Volumus Deo *nos ipsos*, & *omne velle*, & *operari nostrum*, tanquam summo Bono, & nostro ultimo Fini *cui*: cui scilicet sumus, vivimus, & operamur, omnique actione nostra per charitatem uniri appetimus, & intendimus; adeo nimirum, ut homo omnibus suis potentiis, & facultatibus, earumque omnibus operationibus, affectibus, & motibus deliberatis conatur tendere in Deum, ut ultimum Finem suum, & summum bonum super omnia dilectum, solummodo ad ei serviendum, obsequendum, complacendum. Perfectionis vero, & consilii in hoc affectu amoris divini est in omnibus agendis, omittendis, tolerandis, pure spectare voluntatem, ac beneplacitum divinum. O perfectionem votis omnibus expetendam, omni possibili conatu prosequendam! Hæc est illa in sacris Litteris, & a sanctis Patribus, & ac rerum spiritualium Magistris toties, tantopere, tam prolixe commendata, laudata, prædicata, nunquam satis laudanda *conformitas humanæ voluntatis cum divina*: hæc illa perfecta sui ipsius *resignatio*, *oblatio*, *traditio in divinum arbitrium*, *beneplacitum*, *obsequium*: hoc denique est *integre*

gre se tradere Deo. An nescis, Lector, quid sint hæc omnia? An vero compendio discere cupis? Scio tibi ad nova tantum prurire aures. Ergo disce verbis moderni, sed eximii in spiritualibus Magistri, R. P. Pauli de Barrii S. J. *Solit Hagioph. die* 9. *diss. pom.*

Tradere se Deo integre est: posito firmo animi decreto illum non offendendi culpa aliqua, sive mortali, sive veniali, saltem deliberate, ferri maximo illi placendi studio, idque contente, constanterque. Est: proculcare pedibus omnes considerationes humanas commodi, æstimationis, satisfactionis propriæ, valetudinis, vitæ denique ipsius, ut simus id, quod a nobis Deus requirit. Est: spiritualibus oculis cuncta intueri, non regi alio lumine, quam divino, accuratissime obtemperando omnibus illius inspirationibus. Est: cor habere ab omni creatura vacuum, nulla alia intentione, aut proposito, quam ut Deo impleatur, recta in illum tendat, illique uni laboret, & vivat. Est: ita nos Deo unire, ut nihil tam forte, validumque sit in tota rerum natura, quod nos queat ab illo separare, nihil boni, aut solatii quærentes, nisi in illo, & propter illum. Est: se omnino conjicere in sinum divinæ illius providentiæ, committendo curam, & administrationem rerum omnium ad nos spectantium, in bonis fortunæ, in valetudine corporis, & animi, in studiis, & propositis, in vita, in morte, in æternitate, ut pro arbitrio cuncta disponat. Est: denique se in rebus omnibus divinæ illius voluntati conformare, nihilque aliud velle, vel desiderare, quam quod ille vult, & desiderat: totum hoc est Deo se penitus, integreque tradere, Philothee Lector, agnoscis in hoc speculo? An potius lubet breviori compendio intueri sequens

Exemplar Seraphicum.

DEUS MEUS, ET OMNIA.

Bene, optime, & non ad insipientiam tibi, Pater Seraphice, esse tibi DEUM TUUM OMNIA, qui est super OMNIA, ut exultet cor tuum in Domino, & delectetur super Deo salutari tuo; Psallens cum cantico. *Psal.* 72. *Quid enim mihi est in cœlo? & a te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Seraphici istius aspirii mihi in primis semper placuit pia admodum commentatio laudatissimi illius in Moralibus Scriptoris Hieremiæ Drexelii *S. J. in suo Horologio Angel. Tutel. Hora diei* IX. non indigna, etiamsi verbis pluscul is, tibi pro praxi exscribi.

DEUS MEUS, ET OMNIA. *Millies hoc dicam, millies hoc cogitabo, millies hoc, & usque millies repetam. Neque enim, vel dicere, vel cogitare majus possum, aut melius, quam hoc ipsum, DEUS MEUS, ET OMNIA, alii alia quærant, alia desiderent, unum ego Deum meum quæro, Deum desidero: O DEUS MEUS, ET OMNIA, Opes aliis, & honores: voluptates aliis universas relinquo; Deum ego habeam, & omnia habeo: totos aliis ego mundos concedo: aureos, & gemmeos montes non invideo, summas delicias permitto: mihi Deus meus est omnia: nihil ita bonum, nihil ita pulchrum, aut jucundum, quin summum illud, & primum bonum, & melius sit, & pulchrius sit, ac jucundius, DEUS MEUS, ET OMNIA! quam me varia sæpe accendunt desideria quam diversis subinde æstuo cupiditatibus! ita ut cum lunatico illo adolescente, modo in ignem, modo in aquam rapiar. Sed quænam illa tanta bona sunt, quæ ego tam anxie appeto? num hoc, vel illud genus edulii, aut potionis? Deus meus, cibus meus, potus meus, & omnia. Num hoc, & illud genus relaxationis, aut voluptatis? Deus meus, gaudium meum, voluptas mea, & omnia. Num hoc, vel illud genus honoris, aut dignitatis? Deus meus, honor meus, mea dignitas, & mea omnia: quid est tandem, quod appetere possim, & cujus loco mihi non Deus sit, & sit omnia? mihi epulatio, mihi oblectatio, mihi quies, mihi thesaurus Deus est, & mihi Deus est omnia, & plus quam omnia: nam etsi cibis, quibus inhio, vesci: potu, quem sitio, refici: voluptate, qua ardeo, frui; honores, quos ambio, assequi liceat: quid istud vesci est, quid illud refici, & frui, & assequi? DEUS MEUS, ET OMNIA: te frui, a te refici, est perfectissime refici, est frui omnibus bonis: DEUS MEUS, ET OMNIA. At vero labor premit, dolor affligit, curæ distrabunt, homo turbat, & exagitat. Nihil horum metuendum, neque enim hæc omnia, etiamsi simul ingruant, mala sunt, si summum istud bonum, opituletur, Deus, DEUS MEUS, ET OMNIA. Tu mihi, o bone Deus, o Bonitas; tu in labore quies, in dolore voluptas, in curis securitas, tu mihi ab omni hominum insultu propugnaculum tutissimum; tu mihi ab omni malo refugium; tu mihi es OMNIA, quæcunque tandem desiderare possum. Ergo quandocumque imposterum, & quodcumque bonum appetiero, hoc ipse mihi semper occinam: DEUS MEUS, ET OMNIA. Desine, o homo, impuros rivulos sectari, cum fontem purissimum habeas; Deum habes, omnia habes, quæcumque habere concupiscis.*

Aspiratio S. Augustini. *Med. cap.* 35. *nu.* 8.

Dulcis Christe, bone JESU, reple semper, quæso, cor meum inextinguibili dilectione tua, continua recordatione tua, adeo, ut sicut flamma urens, totus ardeam in tui amoris dulcedine, quem & aquæ multæ in me nunquam possint extinguere. Fac me, dulcissime Domine, amare te, & desiderio tui deponere pondus omnium carnalium desideriorum, & terrenarum concupiscentiarum gravissimam sarcinam, quæ impugnant, & aggravant miseram animam meam; ut post te expedite in odore unguentorum tuorum currens, usque ad pulchritudinis tuæ visionem efficaciter satiandus, quantocius te quoque duce merear pervenire.

Et hoc ipsissimum est, quod tot verbis ad litteram præcipit magnum mandatum Charitatis hic commode explicandum, & utinam & a me, & a te, mi Lector, tandem aliquando perfecte adimplendum.

IV. Magnum mandatum Charitatis explicatur.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Matth. 22. Additur Marci 12. *Ex tota virtute tua.* Luc. 12. *Ex omnibus viribus tuis.* Et originaliter Deut. 6. *Ex tota fortitudine tua.*

Hic SS. PP. & Interpretes intelligunt omnes potentias, 9
& facultates spirituales, & corporales hominis, varia terminorum applicatione, sed hac convenientiori: per *cor* quidem omnium motuum corporalium principium intelligitur voluntas, quæ omnium motum spiritualium, & actionum suarum principium, & radix est. Per *mentem*, cui maxime congruit contemplatio, intelligitur intellectus, seu intelligentia. Per *animam* intelligitur virtus sensitiva, & appetitiva hominis. Per *virtutem*, *vires*, *fortitudinem*, intelliguntur sensus, & potentiæ exteriores, & executivæ facultates, seu totum robur corporis, ut proinde sensus præcepti sit: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota voluntate, ex toto intellectu, ex toto sensu, & appetitu, & ex tota, & omni facultate corporis*, adeo nimirum, ut quidquid voluntas vult, & appetit, quidquid intellectus concipit, quidquid sensus, & appetius percipit, quidquid quævis externæ facultates operantur, totum illud per amorem aut in Deum super omnia dilectum referatur, & ordinetur, aut saltem a Deo super omnia dilecto declinare, eique repugnare voluntarie non permittatur. Nam dupliciter intelligi potest in hoc magno mandato diligere Deum ex toto corde, tota anima, &c. 1. Secundum totalitatem, seu perfectionem positivam, & universalem, 2. Secundum totalitatem, seu perfectionem negativam, seu particularem tantum. Sic enim antiqui, ut bene docerent, bene distinxerunt: præsertim *D. Bonav. in* 3. *dist.* 37. *art.* 2. *qu.* 6. Jam explico.

Diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, &c. secundum totalitatem, seu perfectionem positivam est ita omnibus internis, & externis potentiis, earumque operationibus, & affectibus positive, & perfecte tendere in Deum, atque ita ordinare omnia in Deum super omnia dilectum, ut excludas omnem prorsus actum, affectum, & motum a Deo extraneum, quin positive in Deum directus sit: atque ita nihil prorsus ames, cogites, agas, nisi ipsum Deum, vel propter Deum, & consequenter infra Deum, omnia nimirum sincerissima intentione actuali, aut saltem virtuali in Deum referendo. Et eleganter D. August. *Lib.* 1. *De Doctrina Christiana cap.* 20. cum ait *toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum præbere, ut alia re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animam suam, illud rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit*. Hæc ille. Sed quis est hic, & laudabimus eum? Et hoc modo perfectissimo ex toto corde, anima, mente, virtute, &c. Deum diligunt Beati in Patria: non autem possum us nos, nec consequenter eo præcepto obligamur sic diligere Deum peregrinantes in via. *Ratio est evidens*, & differentia nimia, quia nimirum Beati Deum summum Bonum sum visione clara Beatifica sibi semper propositum, ac intime sibi præsens habent, eoque Beatifico amore perfruuntur, adeo ut nulla unquam ratio adsit, vel adesse possit, cur non voluntas eorum omnibus viribus continuo toto impetu in Dei amorem rapiatur, eoque detineatur: quid enim illis aliud occurrere possit extra Deum amandum? At vero in hac vita, & via ærumnosa ob naturalem infirmitatem tam intellectus, quam voluntatis, fieri non potest, quin ab actuali contemplatione, & amore Dei, continuaque omnium nostrorum actuum ad ipsum relatione sæpius abstrahamur, desistamus, & descendamus ad amandas creaturas, & circa eas intellectu, affectu, & operatione occupemur absque actuali relatione ad Deum, sicque agamus actus otiosos, & sæpe venialiter malos, qui licet Divinæ Charitati, & amicitiæ non repugnent omnino, sed cum ea consistere possint, tamen imperfectionem aliquam amoris semper secum adferunt.

Dices. Ad quid ergo hæc tanta perfectio amoris Dei ex toto corde, anima, &c. nobis tot verbis proponitur, & inculcatur, si ita perfecte amare Deum in via non possumus, nec consequenter tenemur? Respondet laconice *D. Bonav. loco cit.* Ut sciamus, quo per amorem debeamus tendere, & ut nemo perfectum se arbitretur, quousque illam perfectionem fuerit assecutus. Hæc Sanctus.

Certe

Certe huc conandum est, non tantum omnibus ad perfectionem tendere ex professione obligatis, sed etiam universis, quis suis actibus secure apud Deum mereri volunt, ut mox patebit.

Diligere Deum ex toto corde, tota anima, secundum totalitatem, & perfectionem negativam tantum, est ita omni affectu, & omni actione nos ferri in Deum, ut saltem excludamus omnem affectum, & actum contrarium Deo, seu Dei offensivum, nimirum peccatum, atque ita amare Deum super omnia, ut nihil amemus, seu velimus contra, & consequenter supra Deum, aut aequaliter Deo. Sed vides jam hac ratione amare Deum ex toto corde, &c. esse ipsissimum amare Deum super omnia appretiative. Et sic omnem hominem posse, & debere amare Deum ex toto corde, &c. ex vi praecepti hujus nihil certius, ut statim docebit Sectio, & Assertio sequens.

Interim lubet hanc Seraphici Amoris doctrinam Seraphica penna descriptam tradere. D. Bonav. 3. d. 37. art. 2. q. 6. Sic habet: *Dupliciter enim potest intelligi, quod Amor Dei possideat totum cor, aut ita, quod excludat omnem affectum extraneum, & tunc dominatur plene, & perfecte cordi. Hoc autem est, quando omnes motus cordis per amorem referuntur in Deum, & haec totalitas ponit dominium plenum. Alio modo dicitur Amor Dei totum cor possidere, quando excludit omnem affectum contrarium, hoc est, quod nihil diligatur supra Deum, vel aequaliter ipsi Deo, & sic diligit Deum ex toto corde, qui diligit eum propter se, & super omnia, &c.* & paulo post concludit. *Si ergo in illo praecepto intelligatur Deus diligi ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente, quantum ad primam acceptionem totalitatis, sic modus ille non obligat ad sui impletionem, sed exponitur in praecepto, ut sciamus, quo per amorem debeamus tendere, & ut nemo se perfectum arbitretur, quousque illam perfectionem fuerit assecutus. Si vero dicatur diligere ex toto corde, secundum secundam acceptionem, sic teneamur ad illum modum implendum, &c.* Sic Doctor Seraphicus: post cujus Seraphicam doctrinam, inspice, & fac secundum

Exemplar Seraphicum.

DEUS MEUS, ET OMNIA.

DEUS TUUS OMNIA TIBI! o ergo qua Seraphica extensionis latitudine, dilectionis latitudine OMNIA TUA DEO! ut in plenitudine dilectionis fabuleris cum anima tua: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quae intra me sunt, Nomini sancto ejus.* Extense ac praeclare depingit penna sua Seraphica Div. Bonav. *Vitae S. Francisci cap. 9. §. 3. Non habebat aliud Christi pauper, nisi duo minuta, corpus scilicet, & animam, quod posset liberali charitate largiri. Sed haec pro amore Christi sic offerebat continue, ut quasi omni tempore, per rigorem jejunii corpus, & per ardorem desiderii spiritum immolaret, exterius in atrio sacrificans holocaustum, & in templo interius concremans thymiama. Sic autem eum charitatis excessiva devotio sursum in divina ferebat, ut ejusdem affectuosa benignitas ad naturae consortes, & gratiae dilataret. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foveret quas ille redemit. Saluti animarum nihil praeferendum esse dicebat, eo maxime probans, quod Unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen, in praedicatione discursus, & in exemplis dandis excessus.* Inspice, inspice, Philothee Lector, & magis fac secundum hoc exemplar, ac interim aspira.

Aspiratio S. Augustini. *Medit. cap. 35. num. 4.*

DA mihi, ut amem te semper, quantum volo, & quantum debeo, ut tu solus sis tota intentio mea, & omnis meditatio mea. Te mediter per dies sine cessatione: te sentiam per soporem in nocte: te alloquatur spiritus meus, tecum fabuletur mens mea. Lumine sanctae visionis tuae illustretur cor meum, ut te rectore, te duce ambulem de virtute in virtutem, tandemque videam te Deum Deorum in Sion. (Idem soliloq. cap. 19. n. 1.) *o Ignis! qui semper ardes, & numquam extingueris: o Amor, qui semper ferves, & numquam tepescis, accende me. Accendar, inquam, totus a te, ut totus diligam te. Minus amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

§. III. *Deus propter se diligitur.*

Charitatis objectum primarium.

11 ET materiale, & formale est ipse Deus optimus, & Summum Bonum in se, propter ipsiusmet intrinsecam suam, & infinitam Bonitatem, ac perfectionem omnimodam, adeoque propter semetipsum irreferibiliter super omnia amandus amore amicitiae. Hac nobilissima differentia Charitas eminet super reliquas virtutes Theologicas, Fidem, cujus objectum est idem Deus, ut summa Veritas revelans: & Spem, cujus objectum formale est idem Deus, ut summum Bonum nostrum, super omnia amandus amore concupiscentiae, ut suo loco explicatum. Caeterum cum audis objectum formale Charitatis esse summam, & infinitam Dei Bonitatem in se, ne intelligas illam Bonitatem Dei specialem, quae est speciale attributum Dei a caeteris attributis, & perfectionibus Divinis distinctum, importans summam Perfectionem Dei in operando; seu principium communicandi se optimo modo, quo convenit: sed intellige Bonitatem universalem Dei, quatenus sumitur pro plenitudine, & velut cumulo innumerarum, & infinitarum perfectionum divinarum, seu tota, & infinita Dei Excellentia in omni genere perfectionis, qua amabilis est, ac diligibilis. Haec enim est adaequata, & simplicissima ratio, quae specialem super omnia dilectionem requirit: est enim Deus super omnia amabilis, & diligibilis in infinita sua Sapientia, Bonitate speciali, Justitia, Misericordia, pulchritudine, & qualibet perfectione sua, & super omnia in infinito omnium perfectionum infinitarum cumulo. Ex quo aliquot corollaria inferenda sunt.

COROLLARIA.

De Charitatis excellentia.

I. CHaritas est omnium virtutum perfectissima, & excellentissima. Est de Fide 1. *ad Corint.* 13. *Nunc autem manet Fides, Spes, Charitas, &c. major autem horum est Charitas.* Ad Coloss. 3. *super omnia autem haec, Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Ratio clara est: quia Charitas circa perfectissimum objectum versatur, scilicet Deum, ut summum, & infinitum Bonum in se; & perfectissimo modo, nimirum amore amicitiae adhaerendo summo Bono, illudque velut praesens amplectendo, cum Spes amore concupiscentiae solum in futurum expectet Deum, ut summum Bonum nostrum: Fides ut pure assentiatur Deo, ut primae veritati revelanti. Longe infra Deum serpunt reliquae virtutes morales, ut jam semel audivisti. §. 1 *nu.* 1. 12

II. Charitas est forma omnium virtutum reliquarum tam Theologicarum, quam moralium, utpote Fidei, Spei, Religionis, Prudentiae, Justitiae, Temperantiae, Fortitudinis, & quae ad has revocantur. Communissima cum *D. Thom. D. Bonav. Scot. reliq. Scholast. in 3. dist. 36.* Et ratio est, quia virtus hominis simpliciter, & perfecta est, quae operationes ejus dirigit, & ordinat, ut convenienter fiant in ordine ad suum finem ultimum consequendum, qui finis ultimus de facto est Beatitudo aeterna supernaturalis, seu perfecta cum Deo conjunctio per visionem, & amorem, seu fruitionem Beatificam: atqui per solam Charitatem operationes hominis proportionem habent ad illum finem supernaturalem, scilicet Beatitudinem consequendam, & promerendam: idque ex sapientissima Dei ordinatione passim in Sacris Litteris infra, partim afferendis declarata, quod meritum vitae aeternae a Charitate tamquam a radice dependeat; ut sicut finis hominis summus, & excellentissimus est, ita etiam acquiri non possit, nisi per praestantissimam virtutem, quae est Charitas: ergo Charitas merito dicenda est forma omnium virtutum caeterarum in ordine ad Beatitudinem consequendam, ita nimirum, quod licet caeterae illae virtutes secundum se veram rationem virtutis, & honestatis moralis habeant, & hominem secundum rectam rationem in operando recte dirigant; qua ratione verae virtutes morales reperiuntur in Infidelibus, (ut agnoscunt *Scot. & D. Th. alii*) nulla tamen alia virtus possit hominem sine Charitate in sperando dirigere ad suum proprium supernaturalem finem Beatitudinis aeternae. Adeo ut omnes aliae virtutes in suis actibus secundum se omnino steriles, informes, & inutiles sint ad hunc finem; ac per solam Charitatem, ejusque motionem, & imperium velut informatae, faecundae, utiles, ac validae fiant ad promerendam, & consequendam Beatitudinem, seu ultimum Finem nostrum. Et hinc 13

III. Charitas est radix omnis meriti. Certissimum de Fide. Late docet Apost. 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum &c.* ac alibi. Ratio jam satis deducta est. Verum quamvis DD. omnes consentiant, nulla reliquarum virtutum opera sine Charitate posse esse meritoria vitae aeternae, discrepant tamen maxime, in quonam consistat ille concursus, influxus, & velut informatio Charitatis ad aliarum virtutum opera meritoria reddenda. Quatuor diversas opiniones bene refert, & dijudicat Laym. *l. 2. tr. 3. c. 1.* Accipe brevissime. *Prima sententia* est, quod homo modo in gratia Dei constitutus, & habitu Charitatis praeditus sit, omnibus quibuslibet bonis operibus mereatur augmentum gratiae, vitamque aeternam absque alio influxu, vel operatione Charitatis. Sed certe nimis evidenter repugnare videtur illud Apostoli ad Galat. 5. *In Christo enim JESU neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed Fides, quae per Charitatem operatur.* *Secunda sententia* est, quod homo justus, scilicet gratia, & Charitate habituali praeditus, quibuscumque bonis operibus mereatur augmentum gratiae, & Gloriae, modo procedant ex motivo aliquo supernaturali, saltem Fidei, aut 14

Spei, vel Timoris Dei; etsi nullus Charitatis actus unquam antecesserit. Sed rursus videtur repugnare eadem Apostoli sententia. Adde tamen huic opinioni suam probabilitatem etiam a nobis inferius adstruendam. *Tertia sententia* est, quod primus, & unicus actus Charitatis, quo homo justus se, & omnia sua, ex se consequentia opera in Deum refert, tanquam Summum Bonum, ac ultimum supernaturalem Finem jam sufficiens sit, ut sequentibus omnibus quibuscumque bonis operibus totius vitæ in Gratia Dei factis vim merendi tribuat. Ita *Valentia alii que apud eundem Layman*. In hanc sententiam valde propendeo, & omnino crederem esse veram, nisi *Sacræ Litteræ, SS. PP. & DD.* actualem aliquam Charitatis operationem, sive imperium requirerent ad hoc, ut opera aliarum virtutum evadant meritoria æternæ vitæ.

IV. *Quarta* ergo *sententia* mihi omnino vera, certe omnium securissima, ac per hoc ipsum in re gravissimi momenti, & emolumenti, in praxi omnimode amplectenda, urgenda, & consulenda est, ad hoc, ut actus quilibet virtutum etiam de se boni, immo & indifferentes ex se, meritorii sint Gratiæ, & Gloriæ, debere a Charitate, actu, vel virtute imperari, atque in Deum ultimum Finem referri. Hanc mihi charissimam sententiam placet declarare, & ad praxim deducere.

ASSERTIO II.

NUllus omnino actus humanus quantumvis bonus alias moraliter, atque ab homine in Divina gratia constituto exercitus (atque adeo longe probabilius, etiam aliarum virtutum supernaturalium Fidei, & Spei) *est meritorius Gratiæ, & Gloriæ, nisi a Charitate omnium virtutum forma elicitus, vel imperatus, seu in Deum ultimum Finem relatus actu, vel virtute*, verbo: *nisi actuali, vel virtuali intentione fiat propter Deum super omnia dilectum, ad ejus placitum, honorem, & Gloriam*. Ita Communis DD. præsertim antiquorum D. Thom. 1.2.*q.*114. *art.*4. Et alibi sæpissime. D. Bonav. *in* 2.*dist.*41. *art.*1.*q.*3. Scotus eadem *dist.*41. *qu.un. & alibi*. Alex. Alens. Durand. Gabriel. & alii quos sequuntur plurimi Thomistæ, & Scotistæ communiter. Item Henriq. Lorca, ac optime Bellarm. *lib.*5. *De Justific. c.*15. *per tot OcKam. Communis*. Henricx. noster *to.*2. *tr.*4. *dist.*6.*qu.*2. *n.*28. ita subscribit. Ut ob horum proinde gravissimam auctoritatem Doctrina hæc non possit carere maxima probabilitate, secundum quam etiam apte intelligi possent ea, quæ pro altera sententia alleganturex Trident. infra: Quod utique noluit derogare communi velut sententiæ veterum, & quidem Principum Theologorum. Non mirum quoque videri debet, spectata immensitate præmii, quod Deus hanc in merito perfectionem exegisset. Hæc Henricx sapienter, sed caute.

I. Probatur ex Scriptura 1. *ad Cor.* 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; Charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; Hæc Apost. Atqui non rectius explicatur tanta necessitas Charitatis ad meritum Gratiæ, & Gloriæ apud Deum, nisi quod ab illa sola elici, vel imperari, atque ad Deum ordinari debeant omnes actiones nostræ, qualis, & quantæcumque virtutis, ut sic fiant meritoriæ gratiæ, & vitæ æternæ: quod ipsum indicans Apostolus statim subjungit, quomodo per Charitatis imperium, ac motionem cæterarum virtutum opera utilia evadant dicens: *Charitas patiens est, benigna est, &c.* At Gal. 5. *In Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per charitatem operatur*. Ostendit Apostolus Charitatis proprium esse imperare, & dirigere opera Fidei efficacia, & utilia ad salutem. 1. ad Corinth.2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum*. Consonat Jacob. *Epist. c.*1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*. Audis? Aperte significant, Beatitudinem præparari, promitti, deberi Charitati, & diligentibus: & consequenter sola opera ex Charitate facta, atque in Deum relata esse meritoria vitæ æternæ. Quod ipsum haud obscure significat Christus, dum in Evangelio mercedem Gloriæ promittit bonis operibus, patientiæ, misericordiæ, &c. non simpliciter, sed cum notabili addito: Si fiant *propter me, propter nomen meum: Servis, vel fratribus meis minimis &c.* idest: mei intuitu, affectu, amore, mei honoris causa. Sic Matth.10. *Qui recipit justum in nomine justi* (idest, ea intentione, & respectu, quia justus amicus, servus Dei est) *mercedem justi accipiet*. Alioquin Matth.5. dicit: *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Et, quid quæso homini justo amicum redamanti ad mercedis meritum desit, nisi Charitatis imperium, & relatio ejusmodi amoris in Deum?

Denique quænam, amabo, causa, cur Apostolus tam sollicite hortetur 1. Cor. 10. *Sive ergo manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Gloriam Dei facite?* Hoc est, per charitatem in Deum referte. Rursus ad Col.3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri JESU Christi gratias agentes Deo, & Patri per ipsum*. Ad quid, inquam, hæc omnia, nisi ad meritum boni operis requireretur Charitatis aliqua relatio in DEUM?

II. Probatur ratione. 1. Meritum vitæ æternæ ita ex Divina ordinatione dependet, ut illa sola opera proprie meritoria vitæ æternæ possint esse, quæ Deus ad vitam æternam acceptare dignatur: est enim vita æterna bravium quoddam, ut Scripturæ loquuntur, & es in libera potestate Principis proponentis bravium, ut provideat, quibus operibus, cursu, certamine bravium obtineri velit: Atqui Deum ad meritum vitæ æternæ requirere, ut opera ex Charitate fiant, apertissime loquuntur Scripturæ allegatæ, aliæque plurimæ, brevitatis gratia omissæ; passimque docent SS. PP. quos nimis prolixum esset allegare: & confirmant rationes sequentes; ergo. 2. Vi suavis providentiæ Divinæ Sapientissimus Deus illa media ordinare solet ad finem, quæ majorem cum illo proportionem, & conformitatem habent: atque ita sapientissime ordinavit, ut finem vitæ æternæ, quæ in comprehensione, ac fruitione Summi Boni consistit, homo viator non mereatur, nisi per actum liberæ voluntatis proportionatum, quo scilicet in Deum ultimum finem, Summumque Bonum tendat per motum fruitionis, seu unionis, & amicitiæ: Atqui iste motus, vel actus proprius est Charitatis, ut patet: ergo (sunt verba formalia S. Thom. cit. art.4.) *meritum vitæ æternæ primo pertinet ad Charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a Charitate imperantur*. Unde rursus exclamat Apostolus Coloss. 3. *Super omnia autem Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*. 4. Illa tantum opera sunt meritoria vitæ æternæ, quæ ex natura sua Charitatem augent; omne enim meritum vitæ æternæ simul etiam incrementum est Charitatis, & gratiæ, secundum receptam Theologorum sententiam; Atqui Charitas non augetur nisi per actus, qui ab ipsa procedunt, seu ab ipsa eliciuntur, vel imperantur, id enim omnibus habitibus commune est, quod non nisi per suos actus, augeantur: ergo illa solum opera meritoria sunt vitæ æternæ, quæ sunt actus eliciti, vel imperati a Charitate. 4. Omnium sensu, & consensu, ad hoc ut opus meritorium sit vitæ æternæ, necesse est, ut in Deum, ceu Finem supernaturalem, referatur: Atqui solius Charitatis est referre opera ad finem supernaturalem Deum; reliquæ enim virtus Theologicæ Fides, & Spes respiciunt quidem Deum, ut objectum Supernaturale, sed non referuntur in eum, ut Finem Supernaturalem, seu Summum Bonum; virtutes, autem morales ex natura sua immediate Deum non respiciunt, ut patet: ergo reliquarum virtutum actus non sunt meritorii vitæ æternæ, nisi a Charitate imperentur, moveantur, atque ad Deum referantur. Neque etiam sufficit relatio habitualis ex eo, quod ipse operans ratione Charitatis habitualis sit ordinatus in Deum; nam subjectum ordinatum per habitum aliquem in finem non communicat operi ordinationem in eundem finem, nisi operetur, & dirigat illud opus in eum finem: adeoque neque Charitas, seu Justitia habitualis moralium virtutum actibus, talem ordinationem, seu habitudinem in Deum, ut Finem Supernaturalem, conferre poterit, nisi in actum transeat, eaque opera dirigat; alioquin certe omnia opera peccatoris habitualiter a Deo aversi, & ad creaturam, ut finem ultimum, conversi, essent ordinata ad perversum ultimum finem, atque adeo peccatum mortale, quod falsum est, & hæreticum. Maneat ergo, nulla opera cujuscumque virtutis esse meritoria vitæ æternæ, nisi a Charitate aut elicita, aut imperata, atque ad Deum ultimum Finem relata, idque *actu*, vel *virtute*: qui modo termini explicandi, & ad praxim applicandi sunt.

III. *Actu*, seu actualiter actiones in Deum ut ultimum 16
Finem, vel Charitatis imperium deferimus, quando ex præsenti actuali amore Dei super omnia operamur, agimus, omittimus, patimur. Ponderosa sunt verba Scoti in 2.dist. 41. qu. unic. *Sicut cogitans actualiter de fine diligit illum, & vult aliquid propter illum*. Sive deinde sit formalis, & explicitus actus amoris DEI super omnia, dicendo v.g. *Deus meus! Summum, & unicum Bonum meum! amo te super omnia: tuique solius amore, tibi soli placendi gratia, ad tuam solius Gloriam, adgratum tibi ex amore obsequium præstandum, hoc ago, hoc omitto, hoc patior, &c.* quod quidem excellentissimum, summe meritorium, & accedente exigua praxi, præsertim cum exercitio præsentiæ Divinæ, facile est; sive sit actus Charitatis implicitus, seu quicumque pius motus, vel affectus voluntatis in præsenti actione tendens in Deum, e. gr. dicendo: *Mi Deus propter te, quia tibi placet: quia tu vis, præcipis, tibi, ad tuam Gloriam, &c.* Et generaliter cum quis in sua operatione de Deo cogitat, & quocumque motu, vel affectu in ipsum tendit: dummodo absit omnis intentio prava propriæ quæstionis, vel satisfactionis appetitus, &c. semper censetur actualiter ex Charitate referre actiones suas

in Deum, ut ultimum Fidem *cui*, quo etiam spectare videtur, quod Layman *cit. cap.* 1. *ante finem* annotavit, nimirum Religiosis, qui ob amorem Dei per obedientiæ, & reliqua voluntaria vota velut holocaustum se Deo obtulerunt; omnia, quæ ex necessitate illius obligationis, in qua voluntarie persistunt, opera exercentur, vel labores perferuntur, apud Deum meritoria fieri; etiamsi intentio formalis, & explicita ob amorem Dei, & gloriam sperandi non repetatur, aut innovetur: continetur enim ea intentio satis explicite in voluntaria observatione suarum regularum. Verum quia Religiosi etiam multas sæpe actiones liberas exercent, ad quas vi status, & professionis suæ non obligantur, idea tam ipsis, quam omnibus aliis consulenda, & commendanda est intentio actualis, & explicita quam creberrime, præsertim ante opera alicujus momenti repetenda. Ad praxim ergo revocanda sanctissima antiquorum Christianorum consuetudo, qui omnia sua opera (sicut Ecclesia omnia officia Divina) inchoabant a signo Crucis, & laudatissimis illis Psalmi versiculis: *Deus, in adjutorium, &c.* Et Doxologia: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.* quo simul exercita Fide, Spe, & Charitate, & Divinum auxilium necessarium petitur, & ad Dei Gloriam opus amorose refertur. Placuit apud Anton. Sucquet in viis vitæ æternæ significantissimum suspirium, omniumque præcipuarum virtutum compendiosum exercitium. *Ex te, in te, pro te, sunt omnia. Credo tibi, in te spero, ex toto corde diligo. Tibi placere cupio, ac intendo, O Deus meus, & omnia!* quo spectat illud: *Omnia ad majorem Dei Gloriam*, D. Ignatii. Sunt etiam qui contenti generali oblatione matutina omnium per diem agendorum, omittendorum, tolerandorum; deinceps ad occasiones particulares brevi, sed *succosa* emphasi suspirent: *JESU TIBI, ET TECUM.*

17 IV. Vel *virtute*. Virtute, seu virtualiter actiones nostras in Deum ultimum Finem referimus, quando vi intentionis, & imperii Charitatis præcedentis nunquam revocatæ, postea data occasione operamur: ita nimirum, ut Imperium Charitatis, seu intentio præcedens vere sit causa actionis subsequentis, & hæc vere fiat ex vi, & motione intentionis præcedentis adhuc virtute perseverantis; cujus signum a posteriori est, si te reflectens, vel interrogatus, cur *opereris hoc, ores, studeas, scribas, labores, &c.* statim recitata priori intentione diceres: *propter Deum, ad Dei Gloriam, ad Dei placitum, &c.* Et certe tamdiu durabit tua virtualis intentio, & relatio charitatis ad Deum, quamdiu in operando sentis aliquam quantumvis tenuem reflexionem, vel motum ad Deum. Quod si ergo quis mane v. gr. proponat hoc die, hæc, illa, ac omnia opera sua facere ex Charitate, & propter Deum, ad ejus Gloriam, is quidem ipso facto exercet actum præstantissimum Charitatis, & Religionis, eoque præstantiorem, quo magis extensum objectum habet: at vero postea temporibus suis prorsus immemor matutini propositi sui, & absque ulla omnino relatione, vel dependentia ad illud propositum, ut nec interrogatus quidem, cur modo operetur, scribat, comedat, &c. illius meminisset, sed mere ob alias causas, v. g. ex metu servili pœnæ, ex mera consuetudine, ex humano respectu operetur, oret, studeat, laboret, &c. tunc illæ actiones, sicut revera non sunt amplius actus Charitatis imperati, neque vi illius propositi facti, ita neque vi illius meritoriæ esse poterunt. Ita communiter DD. cum D. Bonav. *in* 2. *dist.* 14. *art.* 1. *quæst.* 3. Bellarmin. *lib.* 5. *de Justif. cap.* 19. Layman *cit.* Et optime explicat Joann. Busæus viridar. virtut. *v. Intentio recta cap.* 4. verba ejus adnumero, ut pondera. *Ad meritum boni operis requiritur, ut, vel tunc, cum fit actio, imperetur a Charitate, atque ad Deum, ut finem supernaturalem ac ultimum referatur, vel certe nascatur ab actu imperato a Charitate, atque in Deum antea relato; quod est virtute referri; tunc enim dicitur opus aliquod virtute in Deum relatum, cum intentio antegressa vere est causa illius, ut fiat. Quare si quis generali tantum intentione initio anni, mensis, vel diei omnia futura opera ad gloriam Dei offerat, ut quidam laudabiliter faciunt, non ideo dicetur virtualiter intentione obtulisse, singulisque bonis operibus, licet in gratia sit constitutus, vitam æternam promeruisse.* Hæc ille verissime.

COROLLARIUM.

18 OMnis ergo actus hominis non tantum de se virtuosus, & bonus, sed etiam indifferens, ut comedere, bibere, colloqui, recreare se ita actu, vel virtute in Deum a Charitate relatus est meritorius, & augmentum gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro, ut sic Gloria in Patria respondeat Charitati in via: e contra actus quantumvis bonus in genere moris cujuscumque virtutis, Fidei, Spei, Religionis, Orationis, Eleemosynæ, &c. qui non est imperatus a Charitate, neque ita actu, vel virtute in Deum ultimum Finem relatus, prorsus vanus, & inutilis est ad meritum vitæ æternæ: cogitent proinde, qui hunc in suis actibus non observant, sed in suo tempore arida consuetudine, timore servili, respectibus, & affectibus humanis, propriæ satisfactionis quæsitione, appetitibus naturalibus (cætera taceo) procedunt, quanto thesauro meritorium gloriæ se omnino gratis, & sæpe laboriose privent, & quia tam tepide, & infideliter utuntur gratia & Charitate sibi a Deo infusa, quid mirum, si tam multi toties excidant? quod sane Christus elegantissime significavit in parabola minarum, quam (quia nosti) non exscribo, sed suspiro cum D. Augustin. Manual. *cap.* 4. in initio. *Væ miseræ animæ, quæ Christum non quærit, nec amat! arida manet, & misera. Perdit, quod vivit, qui te Deum non diligit; qui curat vivere non propter te, Domine, nihil est, & pro nihilo est.*

Sententia mitior proponitur, sed non suadenda.

FAtendum est, probabilem esse sententiam Suarez apud Layman *cit. cap.* 1. *n.* 1. aliorumque RR. extra Scholam D. Thomæ, & Scoti, nimirum: actus aliarum virtutum supernaturalium, præsertim Spei, in homine justo esse per se meritorios; & consequenter etiam probabiliter meritorii erunt actus virtutum moralium imperati per aliquam virtutem supernaturalem, v. gr. Spem: quemadmodum quia actus Charitatis est de se meritorius, etiam meritorii sunt actus ab illa imperati. Ratio satis bona sumitur ab argumento negativo. Absque urgenti fundamento vis merendi non debet adeo restringi, ut plerique Christiani etiam boni, qui in suis operationibus supremum illud Charitatis motivum non habent præfixum, sed aliud inferius, Spei, vel Timoris Dei, omni merito priventur: sed nullum apparet urgens fundamentum ad opera meritoria necessario requiri motivum Charitatis, & non sufficere aliud motivum supernaturale. *Non ex Scriptura*: Quia Scripturæ loca allegata, & alia commode explicantur de necessitate status gratiæ, & Charitatis habitualis, sine quo opera quantumvis præclara prodesse non possunt: aut certe de consilio perfectionis. Neque Scriptura sacra ullibi necessario requirit motivum, vel imperium Charitatis, sed ad summum, ut opera referantur in Deum, ut fiant in nomine Christi, &c. Atqui etiam alii actus virtutum supernaturalium Fidei, Spei, Timoris Dei, atque ab his imperati referuntur ad Deum, & fiunt in nomine Christi, ut patet: ergo. *Neque ex Concil.* Quia maxime favet Concil. Triden. *Sess.* 6. *cap.* 16. plenam rationem meriti adscribens operibus bonis hominis justi, *quæ in Deo sunt facta*: fiunt autem in Deo, dum fiunt ex aliquo motivo Divino, ac supernaturali, quod latius patet, quam Charitatis. Et ibidem definit, *can.* 33. justos mereri augmentum gratiæ, & vitæ æternæ bonis operibus factis per Dei gratiam, & Christi merita: nec ullibi requirit, ut eliciantur, vel imperentur a Charitate: ergo. Denique actus virtutum supernaturalium omnium etiam Fidei, Spei, Timoris Dei, atque ab his imperati sunt ejusdem ordinis supernaturalis cum ipso præmio, adeoque satis commensurati eidem, accedente Dei promissione, & acceptione. Et certe ipse Salvator passim in Evangelio, proposito præmio, nos ad bene operandum invitat. Et Apostolus ad Hebr. 11. Moysen laudans dicit: *aspiciebat enim in remunerationem*. Et David Psalm. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*. Quare in hac sententia non tollit rationem meriti, quod quis operetur ratione meriti, & præmii; nam desiderare Beatitudinem, quæ est tantum bonum, adeoque intuitu desiderii ejus operari, est honestum supernaturaliter, quamquam utique non sit tam perfectum, sicut operari ex pura Charitate, in qua proinde vis meriti perfectissima consistit, etsi cum proportione cæteris virtutibus supernaturalibus suus sit merendi locus, & gradus, quamvis inferior. 19

Vides jam hanc sententiam esse probabilem: sed certe probabilem tantum, nostram vero longe probabiliorem, & simpliciter tutam, securam, perfectam. Volesne bone vir, præsertim Religiose, perfectionis studiose, qualis certo ex professione esse obligaris, sequendo sententiam probabilem tantum, & minus tutam, tot tuis bonis operibus, laboribus, mortificationibus, &c. te saltem exponere periculo nihil merendi? Vides etiam in utraque sententia adeo communissimo DD. consensu ad meritum requiri, ut opus bonum aliquo modo referatur ad Deum, adeoque eliciatur, vel imperetur, aut dirigatur ab aliqua virtute supernaturali. Sed, & vide rursus, quanto te meritorum cumulo prives, si in tuis operationibus nihil ad Deum te reflectas: at, ut supra notavi, in tuo tempore, arida consuetudine, timore, respectu, affectu humano velut asinus Clitellarius procedas.

Dices: video hæc bene, sed rursus video inde sequi, plerosque Christianos bona opera sua perficere sine merito, cum ea raro sic referant ad Deum. Non bene vides, & forte alios tua regula metiris. Certe Christiani justi, timorati, etiam rudes, ac simplices frequentissime in suis actibus respiciunt motivum supernaturale, & in Deum tendunt, saltem confuse, & virtualiter, quod sufficit, juxta supra dicta N. IV. Neque hoc est dissentaneum humanæ fragilitati, sed insuper est consentaneum sublimitati præmii: quod si plu-

si plures fragilitati suæ succumbentes defectu debitæ relationis ad Deum, magnam partem meritorum perdant, sibi imputare debent, quemadmodum & illi, qui bene operari omnino negligunt, & infiniti peccatores, qui defectu status gratiæ sunt, & manent meriti incapaces, prout sapienter advertit noster Herincx *cit. qu.* 2. *n.* 24.

§. IV. *Proximus autem propter Deum diligitur:*

Charitatis objectum, & actus secundarius.

I. Proximus autem.

20 SIgnificatur objectum secundarium Charitatis, quod est omnis noster proximus: idem namque habitus insusus præstantissimus Charitatis inclinans primo, & principaliter quidem ad dilectionem, & amorem Dei super omnia, *propter se ipsum*, ac propter sui ipsius intrinsecam infinitam Bonitatem, tanquam ad actum principalem: etiam consequenter, & secundario movet, & inclinat ad dilectionem, & amorem proximi (immo & sui ipsius) *propter Deum*, seu propter eandem Bonitatem Divinam participatam in proximo, tanquam actum secundarium necessario cum priori connexum, ut deinde amplius explicabitur.

21 Proximus autem noster intelligitur omnis creatura rationalis, gratiæ Divinæ, æternæque beatitudinis nobiscum capax, vel particeps, uti in primis sunt Angeli, animæ beatæ, ac etiam in purgatorio existentes, quas novimus jam securas de gratia, & Beatitudine æterna; deinde omnis homo viator fidelis & infidelis, bonus & malus, quantumvis peccator, vel inimicus noster: hos enim omnes novimus adhuc nobiscum capaces gratiæ, amicitiæque Divinæ, atque æternæ Beatitudinis, omnes proinde ex Charitate diligendi sunt *propter Deum*: omnis quippe comprehensi magno mandato: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, nemine omnino excepto, nisi *non proximo*, qui scilicet nobiscum gratiæ Dei, atque æternæ Beatitudinis capax amplius non est, ut soli sunt Dæmones, & damnati.

Cur autem neque in communi definitione Charitatis Divinæ, neque in ejusdem generali, & magno mandato, nulla fiat expressa mentio dilectionis sui ipsius, rationem optime assignat D. August. *lib.* 1. de Doctrina Christiana *cap.* 23. dicens: *Quatuor diligenda sunt: unum, quod supra nos est, scilicet Deus: alterum, quod nos sumus: tertium, quod juxta nos est, scilicet proximus: quartum, quod infra nos, scilicet corpus: de secundo, & quarto nulla præcepta danda erant: quantumlibet enim homo excidat a veritate, remanet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui, quia nemo carnem suam odio habuit: nam viri justi, qui corpus suum cruciant, non corpus, sed corruptionem ejus, & pondus oderunt.* Sic Sanctus Augustinus.

II. Propter DEUM.

22 SIgnificatur objectum, & motivum formale, propter quod diligendus est proximus: nimirum propter Deum sic volentem ex infinita Bonitate sua, & re ipsa propter ipsam eamdem Bonitatem Divinam participatam, ac velut elucentem in proximo, quatenus nimirum proximus est creatura Dei condita ad ejus imaginem, gratiæ, amicitiæ Divinæ, æternæque Beatitudinis capax: præsertim ut de facto præditus donis supernaturalibus, gratia, sanctitate, justitia, & amicitia Dei, &c. Et hac ratione Christus in Evangelio Matth. 22. Præceptum dilectionis proximi dicit esse simile præcepto dilectionis Dei; secundum autem simile huic, *diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Nimirum, simile non *absolute* quoad modum diligendi, sic ut quemadmodum Deus diligendus est super omnia propter se ipsum, ita & proximus diligendus sit super omnia propter se ipsum, hoc enim implicat, nam si proximus super omnia, vel saltem absolute propter se, absque omni relatione ad Deum diligi deberet, jam Deus non amaretur super omnia neque ex toto corde. Sed simile *respective*, & quoad motivum diligendi, ita nimirum, ut sicut Deus diligitur propter se ipsum, & propriam intrinsecam Bonitatem; ita & diligatur proximus propter Deum, eandemque ejus Bonitatem in proximo participatam, ut dictum est, idque omni necessaria connexione, omnino simili, immo eadem obligatione: quia impossibile est diligere Bonitatem Dei in se ipso, nisi etiam eadem diligatur, ut participata in proximo: ut etiam indicare videtur Evangelista amoris 1. Joann. 4. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Quasi dicat: qui non diligit visibilem quasi Dei Bonitatem in fratre suo participatam, quomodo poterit diligere ipsam invisibilem Dei Bonitatem in se ipso? Aliter ex D. August. explicat Magister *dist.* 27. *Qui non diligit fratrem, caret Charitate; quomodo ergo carens Charitate poterit Deum diligere?* Sic ille: At sic non explicatur vis argumenti a visibili fratre ad invisibilem Deum.

III. Propter DEUM diligitur.

CHaritatis ergo Divinæ in proximum tendentis actus elicitus secundarius est, amore amicitiæ nimirum propter ejusdem a Deo participatam supernaturalem Bonitatem, prosequi omnem proximum; volendo ei vera salutaria, ac supernaturalia bona (utpote principaliter ipsum Deum, ac Beatitudinem æternam) aliaque bona spiritualia, ac media salutis, atque etiam bona temporalia, quatenus ad illa referuntur, conducunt, necessaria, vel utilia sunt. Idque duplici affectu: aut affectu, & amore complacentiæ eidem prædicta bona jam habita volendo, & congaudendo, nihil invidendo, nolendo &c. aut affectu, & amore desiderii eidem ejusmodi bona nondum habita desiderando, optando, ac, cum opus est, pro posse procurando. Et hoc ipsum volunt SS. PP. DD. docentes: proximum diligendum esse *in Deo*, & *propter Deum*: amicum in Deo, inimicum propter Deum: *in Deo* nimirum, quatenus jam Dei per gratiam, ac justus est, amore, vel affectu complacentiæ. *Propter Deum* vero ut si nondum est, Dei esse per gratiam, & justitiam incipiat; sic D. August. variis locis. Et indicat ipse Salvator Joann. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: explicat D. Aug. *tract.* 65. in Joann. Hoc est: *ad quod dilexi vos, ut filii lucis sitis, & lucem habeatis*. Et mox iterum: *Sicut dilexi vos. Quid enim nisi Deum dilexit in nobis, non quem habebamus, sed ut haberemus? Sicut Medicus ægrotos, &c.* Et rursus *lib.* de doctrina Christiana *cap.* 2. explicans illud; *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: dicit: *Hæc regula dilectionis divinitus constituta est, ut Deum propter se ex toto corde, & proximum diligas sicut te ipsum: ad quod, & propter quod te ipsum diligere debes. Qui ergo amat homines, vel quia justi sunt, vel ut justi sint, amare debet: scilicet in Deo, vel propter Deum: sic enim, & se ipsum amare debet in Deo, & propter Deum, idest, vel quia justus est, vel ut justus sit.* Sic D. August. Denique mirifice mihi sapit modus loquendi antiquorum DD. nimirum Charitate Divina proximum diligere idem esse, ac *velle proximum a Deo diligi, sibique condilectum habere*: nimirum, aut affectu complacentiæ gaudendo, aut affectu desiderii desiderando habere condilectum a Deo, hoc enim vere est proximo velle verum, & omne salutare bonum ipso fonte suo, ac scaturigine. Advertis jam, unde sanctorum, & Divina Charitate flagrantium virorum admirandus ille zelus in procuranda salute animarum; simulque notas miserandos defectus tuos circa dilectionem primi: sed *propter juniores* nota manifestius. 23

IV. Proximus autem propter DEUM diligitur.

NImirum amore amicitiæ supernaturali, & quidem tripliciter 1. Ex parte *Principii*, amore scilicet elicito habitu infuso Charitatis Divinæ, juxta dicta N. I. 2. Ex parte *motivi*, ut scilicet diligatur proximus propter supernaturalem, & ipsissimam Divinam Bonitatem in proximo participatam: & verbo: quatenus aliquid Dei est, aut esse potest, juxta dicta N. II. 3. Ex parte *objecti*, *seu boni voliti*, ut scilicet proximo velimus principaliter ipsum Deum, ac a Deo ordinata bona salutaria tantum, juxta N. III. Jam collige defectus amorum a Divina Charitate extraneorum. 24

I. Alienus a Charitate Divina Theologica est omnis amor proximi naturalis tantum, scilicet ex motivo naturali, utpote quo diligimus hominem ob ejus naturalem honestatem, bonitatem, comitatem, vel quodcumque donum naturale, ei de ejusmodi complacendo, vel desiderando, absque omni ordine ad Deum, adeoque nullo modo propter Deum; nec consequenter est actus Charitatis Theologicæ, nec meritorius, etsi per se malus non sit, immo honestus, & ad Charitatem mere naturalem, & acquisitam spectans: hujusmodi etiam erga Deum naturalem, & acquisitam Charitatem supra admisimus. Cæterum bona naturalia proximi, ut a Deo sunt, vel ad Deum referuntur, esse motivum Charitatis Theologicæ, & amoris supernaturalis, jam ex dictis liquet.

II. Ad Charitatem Theologicam minime spectat velle proximo illa bona, quæ ei salutaria non sunt, seu ejus saluti spirituali, vel aliorum, minime conducunt, immo obsunt: quin talia ipsa Charitate Theologica positive ipsi nolle possumus: Titio v. gr. improbo licite potes nolle divitias, potentiam, dignitatem, scientiam, &c. Quia vides eum istis abuti contra salutem suam, vel etiam in aliorum spirituale, vel temporale detrimentum, vel abusurum, sic enim non male, sed bene vis Titio, cum ei secundum rectam rationem melior sit eorum bonorum privatio, quam possessio; sed de hoc latius in 4. Præcepto de Charitate Theologica proximi.

III. Magis adhuc a divina Charitate alienus est omnis erga proximum amor concupiscentiæ tantum, quo nimirum is diligitur, quatenus nobis bonus, utilis, vel delectabilis est: quia hic amor naturalis est, & Politicorum, non Theologorum, etsi per se, & intra terminos honestatis minime malus,

lus, Quod si vero diligamus proximum, quatenus est bonus, & utilis nobis spiritualiter; puta Patrem spiritualem, Confessarium, Prælatum bonum in ordine ad Deum, & salutem nostram, erit sane actus Charitatis Theologicæ: at non quatenus est amor concupiscentiæ erga proximum, sed quatenus est amor amicitiæ erga nos ipsos, & ipsum Deum, nam amans proximum, ut bonum sibi in ordine ad Deum, & salutem suam supernaturalem, plus quam proximum amat se ipsum; & se ipso adhuc magis Deum: Quia *propter quod unumquodque tale, &c.*

25 IV. Omnis amor formaliter, vel virtualiter non relatus in Deum Charitati Theologicæ extraneus, vel etiam adversarius est, & peccaminosus. *Amor formaliter* relatus in Deum dicitur, qui de facto concipitur ex motivo Charitatis, & bonitatis Divinæ, seu quo proximus de facto diligitur propter Deum, modo hactenus explicato. *Virtualiter* vero relatus dicitur, quatenus amor proximi, vel alicujus creaturæ continetur intra terminos honestatis secundum rectam rationem, & Legem Dei, seclusa offensa Dei, adeoque hoc ipso jam aliquo modo propter Deum, & aptus statim referri formaliter in Deum. Amor ergo solum formaliter non relatus in Deum, qua talis, extraneus tantum est a Charitate Theologica: at vero amor nec virtualiter quidem relatus in Deum, sed terminos rectæ rationis, & honestatis ita excedens, ut neque aptus sit referri in Deum, Charitati etiam contrarius est, & peccaminosus, dictus amor creaturæ inordinatus, de quo Sect.4.

Ratio omnium hactenus dictorum de proximi dilectione a priori est: Quia Charitas Theologica pro suo per se primario objecto habet ipsum Deum, ideoque non potest se extendere etiam secundario, nisi ad illa tantum bona, quæ, & quatenus ad Deum referuntur: ergo quidquid præter Deum, vel non præter Deum diligimus, non ex vera Charitate diligimus, nam vera Charitas est, qua alicui verum bonum volumus: nullum autem verum bonum est, nisi solus Deus: ergo nihil nisi solus Deus, aut in ordine ad Deum diligi potest, & debet ex vera Charitate.

Et hæc quidem de dilectione proximi quoad definitionem actus satis: Nam cætera de obligatione Charitatis Divinæ erga proximum quoad actus internos, & externos spirituales, corporales, & peccatis oppositis, cum nihil faciant ad primum præceptum Decalogi, consulto differo ad præcepta secundæ tabulæ post quartum præceptum, quod alioqui breve est.

SECTIO II.

Charitatis Divinæ obligatio.

SUMMARIUM.

26 *Præceptum Charitatis, ut affirmativum, duo continet* 1. *amare Deum debito modo;* 2. *debito tempore.*

27 *Præceptum Charitatis est omnium maximum; jure naturæ sub mortali obligans ad amandum DEUM.*

28 *Super omnia* appretiative saltem.

29 *Et sine dubio etiam* intensive *convenientissimum est creaturæ rationali; quod tamen ob divinam Clementiam, & nostram infirmitatem de præcepto non est.*

30 *Præceptum Charitatis* per accidens *sæpius obligat, idque in triplici potissimum casu.*

31 Per se *vero nunquam obligare ad actum explicitum amoris Dei super omnia*, olim *quidem probabile videbatur.*

32 *At modo non amplius post propositiones damnatas ideoq;*

33 *Omnino tenendum, etiam quandoque* per se *obligare.*

34 *Præsertim post adeptum usum rationis ad id sufficientem.*

35 *Et probabilissime in articulo mortis.*

36 *Ac valde probabiliter (immo modo certe) etiam alias in tempore, saltem aliquando in vita.*

26 PRæceptum Charitatis divinæ: *Diliges Dominum Deum, &c.* quatenus formaliter in terminis affirmativum est, duo continet: amare Deum debito modo, & debito aliquo tempore: & sic ei unum tantum opponitur peccatum omissionis, nimirum omittere, seu non exercere actum amoris Dei eo tempore, quo obligat præceptum amoris Dei super omnia. Nam non diligere Deum debito modo, scilicet super omnia, non potest esse purum peccatum omissionis, sed necessario involvit peccatum commissionis, scilicet, inordinate amare creaturam supra, vel contra Deum; unde Deus non diligatur debito modo, nimirum super omnia, & ex toto corde. Item porro præceptum Charitatis simul implicite negativum est, & duo peccata commissionis opposita habet, scilicet, odium Dei, & inordinatum amorem creaturæ. De quibus *Sect.*3. & 4. *seorsim*. Nunc de affirmativo tantum Charitatis præcepto quoad modum, & tempus amandi Deum, sermo est, & sit

ASSERTIO III.

PRæcepto Divino naturali positivo obligamur sub mortali amare Deum quoad modum super omnia appretiative saltem: quoad tempus vero certe aliquando in vita, etiam per se quandoque, saltem sub initium usus rationis. Ita DD. citandi,

§. I. *Præcepto Divino sub mortali obligamur.*

PRæceptum naturale fundatur in primis visceribus, & radicibus legis naturæ, & primo principio Synderesis *bonum esse prosequendum*, & consequenter summum, & infinitum bonum super omnia prosequendum, & amandum esse tamquam ultimum finem nostrum *Cui*. Præceptum vero positivum Charitatis primo promulgatum est divinitus per Moysem Deut.6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota fortitudine tua* (explicationem habes *Sect.*1. §.3. *nu.*4.) Et repetit Christus Matth.22. addens: *Hoc est primum, & maximum mandatum.* Verissime enim præceptum Charitatis est omnium præceptorum maximum, idque triplici potissimum ratione. I. Quia est de excellentissimæ virtutis primario actu, eoque omnium maxime necessario ad salutem. Et ne dubites de obligatione sub mortali, clamat Apostol. 1.Joan.3. *Qui non diligit, manet in morte, & c.*4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognovit Deum: qui non diligit, non novit Deum, quia Deus Charitas est.* In quæ verba D. August. *tract.*5. in eamdem epist. præclare dixit: *Charitas est, sine qua nihil prodest, quodcumque habueris; quam si solam habeas, sufficit tibi.* II. Quia Charitatis præceptum est principium omnium aliorum; etenim ex præcepto diligendi Deum super omnia, & proximum propter Deum, tamquam ex principio conclusionis deducuntur omnia præcepta, & primæ tabulæ circa debitum Deo cultum, & secundæ tabulæ circa debitum officium erga proximum. Ex illo enim *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* nonne statim infertur; ergo eum solum adorabis, non blasphemabis, non assumes Nomen Domini Dei in vanum? item ex illo *diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, & propter Deum; an non necessario infertur, ergo *non occides, non mœchaberis, non furtum facies?* Prout præclare disserit Apostolus ad Rom.13. dicens: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit: Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur. DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TE IPSUM. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Et ideo etiam Christus ibi adjecit. *In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.* III. Quia præceptum Charitatis est finis omnium aliorum præceptorum, ad eum enim, ut unicum finem, sunt omnia alia præcepta, ut eorum observatione maneat homo conjunctus cum Deo ultimo fine suo, hic per Gratiam, & charitatem, postea per Gloriam, juxta illud modo allegatum Apostoli. *Plenitudo legis est dilectio.* Quod ipsum hac ratione a priori eleganter probat D. Th. 2.2. *q.*44.*art.*1. Quocumque præcepto magis debitus est finis, quam media ad illum: at finis hominis adæquatus, ad quem tamquam propriam perfectionem tendere debet, est conjunctio, & unio cum Deo, quæ fit per Charitatem; reliquæ omnes virtutes Theologicæ, & morales solum media ad illum finem continent: ergo præceptum Charitatis est omnium aliorum maximum tamquam finis eorum 1. Tim. 1. *Finis præcepti est Charitas.* Sic Angelicus Doctor. IV. Quamvis porro apud omnes in confesso sit, præceptum affirmativum Charitatis de diligendo Deo ex toto corde, tota anima ab homine viatore pro hoc statu perfecte impleri non posse, quoad modum perfectionis simpliciter, & positive, ut jam supra *sect.*1. §.3. in fine insinuavi; certum tamen etiam esse debet, posse a nobis perfecte impleri quoad substantiam obligationis, sicut ad viatorem spectat, ita ut tali modo amans Deum vere præcepto satisfaciat, & maneat absque peccato. Ut cum D. August. D. Thom. D. Bonav. Scoto docent DD. communissime. Et constat ex illo 1. Joann. *cap.* 2. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc Charitas Dei perfecta est*: quatenus scilicet perfecta haberi potest ab homine viatore. Nunc ergo sequitur explicandum, qualiter hoc præceptum impleri debeat quoad substantiam obligalionis, & modum diligendi Deum. 27

§. II. *Quoad modum: Super omnia appretiative saltem.*

I. SUbstantia obligationis præcepti Charitatis sine dubio est, & requirit saltem amare Deum super omnia appretiative, ita ut nihil ametur supra Deum, vel æqualiter Deo; & uno verbo, contra Deum. *Omnes.* Et ratio est clara, jam supra indicata: Quia præceptum Charitatis obligat, dirigitque hominem debito affectu tendendi in Deum, ut summum Bonum, & ultimum finem suum: atqui affectus debitus tendendi in Deum, ut summum Bonum, & ultimum finem necessario saltem est amare Deum super omnia appretiative, ut nihil magis, vel æque ametur ac Deus: etenim summo Bono ipsa rei natura debetur summus amor, ut nimis manifestum: ergo. Ac proinde 28

II. Præcepto Charitatis divinæ quoad substantiam obligationis, & in amando omnino satisfacit, qui ita amat DEUM super omnia appretiative, seu æstimative, nimirum Deum magis æstimat, seu in majori æstimatione, & pretio habet, quam omnia alia, adeo ut Deum summum Bonum, seu ultimum finem agnoscens eum rebus omnibus anteponat, ut

ut pro nulla re saltem moraliter Deum offendere velit, omniaque peccata mortalia, velut impedimenta salutis, ac finis sui, constanti voluntate removeat. Juxta communissimam, & omnino securam DD. doctrinam, quam optime explicat D. Bonav. *dist.27. art.2.q.6.* Ratio est: Quia per hoc adhuc vere diligitur Deus ex toto corde, tota anima, saltem quoad totalitatem, & perfectionem negativam, nihil Deo contrarium, vel ejus offensivum admittendo.

29 III. Convenientissimum videtur esse creaturæ rationali, amare Deum summum Bonum super omnia intensive, intensiori, vehementiori, ardentiori, ac teneriori affectu, & actu Deum prosequendo, amplectendo, atque in eum tendendo, quam omnia alia: si quidem natura sua conveniens, ut quanto majus est bonum, tanto magis intensius ametur, & consequenter Deus, qui est summum Bonum, etiam summe, quoad fieri potest, saltem magis, & intensius ametur, quam omnia alia bona, quod omnino etiam suadetur ex magno præcepto diligendi Deum, *ex tota anima, tota virtute*.

IV. Attamen hoc necessarium, & de præcepto non est, quin sine peccato contingat Deum quandoque minus intense amari, quam creaturam, v. gr. parentem, filium, uxorem, amicum, aurum &c. juxta tenorem, & receptam sententiam DD. Navarr. Tolet. Valent. Sanch. alii passim cum Layman *lib.2. tr.3. cap.2. nu.3.* Ratio petenda tum ex Divinæ clementiæ condescensione, tum ex hominis naturali inclinatione, qui naturaliter ferventiori affectu fertur in sensibilia, & præsentia, quam in insensibilia, & absentia: Unde fit, ut licite quis revera amet Deum super omnia appretiative, tamen naturali virtute feratur intensiori affectu in aliquam creaturam absque offensa Dei, interim paratus, & resolutus, ut si opus foret, aut Deum offendere, aut illam creaturam amittere, omnino hoc potius vellet, quam illud. Ut exemplo ostendit Laym. cit. Sicut fieri solet, ut quis catulum v. g. intensius, ac tenerius amet, quam proprium filium, at non firmius, aut magis æstimative: quod inde sequitur, quia si vel catulus, vel filius amittendus foret, utique mallet catulum suum perdi, quam filium. *Sic ille*. Et nihil communius, quam dominos, herasque, canes suos intensius amare, quam homines præsertim servos, ac ancillas, pauperes &c. (dummodo intensius tantum) plerumque excusandi sunt: juxta prædicta ergo intelligenda sunt verba Christi Matth.10. *Qui amat Patrem, vel Matrem plus quam me, non est me dignus*. Quod secundum æstimationem, non vero intensionem accipi debet; juxta communem DD. Interpretum.

§. III. *Quoad tempus vero, certe aliquando in vita.*

30 CErtissimum est, hominem per totam vitam suam sæpius debere elicere actum amoris Dei super omnia, explicitum, vel implicitum, saltem per accidens. Ratio est evidens: quia tenetur homo aliquo tandem actu mereri vitam æternam, & se conservare in statu Gratiæ Dei: at non potest ullo actu mereri vitam æternam, nisi elicito, vel imperato a Charitate: nec moraliter possibile est, conservare se in statu Gratiæ, & Charitatis inter tentationes, & occasiones, nisi sæpius in vita eliciat actus Amoris Dei super omnia, maxime quando adest, & urget periculum peccandi, & amittendi Gratiam Dei per peccatum: ergo tenetur homo sæpius in vita elicere actum amoris Dei super omnia, saltem per accidens: idque in triplici casu potissimum communiter assignato, & recepto. I. Principaliter, & universaliter quoties tenetur peccator justificari, & non est copia Sacramenti, utpote, cum quis existens in mortali celebraturus, Sacramenta ministraturus, aut in articulo, vel periculo mortis constitutus non habet copiam Confessarii. Non enim potest talis justificari, nisi eliciendo actum contritionis perfectæ, dolendo de peccato, quod est offensa Dei summi Boni supra omnia dilecti, ideoque essentialiter saltem implicite, & virtualiter actum Amoris Dei super omnia includentis, juxta alibi dicta. In hoc consentiunt universi. II. Quando urget grave periculum incidendi in odium Dei, ut sæpe evenit ex impatientia, indignatione, desperatione, in adversitatibus, pœnis, infortuniis, ubi facile quis erumpit in odium, vel indignationem erga Deum, nisi contrario actu amoris Dei super omnia se muniat, eo casu (licet raro, ut in simili notavi supra de Fide) quo tentatio aliter superari non posset, nisi per contrarium actum Amoris Dei, utique juxta communem DD. tenebitur homo sub mortali elicere Amorem Dei super omnia, & quidem per se a virtute Charitatis: at non per se ejusdem virtutis præcepto affirmativo de amando Deo, sed ex præcepto negativo de excludendo odio Dei. Unde si tentationi succumbens erumpas in odium Dei, aversionem, blasphemiam, non committis duo peccata commissionis odii, & omissionis amoris, sed unum peccatum odii tantum contra præceptum negativum, propter quod servandum, odiumque excludendum, tamquam necessarium medium indirecte solum, & per accidens te obligat præceptum affirmativum Amoris; ut in simili de Fide, & Spe etiam dictum est. III. Quandocumque actus heroicus virtutis exercendus, aut gravissima tentatio superanda, ut si aut fornicandum esset, aut moriendum, aut Fides neganda, aut carcer, exilium, mors subeunda, & in similibus casibus, quibus necessarium omnino sæpe est elicere actum Amoris Dei super omnia, ut dicas cum Apost. *Qui nos separabit a Charitate Christi?* Ubi tamen iterum succumbens non committit duo peccata, sed unum tantum v. gr. contra castitatem, Fidem, vel aliam virtutem, quia tunc præceptum Charitatis per accidens, & generaliter tantum obligat excludere omnem offensam Dei. His suppositis ut certis

Quæstio difficilis valde, & controversa est.

An, & quando hoc præceptum affirmativum Charitatis obligat per se.

PRobabilis mihi hactenus semper visa fuit Sententia, præceptum illud numquam obligare per se quoad actum explicitum Amoris Dei super omnia, sed ei plene satisfieri per voluntariam observantiam præceptorum, & exclusionem omnis peccati propter Deum, uti docent multi, & graves DD. apud Tambur. *lib.2. Decal. c.3.§.2. num.4.* Et *Nicol. Du Bois infra citand.* Ratio est, quia ex una parte volens propter Deum observare omnia præcepta ejus, & pro nulla re ipsum peccando offendere, vere diligit Deum super omnia saltem implicite, & virtualiter, & ex toto corde negative: Juxta illud Joann.14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*. Ib. *cap.15. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione*. 1.Joan.2. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc Charitas Dei perfecta est*. Ibid. *cap. 5. Hæc est enim Charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt*. Et alibi. Ex altera autem parte non est adstruenda obligatio alicujus præcepti, & quidem gravis sub mortali, absque certo fundamento: nullum autem certum, & urgens adferri potest fundamentum, quod præceptum dilectionis obliget aliquando per se ad actum formalem, & explicitum Amoris Dei, ut patebit expendendo fundamenta communiter allata. 31

I. Unum, & præcipuum fundamentum est ipsum magnum mandatum, & præceptum affirmativum Charitatis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* quod sane debet obligare aliquando ad actum suum proprium, ne frustra sit. Agnoscimus, & veneramur divinissimum mandatum, ejusque exercitium perfectissimum, & frequentissimum nobis in omnibus optamus. Nulla tamen ratio, vel auctoritas convincit illud esse præceptum speciale, & speciali aliquo tempore per se obligatorie implendum, quin cum DD. relatis probabilissime dici possit, esse præceptum generale imbibitum in omnibus præceptis, ut proinde illi abunde satisfiat actibus Amoris DEI implicitis, contentis in observatione voluntaria præceptorum propter Deum, ut dictum est.

§. Eadem prorsus ratione etiam alterum præceptum Charitatis; *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, non est speciale, speciali aliquo tempore per se obligatorie implendum per aliquem actum internum elicitum amoris erga proximum (quando enim hoc?) sed est præceptum generale imbibitum in omnibus præceptis DEI erga proximum; eique abundanter satisfit, dum quis vult servare præcepta Dei circa proximum, & data occasione de facto servat abstinendo ab omni odio, offensa, injuria, & dum opus est, exhibendo opera externa Charitatis. Is sane proximum *propter Deum*, sicut se ipsum, de facto diligit, & frequenter etiam actu formali interno amoris, cum illa opera Charitatis sæpe exerceri recte non possint sine aliquo actu interno amoris, & benevolentiæ erga proximum. De quo suo loco. Et propterea dixit Christus: *In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ*.

II. Alterum fundamentum est, quod homo intima naturæ lege teneatur tendere in Deum ultimum Finem suum surenaturalem cognitione, & affectu aliquo tam necessitate medii, quam Præcepti. Quod si ergo aliquem actum explicitum Fidei, & Spei necessario eliciendum esse aliquando, saltem sub initium usus rationis, vel in prima conversione, omnes merito agnoscimus, cur non idem sentiamus de actu explicito Charitatis, & amoris Dei super omnia? Verum non est necessario idem sentiendum. Disparitas manifesta est; quia impossibile est, hominem tendere in Deum, & ultimum finem absque aliquo formali explicito actu Fidei, & juxta communem sensum etiam Spei, in Deum saltem ut unum, & Remuneratorem supernaturalem; *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit*: Ait Apost. *Heb. 11.* Et ideo necessario semel saltem eliciendus est aliquis actus Fidei, Spei, juxta dicta suis locis. At vero maxime possibile est tendere in Deum, ut ultimum Finem absque actu explicito formali Amoris Dei, utpote per amorem implicite contentum in voluntaria observatione præceptorum propter Deum, ut dictum: ergo &c.

III. Aliud novum urgentius fundamentum exhibet propositio omnino prima inter prohibitas, ac damnatas sub Alexan-

Alexandro VII. Anno 1665. ita sonans *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Sic propositio damnata. Verum nulla hic expressa fit mentio de actu formali explicito amoris Dei super omnia, & omnino sufficere videtur, præceptum charitatis sæpe obligare per se, saltem quatenus est negativum, ut in casibus supra positis, etsi nunquam obliget ut affirmativum. Certe Nicol. Du Bois rigidissimus illarum propositionum examinator ad illam propositionem primam *a.* 4. *n.* 20. diserte negat sub illa propositione damnata comprehendi illam sententiam plurium DD. quæ docet præceptum Charitatis divinæ impositum fuisse ob justificationem impii, & solum tunc obligare, quando impius non habet aliam viam, qua justificetur, nisi eliciat actum contritionis, quæ semper involvit amorem Dei super omnia: ex eo quod hæc ipsa obligatio sit ex vi præcepti diligendi Deum: atqui nos longe plus concedimus: ergo minus damnata censeri debet nostra sententia.

IV. Sed ecce novissime Anno 1679. fundamentum urgentissimum, meo judicio, posuit Innocentius XI. Inter complures propositiones damnatas tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas etiam has tres ordine reposuit. 5. *An peccet mortaliter, qui actum Dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*. 6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis PER SE obligare præceptum Charitatis erga Deum*. 7. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus*. Hic ego do victas manus ob Reverentiam, & Obedientiam Sacræ Sedis Apostolicæ, & dico tandem.

§. IV. *Etiam per se quandoque.*

33 Dico igitur I. Ex vi præcepti Charitatis tenetur homo per se quandoque in vita sua elicere actum formalem amoris Dei super omnia. Ita omnino communis DD. quos late congerit, & recitat Nicolaus Du Bois *cit. n.* 15. D. Th. S. Franciscus de Sales, Suarez, Sanchez, Coninch. Valentia, Amicus, Tannerus hic *disp.*2.*q.*4. *dub.*4. Layman, *lib.*2. *tr.* 3. *cap.*2. *num.*6. Lugo *disp.*13. *De Fide*, *sect.*1. *in fine*. Et præter fundamenta supra allata minime spernenda, mihi omnino videtur importare prima propositio damnata sub Alexandro VII. Et tandem plene convincunt propositiones damnatæ ab Innocentio XI. Nam si damnata est sententia non audens damnare peccati mortalis, qui actum dilectionis Dei tantum semel in vita eliceret, & asserens, præceptum Charitatis Dei rigorose, ne singulis quidem quinquenniis per se obligare, sequitur ineluctabiliter præceptum per se obligare aliquando in vita; & quidem multo sæpius, quam singulis quinquenniis: ut proinde jam multo magis damnata sit censenda sententia, asserens præceptum Charitatis, & dilectionis Dei per se obligare nunquam. Ratio autem potissima mihi videtur: quia virtus Charitatis divinæ non est tantum imperativa actuum aliorum observantiæ mandatorum &c. Sed etiam est elicitiva affectuum, & actuum propriorum, ut per se constat, ergo etiam præceptum Charitatis divinæ: *Diliges Dominum Deum tuum &c.* non tantum obligat ad actus imperatos, seu voluntariam observationem præceptorum divinorum, omneque peccatum evitandum, sed etiam per se obligat quandoque ad actum proprium elicitum Charitatis, seu formalem amorem Dei super omnia, idque omnino confirmari videtur variis Scripturæ locis 1. ad Corinth. 16. *Si quis non amat Dominum JESUM Christum, anathema sit*. Et 1. Joan. 4. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*. Eleganter D. August. *lib.*4. *Confess.c.*16. *Humana rea sibi conscientia est, si amantem non reamaverit*. Jam quoad tempus determinatum obligationis hujus duplex potest esse status quæstionis: vel enim quæritur de obligatione simpliciter, & velut in actu primo, & sic certum est, hominem adultum obligari ab initio usus rationis: sicut qui suscipit Beneficium, vel Capellaniam cum onere celebrandi tot Missas per septimanam, ab initio collationis acceptatæ statim obligatur, sed non statim pro eodem momento. Vel quæritur de obligatione hic, & nunc considerata, & velut in actu secundo, sic ut ejus omissio nunc sit peccatum grave, & hoc sensu:

34 Dico II. Præceptum amandi Deum super omnia obligat post usum rationis quoad hoc sufficientem. Est sententia D. Thom. & Summorum DD. quam etiam sequuntur Laym. March. Trib. *part.* 2. *tr.* 2. *tit.* 4. *sect.* 1. *q.* 2. Nicol. du Bois *a n.* 31. Ratio peti debet ex Regula juris *lib.*14. *ff. De reg. juris*. *In omnibus obligationibus, quibus dies non apponitur, præsenti die debetur*; cum ergo præceptum affirmativum Charitatis, seu amoris DEI super omnia, quoad diem, vel tempus omnino indeterminatum sit, intelligendum est, obligare præsenti tempore, vel die, quo homo perfectum usum rationis assecutus, hujus obligationis primum capax fit, seu cum ad eam perfectionem pervenerit, qua Dei cognoscendi, & hujus præcepti agnoscendi fit capax: seu (ut tute explicat March. cit.) quando homo ad adultam ætatem perveniens, & sufficienter instructus de Deo, & Dei Bonitate, reflectitur, & apprehendit Deum super omnia debere diligi. Quando autem id fit, unusquisque apud se ipsum perpendere potest: neque enim omnium eadem est ratio, vel capacitas. *Sic ille*. Tunc enim recta ratio non patitur diu differri, sed potius urget hominem, ut Deum tanquam ultimum finem, & summum Bonum suum sufficienter propositum agnoscens, etiam amore super omnia prosequatur, & omnia sua in Deum referat: adeo ut si notabiliter differat, merito gravis peccati in Deum Summum Bonum reus fiat. Cæterum gravitas hujus omissionis non est æstimanda ex determinata aliqua differentia temporis, hora, die &c. sed ex notabili negligentia, in qua plura consideranda sunt: nempe perfectio cognitionis, & judicii, iterata sæpius propositio objecti, scilicet Dei summe boni, summe amabilis, nostri amantissimi &c. internæ motiones, & inspirationes, quæ sunt velut assidua interpellatio, & instantia pro executione præcepti, quod ipsum materialiter intentum est in præceptis Fidei, Spei, &c. generaliter, & sine præfixo tempore determinato obligantibus. Scio huic piissimæ sententiæ contradicere quosdam Scotistas, & RR. communiter. Nominatim Azor. Valentia, Suarez, Sanchez, Coninch. Castropal. eosque citans Tambur. *cit. lib.* 2. *Decal. c.* 3. §. 2. Sed credo non contradicturos fuisse si propositionem illam damnandam scivissent.

Dico III. Probabilissimum est: præceptum amoris Dei super omnia etiam obligare pro articulo mortis: idque non tantum per accidens, quando nimirum moriturus conscius peccati mortalis, nec adest copia Sacramenti, cum qua sufficeret attritio, necessario debet elicere contritionem perfectam, ut apud omnes in confesso est, sed etiam per se, etiamsi moribundus sibi lethalis culpæ conscius non sit. Ita ex multorum opinione valde rationabiliter suadet noster March. cit. cum enim tunc spiritus revertatur ad Deum, qui creavit illum, & diabolus insidietur calcaneo hominis, gravissime sane in præcepto tanti momenti negligentiæ arguetur homo, si non toto corde se convertat ad Deum per amorem, cui æterno amore sperat conjungi in Beatitudine. Idque significare voluisse videtur Christus in parabola servi fidelis. Luc. 12. *Sint Lumbi vestri &c. & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei*. Ubi D. Greg. *Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus*. Et alibi Christus docet, fatuas virgines ob defectum olei, quo Charitas designatur, a nuptiis Sponsi fuisse exclusas, quia nimirum media nocte, quando venit Sponsus, oleo Charitatis actualis caruerunt. Vide de hoc pluribus differentem ibi; & disce moribundos suaviter disponere ad frequentes, & teneros actus, & affectus amoris Dei. 35

Dico IV. Valde probabile, & modo (post Sententias, & Propositiones damnatas ab Alexandro VII. & Innocent. XI. supra §. *præced.* allegatas) omnino certum est, præceptum Charitatis, & amoris Dei super omnia etiam alias obligare in tempore, saltem aliquando in vita. Certe enim post adeptum usum rationis vivens vix videtur excusari posse a gravi negligentia in præcepto tanti momenti, si continuo amanti, & benefacienti Deo, & ad reamandum sæpius diversissimis modis interpellanti nunquam in tota vita aliquis actus amoris retribuatur: etenim præceptum amoris tot verbis propositum *ex toto corde, tota anima, &c.* non tantum intensionem actus, sed etiam ipsius agentis diligentiam requirere videtur, ut observat *Nicolaus cit. n.*41. Ubi rursus culpa omissionis non æstimanda erit ex aliqua certa temporis differentia, sed ex notabili negligentia propter sæpe perceptas, & velut interpellantes motiones, inspirationes internas, prout supra de initio usus rationis dixi. Nam certe nullum tempus determinatum assignari potest. Singulis diebus Dominicis de præcepto eliciendum esse actum amoris Dei super omnia sentire Scotum recitant multi, qui forte nunquam inspexerunt. Inspice: *in* 3. *dist.* 37. *n.* 18. sic habet. *Quantum ad secundum, dico: quod illud præceptum affirmativum*: Diliges Dominum &c. *non tantum obligat ad semper oppositum fugiendum, ne scilicet insit actus odii, sed obligat aliquando ad actum eliciendum, quia hic actus est circa finem, ex cujus bonitate descendit omnis bonitas moralis in actus, qui sunt ad finem; quando sit autem hoc, forte determinavit illud Præceptum Divinum:* Sanctifica Sabbatum, & maneat unusquisque apud seipsum, *idest colligendo se, & ascendendo ad Deum suum: & Ecclesia specificavit, quantum ad Missam audiendam die Dominica*. Sic Scotus. Sed audis: *forte* dixit: significans id esse intentum, ut revera est: cum die Dominica præcepto sufficienter satisfiat per actum Religionis absque actu explicito amoris Dei super omnia.

Varie denique aliis variarunt tempus obligationis hujus divinissimi præcepti Amoris Dei super omnia utpote. I. Omnes dies Festos, quibus debemus Deo specialiter vacare. II. Tempus, quo adultus suscipit Baptismum. III. Quando quis suscipit Sacramentum. IV. Quando quis audit alterum contra Deum blasphemantem. V. Quando quis subiret Martyrium. VI. Quando quis a Deo accepisset magnum beneficium. VII. Quando gravis oritur tentatio præsertim odii Dei cum periculo consensus. Omnia pie, sed omnia sine sufficienti fundamento obligationis per se in re tanti momenti: per accidens in præfatis casibus obligationem jam satis sumus §. *præcedenti sub initium*. Et hactenus utique satis de præcepto affirmativo, & peccato omissionis Amoris Dei

super

super omnia. Nunc de peccatis commissionis Amoris Dei contra præceptum negativum breviter dicendum.

SECTIO III.

Odium Dei.

SUMMARIUM.

37 *Odium Dei est simpliciter omnium peccatorum gravissimum.*
38 *Quid odium abominationis, & inimicitiæ.*
39 *Extreme pessimum est odium inimicitiæ.*
40 *Paulo levius quidem, semper tamen mortale, est odium abominationis.*
41 *Sicut & omnis motus deliberatus pravæ, vel malignæ affectionis in Deum.*

ASSERTIO IV.

Odium Dei simpliciter est peccatum omnium gravissimum, extremum quidem odium inimicitiæ: levius autem, sed semper mortale, odium abominationis, quemadmodum & omnis motus deliberatus pravæ affectionis contra Deum. Tota nimis certa.

§. I. *Simpliciter est peccatorum omnium gravissimum.*

37 Ratio clara est: quia optimo opponitur pessimum, & transgressio omnium maximi præcepti necessario omnium maximum, & gravissimum peccatum est: sed odium quodcumque Dei opponitur optimæ, & excellentissimæ Charitati, eamque solum directe, & formaliter destruit, estque transgressio primi, & maximi mandati: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* quod est finis, & summa omnium aliorum præceptorum, ut ex dictis constat; ergo simpliciter est peccatorum omnium gravissimum.

38 Duplex autem vulgo assignatur odium Dei, *abominationis, & inimicitiæ*. Odium *abominationis* est affectus malignus in Deum, quo non ipsum Deum secundum se, sed secundum aliquem ejus effectum nobis contrarium, vel malum apprehensum: utpote ob præcepta difficilia imposita, ob pœnas, vel adversitates immissas, ob cupita negata, vel impedita &c. Deum impius aversatur, & abominatur, quasi sibi malum, vel malevolum apprehensum: & hoc odium opponitur amori concupiscentiæ erga Deum; sicut enim amore concupiscentiæ prosequimur, & appetimus Deum, ut nobis bonum, & summum Bonum nostrum; ita odio abominationis impius aversatur Deum, ut malum sibi apprehensum: quin sæpe progreditur ad ipsum odium inimicitiæ. Odium Dei inimicitiæ est affectus malignus in Deum, quo improbus ipsum Deum secundum se aversatur eique male vult: & hoc opponitur amori amicitiæ erga Deum hactenus explicatæ. Quemadmodum enim amore amicitiæ Deo, ut summo Bono in se, adhæremus, ei bene volumus, de ejus bono gaudemus &c. ita odio inimicitiæ impius Deum secundum se aversatur, ei male vult, de ejus bonitate tristatur. Quamvis autem Scotus, aliique recte doceant, Deum secundum se absolute (adde sub vero aliquo conceptu) odio haberi non posse, quia nimirum Deo secundum se vero, & infinito Bono nulla inest ratio mali vere apprehensibilis, secundum quam alicui displicere, vel odibilis esse possit: tamen sicut boni ex amore concupiscentiæ, quo amant Deum, ut bonum sibi ob beneficia præstita, & promissa, ipsamque Beatitudinem speratam, assurgunt ad cognitionem intrinsecæ infinitæ Bonitatis Dei, ipsumque amore amicitiæ diligentes ei bene volunt, complacent, congaudent ob ejus intrinsecam infinitam bonitatem, & perfectionem; ita impii ex odio abominationis, quo aversantur Deum, ut malum sibi apprehensum ob ejus effectus sibi contrarios, ulterius assurgunt ad apprehensionem, licet falsissimam, alicujus mali in ipso Deo, & inde ad verum odium inimicitiæ erga ipsum Deum secundum se, quo nimirum ipsum Deum secundum se aversantur, execrantur, blasphemant, ei, quantum in ipsis est, male volunt, vellent se posse nocere Deo, eumque mali alicujus capacem esse: vellent denique Deum disperire, aut saltem justum non esse, punire, seu nocere non posse, & alia hujusmodi sexcenta infanda. Neque hoc odium ita proprium est damnatorum, & dæmonum per totam æternitatem, quin certum sit desperatos peccatores sæpe in eam impietatem prorumpere, ut Deum ipsum odio prosequantur, ac velut rabie acti Deum, & omnia, quæ Dei sunt, execrentur, vel vix nomen Dei audire sustineant. Et de hoc sequitur

§. II. *Extreme quidem odium inimicitiæ.*

39 Hoc enim vere extreme pessimum opponitur optimo, nam sicut amore amicitiæ adhærere DEO summo Bono est summa bonitas moralis, & perfectio hominis viatoris, ita odio inimicitiæ aversari Deum summum bonum in se ob quamcumque rationem mali in eo falso apprehensam, est summa malitia hominis viatoris, ideoque peccatorum omnium omnino extremum. Quod vel hac ratione confirmari potest. Ratio formalis, & summa malitia peccati consistit in offensa Dei, summi Boni, & aversione a Deo ut summo bono, & ultimo Fine; atqui solum odium inimicitiæ erga Deum formaliter, directe, & expresse est aversio a Deo ut summo Bono, & ultimo Fine, ex omnibus peccatis etiam directe contra ipsum Deum commissis. Nam (de aliis peccatis res clara est) infidelitas contra Fidem directe solum est aversio a DEO, ut summa veritate: desperatio directe solum est aversio a DEO, ut summe fidelis, & bonus nobis est: odium abominationis directe solum est aversio a Deo secundum aliquem ejus effectum nobis contrarium, vel malum apprehensum: alia omnia peccata solum indirecte, & interpretative sunt aversio a Deo, quatenus scilicet homo amore creaturæ legem Dei transgrediendo censetur se avertere a Deo summo Legislatore, qui idem est, & summum Bonum. Solum odium inimicitiæ directe, & formaliter est aversio a Deo, quin potius aversatio Dei ipsius summi Boni in se, etsi sub aliqua ratione mali in ipso falso apprehensi: Et hinc est

§. III. *Levius autem, sed semper mortale, odium abominationis.*

Levius esse peccatum odio inimicitiæ immediate audivisti; certe autem semper mortale esse apud omnes in confesso est, cum & ipsum graviter repugnet magno mandato Charitatis, & dilectionis super omnia. Et confirmari potest ratione deducta ex illo Matth. 19. *Quis enim bonus, nisi solus Deus?* Quia nimirum Deus omnimode est summe bonus, non tantum secundum se intrinsece, sed etiam extrinsece in ordine ad quemcumque effectum a se procedentem; omnia enim, quæ a Deo procedunt, qua ratione procedunt, bona sunt, ideo Deus undique ex omni parte est objectum amoris, & nulla ratione, vel respectu, objectum odii; ergo non tantum odium inimicitiæ erga Deum secundum se, sed etiam odium abominationis erga Deum secundum ejus effectum nobis contrarium, vel malum apprehensum, peccatum mortale est, contra divinam, & infinitam bonitatem pugnans. Intellige autem semper; dummodo tale odium, abominatio, indignatio, vere tendant in ipsum Deum, ut excludantur affectus abominationis, aversionis, indignationis, impatientiæ, rancoris, furoris &c. solum contra ipsa mala, vel adversa occurrentia, ut contra hostes, inimicos, infortunium, aliasque res adversas animatas, vel inanimatas, absque ullo motu, vel respectu ad ipsum Deum: tales enim affectus minime ad odium Dei, sed ad impatientiæ vitium, vel odium proximi spectare dignoscuntur. Quod etiam pro sequenti §. observatum volumus. 40

§. IV. *Quemadmodum & omnis motus deliberatus pravæ, vel malignæ affectionis erga Deum.*

Isque sive in corde interius retentus, sive verbo, vel signo exterius manifestatus, atque adeo omnis blasphemia, execratio, maledictum, murmur contra Deum, quatenus ex deliberato, & maligno affectu procedunt, peccatum mortale est contra hoc præceptum dilectionis Dei super omnia. Ratio clara est ex terminis præcepti. *Diliges Dominum Deum tuum &c.* quod sub mortali obligat ad minimum, & quam maxime negative ut nihil sit in corde, anima, mente nostra, quod repugnet amori Dei: atqui omnis pravus, & malignus affectus in Deum, etsi non esset explicitum, & formale odium Dei, sed qualiscumque confusus in Deum rancor, commotio (quales sæpe exurgunt in corde, & non raro in signa externa erumpunt, maledicta, murmura, &c.) directe, & formaliter repugnat amori Dei, ejusque summæ bonitati: ergo peccatum mortale est contra præceptum dilectionis Dei super omnia, & consequenter, quia qualis radix, talis ramus, patet, omnem blasphemiam, maledictum, murmur contra Deum (quatenus ex tali malo affectu in Deum procedit) esse peccatum mortale, non tantum contra virtutem Religionis, & cultus debiti Divinæ Majestati, & Numini, sed etiam directe, & formaliter contra idem præceptum dilectionis Dei super omnia. 41

Dicta hactenus semper intellige, si actus, vel motus talis sit deliberatus; quemadmodum enim in omnibus peccatis aliis, ita etiam in odio, vel malo affectu erga Deum, imperfectio actus, seu motus primi absque perfecta advertentia & deliberatione intellectus exurgentes, a peccato saltem mortali excusant. Minime autem omnium hic locum habet parvitas materiæ, sed omnis omnino actus odii, vel pravæ affectionis erga Deum, dummodo deliberatus sit, quantumvis levis in entitate, vel materia objecta, eo ipso quod directe repugnet infinitæ Dei bonitati, omnino mortalis manet; immo eo gravior malitia censetur, quo ob leviorem causam, vel rem in Deum maligne afficeris. Ut in materia de peccatis *tr. præced. c. 5. Sect. 2. a n. 14.* notandum est.

SECTIO IV.

Inordinatus amor creaturarum.

SUMMARIUM.

42 *Amor inordinatus creaturæ, quo illa formaliter, vel interpretative DEO præfertur, est peccatum mortale.*
43 *Et sine dubio speciale, si talis prælatio creaturæ sit formalis.*
44 *An, & quale peccatum sit amare Deum propter creaturam.*
45 *An, & quale peccatum sit velle, vel optare semper in hac vita manere.*
46 *Ad dignoscendum, quando prælatio creaturæ* interpretativa *sit speciale peccatum, & quando non, statuuntur duæ regulæ.*
47 *Amor inordinatus creaturæ est causa omnium peccatorum, etiam ipsius odii Dei.*

ASSERTIO V.

O*Mnis amor inordinatus creaturæ, quo illa formaliter, vel interpretative præponitur Deo, est peccatum mortale contra præceptum Charitatis Divinæ aliquando speciale, aliquando non: & causa omnium peccatorum, atque etiam ipsius odii Dei.* Certa apud omnes.

§. I. *Est peccatum mortale.*

42 RAtio notissima ex terminis, nam præceptum Charitatis ex ipsa natura rei obligat hominem ad amandum Deum super omnia appretiative, utique in re omnium gravissima sub mortali, nec fingi potest hic materiæ levitas: quin potius (ut modo innueram) eo gravior injuria fit Dei summi, & infiniti Boni, quo minor, & levior creatura v. gr. voluptas, aut pecunia ei in amore præfertur: ergo mortalis est omnis ejusmodi inordinatus amor, quo creatura Deo in amore præfertur, seu plus Deo amatur, seu *formaliter*, seu *interpretative*. Explico: *Formaliter*, seu affectu formali creaturam in amore Deo præferret, vel æquaret, qui actu formali explicito, posthabito, & minus æstimato, vel etiam contempto Deo, creaturam aliquam plus æstimatam amplecteretur, atque adeo eo ipso ultimum finem sibi constitueret, & sic sane peccatum esset gravissimum. Tolerabile fuit in Ethnicis, qui cum verum ultimum Finem Deum, æternamque Beatitudinem ignorent, etsi forte culpabiliter, in voluptatibus, aliisque creatis bonis sibi finem, ac Beatitudinem suam constituerunt. Neque longe ab his absunt Politici nostri temporis semiathei: & utinam longius abessent etiam frigidi Catholici; & re ipsa tales non raro sunt avari, & luxuriosi. *Interpretative*, seu affectu interpretativo creaturam in amore Deo præponunt, vel adæquant, qui ita adhærent alicui creaturæ, divitiis, voluptatibus &c. ut ejus causa parati sint Legem Dei transgredi, vel Deum offendere, aut certe ita omnem affectum curam, & solicitudinem in aliquam creaturam defigunt, ut DEI, ac salutis suæ notabiliter obliviscantur. Hi nimirum etsi formaliter, & expresse Deum non postponant, vel contemnant, interpretative tamen, & implicite revera, postposito Deo, creaturam præferre, ac ultimum finem sibi constituere convincuntur, ut alibi etiam demonstratum est.

§. II. *Aliquando speciale.*

43 AMor inordinatus creaturæ, quo illa Deo modo jam explicato formaliter præfertur, sine dubio est peccatum speciale contra Charitatem, & amorem Dei super omnia, sive transgressio alicujus præcepti accedat, sive non, nec alia probatione indiget res de se clarissima. Unum tamen, & alterum dubium magni momenti explicandum occurrit.

44 Dubium primum: *An, & quale peccatum sit amare Deum propter creaturam, v. gr. Beatitudinem, vel aliud bonum creatum.* Resp. cum distinctione. Amare Deum propter Beatitudinem v. g. tamquam causam finalem, motivam, ac motivum principale amandi, ita ut homo alioquin positive omnino nollet amare Deum, ei servire, ejus præcepta servare, nisi intuitu Beatitudinis, atque mercedis, omnino amor mercenarius est, maxime inordinatus, & omnino mortalis, quo nimirum homo simpliciter se ipsum, propriumque commodum plus quam Deum diligit, adeoque creaturam vere, & formaliter præfert Deo, ut etiam *Sect.*1. §.3. observatum est: quo sensu verissime quidam dixit. *Qui servit Deo propter Beatitudinem tantum, vel propter infernum evadendum tantum, certissime illam non consequetur, & hunc habebit.* At vero amare Deum propter Beatitudinem, aliudve beneficium, aut bonum creatum, tamquam causam impulsivam tantum, & motivum secundarium ex parte amantis, quatenus nimirum homo ex consideratione, & spe beatitudinis, vel alterius beneficii divini solum disponitur, inducitur, excitatur, & impellitur ad cognoscendam & consequenter amandam infinitam Dei Bonitatem, atque ideo ad amandum Deum non jam propter aliud, seu proprio suo commodo, sed propter ipsum Deum, ejusque infinitam Bonitatem: qui homo alias forte solum negative non amasset Deum, non fuisset motus, excitatus, vel impulsus ad amandum Deum, tali, inquam, modo amare Deum propter beatitudinem, aliave beneficia divina, minime malum, sed sanctum, & meritorium est, ut opus Sanctorum. Sic enim excitatus David dilexit Deum Psal.118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Sic & nos ob beneficia ab amico accepta disponimur, & inducimur ad diligendum eum, non tantum ob nostrum commodum amore concupiscentiæ, sed etiam, & principaliter ob ejusmet bonitatem, & virtutem, vero amore amicitiæ, uti etiam docet, & exemplificat *S. Th.* 2.2.*q.*27.*art.*3. & cum eo alii passim.

Dubium alterum. *An, & qualiter peccent, qui vellent, vel optarent semper in hac vita manere.* Resp. iterum cum distinctione. Si quis optet semper in hac vita permanere ea formali intentione, quod hujus vitæ delicias, & commoda præferat æternæ Beatitudini, & fruitioni Dei, atque ita positive excluso ultimo Fine Deo, sibi ultimum finem formaliter, & expresse in bonis creatis hujus vitæ constitueret, utique patenter peccaret mortaliter contra divinam Charitatem, quippe formaliter præferens bonum creatum summo Bono DEO, æterna Beatitudine fruendo. Uti annotavit Sanch. *lib.*2. *moral. cap.*35. in fine. Neque de hoc aliquem dubitare credo. Quare plane mortalis impietatis arguendus nobilis ille Bavarus apud Hieremiam Drex. *lib.*1. *de cælo cap.*8. §.5. qui in convivio jam vino incalescens ausus est dicere: si mihi Deus facultates meas, & voluptates ea lege transcriberet, ut in annos mille meo arbitratu liceret iis frui, ego mehercle suum Deo cœlum non inviderem, cantarem libere: *cœlum cœli Domino terram autem dedit filiis hominum.* Vox hæc brevis, sed epicuri de grege porci potius, quam Christiani hominis. 45

At vero si quis optet semper in hac vita manere præcise desiderando hac vita non privari, quatenus id secundum se bonum est, absque ullo expresso respectu, vel comparatione ad vitam, vel Beatitudinem æternam, a peccato saltem mortali merito excusat Castro-Pal. apud Tambur. *lib.*2. *Decal. cap.*3. §.1. Et concedit Sanch. *lib.*2. *citat.* Et certe nemo negabit, nos licite posse desiderare longam vitam, quamvis eo tempore longiori necessario privari simus beatitudine: quia nimirum non intendimus delicias, vel commoda hujus vitæ præferre beatitudini pro tanto tempore (quod sane perversum quoque esset, quia summa perversitas esset etiam modico instanti Divinam fruitionem humanæ voluptati postponere) sed solum desideramus hac vita tam cito non privari, præcise ut nobis bonum est: ergo eadem ratione posset quis desiderare semper durare in hac vita, & numquam privari, ut sibi bonum est, absque eo, quod censeatur voluptates hujus vitæ præponere beatitudini. Addit energice Castro-Pal. cit. *Adde, te nescire, an post hanc vitam salvandus sis, an condemnandus: ergo cum desideras in hac vita perpetuo manere, potes illud desiderare, ut periculum damnationis effugias: Sed hoc periculum fugere non est malum; ergo non est mortale tale desiderium absolute.* Sic ille sapienter.

§. III. *Aliquando speciale, & aliquando non.*

AMor inordinatus creaturæ, quo hæc solum interpretative DEO præfertur, aliquando est, aliquando non est speciale peccatum, juxta duas faciles sequentes regulas. 46

REGULA PRIMA.

AMor inordinatus creaturæ, quo quis sciens, & volens (non sola habituali dispositione, sed actuali consensu subinde elicito) paratus est legem DEI transgredi, seu Deum offendere in genere propter creaturam, absque eo tamen, quod actu transgrediatur, aut transgredi proponat aliquod præceptum in particulari, est peccatum mortale speciale contra Charitatem Dei: mortale quidem est ob rationem manifestam supra datam: speciale vero contra Charitatem est, quia nulli alteri virtuti, vel præcepto in particulari repugnat, nisi Charitati.

REGULA SECUNDA.

AMor inordinatus creaturarum, sui ipsius, parentum, conjugis, filiorum, bonorum temporalium, seu divitiarum, &c. quo quis actu vult transgredi, aut de facto transgreditur aliquod præceptum particulare v. grat. injustitiæ, impietatis, in materia gravi utique est peccatum mortale, quia est voluntaria causa peccati mortalis: non tamen est peccatum speciale distinctum, sed idem numero cum voluntate transgrediendi, vel actuali transgressione præcepti illius. Communis DD. Ratio est: quia licet amor inordinatus illius creaturæ, verb. grat. dum Titius amore filiorum, aut bonorum temporalium contempta lege Dei vult exercere, & exercet injustitias, revera sit contra distincta præcepta; quia quatenus eo casu creaturam plus amat, quam Deum, est contra præceptum Charitatis Dei; quatenus vero vult transgredi, vel transgreditur aliud præceptum, v. gr. septimum, est contra illud aliud præceptum; quia tamen præceptum Charitatis

tatis intime imbibitur in omnibus aliis præceptis Dei, cum Charitas sit finis omnium præceptorum, ut supra dictum est; ideo non duo, sed unum tantum peccatum committitur contra septimum præceptum.

§. IV. *Et causa omnium peccatorum, etiam ipsius odii Dei.*

47 VErissime archicapitale peccatum est amor inordinatus, ac improbus sui ipsius, ac creaturarum. Ratio indicatur a S. Th. 2. 2. *q.* 34. *a.* 5. dicente: quia in iis, quæ contra naturam sunt, paulatim fit processus a minori ad majus: atqui omnis aversio Deo summo, & infinito Bono per peccatum, & omnium maxime ipsum odium Dei, est contra naturam hominis: horret enim naturalis ratio, & inclinatio, atque ipsa natura rationalis odisse Deum summum Bonum, aut peccato aliquo voluntarie ab ipso se averti; ergo a minori incipiendum est. Primo ergo homo inordinate occupatur, & capitur amore sui, aut creaturæ alicujus, ac vult sibi bene esse in tali creatura, v. g. voluptate, vel commodo sensibili. Deinde quia sæpe non potest sic ita bene esse in hac creatura, nisi transgrediendo legem Dei; ideo amore creaturæ illius utitur, consentit in peccatum, & peccat legem Dei transgrediendo, juxta Jacob. 1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua distractus, & illectus; deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.* Et sic jam interpretative homo avertit se a Deo. Ulterius quia Deum severum Legislatorem, ac Vindicem peccati experitur sæpe impius peccator, procedit ad formale odium Dei, primo abominationis, & quandoque etiam inimicitiæ, ut *Sect. præced.* explicatum. Et hinc est, quod verissime docent Theologi, omne peccatum mortale continere implicitam saltem aversionem a Deo, & conversionem ad creaturam: Et hinc tandem sapientissime, & acutissime more suo dixit D. August. *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 28. Quod duas civitates fecerunt duo amores, *civitatem diaboli amor sui usque ad contemptum Dei; civitatem Dei Amor Dei usque ad contemptum sui.*

CAPUT VI.

De odio, & inimicitia proximi.

SECTIO I.

Quid, quotuplex, & quantum peccatum odium proximi.

SUMMARIUM.

1 *Quid odium proximi: aliud est* inimicitiæ: *aliud* abominationis *ipsius personæ, aliud* abominationis *qualitatis proximi.*
2 *Odium* abominationis *proximi quoad qualitatem est, quandoque bonum, malum, vel omnino indifferens.*
3 *Quoad ipsam vero personam proximi semper mortale.*
4 *Odium inimicitiæ erga proximum est ex genere suo mortale.*
5 *Ad hoc autem ut sit mortale, requiritur, ut quis ei velit malum, quod revera ei malum est, aut ex displicentia personæ.*
6 *Dubium: liceatne proximo velle malum, non quatenus ei malum est, velut ei malum sit, sed quatenus nobis, vel alteri bonum est, v.g. mortem Patri, Prælato &c. ut fias hæres, Prælatus &c.*
7 *Sententia communis est negativa.*
8 *Affirmativa ait, id licere affectu simplici.*
9 *Non autem efficaciter desiderare: sed*
10 *Respondetur cum distinctione.*
11 *Corollarium de maledicentia, seu imprecatione.*

1 ODium generaliter dicitur actus, vel motus deliberatus voluntatis, quo malevole ferimur in proximum. Duplex est: *abominationis, & inimicitiæ.* Odium abominationis definitur a S. Th. 2. 2. *q.* 34. *a.* 1. Alienatio, seu aversio voluntatis ab eo, quod æstimatur ut malum, & noxium; & haberi potest respectu cujuslibet rei: respectu hominis rursus duplex est: ipsius personæ, & qualitatis. *Odium abominationis ipsius personæ proximi est*, quo ipsam personam secundum se velut malum displicens, indignum nostra dilectione, vel amicitia aversamur, vel abominamur. Et hoc est semper mortale, ut mox dicetur. *Odium abominationis qualitatis proximi, seu odium proximi, quoad qualitatem est*, quo non ipsam personam proximi secundum se, sed solum secundum aliquam qualitatem malam ipsi adjacentem aversamur, & abominamur: utpote quia scelestus, vel hostis noster est. *Odium inimicitiæ*, vel *malevolentiæ*, est actus deliberatus voluntatis, quo proximo ut malo apprehenso etiam malum volumus, optamus, vel gaudemus (directe scilicet oppositum amori amicitiæ, quo proximo bonum volumus, & habitum gaudendo, & non habitum desiderando) adeoque hoc odium inimicitiæ oritur ex odio abominationis. Sit ergo

ASSERTIO I.

ODium abominationis proximi quoad qualitatem indifferens est: quoad personam semper mortale: odium inimicitiæ est mortale ex genere suo, dummodo proximo quis vere malum velit, quod scilicet, & quatenus proximo malum est, atque ex displicentia, & abominatione personæ. Certum apud omnes. Explico breviter.

§. I. *Odium abominationis proximi quoad qualitatem indifferens est.*

SCilicet de se nec bonum, nec malum, sed vel bonum, vel malum esse potest, vel manere indifferens. *Omnes:* 2
Ratio est: quia odium abominationis proximi quoad qualitatem tantum, potius est odium ipsius qualitatis, quam ipsius proximi: atqui non tenemur amare proximum secundum omnes ejus qualitates: cum revera non secundum omnes qualitates sit noster proximus, vel objectum amoris; ergo tale odium secundum se indifferens est. Bonum ergo, & licitum, immo meritorium est odium proximi quoad qualitates revera malas, & recta ratione odibiles, utpote quatenus est peccator, injustus, avarus, rixosus, contumax &c. Et universaliter bonum est odium peccatorum, quatenus peccatores sunt. Ps. 118. *Iniquos odio habui.* Ps. 138. *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos &c.* eo scilicet sensu, ut dicitur Sap. 4. *odio sunt DEO impius, & impietas ejus.* Malum vero est odium abominationis proximi quoad qualitates simpliciter bonas, & honestas, etsi tibi contrarias, utpote propter justitiam, zelum, pietatem, virtutem majorem &c. quod proprium est impiorum, & ex natura sua mortale contra Charitatem: immo peccatum in Spiritum Sanctum, si quis odiat in proximo tales qualitates, quatenus sunt dona DEI, vel Spiritus Sancti, & dicitur fraternæ charitatis invidentia: de qua infra mentio fit suo loco: Indifferens denique manebit odium abominationis proximi quoad qualitates indifferentes, utpote quoad aliquos defectus naturæ, deformitatem, distortos mores, nimiam sensibilitatem &c. dummodo absit contemptus proximi quoad personam, velut creaturæ DEI, vel malevolentia in ipsam personam; cujus magnum subesse solet periculum: nam alioquin tales qualitates sunt naturaliter odibiles.

§. II. *Quoad personam semper mortale est peccatum.*

RAtio clara: odium abominationis proximi quoad ipsam personam directe repugnat Charitatis præcepto, quo 3
tenemur diligere omnem hominem, quatenus est noster proximus, naturæ nostræ consors, nobiscum imago Dei, capax Gratiæ Dei, & Beatitudinis æternæ: atqui proximus quoad personam vere est consors nostræ naturæ, nobiscum imago Dei, capax gratiæ, Beatitudinis: ergo proximum quoad personam odisse, aversari, vel abominari, & contemnere tamquam malum displicens indignum nostro amore, vel amicitia, semper est gravissimum peccatum mortale contra præceptum Charitatis, & ipsam divinam bonitatem in proximo participatam, æque ac in nobis, & forte excellentius participandam. Res valde notanda, & alta meditatione menti imprimenda; idque secluso etiam omni odio inimicitiæ, vel malevolentiæ: Intellige tamen semper de odio plene deliberato cum advertentia ad malitiam. Nam ob imperfectionem actus, inadvertentiam, & subitam passionem &c. a mortali sæpe excusari apud omnes in confesso est.

§. III. *Odium inimicitiæ etiam est mortale in genere suo.*

CErtum apud omnes ex verbo Dei. Præter enim præceptum magnum: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum:* 4
quo sine dubio prohibetur sub mortali in materia gravi malum velle proximo; alibi passim damnatur odium, & malevolentia in proximum, maxime apud Evangelistam amoris 1. Jo. 3. *Qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Et c. 4. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est, &c.* Et ne quis se excuset, quod signa odii exterius non ostendat, monet recte Sapiens Prov. 26. *Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.*

Dixi autem, *etiam mortale ex genere suo;* hic enim non tantum excusat imperfectio actus frequentissime, ut si indeliberate, & subito motu proximo malum velis, optes, vel impreceris: verum etiam levitas materiæ excusat a peccato mortali: leve enim, & exiguum malum proximo velle, quod reipsa illatum esset veniale tantum, etiam volitum non nisi veniale erit. E contra tantum malum in corpore, vel anima velle proximo, quod re ipsa illatum, esset peccatum mortale, etiam volitum peccatum mortale erit, sive deinde tale malum velimus proximo optando, vel desiderando, ut habeat, sive gaudendo, vel complacendo, quod habeat. Sicut enim præcepto Charitatis jubemur bene velle proximo, & affectu complacentiæ de bono habito

bito congaudendo, & affectu desiderii bonum nondum habitum desiderando: ita prohibemur male velle proximo, tam effectu desiderii malum proximo inferendum optando, quam affectu complacentiæ, de malo illato, vel habito gaudendo, vel e contra de ejus bono tristando, quod ad invidiam spectat. Gravitas ergo peccati, odii, vel inimicitiæ in proximum, mensuranda est ex qualitate mali ei voliti corporalis, vel spiritualis. In corporalibus gravissimum malum est mors corporis, præsertim violenter inferenda; in spiritualibus gravissimum est mors animæ per peccatum mortale, & æternam damnationem, quam proximo deliberate velle, desiderare, vel gaudere, gravissimum, & fere diabolicum est odium. Cæterum qui proximo ex odio inimicitiæ solum in genere, vel in confuso malum vult, non præsumitur velle mala levia venialiter, sed mala quævis gravia, consequenter peccare mortaliter.

§. IV. *Dummodo quis proximo vere malum velit &c.*

5 HÆc valde notanda sunt. Ad hoc ergo, ut odium inimicitiæ, seu malevolentiæ in proximum, malum mortale sit, omnino requiritur, ut quis proximo inimico v. g. malum velit

I. *Quod revera ei malum est;* Sicut enim præcepto Charitatis: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum, &c.* tenemur solum proximo velle vera bona, & salutaria, quatenus proximo bona, & salutaria sunt; ita solum prohibemur proximo velle vera mala, & quatenus ei mala, & nociva sunt. Unde licet proximo cuivis, etiam inimico, velle malum, quod ipsi revera non malum, sed bonum est; v. g. minus malum propter majus bonum, malum corporale propter bonum spirituale, &c. sic sancte, & licite potes alicui etiam inimico tuo desiderare morbum, jacturam bonorum, tribulationem aliquam &c. quo ejus superbia, insolentia, peccandi licentia compescatur; immo ipsam mortem corporalem, ne diutius, vel gravius Deum offendat, damnationem sibi augeat, atque ita ipsi non male, sed melius sit; sic enim pater, vel mater effrænato filio licite optat mortem, ne longa vita graviora peccata committat, graviusque damnetur: sic licet optare patri seni, infirmoque, aut filiis, vel aliis miseris bonam mortem, ne in tormentis vivant. Et ita in similibus. Quia hæc, & similia desideria formaliter sunt de bono proximi, non de malo, ait Castro-Pal. *tom.1.tr.6.d.4. de Charit.p.1.n.11.*

II. *Et quatenus ei malum est:* Licet enim proximo nocenti, vel inimico desiderare malum quod revera ei malum est: non tamen quatenus ei malum est, seu ut ipsi male sit, sed quatenus tibi, vel alteri, proximo innocenti, vel Reipublicæ maxime bonum est, seu quatenus per illud majora mala impediuntur. Omnes cum S. Th. 2.2.*qu.66. art.2.* Sic licet optare mortem inimici, quem scio graviter, & injuste me vexaturum, nec aliter liberare me possum; non enim opto mortem inimici, ut ipsi malum, sed ut mihi juste debitum bonum, scilicet ut finis malorum meorum est. Qua ratione etiam absque læsione charitatis sui ipsius in gravibus afflictionibus licet sibi ipsi optare mortem, quatenus finis malorum, adeoque mihi bonum est, ut suo loco videbimus.

III. *Aut ex displicentia personæ:* Licet enim proximo nocenti, vel inimico desiderare, vel velle malum, etiam quatenus ipsi malum, seu ut ipsi male sit: non tamen ex displicentia, odio, vel abominatione ipsius personæ; nec affectu vindictæ in ipsum proximum ob ipsius malum, sed affectu, & zelo justitiæ, honoris Dei, boni communis &c. & ex abominatione qualitatis, seu vitii talis personæ. Sic licet furi optare furcam, hosti injusto stragem, &c. Quod enim Magistratus juste potest, & debet inferre, licite quivis potest ei optare. Certe Superior tibi graviter delinquenti gravem, & afflictivam pœnitentiam injungens, vult tibi per hoc male esse: at non ex displicentia, sed amore potius personæ, salutis, ac boni communis.

IV. Denique universaliter sic licite abominamur homines malos quoad qualitatem, seu ut mali sunt, ita iisdem ut mali sunt, seu ad destructionem eorum malitiæ licite malum volumus. Patet exemplis Scripturæ. Ps. 23. *Averte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos.* Ps. 103. *Deficiant peccatores a terra, & iniqui, ita ut non sint:* Quinimo amore, & zelo Dei licitum per se est peccatoribus desperatis ex suppositione, quod non sint convertendi, velle, desiderare, & gaudere ipsam damnationem æternam: quod quidem beati tuto faciunt, juxta illud Ps. 57. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Et in via ausus est David Ps. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes, quoniam nequitiæ in habitaculis eorum &c.* Verum hæc periculosissima sunt in viatore, ne sub colore justitiæ, & justi odii abominationis mali, lateat, vel subrepat verum odium inimicitiæ, & abominationis ad ipsam personam, verus vindictæ &c. idque maxime respectu inimici. Dictum est hactenus de malo licite volendo proximo nocenti, vel inimico: At quid de proximo innocente?

Dubium incidens notabile, valde difficile, & maxime practicum.

UTrum licet proximo optare, vel desiderare malum, non 6
quatenus ei malum est, seu ut ipsi male sit, absit; sed quatenus nobis, vel alteri bonum est? Exempla, & casus sunto. I. An filius possit licite optare mortem patris, & de illa gaudere, ut hæreditate tandem fruatur. II. An subditus possit desiderare mortem Prælati, ut in Prælatura ipsi succedat, seu ut ab eo Prælato sibi offenso liberetur. III. An pater, vel Mater possint desiderare mortem filiis, vel filiabus, ne eos alere, vel dotare cogantur. Aut quia filias ob deformitatem nuptui tradere pro libitu non possunt. IV. Specialiter: an Princeps possit desiderare mortem matris viduæ, præsertim novercæ, ut dotales redditus tandem ad cameram communem, & usus necessarios redeant; & ita in similibus trecentis: intelligendo semper de desiderio, & affectu simplici, & inefficaci, absque omni desiderio efficaci, vel cooperativo ad mortem proximi. Item intelligendo de morte naturali via ordinaria ab ipso Deo disponenda, & non injuste ab homine, vel dœmone: alioquin enim illicita esse, nimis certum est.

I. Sententia negativa est sane communis DD. Navarr. 7
Manual. *c.15.n.10.* dicit, hoc ipsum sentire omnes: Toletus, Sylv. Regin. Clavis Regia, alii, quos sequitur Bonac. *to.2. disp.6. circa 4. Decal. Præcep. qu. unica pu.3. propos.2.n.3.* dicens: *secundo sequitur, illum graviter peccare, qui grave aliquod malum corporis parentibus exoptat: Exempli gratia, cupiendo illis mortem, ut quamprimum in hæreditatem succedat.* Ratio est: quia vita proximi (præsertim tam conjuncti) debet preferri cuicumque commodo proprio temporali, juxta rectum ordinem charitatis: ergo optare mortem proximi propter proprium commodum est peccatum contra Charitatem. *Confirmatur:* si licet optare malum proximo, ut mihi bonum, atque de eo gaudere, consequenter etiam licebit tristari de bono proximi, ut mihi malo apprehenso, v.g. minuendo propriam meam excellentiam: ergo tolletur e medio peccatum invidiæ, quæ communiter definitur, tristitia de alieno bono apprehenso, ut sibi malo, quatenus scilicet minuere videtur propriam excellentiam. Sententia omnino probabilis, & sine dubio tutissima, sed in praxi communi nimis dura, & vix amplius practicabilis Confessario: ideoque

II. Probabilis, & tuta satis est opposita sententia affirma- 8
tiva, licere nimirum affectu simplici optare mortem, aut simile malum proximo in prædictis, & similibus casibus, præcise, ut sibi bonum, & naturaliter Deo disponente eventurum. Ita Emman. Sa. *V. Charitas nu.*8. Azor. *tom.1. lib.3.c.12.q.2.* Castro-Pal. supra *nu.11.* Tambur. *lib.5. Decal. c.1.§.3.n.32.* Consentit Joannes Sanch. *select. disp. 2. num.* 8. Et probabilem censet Eligius Bassæus *in Floribus, ver. Charitas n.* 32. Ratio fundamentalis est, quia actus inefficaces, & velleitates simplices sumunt suam specificationem, seu bonitatem, vel malitiam non ab ipso objecto, quod secundum se nullo modo appetunt, sed a fine, vel motivo formali, secundum quod, vel propter quod tendunt in tale objectum: ut si appetas mortem tuam, ut tandem a peccato liber Deo fruaris, actum optimum facis, non ab objecto, sed a fine intento: sic in proposito, affectu simplici, & inefficaci desiderans, v.gr. mortem patris, ut acquirat hæreditatem præcise appetit mortem ipsius, vel aliquid sibi bonum ex fine intento, & nullo modo ut malum patris, quin ut tale adhuc efficaciter potest nolle, & simpliciter velle longam vitam patris, stante illo desiderio inefficaci contrario: ergo hoc per se malum, vel illicitum non est. Eadem ratione licebit de tali morte gaudere, non ut patri mala, sed ut sibi bona, vel boni sui causa, aut e contra de longiori vita patris tristari, non ut patri bona, sed ut sibi mala, aut sui commodi impeditiva.

III. Neque hinc ullo modo sequitur posse, te talem mor- 9
tem etiam desiderare efficaciter, aut procurare. Ratio disparitatis ingens est: quia actus inefficax ille desiderii, vel gaudii tendit in mortem patris, v. gr. præcise, ut objective proponitur, v. gr. per intellectum: intellectus autem potest mortem patris proponere mihi sub præcisa ratione boni, seu commodi abstrahendo ab omni ratione mali, ideoque eo statu nullam sumit specificationem ab objecto ut malo, sed tantum a fine, seu motivo formali, propter quod volo mortem patris; quod, quia in proposito malum non est, nullam actui malitiam adferre poterit: nam si proponeretur voluntati mors patris, ut ipsi mala, jam statim averteretur voluntas, & nollet ea ratione etiam efficaciter: At vero efficacis actus efficax desiderium, vel procuratio mortis paternæ tendit in mortem patris, ut subjective fiendam a parte rei: quæ, quia revera est mala patri, & filio gravissime illicita, malitia inabstrahibili, necessario actui confert suam malitiam, non obstante fine non malo, vel bono intento: quia malum est ex quolibet defectu; & hinc jam ruit ratio sententiæ prioris. Advertis jam sententiam hanc esse probabilem valde: sed adhuc, ut duriusculam abhorres; ideo mitius loquendo, & utramque sententiam non nihil conciliando mihi videtur,

IV. Dicendum cum distinctione. Mortem patri, v.g. opta- 10
re propter meum commodum temporale affectu antecedenter,

& absolute, volendo nimirum, & optando, ut Deus velit patrem meum mori, quo hæreditate potiar, omnino puto illicitum esse mortaliter, ob rationem primæ sententiæ: quia nimirum assumitur majus malum proximi, ut medium ad minus bonum meum, quod directe repugnant ordini Charitatis. Certe talis actus proxime accedit ad actum efficacem. Et si quis ad eum finem etiam oraret Deum pro patris morte, nonne oratio ejus fieret in peccatum? Atque hoc sensu merito intelligo damn. ab Innoc. XI. Propos. istas: 13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali, de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere: illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris; non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

At vero idipsum optare affectu consequente, & conditionato: nimirum ex suppositione, quod si Deus vellet, vel faceret patrem meum mori, o quam id ipsum optarem, quam de eo gauderem, &c. propter meum commodum! per se illicitum non est, idque efficaciter probat. Ratio secundæ sententiæ. Et insinuat *Bassæus Capucinus loc. cit.* meo judicio verissime. Ratio est: quia objectum hujus actus non est malum: est enim commodum sequens ex morte, quod est bonum, & conforme rectæ rationis: & ideo mors est objectum desiderii non absolute, sed tantum ex suppositione, quod sit dispositum a Deo, quod non est desiderare malum proximi, sed supposito, quod sit illud habiturus, gaudere de ipso, ut de causa mei boni. Et in tali casu non anteponitur commodum temporale proprium vitæ prximi, sed est uti, quoad desiderium, morte proximi ad commodum proprium ex suppositione, quod a Deo sit causanda. Atque hic rursus corruit ratio oppositæ Sententiæ una cum sua confirmatione. Fateor licere tristari de bono proximi præcise apprehenso, quatenus revera mihi malum est affectu simplici, & conditionato, ut modo dictum, non autem affectu absoluto, & quatenus bonum proximi est. Unde minime tolletur e medio peccatum invidiæ; invidia enim tristatur de bono proximi, non ea præcisa ratione, ut mihi malum falso apprehenditur, affectu aliquo conditionato, aut dependenter a divina voluntate, sed affectu plane absoluto, ac contra divinam voluntatem omnium bonorum dispensatricem tristatur, & non vult, & odit, ac velut ringitur, bonum illud inesse proximo, ut apprehenso sibi nocivo, seu propriæ excellentiæ diminutivo, ut infra videbimus *Sect.* 4.

COROLLARIUM,

De Maledicentia.

11 ODio inimicitiæ, seu malevolentiæ in proximum tamquam actui interno illicito, & peccato cordis directe respondet maledicentia, seu malorum imprecatio, tamquam actus externus imperatus, & peccatum oris, atque eadem prorsus ratione, qua illicitum, vel licitum est proximo malum velle, etiam illicitum, vel licitum erit proximo maledicere, vel malum imprecari. Nimirum

I. Omnis maledicentia, qua proximo ex vero odio inimicitiæ, seu ex vera maledicentia, & animo, ut eveniat, deliberate in materia gravi malum quis imprecatur, peccatum mortale est. *Omnes*. Patet ratio ex dictis: quia maledicentia externa sumit suam malitiam a malevolentia interna; atqui proximo ex animo malum velle in materia gravi, mortale est: ergo & idem malum proximo imprecari, mortale est. Excusat autem a mortali. I. Materiæ levitas, sive imprecatio levis, vel ridiculi mali. II. Imperfectio actus, inadvertentia, indeliberatio, &c. utpote ex subito motu iracundiæ, terroris, vel passionis vehementis proximo maledicere in quacumque materia, non potest esse plus, quam veniale. III. Defectus malæ intentionis, seu voluntatis, ut eveniat; nam etiam advertenter, & deliberate proximo maledicere, seu gravia quæcumque mala imprecari, non tamen animo ut eveniant, sed solum ad expressionem suæ indignationis, vel doloris de nocumento, vel injuria accepta, vel solum ad terrorem alterius, maxime filiorum, subditorum, militum, &c. culpam venialem non excedit; neque verum peccatum contra Charitatem, vel justitiam, sed potius defectus mansuetudinis, & patientiæ est. Ita Navarr. *c.*23. *n.*17. Molina; alii cum Laym. *lib.*2. *tr.*3. *c.*8. *n.*8. §. *Denique*. *IV.* Addunt Doctores, item ex ira, vel prava consuetudine, & absque animo, ut eveniant, etiam gravissima quæque mala imprecari proximo, v. g. ut aliquem diabolus auferat, vel discerpat, fulmen percutiat, pestis extinguat, rota frangat, &c. absque tamen notabili personæ contumelia. spectatis circumstantiis personarum; utpote si pater filio, dominus servo, æqualis æquali ita imprecetur, non esse mortale ob rationem dictam. Secus esset, si inferior superiori, filius patri, &c. ita in faciem imprecetur, & maledicat: tunc enim gravis contumelia contra justitiam, & pietatem esset. Insuper addit Laym. *c. in fin. n.* 8. Eum, qui deliberate seipsum dæmoni ita devovet quamvis absque animo, ut ita eveniat, non esse excusandum a peccato mortali, ob fœditatem, horrorem, ac perversitatem rei.

II. E contra quemadmodum odio abominationis juste, & licite aversamur, seu abominamur proximum quoad qualitatem malam, quatenus scilicet malus, injustus, & peccator est: ita ob eandem rationem etiam ei male volumus, non quatenus ei malum, sed quatenus, vel ipsimet, vel nobis, vel alteri proximo, vel Reipublicæ majus bonum, vel majoris mali impeditivum est, supra explicavimus. Eadem ratione etiam juste, & licite ei possumus maledicere, seu malum imprecari, v. g. frui ut suspendatur, ut supra §. 2. positum est & sic in cæteris casibus.

SECTIO II.

Ad quid teneatur homo inimico suo.

SUMMARIUM.

12 *Quilibet homo sub mortali obligatur inimico suo ad tria.*
13 *I. Non odisse, seu non malum velle, (ubi*
14 *Quid sit remittere offensam;*
15 *Quid sit offensa, injuria damnosa, non damnosa;*
16 *Et quid restitutio, vel satisfactio pro ea.)*
17 *II. Obligatur ei remittere offensam:*
18 *Non tamen injuriam, minus damnum illatum.*
19 *Sed de eis contra eum instituere potest actionem tam injuriarum, quam civilem, pro damno illato.*
20 *Immo per se loquendo etiam criminalem.*
21 *III. Obligatur ei exhibere actus, & signa Charitatis:*
22 *Communia saltem.*
23 *Nisi Charitas, vel Justitia quandoq; prudenter aliud suadeat,*
24 *Aut rationabilis causa excuset.*
25 *Signa autem specialia* per se loquendo *non tenemur exhibere inimico.*
26 *Ad dignoscendum, quale peccatum sit negare inimico signa Charitatis communia, inspicienda est* intentio interna, & significatio externa.
27 *Resolvuntur varii casus. Et specialiter:*
28 *Quid sentiendum de iis, qui fugiunt, declinant, vel*
29 *Aut nolunt, vel non possunt, salutare inimicum.*
30 *Casus specialis de duobus Religiosis.*
31 *Inimicum salutantem non resultare, vel gratias agere, quando, & quale peccatum.*
32 *Casus specialis Matronæ nobilis.*
33 *Quando, & quale peccatum sit nolle alloqui, vel colloqui inimico.*
34 *Casus specialis de duabus Monialibus.*
35 *Quid faciendum illi, qui scit, vel prævidet, si salutet, propinet, &c. inimicum non resalutaturum, gratias acturum, &c.*

ASSERTIO II. 12

OMnis homo inimico suo, quantumvis in inimicitia, vel injuria perseveranti obligatur sub mortali: 1. *Non odisse seu malum velle, quod revera ipsi malum, & quatenus ipsi malum est, aut ex displicentia personæ ipsius.* 2. *Offensam remittere, non item injuriam, minus damnum illatum, quin juste tam actionem injuriarum pro satisfactione, quam Actionem civilem pro damno illato: Quin etiam per se loquendo, actionem criminalem ad justam sceleris vindictam adversus eum instituere possit.* 3. *Exhibere actus, & signa Charitatis communia (nisi ipsi charitas, vel justitia aliud suadeat, aut rationabilis causa excuset) non item specialia, per se loquendo.* 4. *Secus faciendo, peccabit pro ratione intentionis internæ, vel significationis externæ offensivæ inimici.* Est tota in re communis, & certa Theologorum doctrina: Et quia res valde delicata, & intricata in Confessionali est; ideo conabor accurate explicare.

§. I. *Non odisse, non malum velle.* Remissive.

I. PRæcepto Charitatis divinæ teneri nos diligere omnem proximum, etiam quantumvis inimicum, injustum, 13
& peccatorem, quatenus noster proximus æternæ beatitudinis comparticeps est, certissimum est ex generali mandato Charitatis: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, nemine omnino excepto, nisi non proximo, qui scilicet nobiscum gratiæ DEI, & æternæ beatitudinis capax amplius non est, ut sunt diaboli, & damnati tantum. Et de inimicis habemus speciale præceptum Christi Matth. 5. *Audistis, quia dictum est: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, (hoc fuit pharisaica depravatio præcepti divini:) *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Et Joann. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Christus autem dilexit nos, *cum adhuc inimici essemus*, ait Apostolus. Diligendus ergo est inimicus, & peccator quoad naturam, non quoad qualitatem, seu ipsam malitiam: sic enim odio habendus est abominatione qualitatis, ut supra diximus.

II. Præceptum hoc generale Charitatis, *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, quatenus affirmativum est, dictans scilicet actu positivo amare proximum, seu bene velle proximo, præsertim inimico, per se nunquam obligat graviter; sed tan-

tantum per accidens, quando obligamur proximo inimico reconciliari, aut ei in necessitate corporali, seu spirituali succurrere, de quo infra. At vero quatenus enim præceptum negativum est, prohibens scilicet: *Non odisse, non malum velle proximo*, etiam quantumvis inimico, ac injurioso, obligat semper, & pro semper, cum odium verum sit intrinsece malum, & nulla unquam, etiam quantalibet, proximi inimicitia, vel injuria excusari, vel cohonestari possit, neque solum præcepto divino, sed etiam recte naturali rationi repugnet, odisse naturam propter culpam, & opus DEI propter opus hominis: & sine dubio peccatum mortale ex genere suo, cum adversetur omnium excellentissimæ, & Theologicæ virtuti, ac præcepto maximo charitatis. Solum hic pro praxi explicandæ sunt limitationes, quibus

III. Obligamur proximo etiam inimico non malum velle. Nimirum: 1. Quod revera ei malum est. 2. Et quatenus ei malum est. 3. Aut ex displicentia personæ; hæc enim generatim sufficienter explicata, & amplificata sunt *Assert. præced. n.* 5. ut huc de verbo ad verbum referri debeant.

IV. Lessius *lib.* 2. *de just. c.* 47. *dub.* 5. *n.* 21. paulo aliter quatuor assignat, & probat actus licitos, quibus liceat inimico malum velle. *Primus*. Ex intentione, ut inimicus emendetur, qua ratione pater vult filio verbera infligere. *Secundus*. Ex intentione, ut inimicus a male faciendo mihi, vel proximo avertatur. *Tertius*. Ex zelo justitiæ: quia bonum est, ut inimicus, vel qui male agit, tantundem pœnæ habeat, quantum meretur ejus culpa; & sic justitiæ æqualitas habeatur, vel custodiatur: *Quartus* est: Optare malum inimico (sunt verba Lessii) ut fiat aliqua reparatio injuriæ, & satisfactio, dum enim ille punitur propter injuriam illatam, restituitur ex parte honor parti læsæ, eique aliqua satisfactio exhibetur. Qui enim lædit plus justo, suo affectui indulget, sibique sumit, & alteri trahit: dum autem punitur, illud ei quodammodo adimitur, cum contra voluntatem patiatur: & quia agitur in gratiam læsi, censetur ei donari: & sic fit nonnulla compensatio, ut experientia probat: tunc enim animus læsi acquiescit, & sibi satisfactum putat. Est igitur in vindicatione moralis quædam restitutio honoris, & injuriæ reparatio. Hactenus Lessius *ibid. n.* 15. recte defendens hunc actum internum non esse verum odium. In odio enim desideratur alterius malum, præcise ut ei male sit, idque absque debito modo, ac mensura: in hoc autem actu vindictæ desideratur malum proximi secundum mensuram delicti, & debito modo, nempe mediante DEO, vel homine potestatem habente ad hoc ut justitiæ æqualitas servetur, quæ sane magna est diversitas. Et hinc mox dicemus, & explicabimus inimico esse remittendam offensam, non item injuriam.

§. II. *Offensam remittere, non item injuriam, &c.*

14 AT quæso, quid est hoc? offensam remittere: vel quod idem sonat, veniam dare: Dico: est ipsissimum positive nolle amplius odisse, vel malum velle inimico per modum injustæ vindictæ. Ubi graviter nota differentiam hujus obligationis positive, a præcedente negative. Nam negative non odisse, non malum velle, vel vindictam injustam appetere inimico, obligaris semper, & pro semper præcepto negativo, ut dictum est; & satisfacis obligationi tuæ mere negative te habendo, qualiter te habes, quando dormis, aut de inimico, vel offensa ab eo tibi facta nihil cogitas. At vero positive nolle amplius odisse, & malum velle inimico, sed potius actu contrario eidem bene velle, vel eum amare, atque ita actu positivo Charitatis offensam remittere: utique non potes obligari semper, sed solum per accidens in triplici casu. 1. Quando teneris reconciliari inimico, juxta *Sect. seq.* dicenda. 2. Quando teneris inimico in gravi, vel extrema necessitate succurrere. 3. Quando recordatus inimici, vel offensæ, & injuriæ tibi illatæ gliscens odium, rancorem, vindictam, &c. videris non posse superari, nisi elicito actu contrario positivo Charitatis, cum nolis amplius odisse, vel ei male velle, sed potius amare, & bene velle, prout alibi explicuimus. Hæc sunt valde notanda Confessario, & pœnitentibus fragilibus diligenter explicanda, ne conscientiæ nimis angustientur. Pro majori tamen diligentia accurate hic prius distinguenda hæc tria.

Offensa, Injuria, Damnum.

15 OFfensa generatim *est læsio, seu irritatio voluntatis alterius*: qua nimirum aliquis alteri contra suam voluntatem molestiam infert, sicque eum movet, eique sufficiens motivum, ac velut jus quoddam tribuit ad displicentiam, indignationem, aversionem, ac iram adversus offendentem, potestque fieri, aut absque læsione ullius juris alterius, & dicitur offensa pura contra charitatem, & pacem humanam tantum. Ex. gr. Amico petenti a me librum commodato, quo is valde indiget, ego facile carere possem, nolo tamen commodare: procul dubio offendo amicum, & do ei sufficiens motivum, ut avertatur a me, mihique indignetur, non tamen infero ei injuriam, cum nullum ejus jus lædam, sed tantum voluntati ejus molestiam infero; ideoque est offensa pura contra charitatem, & pacem humanam, pro qua proinde debetur solum amica reconciliatio ex virtute charitatis, & pacis humanæ, nihil omnino ex justitia, nullaque actio in foro externo. Aut offensa fit cum læsione juris alterius; & tunc speciali nomine vocatur injuria. *Injuria* generatim *est læsio juris alterius*: qua nimirum fit aliquid non solum contra voluntatem, sed etiam contra verum, & strictum jus alterius. Et iterum potest fieri; aut absque damno alterius, nihil scilicet auferendo, quod suum erat: & dicitur injuria mera, vel non damnosa: aut si cui soli, vel coram aliis nihil inde motis contumeliam inferas: si committas adulterium cum uxore Titii, nulla suscepta prole, vel alia damnificatione secuta, utrique infers gravem injuriam: quia lædis jus illius ad suum honorem, istius ad corpus uxoris suæ: nullum tamen damnum infers; ideoque est injuria non damnosa, attamen contra justitiam, pro qua proinde jam ex justitia saltem vindicativa debetur satisfactio: & in foro externo datur ei actio injuriarum, pro ea satisfactione, intra tamen certum tempus. *Aut* injuria fit cum damno alterius, auferendo scilicet aliquid, quod suum erat; & jam dicitur injuria damnosa, seu damnificatio injusta, cujus objectum, & effectus est ipsum damnum illatum. Itaque

Damnificatio, seu *injuria damnosa* est *læsio specialis, & stricti juris alterius per ablationem alicujus, quod suum erat, in bonis animæ, vitæ, famæ, fortunæ*. Ut si fureris Titio pecuniam, ejus domum incendas; si cognoscas uxorem ejus, nata prole, quam in putativis pater alere debeat, gravi suo, & liberorum legitimorum damno, est injuria damnosa contra justitiam commutativam, quæ suum cuique tribuit, pro qua proinde ex eadem justitiæ commutativæ virtute debetur ei restitutio, & in foro externo competit ei non tantum actio civilis ad recuperandum jus suum, seu compensandum damnum illatum, sed etiam, si vult, actio criminalis ad vindictam sceleris. *Omnia certe ex natura justitiæ*. Nunc necessario explicandi sunt duo termini, jam sæpius nominati: Quid sint, & in quo differant

Restitutio, & Satisfactio.

REstitutio *proprie est compensatio damni illati alteri in bonis ipsius animæ, corporis, famæ, fortunæ*; cujus proinde objectum est damnum alteri compensandum per aliquid necessario ipsi damnificato conferendum: finis vero est æqualitas restituenda ad rem ablatam, vel damnum datum, ideoque est actus justitiæ commutativæ, & in conscientia semper debetur ante omnem sententiam Judicis, vel actionem fori externi. 16

Satisfactio vero *est compensatio injuriæ, vel offensæ tantum alterius*: in hoc consistens, quod si alterum offendimus, vel injuriavimus contra voluntatem, vel jus suum molestando, ita nos vicissim in gratiam illius, vel læsi aliquid molestum, contra propriam voluntatem agendo, vel faciendo, eum nobis reconciliemus. Cujus proinde objectum est injuria, vel offensa compensanda ex parte nostra solum aliquid molestum subeundo alterius conciliandi gratia, absque eo, quod necessario ipsa aliquid in alterum conferatur. Finis vero est reconciliatio cum altero offenso, vel offensæ remissio. (Nota hic obiter: cur DEO satisfacere, non autem restituere possimus; quia nimirum, sicut proh dolor! possumus DEUM offendere, non autem damnificare: aliquid in ejus gratiam molestum agere, vel pati, nihil autem ipsi non suum offerre possumus.) Unde satisfactio pro injuria *est actus justitiæ vindicativæ*, cujus exercitium ad publicam tantum potestatem pertinet proinde ante Judicis sententiam nulla per se est obligatio satisfaciendi pro injuria, *præcisa* a damno, secundum communem DD. apud Laym. *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 1. *nu.* 3. Pro offensa autem, (jam dictum est) debetur satisfactio amica ex charitate, & pacis humanæ virtute. His suppositis, & bene intellectis, dicimus in Assertione nos obligari inimico

I. *Offensam remittere*, modo jam explicato. Certissimum Fide divina, & ratione naturali. Hac enim conditione Christus docuit, nos orare remissionem offensæ ab ipso Deo: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Et ne putaremus hoc consilium tantum esse, non præceptum, & necessarium, statim subjungit Salvator noster, Matth. 6. terribilia verba: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*. Sic Christus. Et certe summa æquitas postulat, ut qui sibi vult dimitti offensam divinæ Majestatis infinitæ, & ipse aliis remittat offensam suæ voluntatis: sicut e contra summa iniquitas videtur, ut qui sibi vult remitti offensas factas contra voluntatem Dei infinitæ Majestatis, cum ipse tamen nolit homini confratri suo remittere offensam factam contra voluntatem suam præcise, salvo scilicet jure suo quoad injuriam, vel damnum illatum, quæ DEUS remitti non præcipit, ut mox videbitur. 17

Ratio autem manifesta est: Quia omni jure tenemur proximo non malum velle per modum injustæ vindictæ; hoc enim ad formale odium inimicitiæ spectat: atqui remittere offensam reipsa nihil aliud est, quam non odisse, vel non malum velle proximo per modum injustæ vindictæ: dum enim offensus manes, ac offensam retines, necessario malum vis proximo, & utique vindictam: proximo autem ob solam offensam

(seclusa omni injuria, vel damno illato) nulla ex ulla justitia debetur vindicta, sed ille solum, qui te offendendo dedit sufficiens motivum ad iram, aversionem, indignationem, ex charitate debet tibi amicam satisfactionem, v. gr. petendo veniam, aliudve benevolentiæ signum, officia exhibendo: ergo & tu debes ex charitate ei remittere offensam; odium quidem formale, & vindictam injustam omni tempore, iram vero, indignationem, aversionem saltem tunc, quando alter tibi satisfacit, & reconciliari cupit, juxta dicenda inferius; alioquin offensam retinendo, & remittere nolendo peccabis mortaliter, secundum omnes. Intellige tamen semper voluntarie, & deliberate: ut excludantur impressiones, & aversiones solum phantasticæ in Phantasia, etiam contra voluntatem remanentes, quas omnino expellere valde difficile, & quibusdam etiam impossibile est, ut notat Sylvester *verb. Charitas q. 6.* Et infra in regulis reconciliationis iterum notabitur.

18 II. *Non item injuriam, minusque damnum illatum tenemur remittere inimico*. Communissima. Ratio evidens est: quia ex præcepto Charitatis teneris proximo remittere solum malum ipsi indebitum, non item bonum tibi debitum: atqui sola offensa tua, aversio, indignatio animi, qua proximo male vis ad justam vindictam, est malum indebitum inimico: satisfactio vero tibi pro injuria facta, & maxime restitutio pro damno tibi illato est bonum tibi debitum: & licet idipsum malum sit inimico, tu tamen id vis, non quatenus illi malum est, sed quatenus tibi juste debitum, & bonum est, juste vis, & exigis: ergo non teneris remittere, sed omni jure juste exigere potes, tam satisfactionem pro injuria, quam restitutionem pro damno; dummodo offensam deponas, & hæc non ut ipsi mala (de quo sæpe periculum) sed ut præcise tibi bona expetis. Et hinc pergimus ulterius.

19 III. *Tam actionem injuriarum pro satisfactione injuriæ, quam actionem civilem pro restitutione damni illati instituere contra inimicum quilibet potest*. De actione civili ad recuperandum jus suum, seu pro restitutione damni illati, nullus dubitat, nec probatione indiget. Certum est de actione injuriarum pro satisfactione debita injuriæ illatæ, quando inimicus injurians satisfactionem congruam nollet dare, nec veniam petere. Ratio jam dicta est: quia petis, quod, & quatenus tibi juste debitum est, & aliter tibi præstari non vis: quin insuper in rigore loquendo non teneris remittere, sed adhuc juste coram Judice instituere potes actionem injuriarum, etsi alius inimicus injurians veniam peteret humiliter, & per se satisfactionem sufficientem offerret pro injuria illata. Communis DD. Valent. Reginald. Tanner. *disp. 2. q. 3. dub. 1. n. 10.* eosque consequens Bassæus *verb. Charitas, n. 16.* Lessius supra cit. Suarez, Coninch, Castro-Palaus eosque cit. Tamb. *lib. 5. c. 1. §. 3. n. 9.* Ratio est: quia satisfactio tibi juste debetur, nec teneris magis hanc, quam illam satisfactionem acceptare pro injuria, præsertim, cum satisfactio pro injuria sit actus justitiæ vindicativæ, cujus exercitium proprie ad Judices, & Superiores spectat: ad hoc enim constituuntur Judices in Republica, ut puniant reos, injurias vindicent, & læsis satisfaciant: ergo seposito odio, & vindicta, atque maligno affectu in proximum juste eam a Judice petere posses.

Dixi autem *in rigore loquendo*: Charitatis enim dulcore id in praxi omnino dissuadendum est, & omnimodis consulendum, ut juxta consilium Christi Matth. 5. *Si quis te percusserit in maxillam, &c.* propter ejusdem amorem huic tuæ tam rigidæ satisfactioni renunties, eamque proximo remittas: nam revera pauci actionem injuriarum prosequuntur, deposito omni odio, & vindictæ malevolo affectu, idque maxime urgendum, quando satisfactio tibi læso prorsus inutilis, & soli lædenti gravissime damnosa esset, ut si deberet fieri per mortem, mutilationem, fustigationem, publicam confusionem, vel similem gravem pœnam. Nisi in casu rarissimo id necessarium esset ad tollendam infamiam magnæ familiæ, ut cum Tambur. notat Bassæus proxime cit.

20 IV. Quinimo per se loquendo, etiam actionem criminalem ad justam sceleris vindictam instituere potest læsus contra inimicum reum. Communissima DD. & Juristarum apud Layman *lib. 2. tr. 3. c. 3. n. 3.* aliosque cit. passim. Id enim naturæ, & gentium jure omnibus permissum, & sæpe debitum est ob bonum commune: Nec est ratio, cur non liceat adversus inimicum, dummodo fiat non odio, vel vindictæ affectu in ipsam personam, sed amore justitiæ, & odio abominationis ipsius mali perpetrati a proximo, & ne crimina impunita maneant cum Reipublicæ damno. Advertit tamen ex communi Layman *cit. §. deinde*, id periculosum esse, & plerumque non consulendum inter æquales actionem criminalem contra inimicum instituere, scilicet ad punitionem criminis, eo quod pauci tam perfecti sint, qui eo casu solum justitiam, bonum commune, & mali punitionem spectent, quin cupiditatem propriæ vindictæ, & odium in ipsam personam inimici explere velle censeantur. Vide nostrum Gabrielem *in Can. Missæ lect. 76.* Secus esset, si offensus sit ipse Judex, vel Superior, cui ex officio competit malum punire: sic Prælato, Patri, Marito, ordinarie non licet remittere punitionem malis, seu satisfactionem justitiæ suo Religioso, filio, uxori. Vide Navarrum.

§. III. *Exhibere actus, & signa communia Charitatis, &c.*

Omnino tenemur supradictam remissionem offensæ, odii ac malevolentiæ in inimicum non solum ipsa re exercere in corde, ac anima interius, sed etiam ipsi proximo inimico, oblata occasione eam notam facere exterius iis actibus, signis, ac indiciis charitatis, ac benevolentiæ, quibus ipse intelligat, ac advertat nos ad ipsum non amplius male, vel malevole affici, sed potius bene: & ex horum signorum omissione merito intelligeret, nos adhuc male erga ipsum affici. 21
Omnes. Ratio est clara: quia ex virtute Charitatis obligamur nulli esse scandalo, seu voluntarie occasionem non præbere proximo, ut ipse peccet: atqui nisi proximo inimico hunc nostrum remittendi animum actibus, & signis externis Charitatis, ac benevolentiæ ostendamus, quin iis subtractis ei s oppositum significemus, in causa sumus, ut ipse quoque perseveret in inimicitia; & ideo diutius, graviusque peccet: ergo, &c. Ratio ergo, & regula generalis horum signorum, & actuum semper præ oculis habenda hæc est. Illa tantum signa, vel opera Charitatis proximo inimico exhibenda sunt, ex quorum omissione is merito intelligit, nos male affici erga ipsum, & talia non nisi ex malo affectu odii, seu vindictæ omittere. Hac regula supposita, dicimus in assertione, proximo inimico exhibenda esse

I. *Actus, & signa Charitatis communia*. Nimirum communiter omnibus absque delectu exhiberi solita, ut orare pro omnibus, salutantem resalutare, alloquenti respondere, postulanti merces vendere, communia officia, vel obsequia præstare, quæ omnibus passim in Communitate, Civitate, Collegio, Monasterio, vel domo aliqua exhiberi solent. Vulgaria sunt obvia, ambigua postea seorsim discutiam. Ratio ex Lege Charitatis sumitur duplex. Nam ex una parte: quia hæc signa, & obsequia communi naturæ & societati humanæ debentur, & non est particularis hominis hanc communem obligationem infringere etiam quoad inimicum absque nota actualis odii, ideoque peccati mortalis. Ex altera autem parte ex hujusmodi communium signorum, & obsequiorum subtractione proximus merito intelligit, nos male in ipsum affici, ideoque & ipse in inimicitiæ peccato obfirmatur novo nostro peccato scandali activi, ex genere suo mortali. Utriusque peccati discernendi mensuram, exempla, & casus particulares consulto remitto, & abunde dabo *Sect. seq.* modo pergamus in explicatione terminorum. 22

II. *Nisi ipsa Charitas, vel justitia aliud prudenter suadeat.* 23
Charitas quidem ipsamet, vel erga ipsum inimicum, vel erga se ipsum aliquando suadet, negare inimico signa communia Charitatis, salutationes, alloquia, responsiones: utpote, vel quia inde speratur emendandus, errorem agniturus, & correcturus: vel quia timetur ex his signis deterior futurus injuriam illatam vilipensurus, facilius denuo illaturus, aut certa ipsa signa Charitatis sibi in despectum fieri, aut aliter male interpretaturus, &c. sic etiam prudenter, & charitative erga te ipsum potes vitare consortium, colloquium, aspectum alterius tibi inimici, ne redeat recordatio injuriarum, ne novæ lites insurgant, commotiones majores, mala graviora, &c. signa enim Charitatis non debent militare contra Charitatem. Immo quandoque ex justa abominatione delicti notorii proximi possunt ei negari signa charitatis communia, uti de hæreticis præcipit ipse Evang. amoris in Ep. 2. *Si venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave communicat operibus ejus malignis*. Justitia porro etiam suadet quandoque inimico reo subtrahere signa communia charitatis. Sic Pater, vel Superior ad justam punitionem filii, vel subditi delinquentis juste ei negat alloquium, aspectum benignum, aliave beneficia, vel signa Charitatis alias filii, vel subditis communiter exhiberi solita, correctionis gratia, ut suum errorem agnoscat, ut eorum incuriam, protervium, vel insolentiam frangat, &c. Ex quibus patet solutio casus non raro contingentis. Filius, vel filia, Matrimonio indigno contra voluntatem parentum, vel consanguineorum contracto, aut alias crimine alicujus infamiæ commisso, familiam non pravo dedecore affecit: Unde illum, vel illam parentes, fratres, consanguinei nec ad domum, nec ad colloquium, vel aspectum admittere volunt, etiam veniam petenti constanter ignoscere recusant. Hic duo perpendenda, & a Confessario inquirenda sunt. *Unum*: Utrum parentes, vel consanguinei non ex animi odio procedant ad correctionem delinquentis, aliorum cautelam, familiæ honorem. *Alterum*: An non vindicta, vel pœna talis excedat modum delicti: non enim possunt illis negare reconciliationem, & veniam in perpetuum (tunc enim absolvi non possent) sed solum ad tempus, quousque videbitur expedire ad eorum emendationem, ac alios fines bonos propositos, postea ignoscere, & in gratiam recipere. His positis non peccant, & a Confessariis absolvi debent parentes, vel consanguinei tales. Idemque dic de parentis, vel consanguinei talis famulis, vel ancillis, qui eorum jussu filium, vel filiam ream ad domum, vel consortium non admittunt, tamquam justæ vindictæ paternæ executores. Ita sapienter Laym. *lib. 2. tr. 3. c. 4. n. 4.*

III. *Aut rationabilis causa excuset*. 1. Hic maxime frequen- 24

quenter excusat imperfectio actus, seu inadvertentia. 2. Excusat non tantum parvitas materiæ, sed etiam parvitas moræ: ut si inimico te offendenti solum brevi tempore per unam, vel alteram horam, aut etiam diem, loquelam, aliave signa charitatis neges: ex tam parva enim mora non debet præsumi verum, & deliberatum odium, sed motus tantum passionis ad summum venialis. Item præsumi potest expectari solum interim, dum ira deserveat. 3. Excusat etiam levitas causæ, vel rixæ, vel si ipsa levis sit, ut patebit exemplis infra afferendis. 4. Excusat etiam significatio justi doloris, vel tristitiæ ob acceptam injuriam: Ut si te offendenti neges loquelam, responsum, salutationem, &c. non in signum alicujus odii, vel vindictæ contra ipsum, sed solum in signum acceptæ, perceptæ, ac dolentis injuriæ, vel ex ingenti animi dolore ob acceptam injuriam, talem non peccare, saltem mortaliter, mihi certum videtur; immo quandoque a veniali excusari posse, probabiliter (etsi in praxi periculose) docet Diana *p.2. tr.15. resol.62.* citans Lorcam, & *p.5. tr.13. resol.89.* Hurt. cujus hæc verba exscribit: Ab hac obligatione, solvo *primo* parentem, aut Prælatum, aut Judicem, qui non in injuriam, sed in pœnam justam, non resalutat inimicum. Solvo *secundo* eos, qui sine gravi incommodo honoris non possunt hostes salutare. *Tertio*, solvo eum, qui infamem accepit injuriam, cujus æstimatio digna petit austeriorem vultum, atque tristitiam, qualis esset, qui appellatus fuisset fur, judæus, sodomita, aut simile quid enorme: tunc enim prudenter censetur negatio salutationis oriri non ex odio, sed ex dolore justo, & ingenti acerbitate, quæ juste admittit urbanitatis argumenta omnibus ejusdem conditionis hominibus communia: item esset multis argumento, eum parvi æstimasse tam acerbam injuriam. *Quarto*, solvuntur, qui ita simulant distractionem, aut oculorum hebetudinem, ut prudenter judicetur, salutationem omissam non ex memoria inimicitiæ, sed ex alio capite: Hæc Hurtadus. Hoc ultimum ego intelligo, tales tantum excusari a peccato scandali, quatenus faciunt inimicum non advertere sibi negari salutationem in signum inimicitiæ: a peccato autem odii interni salvari vix video: ad quid enim ita simulent ista, nisi ad occultandum odium suum? ergo de facto peccant peccato odii. Quod si tamen ob causam aliam justam id facerent, salvari permitterem, & ego, ne fors nova lis, vel rixa oriatur.

25 IV. *Non item signa specialia* per se loquendo, *tenemur exhibere inimico*. Nam supra jam dictum est, præcepto Charitatis affirmativo, per se loquendo, nullum obligari ad exercendum actum charitatis, amoris, vel benevolentiæ erga proximum, præsertim inimicum, nec consequenter per se loquendo, ullus obligatur etiam exterius aliquem actum, signum, vel beneficium speciale Charitatis, vel benevolentiæ exhibere inimico, v. gr. inimicum ægrotum invisere, mœstum consolari, egenti succurrere, pecunias mutuare, hospitio, vel convivio excipere, ad familiare colloquium admittere, &c. hæc enim, & similia, cum nulli sint debita ex generali præcepto Charitatis, non potest ex eorum omissione inimicus præsumere actuale aliquod tuum odium, aversionem, vel vindictæ affectum. Communis DD. cun S. Th. 2.2. *q.83. ar.8.* Dico autem, *per se loquendo*: Per accidens enim sæpius obligamur inimicis exhibere signa aliqua, vel beneficia specialia Charitatis: 1. Quando ipse inimicus veniam petit, amice salutat, alloquitur, &c. tunc enim teneris ad reconciliationem, adeoque speciale signum charitatis exhibendum, ut sentiat amicitiam reintegratam esse, communis cum S. Thom. cit. 2. In quavis extrema, vel gravi necessitate corporali, vel spirituali cuivis quamtumvis inimico in defectu saltem aliorum, specialia beneficia Charitatis exhibenda sunt juxta exigentiam necessitatis, juxta illud Proverb.25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitiverit, potum da illi*. 3. Ratione scandali vitandi; utpote si negando signa charitatis inimico specialia, quæ antea exhibere solitus eras, majus in te hominis odium, vel inimicitiam concites, vel alios etiam advertentes scandalizes. 4. Quando exhibitione ejusmodi signi, vel beneficii specialis charitatis animum inimici tibi, ac principaliter Deo facilius reconciliandum speras, vel alias salutem spiritualem inimici proventuram. Sic Azor. & alii cum Laym. *lib.2. tr.3. cap.4. num.2. §. Dixi autem*. Ubi *ex Navarro* addit etiam teneri aliquem ad specialia signa, vel beneficia charitatis exhibenda inimico, quando id necessarium existimat ad depellendum, vel operandum suum proprium odium, quod in homine gerit. Adde insuper: Quoties signa illa specialia charitatis omittere evaderet signum speciale odii, vel inimicitiæ: ut si omnes cognatos, vel vicinos ad nuptias, vel convivium invites, omisso solum inimico: si pro omnibus hujus urbis incolis ores, omnibus pauperibus hujus loci eleemosynam de proprio, vel alieno legato distribuas, &c. & inter hos repertum solum inimicum excludas, &c. jam in his circumstantiis exhibes illi speciale signum odii, ac inimicitiæ, quod ille facile advertens in reciproco odio, & inimicitia obfirmatur, novo tuo, gravi scandali peccato, uti ex Suar. Valent. Coninch. recte notat Tambur. *lib.6. Decal: cap.1. §.2. num.17.*

Omnia hactenus dicta quoad obligationem dicta sunt: interim certissimum manet excellentissimæ Charitatis, & maximæ perfectionis Christianæ esse inimicis omni eventu bene velle, & benefacere; hoc enim saltem, & serio consulit CHRISTUS, Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri super malos, & bonos, & pluit super justos, & injustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vostros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*. Denique hoc est, ut alibi dicitur, carbones ignitos super caput inimici congerere, quibus, aut emollitus odium deponat, aut induratus inexcusabilis fiat. Sed hic pergant Concionatores, simul & Confessarii ejusmodi efficacia admonita pœnitentibus inculcanda in promptu habeant.

§. IV. *Secus faciendo peccabit pro ratione intentionis internæ, vel significationis externæ offensivæ inimici.*

AD dignoscendum ergo denique quale, & quantum 26
peccatum sit negare inimico signa charitatis communia exhiberi debita in quovis casu, duo hæc accurate consideranda, & distinguenda sunt: scilicet *intentio interna*, ex qua talia fiunt: *& significatio externa offensiva inimici*, quatenus scilicet talia significant odium, aversionem, vel vindictam in inimicum, unde is merito in offensa, inimicitia, ac peccato confirmatur.

Quoad intentionem internam, ex dictis *Sect.1. de Odio*, ita distinguendum est: 1. Si quis inimicum salutare, alloqui, &c. nolit ex odio abominationis, seu contemptu ipsius personæ, ut eum velut indignum suo alloquio, salutatione privet, idque deliberate, mortale peccatum est inexcusabiliter, juxta dicta §.2. II. Si agas ex odio inimicitiæ, ut sic eum tuo alloquio, vel salutatione velut solatio privando, eum affligas, contristes, irrideas; & verbo, ut sic ei per hoc male sit, iterum mortale est ex genere suo, nisi parvitas materiæ excuset, juxta dicta *ib.* §.3. III. Si ita agas ex odio abominationis qualitatis tantum actus erit indifferens, malus, aut bonus prout qualitas odita indifferens bona, aut mala erit; ut si fugias inimicum, quia tibi molestus esse solet, rixosus, pungitivus, aut distortis moribus est, seclusо alio malo affectu, actus erit indifferens. Si fugias, quia enormis peccator, hæreticus, excommunicatus est, actus est bonus. Si fugias, quia te sanctior, vel melior est, actus erit malus ad invidiam spectans, juxta dicta *ibib.* §.1. IV. Denique: Si ita agas, ut in te, vel in altero evites occasionem novæ rixæ, rancoris, vel alterius mali, actus erit Charitatis, & Prudentiæ; itemque si alia justa causa excusans accedat; juxta dicta supra §.2. & 3.

Quoad significationem externam tria consideranda sunt. 1. An talia agere, vel omittere revera significent internum odium, & inimicitiam, juxta dicta §. *præc.* 2. An inimicus advertat. 3. An etiam sentiat, seu curet, ægre ferat, & inde offendatur, ac scandalizetur, sicque inimicitia obfirmetur multum, vel parum. 4. Denique, pro ratione scandali, seu offensa inimici gravi, vel levi mensuranda erit gravitas, vel levitas peccati tui, si enim multum in te offendatur inimicus, & in inimicitia obfirmetur, mortale erit: sin parum, vel nihil curet, non erit plus quam veniale, quantum ex hoc secundo capite. Atque ex dictis resolvendi sunt

Casus varii.

PEccant mortaliter contra Charitatem proximi sequentes. 27
1. Qui orans pro omnibus, solum inimicum quemdam excluderet positive, idque maxime in Oratione Dominica, in Orationibus communibus Ecclesiæ, in Sacrificio Missæ, &c. Ratio abunde patet ex dictis. Secus: si tantum negative excludat, ejus scilicet actu non recordando. 2. Qui eleemosynas, sive legatum in omnes civitatis pauperes distribuens, solos inimicos arceret, cum tamen eleemosyna sufficeret. Secus si non sufficiat omnibus, tunc enim sine culpa amicos, vel non amicos præferret: quia tunc præterire inimicos, non esset signum positivæ inimicitiæ, sed tantum ad summum non amicitiæ, quæ nulli debetur. 3. Qui cognatos omnes ad convivium, v. g. vocans, solos excludit inimicos: iis enim circumstantiis negare signum speciale amicitiæ, vel charitatis, fit manifestum, & speciale signum inimicitiæ, & odii, ut jam supra notatum. 4. Qui alias solitus quosvis sibi notos in Civitate, Monasterio, in domo sibi occurrentes salutare, vel alloqui, inimico tantum salutationem, vel alloquium negaret. Item, qui tribus occurrentibus, & duobus salutatis, solum tertium, qui inimicus est, non salutaret: ita tamen, ut appareat, eum ita facere ex odio, & non ex inadvertentia, distractione, vel speciali negotio. Hi, inquam, & similes peccant mortaliter, quia prædicta, & similia in talibus circumstantiis sunt signa charitatis communia, eaque inimico specialiter denegare, est signum actualis odii, aversionis, vindictæ in proximum; ideoque peccatum mortale plerumque duplex, & ratione odii, si adsit, & ratione scandali, & offensæ novæ in inimicum, juxta jam satis dicta. Sedhic utiliter discutiemus aliquot casus particulares, in praxi frequentissimos, in gratiam simpliciorum.

I. Occurrere inimico.

28 SUnt, qui abhorrent occurrere inimico, ut eo, vel a longe conspecto in via, platea, ambitu, aliorsum delinent, vel retrocedant: domum, conventum, convivium, &c. ubi ipse degit, accedere nolint: idque deliberate, & ex proposito, peccantne mortaliter, quantum ad significationem externam odii, & peccato scandali? Responsio ex dictis est facilis. Si enim inimicus advertat id sui fugiendi causa fieri, &, ut par est, graviter sentiat, sine dubio peccatum mortale est: quia sic fugere inimicum advertentem, manifestum est signum odii, & inimicitiæ. Secus dicendum, si id inimicus, vel omnino non advertat, vel non advertat id fieri sui causa, utpote, quia astute id simulas, te ob aliud negotium subito occurrens, vel ab alio vocatum declinare, vel retrocedere, vel saltem non advertat, te inimicitiæ causa fugere, sed ob aliam causam, v. g. ne exigat debitum, &c. vel denique etsi advertat, id inimicitiæ causa fieri, id tamen parum, vel nihil curat. Sic enim graviter non delinques, quantum est ex hoc secundo capite, significatione externa.

II. Salutare inimicum.

29 COmmunissimum est inimicitias gerentibus, nolle, vel non posse salutare inimicum. Quoad intentionem internam odii satis patet. Quoad significationem autem externam odii, peccantne semper mortaliter peccato scandali? Resolutio *prima:* Per se loquendo, & regulariter non peccant ex hoc capite; cum enim nulla sit obligatio salutandi obvios quosvis, salutationis omissio non est per se signum odii, vel inimicitiæ; nec per se excitat inimicum ad odio habendum non salutantem; idque maxime verum est, si tu morosus homo vix unquam obvios salutare soleas. *Secunda:* Peccant ergo solum non salutantes inimicum in iis circumstantiis, ex quibus merito colligitur, te tunc omittere salutationem ex odio, vel vindicta propter injuriam acceptam: utpote, si antea illum semper solitus eras salutare: nunc contra morem, post acceptam injuriam, vel rixam factam, a salutatione abstineas: & maxime si alter sit tuus Superior, consanguineus, domesticus, vicinus, &c. Item, si occurrentibus pluribus, inter quos est inimicus, omnes salutes, excepto inimico. Item, si ultra salutationem omissam oculis præter solitum morem torvis inimicum aspicias, aut insolito fastu pileum capiti imprimas; & ita de similibus. Quia sic sine dubio homini causam novæ offensæ promoves. Verum huc referendæ sunt etiam exceptiones, & excusationes supra positæ §.3.*n.*23. & 24. Et speciatim huc faciunt verba Hurtadi *ibid. num.*24.

Casus specialis.

30 DUo Religiosi cujusdam rixæ causa se intra Monasterium non salutant, nec alloquuntur, cum tamen antea salutare, & passim alloqui consueverint, peccantne mortaliter? R. Ita sane: Quia par est scandalum, & ipsis invicem, & aliis Religiosis. Possent tamen exusari a mortali ex hoc capite: tum ex parvitate moræ, ut si pauculis diebus salutationem, vel alloquium intermittant, juxta jam supra dicta: tum etiam ex levitate rixæ aliis cognitæ, una cum sua probata virtute; nam si aliis cognita sit eorum bona conscientia, & rixa, vel ejus causa levis fuit, merito judicabuntur non ex odio gravi, sed ex levi tantum passione, vel in significationem accepti gravaminis salutationem, vel alloquium omittere, præsertim parvo tempore. Eademque est ratio de aliis sæcularibus præsertim domesticis, vel sibi conjunctis, ut cum aliis notat Tambur. *lib.*5. *cap.*1. §.3. *nu.*13. Sed dixi: *Quantum est ex hoc capite:* scilicet externa significatione odii, vel scandali. Nam ex alio capite intentionis internæ peccatum odii jam excludere sane periculosum hic est.

III. Resalutare inimicum.

31 R*Esolutio*. Inimicum te amice salutantem, non resalutare, vel pro salute, more patriæ, gratias agere, per se loquendo, utique mortale est, *secundum omnes*. Quia, posita inimicitia, omissio resalutationis non solum imputatur inurbanitati, sed manifestissimo odio; & quodnam evidentius odii signum esse posset, quam salutantem resalutatione, vel gratiarum actione non dignari? Excipiendum tamen rursus: nisi eæ concurrant circumstantiæ personarum, ut omissio resalutationis non odio, sed alteri causæ imputaretur: ut si ita animo distractum te simules, ut vere videaris salutationem non advertisse, vel non audivisse: si salutans longe sit te inferior, ut omissio resalutationis imputetur non odio, sed reputationi, ut ajunt, vel forte verius, superbiæ: si sis superior, & in justam vindictam resalutationem, vel responsum neges: si ita facias non ex odio aliquo, sed ad justum dolorem exprimendum ob acceptam injuriam, præsertim recentem, & nondum satisfactam, juxta supra dicta *n.*29. & 31.

Casus specialis.

32 NObilis Matrona, cui paris nobilitatis vir consanguineum occiderat, quæsivit, an teneatur illum salutantem resalutare, more patriæ, corpus genibus inclinando? R. consulendum quidem omnimodis, quod sic: at in rigore certe non obligatur saltem sub mortali, secluso vero odio interno. In Matrona enim, vel muliere, cujus non est vindictam sumere de injuriis, ordinarie illa denegatio resalutationis non est signum odii, sed sensus justi doloris, vel fastus muliebris, vel quid simile. *In rigore*, inquam; ego certe omnibus modis inducerem ad sic faciendum, ob maximum periculum veri odii interni.

IV. Alloqui, vel colloqui inimico.

FIeri solet, ut inimicitias gerentes, inimicum quidem more communi salutent, & resalutent, de cætero tamen alloqui, vel colloqui omnino nolunt: peccantne mortaliter quantum est ex hoc capite significationis externi odii. 33

Resolutio. per se non peccant. Quia inimicum non alloqui vel ei colloqui nolle, per se signum odii non est, cum non omni proximo debita sit colloquendi familiaritas. Quod si tamen ante inimicitiam cum illo familiariter colloqui consueveras, obligaberis te jam a colloquendo non subtrahere, jam enim nolle colloqui evaderet signum novi odii, ac inimicitiæ, ut de se patet. Idemque est, quoties concurrunt ejusmodi circumstantiæ, ut non alloqui, vel colloqui nolle reputetur signum odii, iisdem nimirum modis supra positis *casu* 2. *De salutante num.*29. Quibus adde, ut apud omnes certum: Si inimico colloquenti, vel interroganti non respondeas, non posse te excusari a mortali: nisi excusarent te aliæ causæ modo supra positæ *casu* 3. *De non resalutante num.*31.

Casus specialis.

IN Monasterio Monialium duæ ex illis post rixam profitebantur publice omnibus audientibus per multos annos non velle invicem colloqui, & de facto longo tempore non colloquebantur. Dubitavit earum Confessarius, an eæ in statu mortalis peccati versarentur, & idcirco obstinate sic perseverantibus an absolutio Sacramentalis, & SS. Communio deneganda sit, necne? Resp. Omnino quod sic, saltem, quando causa rixæ, vel ipsa rixa gravis fuit. Quia eo casu cessatio loquendi per tantum tempus, vel tot annos merito præsumitur ab odio gravi proficisci: Quod si tamen causa rixæ, ipsaque rixa levis fuit, quantum est ex hoc capite significationis odii, ac scandali, poterit omissio loquendi a mortali excusari, & veniale reputari. Quia tunc, maxime in fœminis, iisque alioquin timoratis, non præsumitur oriri ex odio gravi, sed ex naturali passione muliebri; quamvis iterum ex alio capite, scilicet veri odii interni, vel contemptus maxime possit esse mortale, ideoque ego talem saltem post unam, & alteram septimanam adhuc recusantem colloqui, non absolverem. Quare omnimodis id dissuadendum est omnibus, præsertim personis Religiosis ad perfectionem charitatis tendere obligatis. Unde bene *Tamb. cit. num.* 28. monet Confessarios, ut pœnitentes inducant, maxime simul conviventes, ut prodigi sint in exhibendis signis charitatis, & amicitiæ; id enim reddit nos amabiles, sicut opposita morositas reddit nos odibiles hominibus, Angelis, & DEO. 34

Casus mixtus ex præcedentibus.

QUæsivit bonus vir, an teneantur salutare, in mensa propinare, vel alias more solito alloqui inimicum, quem tamen certo scit, vel prævidet non resalutaturum, non gratias acturum, non responsurum sibi esse? Certe quæstio difficilis. Quod si tamen id omnino certe moraliter scias, utpote aliquoties expertus, vel ex inimici illius observatione, non audeo te obligare cum *Tambur. supra cit. nu.*25. Quia tunc sibi debet imputare inimicus, qui ita se gerit erga te, ut certitudinem moralem habeas tibi salutanti, propinanti, vel alloquenti non responsurum. Deinde, denuo salutans, propinans, vel alloquens exponeres te periculo gravius irascendi, vel invehendi in inimicum non respondentem. Contra vero si prævideas tua iterata gratuita salutatione, propinatione, vel allocutione fore ut inimicus emollitus, odium deponat, & emendetur, utique obligaberis ex Charitate, si tamen sine nimis magna molestia, & difficultate possis. *Ratio:* quia bonum spirituale proximi (uti est in proposito depositio odii) tenemur ex Charitate procurare, etiam cum aliquali nostro, non tamen cum magno, incommodo, vel difficultate, quia eo casu, proximus non est in vera necessitate, sed in malitia potius voluntaria. 35

At quid si dubites, utrum inimicus tuus eo casu tibi responsurus sit, nec ne? Aut si timeas, fore non responsurum, & sic te magis de novo exarcebandum fore, idque præsertim post Confessionem die Communionis? Resp. Omnino urgendus es, saltem semel amice salutando, vel alloquendo inimicum experiri, id enim Charitas suadet. Et, siquidem amice respondeat, lucratus es inimicum tuum, magno tuo solatio: si secus, deinceps excusaberis, juxta prædicta.

S E-

SECTIO III.

Modus, & Regulæ reconciliationis cum inimicis.

SUMMARIUM.

36 Ex regula I. *a Div. Chrysost. data pro reconciliatione cum inimico* a te *offenso sunt hæc notanda.*
37 *I. Inimicitia fuit tantum interna, requiritur etiam interna solum reconciliatio.*
38 *II. Si vero inimicitia alterum læsisti exterius signo, verbo, vel facto, teneberis ad reconciliationem quoque externam.*
39 *III. Veniam vero petere ab inimico læso, vel offenso, tunc solum necesse est, quando aliud remedium, vel modus commodus non occurrit.*
40 *IV. E duobus mutuo se offendentibus, vel inimicis factis, reconciliationem petere, vel procurare tenetur prius ille, qui potius, vel gravius offendit.*
41 Regula II. *Inimico te offendenti, quantumlibet offensus, vel læsus sis, teneris sub mortali*
42 *I. Ad veram, & sinceram reconciliationem,*
43 *II. Internam simul, & externam,*
44 *III. Si is veniam petat. Non tamen statim, sed opportune,*
45 *IV. Ac salva justitia, & jure tuo.*
46 Regula III. *Quando quis ulterius tenetur se cum inimico reconciliare.*
47 Regula IV. *Pro Confessariis inimicorum an, & quando eos absolvere possint.*

REGULA PRIMA.

Pro reconciliatione cum inimico a te offenso.

36 Regula optime traditur a D. Joan. Chrisostomo, seu Auctore Operis *imperfecti in Matthæi c.11.* his verbis: *Qualis præcessit offensio, talis debet esse reconciliatio: si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare: Si verbis offendisti, verbis reconciliare: Si operibus offendisti, operibus reconciliare, omne enim peccatum, quomodo committitur, eodem modo de ipso pœnitentia agitur.* Hæc ille sancte. Ex quibus deduco breves resolutiones particulares.

37 I. Inimicitia interna tantum, qua quis solum interno odio, rancore, malevolentia alteri offensus fuit, solum requirit reconciliationem internam, ut quis ex corde omnem rancorem deponat, elicito contrario actu amoris, & benevolentiæ in proximum. *Ratio* patet. Quia reconciliatio nil aliud est quam amoris, & amicitiæ reparatio: si ergo corde amorem, & amicitiam in proximum dissipasti, non facta ulla læsione externa, non nisi solo corde reparare teneris. Atque idem dicendum de eo, qui alteri inimicus factus est solum, quia ab eo læsus fuit, ut per se patet. Et pulchre docet D. August. lib.1. de serm. Domini in monte. *Si ille nos læserit, non opus est pergere ad reconciliationem; non enim veniam postulabis ab eo, qui tibi fecit injuriam: sed tantum dimittas, sicut tibi a Domino dimitti cupis, quod ipse commiseris.* Hæc S. Augustinus. Actus tamen heroicus Charitatis, & summe meritorius foret magnorum Sanctorum exemplo, eo casu ab offendente reconciliationem procurare, vel veniam petere. Lege virtutem mirabilem *S. Joannis Eleemosynarii.*

38 II. Qui ex inimicitia alterum læsit exterius signo, verbo, vel facto, offensam, injuriam, vel damnum intulit, idque alterum sentire novit, tenetur ex Charitate ad reconciliationem externam, ut nimirum, quantum commode potest, per se, vel per alium signo, verbo, vel facto ab ipso veniam, & remissionem offensæ postulet. *Omnes.* Et notant DD. communiter in illa verba Christi: *Si offers munus tuum, &c.* Ratio jam dicta est e *D. Chrysostomo: Quia* qua ratione Charitas destructa est, eadem reparari debet. Deinde accedit obligatio justitiæ, etiam ad satisfactionem injuriæ, & restitutionem damni, nisi alter gratis remittat: dixi, *Quantum commode potest.* Nemo enim tenetur ad reconciliationem hanc externam cum inimico offenso cum gravi, vel graviori incommodo suo, quam fuerit læsio illata proximo, uti esset gravis infamia, si læsio hostilis fuerit occulta. Item si læsus sit absens, nec facile conveniri possit. Item si præsumas prudenter, quod oblata a te reconciliatione, & satisfactione pro parte tua, alter non sit corresponsurus; tunc enim titulo compensationis retinere, quasi in depositum, satisfactionem poteris, quousque videas alterum paratum satisfacere, & debitum exhibere, ait Castro-Palaus *t.1.tr.6.disp.1.p.8.n.10. apud Tamb. cit. num.24.*

39 III. Veniam humiliter petere ab inimico offenso, vel læso, tunc solum necessarium est, quando & gravis fuit læsio, & aliud remedium adhiberi ad reconciliationem, vel non potest vel omnibus prudenter consideratis, non convenit: Utpote si læsus ita rationabiliter petat: si Judex, vel Superior ita decernat: si alicubi sic moris sit, ut in sacris Religionibus. Item si læsus sit Superior, Pater, Prælatus, maritus, Dominus, tunc enim filius, subditus, uxor, servus, in gravioribus offensis, vel injuriis ordinarie veniam petere debebunt: quia aliud reconciliationis medium vel non habent, vel non acceptatur.

Non ergo necessaria est ejusmodi petitio veniæ. 1. Quoties aliam æquivalentem satisfactionem æque gratam offendens exhibet: utpote per specialia amicitiæ signa, & officia, per præventionem in honore, per pecuniam mutuatam, aliave beneficia per amicorum interventionem, &c. 2. Quoties injuriæ inter inimicos factæ invicem se compensant, neuter quidem tenetur veniam petere, quod pœnam sapit: uterque tamen tenetur aliis charitatis, & amicitiæ signis reconciliationem procurare. 3. Quando læsus petitionem veniæ, vel reconciliationis non curaturus, aut inde magis irritandus creditur, ut in simili superius dictum, quo spectat expectatio commodi temporis, quo interim ira deserveat, & reconciliatio sperari, ac suaviori modo impetrari possit, ut in simili dicam Regula sequenti. 4. Quando lædens est Superior eximius, ut non conveniat a subdito veniam petere propter diminutionem auctoritatis; tenetur tamen, & facillime potest aliis beneficii signis, & argumentis subditi læsi animum reconciliare, & scandalum impedire, *secundum Omnes.* Eaque media in promptu sunt.

IV. Quid si duo mutuo se offenderunt, & inimici facti sunt, quisnam prius tenebitur reconciliationem petere, & procurare, alterum alloqui, salutare, &c. aut si opus sit, veniam petere? Resp. ille utique, qui vel prius, vel gravius offendit: & vix contingit hic ambos esse pares; aut enim injuriæ sunt æquales, & tunc tenebitur, qui prior offendit, vel prior causa rixæ extitit, aut injuriæ sunt inæquales, & tunc tenebitur, qui gravius offendit, etiamsi posterius. Quod si tamen contigerit injurias censeri moraliter ita pares, & simultaneas, ut non videatur major ratio, quod potius unus incipiat, quam alter, tunc utique æque incumbet, data occasione inchoare reconciliationem, salutationem, alloquium, &c. nisi contingat uni potius, quam alteri competere, inchoare sermonem secundum mores patriæ, vel aliam circumstantiam. Sic inter æquales is incumbit prius salutare, & alloqui, qui coram alio stante, vel sedente transit, vel de novo accedit, vel qui aliquid vult petere, quam illi, qui stat, sedet, vel rogandus est. Sed relinquuntur judicio prudentis. 40

REGULA II.

Pro reconciliatione cum inimico, qui te offendit.

Omnis inimicus alteri, a quo quantumlibet offensus, vel læsus fuit, tenetur sub mortali ad veram, & sinceram reconciliationem internam simul & externam, illi veniam petenti, opportune tamen, ac salva justitia, & jure suo. 41 Hanc iterum docet Christus Matth.6. *Si enim non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet peccata vestra:* & alibi post narratam parabolam de servo nequam, & crudeli, qui post dimissa sibi a Rege decem millia talentorum, suo conservo noluit dimittere centum denarios, & ideo ad carceres damnato, donec reddat novissimum quadrantem; concludit Christus; *sic & Pater vester cœlestis faciet vobis, si non dimiseritis unusquisque proximo suo de cordibus vestris.* Jam Regulam breviter explico.

I. *Tenetur ad veram, & sinceram reconciliationem internam;* prout significat Christus verbis modo citatis. Hæc duo requirit. *Unum* velut negativum; ut scilicet ex animo remittat offensam, deponendo omne odium, rancorem, pravum affectum, malevolentiam, vindictæ injustæ appetitum, ut nimirum nolit vindicare per se ipsum, aut aliunde vindicare injuste: & uno verbo, ut non velit ei ullum malum spirituale, vel corporale, injustum, vel injustum inferendum. Quod quidem omni inimico, etiam in inimicitia perseveranti debitum est, ut jam superius dictum. *Alterum positivum,* ut scilicet exerceat actum positivum charitatis, amoris, & benevolentiæ erga ipsum, quo velit ipsi omnia vera, & salutaria bona, & uno verbo, eadem quæ sibi ipsi, juxta regulam magni mandati, *sicut te ipsum.* Ratio utriusque patet. Quia vera, & sincera reconciliatio, seu amicitiæ destructæ reparatio, necessario requirit ablationem odii, & positionem novi amoris. Excluduntur ergo reconciliationes non veræ, & sinceræ, sed falsæ, & fucatæ: dum vel foris tantum reconciliatio simulatur, intus vero odium, malevolentia, vindicta retinetur; vel simulat se libenter velle remittere, & reconciliare, interim varias fingunt, & prætendunt causas, quibus odium, & malitiam juste probant: manent hi in statu peccati mortalis inimicitiæ: nam qui tam stricte præcipit reconciliationem cum inimico, *DEUS, non irridetur.* 42

II. *Internam simul, & externam,* Necesse nimirum est, ut offensus inimico veniam petenti, hanc suam internam reconciliationem, ac remissionem odii, & offensæ exterius ostendat, non tantum exhibendo signa charitatis communia (quippe inimico etiam in inimicitia perseveranti debita) sed etiam signum aliquod speciale verbo, vel facto, quo ille intelligat perspicue, te inimicitiam deposuisse, & amicitiam redintegratam esse, juxta dicta §.2. & 3. Quare veniam petenti nolle dare, & negare signa aliqua, quibus te inimicitiam deposuisse significes, inter æquales saltem, nimis aperta odii retenti, & obfirmati demonstratio esset, & sine dubio peccatum mortale. Solus Superior offensus potest 43

test subdito reo veniam, seu reconciliationem externam negare, vel differre potius, ut is, delicto magis agnito, emendetur, vel juste puniatur. Neque enim id tunc est signum odii, sed potius amoris, utpote ad emendationem conducens. Verum hic multa prudentia, & discretione opus est, ne plus æquo subditus exacerbetur, & ipse Superior de affectu odii facile convincatur, quod prætexebat se bono fine facere, utpote si ad longum tempus, præsertim sæpius humiliter petenti subdito veniam dare negaret. Ut ex communi recte notant Layman, *lib.2. tr.3. c.4. n.4. Filliucius*, *Sylvius*, *Bonacina*, & alii cum Bassæo *verb. Charitas num.*14.

44 III. *Veniam petenti, opportune tamen*: Nam in primis offensus utique per se non tenetur ad reconciliationem externam, nisi inimicus offensus petat. Deinde non est coarctandus offensus, ut statim post injuriam illatam, atrocem præsertim, petenti veniam dare teneatur: est enim supra humanam fragilitatem, & res violenta recenti vulnere, necdum sedata animi perturbatione offensum cogere ad positivam reconciliationem faciendam: sufficiens ergo, & opportunum tempus prudentis judicio expectetur: interee sufficiet ipsi offenso se negative habere, deliberatum odium, ac malevolentiam, seu vindictam injustam excludendo, qua ratione tunc dilatio reconciliationis non erit signum odii, sed potius indicium infirmitatis humanæ. Ut ex communi notat Tambur. *citat.* §.3. *num.*22.

45 IV. *Ac salva justitia, & jure suo*. Quia nullus tenetur diligere inimicum ultra terminos justitiæ, & charitatis erga seipsum: adeoque nullus tenetur remittere inimico jus suum ad sibi satisfaciendum, vel compensandum pro injuria, vel damno illato, juxta late dicta §.2. Quod si ergo inimicus a te offenso veniam quidem petat, attamen debitam satisfactionem non offerat, cum tamen posset, & deberet eam exhibere, teneberis quidem ei ostendere, te odium in animo nequaquam fovere, & offensam remittere, interim tamen satisfactionem debitam exigere intra, vel extra judicium jure potes, & eousque reconciliationem differre: quia rem tibi debitam postulas: &, si alter exinde offensus odium, ac inimicitiam innovet, non tibi, sed sibi ipsi imputet, qui satisfactionem, quam posset, & deberet dare, v.g. revocationem calumniæ, restitutionem famæ, vel honoris) immerito negat. At vero si satisfactionem debitam vel non possit dare, quia impossibilis est, v.g. pro homicidio, seu occisione filii, propinqui, vel amici tui; vel non debeat dare, quia excessiva est, tenetur offensus petenti statim veniam dare, & signis amicitiæ respondere: alioquin merito judicaretur in odio gratis velle perseverare, cum debito suo adversarius ejus non desit.

REGULA III.

Pro reconciliationis tempore.

46 JAm habes unum tempus reconciliationis debitæ cum inimico, quando nimirum is opportune veniam petit; quando ergo ulterius? Quotiescumque tenetur homo se reconciliare cum Deo, aut vult facere opus meritorium apud Deum, toties tenetur ad reconciliationem, saltem internam cum proximo. *Omnes*. Ratio manifesta est: Quia nullus potest reconciliari cum Deo, vel mereri apud Deum, hoc est, aliquo opere gratiam Dei consequi, vel augere, voluntarie persistens in peccato mortali: atqui gerens inimicitiam cum proximo voluntarie persistit in peccato mortali, nisi reconcilietur, saltem interius odium deponendo, & offensam remittendo, juxta dicta suis locis; ergo &c. Est ergo inimicitia voluntarie continuata absque reconciliatione, saltem interna, & cum opus est, etiam externa, unum continuum peccatum mortale, secundum omnes. Clarum ex Scriptura; nam Apostolus ad *Galat*.5. inter opera carnis, & peccata mortalia gravissima numerat inimicitias, dicens: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, &c. quæ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam, qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur*. Hæc Apostolus. Exclusio autem a Regno Dei certissima est nota peccati mortalis. Et ratio clara est. Quia inimicitia nil aliud est, quam odium continuatum, continua aversio, indignatio, malevolentia adversus proximum, non quidem continue actualiter, & formaliter, quasi quis inimicus alteri continuo actuali odio alterum aversetur, eique male velit, quod fieri nequit; sed continuo habitualiter, & dispositive, sic ut inimicus alteri ita habitualiter dispositus, & ab illo aversus sit, ut quoties recurrit ejus memoria, aspectus, mentio, semper eum execretur, eique male velit: adeo ut gravis sit, & ad videndum, & gravior ad colloquendum, absque amaritudine vix de eo cogitare, vel loquentes de eo audire possit, &c. Atqui omne odium voluntarie retentum contra proximum est peccatum mortale: ergo inimicitia voluntarie continuata non erit, nisi unum peccatum continuum mortale; nimirum nisi formaliter, vel materialiter interrumpatur, prout in simili explicatum habes de peccato injustæ detentionis rei alienæ. Dicimus ergo hoc supposito,

I. Quoties quis tenetur ad contritionem, vel attritionem, utpote in susceptione, vel administratione Sacramentorum, in articulo mortis, &c. sub mortali etiam tenetur interius saltem reconciliari proximo, odium deponendo, eique benevolendo, juxta dicta regulæ. Et docet perspicue ipse Christus *Matth.6. si enim dimiseritis, &c. si autem non dimiseritis, &c.*

II. Quotiescumque quis vult exercere opus meritorium, v. gr. orare, jejunare, eleemosynam dare Sacrum audire, vel Sacrificium pro se utiliter offerri, &c. ut opus ei meritorium sit, tenetur prius reconciliari proximo. Est rursus aperta doctrina Christi Matth. 5. *Si offer munus tuum ad Altare* (de omni opere bono Deo grato, & meritorio est eadem ratio.) *& ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum*. Sic Christus. Et optime exponit D. Aug. Serm. de verbis Domini in monte Matth.5. *Si absens est frater tuus, vade non pedibus corporis, sed animo humili te prosterne in conspectu ejus, cui oblaturus es: si præsens, revocandus ad amorem, ab eo veniam petendo, si eum læsisti; vel si te læsit, dimittendo cordis rancorem*. Hæc S. Pater, pauculis verbis omnem modum reconciliationis concludens.

REGULA IV.

Pro Confessariis inimicorum.

COnfessarius pœnitentem in inimicitia perseverantem, nolentem scilicet reconciliari proximo, ex animo odium, rancorem, vindictam injustam deponere: item nolentem signa charitatis communia exhibere proximo inimico juxta *d. sect. præc.* §.3. absolvere non potest sub peccato sacrilegii tam ipsius confessarii absolventis, quam pœnitentis absoluti. Est nimis certum. *& Ratio clara est*: Quia talis pœnitens actuali peccato odii, & inimicitiæ pessime dispositus obicem ponit Gratiæ Sacramentali, ideoque falsificatur forma, & Sacramentum irritatur gravissimo sacrilegio. At, quid judicandum de pœnitente, qui Confessario dicit, se omnino velle ignoscere, sed non posse oblivisci, non quidem odisse, non tamen posse aspicere, alloqui, salvare? &c. Advertendum tales sæpe ita constitutos esse, non ex vero odio voluntario interno in proximum, sed solum ex forti impressione phantastica, maxime melancholicos, & cholericos, qui injuria accepta, in memoria impressa statim ad recordationem, ad conspectum, vel præsentiam inimici moventur ad motus amaritudinis rancoris, accensionis contra ipsum, sic ut ejusmodi motus, vel proveniant, vel perturbent rationem, & sæpe in verba, gestus, & signa atrocia erumpant, licet revera voluntate non consentiant, quin etiam facti sibi præsentes, & advertentes motus suos, resistant contrario actu amoris, & benevolentiæ, ei bene velint, &c. Cum his Confessario habenda patientia, & caute eis credendum, cum dicunt, se ex animo ignoscere inimico, non tamen posse oblivisci. Si tamen capaces sint, interrogandi sunt, qualiter non possint oblivisci; an solum quoad memoriam, & horrorem injuriæ acceptæ, vel malevolentiam; *Si primum*, credat Confessarius, & absolvat, si *secundum*, nequaquam. 47

Unde pœnitentem talem recte monet, & solatur Jo: Sancius *Select. disp.2.n.*11. *fine*, ex eo quod experiaris te trepidare coram eo, qui te offendit, immo & expallescere, & cupere eum non videre, vel ut longe discedat; non statim putes te peccare, si ad male illi desiderandum non procedas: illi enim motus sunt naturales, necessario sequentes ex præsentia objecti apprehensi, ut sibi molesti; non vero actus voluntarii de malo alterius. *Sic Sanc. apud Tam. l.5.c.*1. §.3.*n.*1.

SECTIO IV.

De reliquis peccatis contra Charitatem proximi.

Invidia, ira, discordia, contentione.

SUMMARIUM.

48 Invidia, *quid, quale, & quantum peccatum.*
49 *Quid* timor, *primus invidiæ affectus.*
50 *Quid* zelus, *seu* æmulatio, *secunda invidiæ affectio.*
51 *Quid* Nemesis, *seu* indignatio, *tertia invidiæ affectio.*
52 Ira, *quid, quando, & quale sit peccatum.*
53 Discordia, *quid, quando, & quale sit peccatum.*
54 Contentio, *quid, quando, & quale sit peccatum.*

§. I. *Invidia.*

DEfinitur, *odium alienæ facilitatis. Tristitia de bono alieno inordinata*. Sed clarissime ex S. Th. 2.2. *q.*63. *ar.*1. *Invidia est tristitia de bono alieno æstimato ab invidente, ut malo proprio*: quatenus scilicet minuit, & obscurat propriam invidentis excellentiam: quo, licet simillimum, & valde annexum, tamen differt a peccato odii proximi. Odio enim quis male vult proximo, gaudet de ejus malo, & consequenter etiam tristatur de ejus bono, sed absolute, & in ordine ad ipsum tantum proximum, quatenus nimirum proximi bonum est. Invidia autem solum tristatur de bono proximi non absolute, sed in ordine ad ipsum tantum invidentem, 48

tem, quatenus nimirum invidus bonum proximi æstimat malum proprium. Est ergo invidia genuina proles superbię, cujus inordinatio consistit in hoc; quod quis ita inordinate amet, vel appetat sibi propriam excellentiam in bonis veris, vel fictis, ut nolit ejusmodi, vel similia bona inesse proximo suo: indeque, si videat ea proximo inesse, invidet, tristatur, ac velut tingitur amarulento affectu. Pręclare D. August. lib. II. de Genesi ad litt. cap. 14. *Amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur: vel inferioribus, ne sibi coæquentur: vel superioribus, quod eis non coæquetur*. Hæc Sanctus. Jam ad pœnitus intelligendam malitiam hujus peccati frequentissimi, graviter advertendum est.

I. Invidia peccaminosa, & mortaliter mala non consistit in tristitia de bono alieno ea præcise ratione apprehenso, ut malo proprio, seu minuente propriam invidentis excellentiam; hoc enim per se malum non est; nam supra concessimus, licite nos posse gaudere de malo alieno præcise apprehenso, ut bono proprio: cur non e contra similiter liceat tristari de bono alieno præcise apprehenso, ut malo proprio? Plus ergo requirit invidia peccaminosa, & in communissima Sententia mortaliter mala. Itaque directe, sicut dicemus mox de ira (iram scilicet secundum se esse passionem indifferentem: iram inordinatam, & excessivam in ipso motu tantum esse venialem ex genere suo; Iram tandem inordinatam, & excessivam in appetitu vindictæ injustæ esse mortalem ex genere suo contra charitatem) ita plane dicendum, invidiam quatenus præcise est tristitia de bono alieno, ut malo proprio apprehenso, esse passionem indifferentem, quippe quæ etiam bona esse, & ad bonum finem dirigi possit: invidiam inordinatam in ipso motu solo excedentem, vel amaram nimis, de se esse venialem: invidiam denique inordinatam adversus proximum, quatenus nimirum procedit ad verum odium proximi, nocendo, & tristando ei inesse tale bonum, etiam ut ipsi bonum est; ei malum volendo, etiam ad insidias, detractiones, aliave mala procedendo, &c. omnino esse peccatum mortale, omnes fatentur. Et quia revera in praxi talis solet esse invidia invidorum, ideo merito

II. Invidia juxta communissimam sententiam esse peccatum mortale, ex genere suo, nimirum quatenus præfato modo involvit odium proximi, & simpliciter non vult, dolet, & tristatur tale bonum inesse proximo. Sic enim duplicem malitiam involvit. *Unam* contra charitatem proximi, ut palam est: *Alteram* specialem contra voluntatem Dei; cum enim voluntas Dei sit immediata causa distributionis bonorum, ac donorum omnium, voluntati Dei repugnare convincitur, qui invidet, vel tristatur de bono, vel dono a Deo dato proximo, ideoque peccat mortaliter, nisi imperfectio actus, & parvitas materiæ excuset. Imperfectio actus quidem: sunt enim quidam natura proni ad invidiam (quod etiam in brutis advertimus) adeoque facile moventur ad invidiam in proximum; qui motus, si rationem omnino preveniant, culpa vacabunt; si aliqualis semiplena tantum advertentia accedat, veniales evadunt; nam ut etiam advertit S. Thom. *cit. art.* 3. constat, aliquos primos motus invidiæ inveniri quandoque etiam in viris perfectis, qui sunt peccata venialia. Similiter ob levitatem materiæ, proximo solum aliquod leve bonum, fortunam, lucrum &c. invidere, non tamen animo invidendi etiam majora, vel quævis bona, nonnisi veniale erit.

III. Invidiæ ergo peccati gravitas mensuranda est ex magnitudine boni corporalis, vel spiritualis, quod invidetur. Hinc omnium gravissima est invidiæ species, atque peccatum in Spiritum Sanctum, quod dicitur *fraternæ charitatis invidentia*, qua scilicet ipsa bona spiritualia, ac dona Spiritus Sancti, atque adeo ipsam charitatem, & gratiam Dei, virtutem, ac sanctitatem proximo quis invidet, & inesse tristatur, quia nimirum illa propriam suam excellentiam minuere, & vilipensionem causare, aut certe vitam, & actus suos redarguere, & condemnare videt, vel æstimat. Unde odium, detractiones, temeraria judicia, persecutiones bonorum, tandem & homicidia. Talis est invidia mortifera Cain occidentis fratrem suum Abel, de quo 1. Joan. 3. *Hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum: Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus justa*. Simili invidia rabidi clamant impii Sap. 2. *Circumveniamus hominem justum, quoniam dissimilis est operibus nostris. Gravis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius*. Vide *Sanctum Augustinum lib.* 1. *de serm. Domini in monte c.* 43.

IV. Invidia denique jure optimo computatur inter peccata capitalia: quippe plurimorum, & omnium fere peccatorum contra proximum caput, & causa. Ejus a S. Gregor. *l.* 31. *Mor. c.* 17. quinque assignantur filiæ. 1. Odium quo quis mala vult illi, cui bona invidet. 2. Susurratio, quæ apud alios invisum reddere molitur eum, cui invidetur, adeoque amicitiam dissolvere. 3. Detractio, qua famam denigrat bonam, quam proximo quis invidet. 4. Exultatio in adversis. 5. Afflictio in prosperis proximi. Et hæc est pœna continua invidi, qua suo livore tabescit, ac velut serpentina mortificatione cor exedit Psal. 111. *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit*. Et optime D. Nazianz. *orat.* 27. inquit: *Solus in omnibus affectibus iniquissimus simul, & æquissimus, invidia est: iniquissimus, quia bonis omnibus adversus est: æquissimus, quia dominos suos exest, & conficit*.

Advertendum tandem hic, invidiæ persimiles esse alias tres affectiones, Timoris, Zeli, & Nemesis, multum tamen differentes, prout optime explicat S. Thom. 2. 2. *quæst.* 36. *art.* 2. Accipe compendium.

Timor.

49 Affectus timoris est tristitia de bono alterius, quatenus nobis, aliis, vel Reipublicæ noxium est, vel esse prudenter judicatur (secluso nimirum judicio temerario.) Et hæc affectio ex se bona, & licita est: licite enim boni tristantur de prosperitate, divitiis, potentia, dignitate, impiorum, quatenus iis abutentes nobis, proximis, Reipublicæ, vel Ecclesiæ noxii sunt, aut damna inferunt. Qua ratione D. Gregor. *lib.* 22. *Moral. cap.* 6. dixit *Evenire plerumque solet, ut nos, amissa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursus ejus gloria sine invidiæ culpa contristet: cum & ruente eo quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus*. Hæc Sanctus Doctor. Sic licite tristamur de doctrina, eloquentia, dexteritate hæretici quia his multos in errorem inducit, vel in errore confirmat, ideoque Ecclesiæ, & saluti animæ noxius est. Certe S. Ambrosius contra Augustinum adhuc Manichæum in publicis Lytaniis orasse fertur: *Ab Augustini Logica libera nos, Domine*. Sic licite tristamur de dignitate, vel officio collato alicui, quem videmus, vel prudenter timemus officio non satisfacere, eove abuti in damnum nostrum, proximorum, &c. vel Reipublicæ &c. (secus esset: si tristeris de officio collato alicui, quem scis juste acturum, tibi, tuisque similibus debitas pœnas inflicturum, abusus non toleraturum &c.) Differentia hujus affectus timoris ab invidia manifesta est. Justa enim est causa tristandi de bono proximi, quatenus eo abutitur ad peccatum, nostrum, vel aliorum damnum. At minime est justa causa tristandi de bono proximi, quatenus putamus minui nostram excellentiam, quod est superbia, & contra Charitatem, quæ ex proximi bono, & felicitate, ob amoris, & amicitiæ unionem, nobis potius aliquid excellentiæ accedere, judicare, adeoque gaudere deberemus: amicorum enim omnia communia sunt, saltem quoad affectum, si non usum.

Zelus.

50 Seu æmulatio est tristitia de bono proximi, non quia ipsius est, sed quia simile bonum nobis deest; seu quia nos eo caremus. Quo patet differentia hujus affectus ab invidia; hac enim quis tristatur de bono alterius, quia alterius est, & ideo suam excellentiam minuere putat: zelus autem, vel æmulatio non tristatur de bono alterius in se, quasi nolit habere ipsum bonum, & occasionem boni alterius, sed præcise tristatur de propria penuria, quod quis scilicet non habeat simile bonum. Et hic affectus bonus est, ac laudabilis, non tantum quoad bona spiritualia, virtutes, merita, bona opera: talem enim æmulationem præcipit Apostolus 1. Corinth. 12. *Æmulamini Charismata meliora*: Eoque sensu D. Hieron. Epist. ad Lætam de ejus filia scripsit, *habeat socias, cum quibus discat, quibus invideat, quarum laudibus mordeatur*: verum etiam quoad bona naturalia, vel corporalia, temporalia, utpote quoad scientias, artes, industrias, lucra &c. studentes enim, vel artes addiscentes, videntes aliorum profectum merito tristantur de suo defectu, quo ipsi excitentur ad proficiens studium. Artifex videns alios sua industria familiam suam bene alere, ditescere, merito æmulatur, & dolet, se non posse ita prosperare. Mercator, vel caupo plerosque, vel plurimos emptores, vel hospites ad suum vicinum divertere, licite quidem dolet de illo concursu, quatenus suum detrimentum est, & cessatio lucri, quod alioquin juste habere posset, at non licite, & absque peccato odii, vel vindictæ doleret, quod concurrant ad vicinum, quatenus ille concursus vicino suo bonus est. Quæ bene notanda, & discernenda sunt Confessario.

Nemesis.

51 Seu indignatio est affectus, quo quis tristatur bona temporalia (nam in spiritualibus non potest habere locum) ut divitias, dignitates, officia, beneficia &c. obvenire impiis, vel indignis. Quo ipso differt ab invidia, qua quis tristatur de bono alterius, non quatenus alteri indigne obvenit, sed quatenus suam excellentiam obscurat ex superbia. Hæc affectio, & tristitia vitiosa est, & mala, si tendat in bonum proximi indigni, aut quatenus absolute bona proximi sunt, sic enim est contra charitatem, qua proximo quodvis bonum suum velle, & gaudere debemus, aut quatenus talia bona ex dispositione divina ob certos, & semper bonos fines, etiam indignis, proveniunt: sic enim sapit blasphemiam,

miam, & est contra Voluntatem Dei, cui voluntas nostra in volito formali cognito semper conformari debet. Unde contra hanc tristitiam dicitur Ps. 36. *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in vita sua, in homine faciente injustitias &c.* Bona autem, & licita potest esse hæc tristitia, & affectio *Nemesis* de bono indignis contingente, si bona considerentur, prout humana voluntate contra justitiam, & voluntatem indignis obveniunt, aut prout ei indignus ad peccandum abutitur. Sic Nav. *c.*22.*n.*118. cum Layman *l.*2.*tr.*3.*c.*10.*n.*2.

§. II. *Ira.*

52 I. DEfinitur communiter, inordinatus appetitus vindictæ. Sed explicatius noster Marchant. *t.* 2. *tr.* 8. *tit.* 8. *q.* 2. *concl.* 2. Inordinata animi commotio vindictam, vel quasi vindictam inordinate, vel injuste appetentis. Iræ enim peccaminosæ duplex est inordinatio. Una ex parte ipsius motus iræ, seu modi irascendi, ut si nimium interius excandescas, vel exterius per signa nimis patefacias. Altera ex parte objecti, seu vindictæ, ut si proximo appetas vindictam injustam, vel justo majorem.

II. Ira inordinata primo modo, quoad motum passionis, seu modum irascendi animum, est peccatum veniale ex genere suo. Est enim excessus voluntarius in passione animi de se indifferente, quippe quæ etiam bona, & virtuosa esse possit, ut si ea utamur ex motivo virtutis, & zelo justitiæ, ad propulsandum, vel vindicandum malum peccati in nobis, vel aliis nostræ curæ commissis; juxta illud Psal.4. *Irascimini, & nolite peccare:* excessus autem, vel inordinatio in re indifferenti per se culpam venialem non excedit, juxta regulam jam sæpius repetitam. Recte tamen docet *Marchant. cit.* iram etiam hac inordinatione motus etiam seclusa vindicta injusta, evadere peccatum mortale ratione enormis excessus, & deformitatis in irascendo, cum quis deliberate, sciens, & volens motus iracundiæ adeo excrescere finit, vel facit, ut erumpat in enormes gestus, clamores, tunsiones, spumas, membrorum contorsiones, ut gravissima injuria hominis constitutionem afficiat. Talis utique peccat mortaliter. Quia imaginem Dei, ac creaturam rationalem enormiter dehonestat, & deturpat, maximeque agit indecenter substantiæ rationali. Unde Sancti Patres passim docent per iram hominem mutari in feram: immo in demonem. Et recte tres solent assignari iræ species. *Rancor, Insania, Furor.* Rancor est ira, quatenus causat, & continet internam indignationem, aversionem, odium, vindictam, &c. Insania, quatenus mentem rationis usu privat. Furor, quatenus in ejusmodi inordinatos, & enormes motus erumpit.

III. Ira inordinata secundo modo, quoad inordinatum appetitum vindictæ inferendæ, est peccatum mortale ex genere suo: quippe directe repugnans Charitati, quatenus proximo inordinate malum appetit, ac etiam justitiæ, si actu in injustas vindictas erumpat. Hujus communiter quatuor assignantur gradus. 1. Cum quis appetit vindictam in immeritum. 2. Etsi in meritum, tamen ultra meritum. 3. Etsi in quomodocumque meritum, tamen præter ordinem: ut si inimico appetas vindictam, vel pœnam propria auctoritate per te infligendam. 4. Etsi omnibus his servatis, tamen appetatur vindicta non ad debitum, ut justa est, ex zelo justitiæ, ac odio iniquitatis; sed mere, ut satiativa animi tui malevoli ex odio personæ amore proprio, vindicandi libidine. Tribus prioribus modis est peccatum contra justitiam, quarto modo contra charitatem tantum, ubique mortale ex genere suo, de quo nulla difficultas.

IV. Ira utrovis modo inordinata merito computatur inter peccata capitalia, quippe plurimorum peccatorum, ac malorum caput, & origo, quæ nimis nota. Sex tamen ejus peculiares filiæ, ac soboles enumerantur a D. Greg. *lib.* 31. *moral. c.*17. Nimirum *indignatio, tumor mentis, clamor, contumelia, rixa, blasphemia.* Ira enim aut remanet intus in corde, & sic innascitur *indignatio*, seu aversio, & affectus inordinatus in proximum, ex eo quod apprehendat se indigne a tali tractari. Et consequenter 2. nascitur *tumor mentis*, quo quis morose excogitat diversas vias vindicandi, iisque cogitationibus animum tumefacit, & inflat: & tunc est peccatum pro ratione vindictæ cogitatæ gravis, vel levis, mortale, vel veniale. Indignatio autem plerumque veniale est, nisi ad gravem proximi contemptum procedat. Aut ira ulterius erumpit in os, & sic 3. nascitur clamor, indignationis index; cum iratus vocem tollit, multa inordinate, & confuse effundens. Id Christus. *Matth.* 5. significat per vocem *raca*, quod nihil distincte significat, sed solum motum indignationis exprimit. Et hic clamor per se peccatum veniale est. Consequenter autem 4. nascitur *contumelia*, interni contemptus index, qua quis proximo malum objicit intentione illum inhonorandi, quod Christus expressit per verbum *fatue*, quo omnis contumelia aperta significatur. Peccatum mortale ex genere suo. Aut ira erumpit in ipsum opus, & actualem vindictam, & sic 5. nascitur *rixa*, percussio, vulnera, cædes. Et consequenter, maxime, si vindicta non succedat 6. etiam *blasphemia* in ipsum Deum. Omnia mortalia ex genere suo, de his nulla controversia. Hæc quidem jam supra Tractatu Procemiali in fine de peccatis Capitalibus descripta, hic propter ordinem repetere libuit.

§. III. *Discordia.*

DEfinitur *a S. Th. q.*37. *a.* 1. Dissensio voluntatum circa bonum, quod ex charitate amare debemus. Opponitur Charitati, quæ necessario causat concordiam, consensionem, & pacem voluntatum in bonum. Et hinc dicitur 53

I. Dissensio voluntatum *circa bonum.* Nam dissensio, & discordia voluntatum circa malum, non mala, & vitiosa, sed bona, & laudabilis est. De qua Salvator Matth. *non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim saparare hominem adversus patrem suum &c.* docens nimirum, ne parentibus quidem, aut cognatis consentiendum, aut obtemperandum esse circa malum, sed generose repugnando, cum ad malum inducere, vel a bono proposito impedire vellent. Ut etiam alibi significat, se sequentibus præcipiens odium parentum, & cognatorum.

II. *Circa bonum, quod ex Charitate amare debemus:* seu in quo cum proximo consentire tenemur, utpote quod necessarium, & utile est ad Dei gloriam, & nostram, aut proximorum salutem spiritualem, vel corporalem; in his enim scienter proximo dissentire est peccatum contra charitatem, juxta rationem materiæ gravis, vel levis, mortale, vel veniale. Communis DD.

III. Nullum autem peccatum discordiæ erit dissentire a proximo circa aliquod bonum, in quo concordare obligati non sumus; utpote si socio petente, ut cum eo in Religionem intres, certam peregrinationem suscipias, consentire nolis, utique non peccas. *Omnes cum S. Th. cit.* Item, si nolis consentire, ut proximus consequatur aliquod bonum ipsi non debitum, non quod ipsi bonum non faveas, sed quod tuam, vel alterius commoditatem præferas proximo.

IV. Denique dissensio voluntatum ex ignorantia inculpata orta, cum scilicet unus hoc, alter aliud rationi magis consentaneum, aut Dei honorem, vel proximi utilitatem convenientius judicat probabili ratione (qualis fuit dissensio inter Paulum, & Barnabam) culpa vacat per se loquendo; salva nimirum alias charitate, & secluso scandalo, ut ex *S. Antonino* notat Laym. *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 11. *n.* 1.

§. IV. *Contentio.*

DEfinitur a S. Thoma 2.2.*q.*38.*a.*1. *Impugnatio veritatis, cum confidentia clamoris.* Explico breviter. 54

I. Impugnatio veritatis dupliciter fieri potest, vel intentione formaliter: ut cum quis veritatem cognitam, & agnitam impugnat, vel intentione virtuali, ut cum quis impugnat doctrinam aliquam perinde habens, sive falsa, sive vera sit, aut ignorantia culpabili, vel crassa putat esse falsam, quam tamen posset, & deberet scire esse veram.

II. Contentio utroque modo (dummodo serio fiat, non solum exercitii, disputationis, vel alterius scientiam examinandi, vel explanandi causa, quod licite fit) ex genere suo mortale est contra charitatem, qua tenemur cum proximo consentire in bonis ipsi necessariis, veritas autem sæpe necessaria est proximo, cum quo contendimus, vel iis, qui audiunt; utpote si contendatur de re ad salutem animæ, vel corporis, ad famam, vel fortunam pertinente; tunc enim impugnare contentiose veritatem, utique est peccatum contra charitatem. Et quidem scienter impugnare veritatem agnitam, maxime in rebus fidei, & salutis, est peccatum gravissimum in Spiritum Sanctum, scilicet *agnitæ veritatis impugnatio.* Unde merito Apostolus *ad Galat.* 5. inter peccata carnis Spiritui contraria, & a Regno Dei excludentia numerat contentiones, & rixas.

III. Additur: *cum confidentia clamoris.* Quod licet ad essentiam contentionis non pertineat, est tamen circumstantia accidentaliter aggravans, contentioni vitiosæ plerumque conjuncta. Et monet *S. Th. cit.* etiam falsitatis impugnationem de se bonam, & laudabilem, sæpe tamen vitiari inordinatione clamoris, gestuum &c. Item ex circumstantiis personarum, loci, temporis non congruentibus, in quibus plerumque peccatum veniale, & quandoque etiam mortale intervenire potest ratione scandali alieni; aut lapsus proximi &c. idque maxime in contentione, vel disputatione de rebus Fidei, dum aut non satis doctus, aut coram non doctis, & simplicibus contendit, ut alibi notatum est. Et hinc.

IV. In jure Canonico *c. Quicumque de hæreticis* §. *inhibemus in 6.* sub excommunicationis sententia ferendæ prohibetur laicis, ne publice, vel privatim de Fide disputent, quod tales plerumque in rebus Theologicis non satis versati sint. Verum hæc prohibitio locum non habet in casu necessitatis, vel utilitatis magnæ, aut ipsius hæretici, errantis adversarii, aut Catholicorum simplicium audientium, si laicus satis doctus, & sufficiens sit, ut observat Sanch. *lib.*2. *mor. c.*6.*n.*7. Idque maxime in nostris partibus, ubi Hæretici tolerati cum Catholicis permixti sunt, & consuetudo viget, ut laici saltem privatim cum hæreticis disputent; idque sæpe utiliter, ac fructuose, immo sæpe fructuosius, quam si Ecclesiastici, vel Religiosi sint. Ut cum *Valent.* notat *Laym. cit. n.* 3.

CAPUT VII.

De Religione, & Oratione generatim, ac Horis Canonicis Remissive.

SECTIO I.

Quid sit Religio, quis ejus actus.

SUMMARIUM.

1 *Religio non pro certo statu, sed pro virtute sumpta*
2 *Est* virtus moralis, *inter omnes virtutes morales præstantior.*
3 *Reductive spectans ad virtutem justitiæ.*
4 *Ejus objectum materiale* quod *est cultus Deo, tamquam objecto* cui, *exhibendus;*
5 *Qui necessario præsupponit duos actus intellectus, & perficitur duobus actibus voluntatis ordinarie*
6 *Elicito scilicet, & imperato.*

1 Religio sic dicta, vel a religendo juxta Isid. *l.* 10. *Ethim. c.* 17. vel a religando juxta Lactant. *lib.*4. *Divinarum institutionum c.*28. vel a relegendo juxta Ciceron. *lib.*2. *de nara Deorum*. Dupliciter sumitur. I. Pro virtute speciali, qua Deo debitus cultus exhibetur: & de hac agimus in proposito. II. Pro statu certo, vel Congregatione hominum Deo vero cultum exhibentium, aut universali, ut olim fuit Synagoga Judæorum, & modo est Ecclesia Catholica: aut particulari, ut sunt certi Status, vel Congregationes hominum per tria vota obedientiæ, paupertatis, & castitatis specialiter Divino cultui, & servituti mancipatorum, & velut religatorum; qui proinde velut antonomasticè dicuntur Religiosi, & eorum Status vel Congregationes, Religiones. De Religione tantum ut virtus est, sermo est. Et sit

ASSERTIO I.

Religio est virtus moralis, qua Deo tanquam primo rerum omnium principio, ac Domino excellentissimo debitus cultus exhibetur, cujus proinde actus immediatus elicitus est Devotio: mediatus vero, & imperatus est ipse cultus Dei internus, vel externus. Communis.

§. I. *virtus moralis.*

2 Virtus quidem, quia vere bona qualitas mentis, quæ habentem perficit, & opus ejus bonum, honestum, & laudabile efficit: colere enim Deum maxime bonum, honestum, ac laudabile. *Moralis* vero, non *Theologica*, quia actu suo immediate elicito non tendit in Deum, ut immediatum objectum suum; sicut virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas; ut suis locis explicatum est. Sed immediate tendit in cultum Dei, tamquam immediatum objectum *Quod*; & solum immediate, ac ultimate tendit in Deum, ut objectum *Cui*, cui scilicet Religio tendit, & satagit debitum cultum exhibere. Vide dicta *c.* 1. *sect.* 1. *in explicatione definitionis Fidei*.

Hoc ipso tamen Religio est omnium virtutum moralium præstantissima, quia licet, ut cæteræ virtutes morales, immediate ordinet hominem ad operationem moralem convenientem substantiæ rationali, scilicet debitum cultum exhibere Deo; tamen per hoc ipsum post virtutes Theologicas super omnes alias virtutes morales, maxime, & perfectissime hominem ordinat ad ipsum Deum, ut ex se patet, cum reliquæ virtutes morales potissimum hominem ordinent ad se ipsum.

3 Reducitur tamen virtus Religionis ad virtutem Justitiæ quę reddit cuique, quod suum est, seu quod ipsi jure debetur. Differt tamen, & deficit a Justitia rigorosa, & humana, quia hæc reddit alteri debitum secundum perfectam æqualitatem, Deo autem non potest ab homine, vel creatura ulla reddi debitum ad perfectam æqualitatem, nec potest ei tantum exhiberi, quantum ei debetur. Redditur tamen ei debitus cultus secundum considerationem humanæ facultatis, & acceptionis Divinæ, ut pulchre explicat S. Thom. 2. 2. *q.* 81. *a.* 5. *ad* 3. Ubi jam obiter nota, Supremum Dei cultum esse Sacrificium Missæ, quia aliquatenus æqualis Deo ob infinitam dignitatem Hostiæ oblatæ.

Hinc quamvis generatim differant hæc quatuor: *Religio*, qua Deo: *Pietas*, qua parentibus: *Observantia*, qua personis in dignitate constitutis: *Gratitudo*, qua Benefactoribus debitus cultus exhibetur; respectu tamen ipsius Dei omnia in se sunt eadem virtus Religionis, qua nimirum Deo supremo omnium Domino, Principio, ac Parenti, Benefactori debitus cultus exhibetur, ut bene notant Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 36. *dub.* 2. *n.* 15. Tanner. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 1. *dub.* 2.

§. II. *Qua Deo, rerum omnium Principio.*

4 Exprimitur differentia Religionis ab omnibus aliis virtutibus moralibus nimis manifeste, simulque significatur ejus duplex objectum proximum *quod*, & ultimatum *cui* tam materiale, quam formale. Religionis objectum proximum *quod* materiale quidem est ipse cultus Deo exhibendus, seu actiones illæ, quibus Deum colere intendit, & satagit Religio, ut inclinationes, genuflexiones &c. Objectum vero formale, seu ratio formalis, quam Religio in cultu Deo exhibendo per se requirit, est ratio debiti. Quemadmodum enim Justitia humana reddens homini, quod suum est, in eo per se non respicit rationem boni ad proximum, ut nimirum per illud redditum proximo bene sit (hoc enim proprium est charitatis) sed per se respicit rationem debiti, quia justum est, & jure illi debitum: ita Religio velut specialis Justitia erga Deum, reddens Deo debitum in cultu Divino exhibendum per se non respicit rationem boni erga Deum, ut per illum cultum quasi Deo bene sit, quatenus ipsi placet, & quasi gustum facit (hoc enim proximum est charitati Divinę) sed per se respicit rationem debiti, quia nimirum Deo ad summam ejus excellentiam, & supremum dominium in omnes, cultus tali jure debitus est. Tu, si sapis, & in colendo Deo meriti avidus es, in cultu tuo junge rationem utramque & debiti, & boni, seu placiti Divini.

Objectum Religionis ultimatum *Cui*, *materiale* quidem est ipse Deus unus, & Trinus quoad Essentiam, & omnem infinitam perfectionem suam. Objectum vero formale, seu ratio formalis, quam Religio in ipso Deo colendo per se respicit, est summa, & infinita ejus excellentia, & eminentia super omnia creata, & specialiter super hominem, quatenus nimirum est primum rerum omnium principium, & Eminentissimus Dominus vitæ, & mortis, &c. Quibus bene notatis liquido patet differentia Religionis a Charitate, quæ amat Deum ut summum bonum, & actiones omnes refert ad Deum, ut bona, & placita Deo. Religio autem colit Deum, ut summe excellentem, & actiones refert ad Deum colendum, ut quid debitum Deo. Iterum moneo, junge semper utramque rationem.

§. III. *Debitus cultus exhibetur.*

Exprimitur actus proprius virtutis Religionis, quæ licet sit virtus moralis voluntatis, necessario tamen pręsupponit duos actus ex parte intellectus, & duos ad minimum actus exercet ex parte voluntatis, hoc ordine. I. Judicium speculativum ex parte intellectus de summa Dei super omnes excellentia, & nostra omnimoda subjectione, quod ad Fidem spectat. II. Judicium practicum, seu dictamen intellectus, Deo ob summam ejus excellentiam debitum, & congruum cultum esse exhibendum, tum in genere, tum in particulari, seu hic, & nunc talem, vel talem v. g. Sacrificium Missę &c. III. Sequitur actus voluntatis huic judicio practico consentientis, quo scilicet voluntas acceptat, vult, & statuit Deo debitum cultum exhibere, tum in genere semper data occasione, tum in particulari, seu hic & nunc talem, vel talem, v. gr. audire Missam &c. Et hic actus proprie dicitur & est devotio, de qua mox. IV. Denique ordinarie debet sequi alius actus sive in voluntate, sive in aliis potentiis internis, vel externis a priori imperatus, quo nimirum voluntas religiosa hic & nunc vult, & intendit colere Deum v.g. orando, adorando &c. & hic dicitur actus Religionis imperatus: suntque diversissimi interni, & externi. 5

§. IV. *Cujus proinde actus?*

Religionis actus immediatus, elicitus, & semper internus voluntatis est devotio, seu voluntas, & intentio colendi Deum. Devotio enim proprie nihil aliud est, quam prompta voluntas, seu promptus, & fervidus voluntatis affectus faciendi ea, quæ ad Dei cultum, obsequium, ac servitium pertinent, quo nimirum homo Deo se quasi devovet, tradit, & mancipat ad servitium, & cultum ejus pro conditione status sui, sic enim olim apud Gentiles devoti dicebantur, qui se idolis devovebant ad mortem. 6

Religionis actus mediatus, & imperatus est ipse cultus Dei, seu actiones illæ, quibus Religionis virtus intendit, & satagit colere Deum: eæque diversissimæ; aliæ sunt internæ tantum, ut Orationes, & affectus mentales erga Deum; aliæ internæ, simul & externæ (externæ sine internis nihil valent) ut adorationes, genuflexiones, Sacrificia, & cætera innumera. D. Thom. 2.2.*q.* 82. *art.*4. universaliter undecim enumerat actus Religionis: *Devotio*, *Oratio*, *Adoratio*, *Sacrificium*, *Oblatio*, *Primitiæ*, *Decimæ*, *Votum*, *Juramentum*, *Adjuratio*, & *Laus Dei*. Ad hos nimirum referri debent omnes prorsus observationes sacræ, cæremoniæ ad cultum Dei ordinatæ: ut erectio Ecclesiarum, Altarium, celebratio Festorum, observatio jejuniorum, usus rerum ab Ecclesia benedictarum, & maxime omnium usus Sacramentorum a Christo institutorum. Omnes enim hæ actiones quatenus ad cultum Dei referuntur, sunt actus speciales virtutis Religionis. Verum de aliis alibi præsertim in secundo, & tertio Præcepto per totum. Solum oratio, & adoratio, ac cultus Dei ad primum Præceptum Decalogi, & nostrum propositum spectant.

SECTIO II.

De Oratione generatim.

SUMMARIUM.

7 *Oratio proprie dicta, seu petitio ad aliquid impetrandum Deo facta*
8 *Est* actus virtutis Religionis:
9 *Ex parte intellectus duos actus* supponens, *scilicet cognitionem practicam summæ Dei Excellentiæ, Potentiæ, Bonitatis &c. & cognitionem nostræ subjectionis, dependentiæ &c.*
10 *Duos vero necessario, & velut* essentialiter *involvens: scilicet desiderium in voluntate, & propositionem, vel expressionem in intellectu.*

ASSERTIO II.

ORatio proprie dicta est actus virtutis Religionis, quo homo Deo omnium bonorum Auctori, ac principio, subditum se esse agnoscens pro aliquo bono impetrando supplicat, ideoque duos necessario actus supponit ex parte intellectus, & duos essentialiter involvit, nimirum desiderium voluntatis, & propositionem intellectus. Est in re communissima. Definitionem in terminis tradit noster March. Tribun. *tom.2. tract.2. p.2. tit.2. qu.1.*

EXPLICATIO.

7 I. ORatio *proprie dicta est &c.* Oratio enim generatim, & late sumpta dicitur quæcumque pia mentis affectio, & elevatio in Deum, proprie vero, & stricte, dicitur petitio facta Deo pro impetrando aliquo bono. Unde tam variæ sunt apud SS.PP. & DD. definitiones orationis. S.Damascenus *lib.3.* Orth. Fid. *c.24.* ait, *oratio est ascensus mentis in Deum*. D.Greg. Nissen. in *lib.* de oratione: *Oratio est conversatio, sermocinatioque cum Deo*. D.August. *serm.230.* De tempore: *Est ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium*. Et Auctor libri de spiritu, & anima *cap.50.* In operibus S. August. *tom.3. Oratio est conversio mentis in Deum per pium, & humilem affectum*. Alii aliter. Omnes de Oratione large sumpta. De proprie vero sumpta Oratione D.Basilius orat. in Julitam Martyrem *Oratio est boni cujusdam petitio, quæ a piis ad Deum effunditur*. D. Bern. de scal. claustra. *c.1. Oratio est devota cordis intentio in Deum pro malis amovendis, & bonis adipiscendis*. D. Thom. 2.2.*q.83. a.1.* & cum eo communis DD. *Est petitio rerum decentium impetrandarum a Deo immediate vel mediate ad cum directa*. Item, *est actus rationis practicæ, desiderium animæ coram Deo explicantis, ut aliquid ab eo impetremus*. Alii aliter, sed in re fere coincidunt, omnesque vere. Præstat nostra claritate terminorum.

8 II. *Est actus virtutis Religionis*. Nam actus *primo* immediate elicitus Religionis, scilicet devotionis, est prompta voluntas colendi Deum cultu debito summæ ejus excellentiæ. Actus secundo elicitus, vel, quod idem est, immediate imperatus, atque excellentissimus Religionis est Oratio, quo homo perfectissimo modo summam excellentiam Dei, bonorum omnium Auctoris, & principii, suamque subjectionem, dependentiam, & egentiam agnoscens, & protestans, ab eo bonum simpliciter petit, & postulat: oratio ergo adæquate sumpta varios involvit actus in *Assertione* indicatos.

9 III. *Duos supponit actus ex parte intellectus*. I. Ex parte intellectus supponit cognitionem practicam Divinæ summæ Excellentiæ, Potentiæ, & Bonitatis, quam sequitur firma Fides, & Spes, seu fiducia rem postulandam impetrandi a Deo: utpote qui possit, quia summe potens, & qui velit, quia summe bonus, & fidelis in servandis tot, & tantis promissionibus factis orantibus ipsum. Hæc fiducia est simpliciter necessaria ad Orationem utilem, & efficacem: ut fuse docet Salvator Luc.11. in parabola de tribus panibus. Item Jacobi 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur; non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino*. Et ad Hebræos 4. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur*. Et quia hæc fiducia est actus Spei Theologicæ necessario ad Orationem requisitæ, ideo ratione hujus oratio etiam dicitur, & est actus Spei, atque ad illam reducitur. II. Ex parte intellectus oratio supponit practicam cognitionem nostræ ad Deum subjectionis, dependentiæ, indigentiæ, seu impotentiæ, & infirmitatis, præsertim quoad hoc, vel illud bonum impetrandum; quam cognitionem ex parte voluntatis rursus sequitur humilis submissio sui ipsius ad Deum omnium bonorum Auctorem, & principium juncta cum devotione, seu humili voluntate Deum orandi pro bono impetrando; & hic actus est propriissimus Religionis, & necessario debet concomitari orationem utilem, & efficacem: juxta illud: *Respexit in orationem humilium*. Psalm. 101. Et Eccl.35. v.21. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*. Qua ratione supra definita est Oratio: *Conversio ad Deum per pium, & humilem affectum*. Unde passim propriæ Orationis conditiones, & comites assignantur Fides, Spes, & fiducia impetrandi a Deo ex parte Dei; & humilitas, seu submissio, ex parte nostra.

IV. Et duo necessario involvit, & propositionem intellectus, & desiderium voluntatis. Hinc jam essentialiter incipit Oratio serio voluntatis desiderio, & intentione impetrandi hoc, vel illud, vel quodvis bonum a Deo, & ratione hujus actus. Oratio supra a SS.PP. definitur. *Conversio mentis in Deum, pius mentis affectus in Deum: Invisibilium desiderium &c.* 10

Denique necessarius est actus intellectus practicus illud voluntatis desiderium coram Deo exprimens, quemadmodum desiderium nostrum coram homine exprimimus voce, vel scripto, & ratione hujus actus Oratio supra definitur: colloquium, seu collocutio familiaris cum Deo expressi desiderii. Certum porro est, Orationem adæquate sumptam necessario, & quasi essentialiter includere utrumque actum, & desiderium voluntatis, & expressionem intellectus, neque enim oratio consistere potest in solo desiderio, vel affectu voluntatis, quantumvis enim quis desideret, si suum desiderium non exprimat, non dicitur orare, vel petere: quod autem dicatur Psalm. 9. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*; non intelligendum est de desiderio muto, vel de desiderio, actu, vel locutione mentis expresso, vel potius significatur propensio Dei ad audiendum; quia scilicet dum adhuc aliquid in desiderio pauperum est, antequam etiam proponant, vel exprimant, Deus exaudit juxta illud Isai. 65. *Antequam clament, ego exaudiam*. Et recte notat S. Thom. *citat. quæst. 83. artic. 1. ad 1.* Multo minus Oratio potest consistere in solo aliquo actu intellectus, nisi simul etiam adsit desiderium, ac pius affectus, vel motus voluntatis in Deum, ut omnes concedunt. Quæritur vero, an Oratio præcise, & formaliter constituenda sit in desiderio voluntatis, an vero in actu expressivo intellectus. Quæstio speculativa est:

Scotistæ volunt esse actus voluntatis volentis, desiderantis, jubentis, instituentis: Thomistæ vero, & plerique alii volunt esse actus intellectus practicos exprimentes actus voluntatis petentis, jubentis. Unde communiter definiunt, orationem esse actum rationis practicæ desiderium animæ coram Deo explicantis, ut aliquid ab ipso impetretur. Utraque sententia bona est: ac per hoc patet responsio ad quæstionem: an Oratio pertineat ad intellectum, vel ad voluntatem. Theologus Moralis dicit verissime spectare ad utrumque: de formalitate metaphysica permittit rixari Scholasticos. Reliqua ad Orationem pertinentia per duas sequentes Sectiones breviter expediemus.

SECTIO III.

Quis, quibus, pro quibus, & quid orandum.

SUMMARIUM.

11 Absolute, & terminative *orandus est solus Deus.*
12 *Angeli vero & Sancti, seu justi tam in cœlo, quam in terra adhuc existentes, solum* transitive, & respective, *tamquam Patroni.*
13 *Uti probabilius etiam animæ in purgatorio.*
14 *Orare soli creaturæ rationali competit.*
15 *Et quidem utilissime orant viatores etiam peccatores.*
16 *Ac etiam utiliter pro nobis Sancti in cœlis.*
17 *Uti & animæ in purgatorio pro se ipsis.*
18 *Pro quibus orandum, aut utiliter orari possit.*
19 *Quid orandum, seu licite peti possit ab orante.*

§. I. *Quis orandus.*

I. SOlus Deus, Optimus, Maximus absolute, & terminative orandus est; tanquam supremus, & absolutus Auctor omnium bonorum Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ. *Omnes*. Ratio est: quia solus Deus sua Potentia, Providentia, & Bonitate pro libera voluntate omnino dispensat; solus habet potestatem vitæ, & mortis, ut proinde B. Virginem, vel alium Sanctum orare absolute, & terminative tamquam Auctorem principalem alicujus boni, vel beneficii, verus sit actus idololatriæ, ut suo loco videbimus. 11

II. Angeli, & Sancti in Cœlis utiliter orandi, & invocandi sunt, sed, ut jam innui, solum transitive, & respective tanquam Patroni, & Intercessores nostri apud Deum omnium bonorum Auctorem. Est de Fide Catholica, ex professo latius asserendum, & defendendum *c. sequenti.* 12

III. Etiam Sancti, seu Justi in terris existentes recte, utiliterque orantur, seu invocantur ut Patroni, vel Intercessores nostri apud Deum. De Fide ex Scriptura passim. Jerem. 42. *Vos enim misistis me ad Dominum Deum vestrum, dicentes: Ora pro nobis ad Dominum Deum nostrum &c.* ad Rom. 15. *Obsecro ergo vos fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum &c.* Jac. 5. *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.*

IV. Animæ in purgatorio non sunt orandæ, vel invocandæ, 13

dæ, eo quod pro nobis orare non soleant, juxta communem DD. *cum D. Thom. cit. q.83. art.11. ad 3.* rationem dante: illi, qui sunt in purgatorio, nondum fruuntur visione Verbi, ut possint cognoscere ea, quæ nos cogitamus, vel dicimus, & ideo eorum suffragia non imploramus, orando. Contrarium tamen longe probabilius docent Joann. Medina *cap. de orat. qu.4. verbo de animabus*. Bellarm. *lib.2. de purgat. cap.15.* Suarez, & alii, tum quia possunt in genere orare pro iis, qui eis benefaciunt, vel earum Orationes implorant: tum quod Angeli Custodes eis Orationes nostras deferre, vel alio modo Deus illis nostras miserias manifestare possit. Accedit, quod ex Scriptura Sacra constet, animas Patrum veteris Testamenti, dum in Limbo detinebantur, pro populo orare solitas. Jer. 15. & 2. Machab. ultimo: ubi de Jeremia defuncto dicitur; *Hic est, qui multum orat pro populo*. Quidni probabile sit? immo piorum praxi, & bono effectu sæpius comprobatum.

§. II. *Quibus orandum*.

14 I. ORare soli creaturæ rationali competit. *Ratio* omnium est: quia Oratio est actus rationis, & subjectionis ad alterum, adeoque supponit indigentiam boni postulati, quæ duo soli creaturæ rationali competunt, Deo, brutisque repugnant, ut per se clarum est.

15 II. Viatores justi utilissime orant, cum sint in statu gratiæ, & amicitiæ cum Deo, ideoque facilius, & efficacius impetrent petita, & insuper mereantur sua oratione: quin etiam peccatores utiliter orant, & exaudiuntur. Communis cum D. Thoma 2.2. *qu.13. art.16.* Et expresse D. Aug. *tr.44.* in Joannes dicens: *Si peccatores Deus non exaudiret, frustra ille Publicanus oculos in terram dimittens, & pectus suum percutiens diceret: Deus propitius esto mihi peccatori.* Et D. Chrysost. Auctor operis Imperfecti explicans verba Christi Matth. 7. *Omnis, qui petit, accipit*: addit: *Sive justus sit, sive peccator*, dummodo rite oret. *Ratio* est quia orationis proprius effectus impetratio non nititur justitia, seu statu gratiæ, sicut meritum solum, sed tantum gratia, misericordia, & liberali Dei promissione, qui dives est, ac pius in omnes, justos, ac impios. Ad illum cæci nati Joan.9. *Scimus, quia Deus peccatores non audit*: Respondit S. August. *cit.* Esse dictum nondum Spiritu Sancto inuncti, seu perfecte illuminati, & ideo non esse ratum. Quamvis possit ratificari (ait S. Thom. *cit.*) si intelligatur de peccatore, in quantum peccator est: utpote, qui vel cum actuali affectu peccati, vel pro ipso affectu peccati petat: hunc enim Deus non exaudit ex mera misericordia, nisi quandoque ad vindictam: juxta illud D. Aug. *tract.73.* in Joan. *Deus quædam negat propitius, quæ concedit iratus*. Denique proprius sensus illius cæci videtur esse, quod Deus peccatores non exaudiat ad patrationem miraculorum in confirmatione falsæ fidei, & consequenter Christum non potuisse tunc facere miraculum, nisi ejus vita, & doctrina esset justa, vera, & a Deo.

16 III. Sancti in cœlis utiliter orant pro nobis. De Fide Catholica ex professo probandum *c. seq.* Quia ipse etiam Christus, ut homo, etiam nunc in cœlis, vere, & proprie orat Patrem pro nobis. Ut colligitur ex verbis ejusdem Joann. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Ad Hebr.7. *Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Rom.8. *Christus Jesus &c. qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Quamvis aliqui hanc interpellationem, vel intercessionem Christi apud patrem pro nobis intelligant non de oratione proprie dicta, eo quod Christus jam plenissime peracto Redemptoris, & Mediatoris officio, nihil novi pro nobis Patrem postulare habeat, sed de continua repræsentatione meritorum Passionis, & mortis Christi: idque ob vitandum scandalum in Fide Divinitatis Christi: ideo Ecclesia non orat de Christo: *Ora pro nobis*; sed simpliciter ut ad Deum *miserere nostri*. Vide Suar. *de orat. disp.54. sect.2.* Less. *lib.2. cap.37. dub.5.* ac alios.

17 IV. Denique de animabus in purgatorio certum est, eas orare pro se ipsis, pro liberatione a pœnis. *Suar. Laym. Less. cit.* Cum enim pœnam, & miseriam suam agnoscant, & sint in desiderio, ac spe liberationis; quid obstat, quin hoc desiderium suum humili ratione Deo repræsentent, saltem ut excitet fidelium mentes ad eas juvandas suis suffragiis, cum juxta communem sententiam ipsæ suam liberationem immediate a Deo impetrare nequeant a pœnis debitis ad satisfaciendum Divinæ justitiæ? An vero illæ animæ pro nobis in terris existentibus orent, vide dicta §. *præced.*

§. III. *Pro quibus orandum*.

18 I. PRo se quisque viator, & homo pro homine viatore, in communi, & particulari, etiam peccatore, quantumvis obstinato, etiam inimico, orare potest, & quandoque debet. *Certum de fide*. Sumitur partim ex praxi Ecclesiæ, partim ex verbis Apostoli 1. ad Timot. 2. *Obsecro vos primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*. Jac.5. *Orate pro invicem, ut salvemini*. Et late Christus Matt. 5. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*. Ratio est: quia cum omnes indigeant gratia Dei, ut salvi fiant, omnia eis auxilia ad id necessaria desiderare, & petere possumus: immo ex charitate, & speciali occurrente necessitate, etiam debemus. Justis, quidem ut perseverent, petere possumus, injustis autem, & peccatoribus, ac inimicis, ut convertantur; cum Deo impossibile non sit, etiam durissima corda emolliri. Et licet in speciali pro hoc, vel illo præsertim peccatore, vel inimico positive orare non teneamur, seclusa speciali ejus necessitate, in orationibus tamen communibus pro omnibus fusis (ut sunt Oratio Dominica, & Orationes communes Ecclesiasticæ) tenemur etiam includere quosvis peccatores, vel inimicos, ita ut mortaliter peccaret, qui aliquem eorum positive excluderet. Juxta communem doctrinam in materia de charitate proximi. Vide Suar. *cit.c.15.§.16.* II. Pro animabus in Purgatorio, ut a pœnis liberentur, salubriter oratur. *Certum de fide*, etiam in veteri Testamento *cit.* Machab.2. *c.12. Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Quo loco D. Aug. *lib. De cura pro mortuis habenda c.11.* addit. *Etsi id numquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, tamen sufficere deberet universæ Ecclesiæ in hac consuetudine clara auctoritas*. Et de verbis Apost. *c.32.* ait: *Orationibus S. Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, eleemosynis, quæ pro eorum spiritualibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt: Hoc enim a PP. traditum universa observat Ecclesia.*

Neque solum licet, sed etiam debet Christianus quandoque orare, vel bene facere pro animabus in purgatorio in communi, & in speciali pro specialiter conjunctis, Parentibus, benefactoribus saltem ex charitate, & misericordia, qua tenemur proximo in necessitate gravi succurrere, cum facile possumus: nam animarum in Purgatorio miseria, & necessitas vere gravis est, iisque per orationes, eleemosynas, Sacrificia, aliaque suffragia facile succurrere possumus, tamquam per medium ordinatum ad earum faciliorem liberationem. III. Nec excusandi sunt a mortali, qui nunquam vellent pro illis animabus, & maxime sibi conjunctorum orare. Praxis facillima est, si nihil speciale velis orare, in Orationis Dominicæ ultima petitione: *Libera nos a malo*, pie te reflectas ad miseras illas animas.

IV. Pro Beatis in cœlo ferme non est orandum, sed eis potius pro intercessione supplicandum, cum enim nullo egeant, sed sint in termino suæ felicitatis, quivis sua Beatitudine contentissimus, ideo ipsi nostris orationibus minime, sed nos potius eorum orationibus indigemus, ait Innoc. III. *cap. cum Marthæ, De celebrat. Missar.* D. Aug. *Serm. 17. De verbis Apost. & tr.84. in Joan.* Dixi autem *ferme*, nihil enim obstat alicui Sancto, v. g. speciali Patrono, Fundatori Ordinis majorem gloriam accidentalem in terris, v.g. Canonizationem, effectum miraculorum a Deo desiderare, vel petere, ut refert, & non improbat Innocentius *loc.cit.* Et explicat Suarez *lib.9. cap.14.* vide dicta *De Sacrificio in q. Pro quibus offerendum*. Memini cujusdam devoti B. Virginis, qui, dum ageretur Romæ de definienda controversia Immaculatæ Conceptionis, pie, & lepide alios hortari solebat: *Orate pro B. Virgine, orate diligenter*. An culpandum, & non potius laudandum putas? Pro damnatis orare nefas est, cum in suo statu nec dilectionis Dei nec hominum, nec ullius orationis effectus capaces sint, ut etiam monet D. Greg. *lib.4. Dialog. c.44.*

§. IV. *Quid orandum*.

I. BOna spiritualia gratiæ, virtutis, & Gloriæ principaliter, & absolute petenda sunt, cum ad hominem 19
viatorem quam maxime pertineat desiderare ultimum finem Beatitudinis, & media necessaria ad illum finem, uti sunt bona gratiæ, virtutum, ac bonorum operum, atque ea, quæ opposita sunt, detestari, & fugere, uti sunt peccatum, omneque peccati periculum, tentatio, occasio. Omnia aut hujusmodi bona spiritualia a Deo absolute, & simpliciter petenda Christus plene complexus est in Oratione Dominica omnium perfectissima: quippe in cujus prima petitione petitur Dei Gloria. Secunda nostra Beatitudo. Tertia, & quarta media ad illam consequendam necessaria, & temporalia. Quinta, sexta, & septima mala impedientia amoveri, utpote malum culpæ factæ, vel faciendæ, ac malum pœnæ, ut passim explicant DD. Et præ cæteris S. August. Epist. 162. ad Probam per totam. Ubi *cap.12.* addit: *Quamvis alia verba dicamus, quæ affectus orantis format, nihil aliud dicimus, quam quod in ista Dominica Oratione positum est, si recte, & congruenter oramus*. Absolute autem illa bona spiritualia, & sine conditione petenda sunt, quia illis nemo male uti potest.

II. Quæ hominis bona absolute sunt, ita tamen ut eis male uti possit, ut scientia, artes, corporis vita, sanitas &c. & alia ad eam necessaria etiam absolute a Deo nobis, & aliis petere possumus. Communis apud Suarez *cit. cap.17. nu.2.* Ratio est; Quia dicta bona sunt naturales perfectiones hominis, ideoque secundum se, & absolute appetibilia recta ratione: ergo a Deo velut Auctore eorum recte petuntur, etiam absolute, dummodo animo quis ita affectus sit,

quod in casu, quo secundum Dei providentiam ea bona sibi non expedire intelligeret, petere nolet, sed Divinæ dispositioni acquiescere.

III. Quæ omnino indifferentia sunt, ut abundantes divitiæ, honores, ac dignitates &c. etsi ob bonum finem, & desiderari, & peti a Deo possint, cum revera ad bonos fines utilia sint, adeoque licet secundum se indifferentia, tamen ex intentione boni finis bona honesta, Deo placita, & ad ipsam salutem utilia fiunt, tamen ob summum periculum eis abutendi contra Dei gloriam in nostram perniciem non absolute petenda sunt, sed sub conditione expressa; si ita expediat ad Dei Gloriam, & nostram salutem. Sic PP. & DD. omnes cum D. August. eadem *Ep.162. c.12.* S. Thom. *cit. art.5.* Ratio clara est: quia illa bona homini, supposita ejus infirmitate, revera periculosa sunt, ne iis in Dei offensam, & suam perniciem abutatur. Quare Christus pro majori perfectione, & securitate salutis, ea potius contemni docuit in Evangelio passim. Quamvis ergo quis intendat, & firmiter speret eis bene uti ad salutem suam, aliorumque utilitatem v. gr. pingui beneficio, divite matrimonio, quia tamen de securo eventu incertus est, ideo solum sub conditione, ac in Dei providentiam, & bonitatem relata ea petere oportet.

IV. Licet ad bonum finem sibi, vel aliis quandoque petere corporalia, vel temporalia mala: utpote mortem, morbum, adversitatem, & alia hujusmodi, quæ dicuntur mala pœnæ; quia licet illa naturaliter mala sint, supernaturaliter tamen ad finem altiorem, puta emendationem vitiorum, exercitium virtutis, adeoque Beatitudinem consequendam, vere bona, & utilia esse possunt. At vero petere a Deo rem malam moraliter, seu peccaminosam, quod dicitur malum culpæ, non solum non est actus Religionis, & Oratio, quæ debet esse petitio bonorum, & decentium, sed semper est peccatum mortale, non solum quando res petita est mortaliter mala, v.g. injusta vindicta, victoria injustæ causæ &c. sed etiam si venialiter tantum mala sit, ut si petas, ut mendacio, vel ludo venialiter malo proximum decipere possis. Est enim gravissima, & blasphema in Deum irreverentia, petere ejus concursum, vel auxilium ad rem quamcumque malam, sicque ipsum facere auctorem mali.

SECTIO IV.

Orationis efficacia, necessitas, & divisio.

SUMMARIUM.

20 *Ut oratio in impetrando sit efficax, & infallibilis, quatuor requiruntur conditiones, 1. ut petatur quid necessarium, vel utile ad salutem, 2. pro se ipso, 3. pie, 4. perseveranter.*
21 *Oratio viatori adulto non tantum utilis est, sed etiam necessaria necessitate medii.*
22 *Ideoque etiam necessaria necessitate præcepti Divini, & naturalis.*
23 *Quando orandum.*
24 *Orationis veræ divisiones.*

§. I. *Quæ, & quanta sit Orationis efficacia.*

20 I. PRæter triplicem effectum omni bono operi communem, *meritorium, satisfactorium, & impetratorium:* specialiter proprius Orationis effectus est impetrare rem petitam a Deo, ratione solius Dei Bonitatis, & misericordiæ ex liberali ejus promissione. Atque ut efficacia Orationis in impetrando sit infallibilis, ex Scriptura S. & SS. DD. communiter quatuor requirit conditiones, 1. ut scilicet id, quod petitur, sit necessarium ad salutem. 2. Pro se ipso. 3. Pie. 4. Perseveranter. Explico. Prima conditio secundum Dei promissionem Orationis certo impetrantis est petere necessaria, vel utilia ad salutem. Joan. *c. 16. Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, &c.* Quid autem est petere in nomine Salvatoris, nisi petere necessaria ad salutem? Uti exponit, & optime prosequitur D. August. *tr.102. & 73.* in Joan. ad eum locum dicens: *Non petitur in Nomine Salvatoris, quidquid petitur contra salutem suam: Et ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem: novit enim medicus, quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus.*

Secunda conditio certo impetrantis est petere pro se ipso non item pro alio: nam licet promissio Christi generalis sit, ut se etiam extendat ad Orationes pro aliis fusas: juxta illud Jacob. *cap. 5. Orate pro invicem, ut salvemini &c.* quia tamen petita, quæ ad alterius salutem pertinent, etiam multum pendent ab arbitrio alterius, cum ille alter facile possit iis obicem ponere, facile quoque contingere potest, ut Oratio pro salute alterius fusa non sit efficax, juxta illud Jerem.15. *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Sic August. *tract.* 102. in Joan. dicens: *Ita sane intelligendum, quod ait: dabit vobis, ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ proprie ad eum spectant, qui petit: Exauditur quippe omnis Sanctus pro se ipso, non autem pro omnibus exauditur, vel amicis, vel inimicis suis, vel quibusvis aliis; quia non utcumque dictum est: dabit, sed dabit vobis.*

Tertia Orationis certo impetrantis conditio est, ut sit pia, scilicet cum devotione, & maxime cum firma fide, spe, & fiducia impetrandi, quod petitur. Hoc enim maxime, & ubique exigunt promissiones divinæ, ut Matth.21. *Omnia, quæcumque petieritis in Oratione, credentes accipietis.* Et clarissime exprimit *D. Jacob.* 1. *cap.* supra in definitione Orationis allegatus. Bene ergo dixit *D. Thom. loc. citat.* Orationis meritum quidem pendere a Charitate, vim vero impetrandi principaliter pendere a spe, & fiducia in Deum. Non tamen necessario requiritur, ut fiat Oratio in statu gratiæ, cum etiam peccatores utiliter petant, & certo exaudiantur pro necessariis ad salutem, ut supra dictum.

Quarta conditio Orationis certo impetrantis, ut fiat *perseveranter;* ut scilicet non statim desistamus non audiri visi, sed iterum, iterumque instemus juxta monitum Christi *Luc.18. Oportet semper orare, & non deficere.* Et ex professo late *Luc.11.* De amico, & tribus panibus. Item de Judice iniquo, & importuna vidua. De his vide PP. Interpretes, & concionatores passim. His quatuor conditionibus concurrentibus, Oratio semper infallibiliter impetrat, quas pulchre complectitur D. Basil. *lib.* de orando Deo dicens: *ideo quandoque petis, & non accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non conferentia tibi, vel desisti.*

§. II. *Quanta Orationis necessitas.*

I. ORatio homini viatori adulto, non tantum utilis, & salubris est, sed etiam necessaria necessitate medii ad salutem, secundum ordinarium a Deo ordinatum modum de facto homines salvandi. Omnes cum Suarez *cit. cap.28.* Sumitur ex verbis Christi Luc.11. *Petite, & dabitur vobis:* quasi dicat, nisi petieritis, non accipietis, adeoque petitionem esse necessarium medium ad accipiendum. Item Apost. Rom.10. *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit:* mox addit: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* indicans non minus, quam Fidem, etiam invocationem Nominis divini, seu Orationem esse medium necessarium ad salutem. 21

Ratio autem est: Quia suavis Dei providentia, & ordinatissima dispositio creaturis non solum suos fines, sed etiam media ad illos fines consequendos necessaria, & congrua disponens, creaturæ quoque rationali disposuit, ut ad suum finem Beatitudinem non nisi per actiones liberas, & congruas, tanquam media, perveniret: specialiter autem congruit creaturis rationalibus, ut postquam agnoverunt Deum, sui, & omnium bonorum Auctorem, suæque infirmitatis unicum Adjutorem, se se humiliter subjiciendo, & ejus auxilia bona, & Gloriam desiderent, & petant. Idque non quidem ut nostra oratione immutetur Divina dispositio, & providentia aliud impetrando, quam ab æterno prævidit, & disposuerit Deus; sed ut impetretur id ipsum, quod Deus per Orationes disposuit impetrandum, & nobis largiendum: uti eleganter explicat D. Greg. *lib.1. c.8.* relatus in Jure causa 23. *qu.4. Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt, sed ea, quæ Sancti viri operando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur: Ut scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus Omnipotens ante sæcula disposuit donare.* Hæc ille. Et D. August. *lib.2.* de dono perseverantiæ *cap.16. Constat, Deum alia non orantibus, sicut initium Fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam.* Non itaque oramus necessario, ut vel Deo nostras indigentias, vel desideria antea notissima, manifestemus, vel moveamus Deum ad aliquid largiendum, quod largiri antea non disposuit, cum sit immutabilis, sed ut & hac ratione nostram erga Deum subjectionem, atque in ipsum fidem, atque fiduciam protestemur, & mereamur impetrare illud ipsum, quod nobis per Orationes donare disposuit, inter quæ principalissima est finalis perseverantia: atque hæc est una, & principalis ratio.

II. Oratio quoque necessaria est necessitate præcepti Divini, & naturalis. Communissima cum D. Thom. *art.3. ad 2.* Sequiturque ex dictis. Quod enim est necessarium ad salutem necessitate medii, consequenter etiam adulto est necessarium necessitate præcepti Divini, & naturalis, quo tenetur adultus procurare suam salutem per media a Deo ordinata: atqui medium ordinatum a Deo ad impetranda auxilia, & dona Dei necessaria ad salutem est Oratio, ut dictum: ergo. Nec obligatio hujus præcepti naturalis solum oritur ex Lege Charitatis erga nos ipsos, qua tenemur procurare nostram salutem, sed etiam ex Lege virtutis Religionis, qua tenemur debito cultu nostram erga Deum subjectionem contestari: Idque præceptum naturale adeo insitum est naturæ rationali, ut in eo omnes gentes consentiant; cum nunquam fuerit gens tam barbara, ac infidelis, quæ Deum aliquem, seu verum, seu falsum, aliquo cultu coli negaret. 22

III. Tempora, quibus obligat præceptum hoc orandi Deum, per se loquendo, & ex virtute Religionis, determinari non possunt: necessarium tamen est, ut non nimis diu ab oratione desistamus: juxta verba Christi *Luc.* 18. *oportet semper orare, & non deficere.* 1. Thess.4. *Sine intermis-* 23

termissione orate. Ratio est; quia nullum fere tempus est, quo homo ex innata infirmitate inter tot necessitates, & pericula animæ, & corporis non egeat speciali gratia, & auxilio Divino, ut vel convertatur, si malus, vel perseveret, si bonus. Continuo ergo, & frequenter orandum est, ut saltem per longum tempus, prudentis judicio æstimandum, ab oratione non cessetur. Et probabile est etiam obligare in initio morali perfecti usus rationis, cum scilicet homini practice proponitur Deus Auctor omnium bonorum, suaque indigentia, & dependentia a Deo. Filliucius *tract.*23. *cap.*2. cum aliis.

IV. Per accidens autem, & saltem ex Lege Charitatis sæpius tenetur homo orare ob occurrentem specialem eventum. Quatuor casus assignant DD. communiter. *Primus:* si gravis tentatio superanda sit. *Secundus casus* est: si eximium a Deo beneficium ad salutem necessarium homini impetrandum. *Tertius:* mortis propriæ imminente periculo. *Quartus:* si communitas in magno periculo, vel necessitate constituta sit, ut Dei auxilium ad avertendum malum implorandum esse videatur, cum constet, Deum sæpe succurrere nolle, nisi per Orationes juxta suam providentiam, ergo ad hoc medium a Deo ordinatum adhibendum ex Lege Charitatis quivis ex populo tenebitur, & quidem sub gravi culpa, omnino tamen prudenti judicio æstimanda. Addunt Sylvest. *verb. Oratio qu.*8. Navar. *cap.*13. *num.*18. Suar. *cit. cap.*30. *in fine*. Si proximus in spirituali necessitate constitutus sit, cui aliter succurrere quis nequeat, teneri tunc illum pro eo orare. Exemplum ponunt in duello duorum, quod quis aliter impedire non posset. Hæc tamen obligatio aliis merito videtur scrupulosa. Denique sermo fuit de præcepto Divino, ac naturali orandi communi, & universali respectu omnium: nam in particulari variis præceptis varie sæpius obligamur orare: qui ad quatuor titulos revocari possunt: 1. Status, ut Clerici majores, Beneficiati, Religiosi juxta suas Regulas: 2. Votum speciale. 3. Pactum. 4. Præceptum impositum a Superiore, vel in Sacramento Pœnitentiæ.

§. III. *Oratio quotuplex*.

I. ORatio universim dividitur in mentalem tantum, & mentalem, ac vocalem simul. Oratio mentalis, vel interna tantum est, quæ fit solis internis actibus intellectus, & voluntatis (supra initio explicatis) absque eo, quod voce, vel signo externo manifestetur. Oratio mentalis, & vocalis, seu interna, & externa simul dicitur, quæ simul interno cordis affectu, & externa voce exprimitur, ut illa Publicani: *Deus propitius esto mihi peccatori &c.* Et Luc.11. *cum oratis, dicite: Pater sanctificetur nomen tuum*. Perperam additur Oratio vocalis tantum: Oratio enim vocalis ad hoc, ut habeat veram rationem Orationis, necessario debet habere adjunctam internam Orationem, seu devotionem, utpote ex parte voluntatis intentionem colendi Deum, & orandi: ex parte intellectus vero attentionem saltem ad verba, & ad Finem, scilicet Deum, prout in specie de Oratione Canonica declaratur. Nam hoc modo Moniales persolventes Divinum Officium in lingua latina, vel alii, ignoto idiomate preces formatas recitantes, vere utiliter orare possunt, & debent: quia licet non habeant nec in intellectu actum internum intelligentiæ verborum, seu attentionem ad sensum verborum, nec consequenter in voluntate explicitam petitionem, vel desiderium impetrandi ea, quæ petuntur, habent tamen, ac habere possunt, & debent, & in intellectu attentionem ad verba pronunciata, & ad finem orationis, scilicet Deum, ut nimirum advertant, & sciant, se Deum orare, ac colere, eique supplicare pro sua, aliorumque salute: Et conformiter in voluntate habent devotionem, seu voluntatem colendi, & orandi Deum, ac petitionem, vel desiderium confusum, & implicitum eorum, quæ petuntur.

II. Oratio hæc vocalis dividitur in privatam, & publicam. Oratio privata est, quam proprio suo motu, & nomine homo effundit ad Deum pro se, vel pro aliis, licet enim cuivis sufficiat Oratio mentalis coram Deo, cordium potius quam verborum inspectore; nihilominus Orationi privatæ mentali recte, utiliterque adjungitur Oratio vocalis, vel ut jam formata antea, uti sunt Oratio Dominica, & Psalmi, vel ut Oratio formanda ab orante. 1. Ad excitandam interiorem cordis devotionem verba enim prolata monent, excitant, & movent cor, intellectum, voluntatem ad internam devotionem, & attentionem maxime quando sunt verba S. Scripturæ. 2. Ad reddendum debitum serviendi Deo, & mente, & corpore: juxta illud Oseæ 14. *Tollite vobiscum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum*. 3. Ob quamdam redundantiam animæ in corpus ex vehementi affectione cordis, juxta illud Psal.15. *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea*. Oratio publica dicitur, quæ auctoritate publica Ecclesiæ instituta, & in persona, ac numero totius Ecclesiæ a ministris ad id deputatis offertur: uti sunt *Missæ, Horæ Canonicæ, Officium B. Virginis, Defunctorum, Psalmi Graduales, & Pœnitentiales &c.* Et hæc Oratio necessario debet esse vocalis, & externa, ut tota populo Christiano innotescat, vel innotescere possit.

§. IV. *De Horis Canonicis*, remissive.

DE his in gratiam Ordinandorum latius scripsi in Theologia Sacramentali parte 1. sub finem, in Tractatulo in appendice. Quæ non videntur hic opera inutili recudenda.

CAPUT VIII.

De Adoratione, & Cultu, Deo, Sanctis, & Rebus sacris debito.

SECTIO I.

SUMMARIUM.

1 *Adoratio, seu Cultus dupliciter sumi potest.*
2 *Adorationis definitio.*
3 *Adorationis actus: &*
4 *Divisio in* Latriam, Duliam, Hyperduliam, & cultum politicum.
5 *Dulia dupliciter sumi potest*, habitualiter, & actualiter.
6 Actualiter, *& proprie sumpta definitur.*
7 *Ejus actus specialissimi sunt actus Sacrificii, Templa, Altaria, Sacerdotium, & omnes Ordines Sacri.*
8 *Quid* Dulia.
9 *Quid* Hyperdulia.
10 *Quid sit Adoratio* absoluta, & respectiva.

§. I. *Cultus, & Adoratio generatim.*

ADorationis nomen in Sacra Scriptura dupliciter sumitur. 1. Et longe frequentius stricte, & velut per antonomasiam pro solo cultu debito, & proprio ipsi Deo: ut patet omnibus Scripturæ locis, quibus præcipitur solus Deo adorari, vel quibus prohibetur adorari creatura. Et non infrequenter accipitur generatim, & large pro quocumque cultu, vel veneratione exhibita alicui ob ejus excellentiam specialem, ut patet omnibus Scripturæ locis: ubi dicuntur Angeli, homines, Prophetæ, Reges, immo & aliæ creaturæ adorari: loca abunde recitabimus *Sect.* 2. 3. & 4. Eosque sensu Div. Hieron. Apolog. adversus Ruffinum: *Protinus*, inquit, *concito gradu Bethlehem meam reversus sum, & adoravi præsepe, & incunabula Salvatoris*. Et hac acceptione Adoratio generatim sumpta, prout idem est, ac cultus, hic breviter definienda, & dividenda est. 1

ADORATIONIS

Definitio, & actus.

CUltus, seu Adoratio generatim *est contestatio externa, seu nota submissionis erga alterum ob ejus æstimatam excellentiam*: quo patenter differt ab honore, seu veneratione; honor enim, seu veneratio præcise dicit contestationem submissionis, vel subjectionis alicujus. Unde honorari etiam æqualis, vel inferior potest; coli vero, vel adorari minime: cultus enim, vel adoratio dicit contestationem etiam nostræ submissionis, aut subjectionis erga alterum ob ejus æstimatam excellentiam. Unde eodem fere modo, quo supra de Religione erga Deum explicatum est, cultus, seu adoratio quatuor necessario importat actus: duos ex parte intellectus, & duos ex parte voluntatis. Ex parte intellectus 1. Judicium speculativum, quo cognoscitur alterius excellentia. 2. Judicium practicum dictans alteri illi hic, & nunc ob ejus excellentiam cognitam debitum, & congruum cultum exhibendum esse. 3. Sequitur actus voluntatis consentientis huic dictamini, quo nimirum vult voluntas alteri pro ejus excellentia cognita debitam reverentiam exhibere, & aliquo actu externo, vel gestu suam erga alterum subjectionem contestari, & velut notam facere. 4. Denique sequitur ipse actus externus, vel gestus aliquis ita imperatus a voluntate tamquam nota, vel contestatio submissionis erga alterius æstimatam excellentiam. Atque in hoc quarto actu, vel gestu externo ita imperato a voluntate ad contestandam submissionem erga alterius excellentiam proprie, & essentialiter consistit cultus, seu adoratio sive erga Deum, sive erga hominem. Et patet clarus sensus definitionis traditæ. 2

Actus ejusmodi externi cultus, vel adorationis communis tam erga Deum, quam erga hominem, possunt esse diversissimi, ut passim videre est in Scripturis Sacris. *Primus*, & præcipuus actus adorationis est prostratio in terram: sic in Veteri Testamento sæpissime Sancti dicuntur adorasse & Deum, & Angelos, & homines proni in terram: & in Novo Testamento Matt. 2. *Magi procidentes adoraverunt eum*, scilicet Christum natum. Jo: 9. Cæcus sanatus a Christo procidens adoravit eum. *Secundus*, sola inclinatio capitis, & pectoris: sic servus Abrahæ *Gen.*24. inclinavit se, & adoravit. *Tertius*, genuflexio, modus communissimus. Isai.45. *Mihi curvabitur omne genu*. Philip.2. *In nomine JESU omne genuflecta-* 3

flectatur &c. Quartus, Adoratio olim etiam fiebat per oscula, vel ipsi adorato, ejusque vesti, vel manui propriæ, quæ adoratum tetigerat, impressa; etiam nunc est in usu. Denique ad modum adorationis, & cultus tam sacri, quam profani, merito spectat maxime ad Europæos capitis detectio; cum enim pileus sit libertatis insigne, & suprema vestis hominis, vere erga alterum submissionem, ac velut subjectionem, ac servitutem profitetur, qui ipsi pileum deponit, quod si fiat cum vero interno affectu, animo se alteri, Deo, vel homini submittendi, erit verus actus adorationis, & cultus, alias simplicis honoris, maxime cum facit æqualis æquali, vel inferiori.

§. II. *Adorationis, seu Cultus divisio, & Species.*

4 CUltus, seu Adoratio generatim dividitur in tres Species scilicet; *Latriam, Duliam, & Cultum politicum;* quasi in supremam, mediam, & infimam. *Adoratio suprema Latria* dicitur, qua redditur cultus proprius debitus Excellentiæ Divinæ infinitæ. *Media Dulia*. dicitur, qua redditur cultus debitus excellentiæ creatæ Supernaturali minori Divina, majori tamen humana naturali, scilicet Beatis. *Infima politica*, seu cultus politicus dicitur, quo redditur cultus debitus excellentiæ creatæ pure naturali, ut Superioribus, &c. *Ratio* ergo divisionis sumitur ex ratione diversa excellentiarum; cum enim adoratio, seu cultus tribuatur alteri ob ejus æstimatam excellentiam, tot necessario erunt diversæ species adorationis, seu cultus, quot sunt diversæ species excellentiæ. Sunt autem tres præcipue. *Prima est Excellentia Divina*, suprema infinita simpliciter. Huic respondet Adoratio, & Cultus Latriæ. *Secunda est excellentia creata, & supernaturalis* consistens in gratia, & gloria Sanctorum, & huic respondet Adoratio, & Cultus Duliæ. *Tertia est excellentia* creata, humana, & naturalis tantum, consistens in humanis virtutibus, dignitatibus, potestatibus, & huic respondet adoratio, seu cultus politicus, quo coluntur homines virtuosi, docti, devoti, Reges, Principes, Superiores, Majores quivis. Hæ tres species Adorationis, seu Cultus, proprie, & essentialiter distinguuntur per actus internos voluntatis, volentis debitum cultum submissionis exhibere alteri ob ejus tantam, vel talem excellentiam æstimatam. Nam *prima species, Latria* dicit summam inclinationem, & demissionem voluntatis, velut in nihilum respectu sui erga Deum apprehensum sub ratione supremæ, & undequaque in omni genere perfectionis, infinitæ excellentiæ, respectu cujus nos velut nihil æstimamus; cum nullius ejus propriæ perfectionis capaces simus, & respectu cujus revera nihil sumus: cum finiti ad infinitum nulla sit proportio; & subtracto ejus concursu, ac influxu continuo conservativo, mox in pristinum nihilum recideremus.

§. Hunc affectum cultus Latriæ pathetice expressit S. P. N. Franciscus ita Deum nostrum adorare solitus. *O Domine quis tu? quis ego? Tu omnia, ego nihil! Tu abyssus entis, & boni! Ego abyssus nihili, & mali! Tibi ergo abyssali humilitate, & veneratione me prosterno: O Deus meus, & omnia*. Apud Cornel. a Lapid. *in cap.*17. *Act. ad v.*25. sub finem.

Secunda Species, Dulia dicit longe minorem inclinationem, & demissionem voluntatis erga Sanctos apprehensos sub ratione supernaturalis excellentiæ, nimirum consummatæ gratiæ, gloriæ, & amicitiæ Divinæ, majoris quidem humana, sed adhuc infinite minoris Divina: respectu quorum proinde non omnino nihil sumus: quippe ejusdem supernaturalis excellentiæ capaces, ea tamen adhuc carentes merito submittendi.

Tertia species, Cultus politicus dicit adhuc longe minorem inclinationem, ac submissionem voluntatis erga alium hominem apprehensum sub ratione certæ excellentiæ humanæ, naturalis in virtute, dignitate, superioritate; respectu quorum proinde non nihil, sed bene aliquid sumus: quippe ipsis natura, & capacitate ejusdem excellentiæ æquales, & forte in alio genere excellentiæ superiores, interim tamen quatenus ipsi non excellunt merito submittendi. At vero non necessario istæ tres species distinguuntur, nec facile distingui possunt per actus, seu gestus externos: omnes enim actus adorationis, seu cultus externi supra assignati fere communes sunt omni adorationi, & cultui Dei, sanctorum hominum, præter actum Sacrificii soli Deo debitum. Neque opus est: sufficit ergo distingui per actus internos, qui sunt forma, & velut anima actuum externorum adorationis, & cultus. Unde imperite, & insulse Hæretici (nominatim Philipp. Haibronner *in suo Opere Achatolico*) petunt a Catholicis sibi monstrari, quomodo gesticulandum sit in cultu Latriæ erga Deum, & quomodo in cultu Duliæ, vel Hyperduliæ respectu Sanctorum, vel B. Virginis.

§. Denique quoad nomina istarum specierum sciendum est, neque in Hebræa, neque in Latina lingua dari nomina propria distincta istarum specierum, sed omnia communia. Similiter & Græca nomina Latria, Latreia, & Dulia in significatione Græca communia sunt, utrumque enim significat servitutem, vel cultum.

§.III. Latria speciatim, *Adoratio Deo soli debita*.

I. LAtreia vox Græca, latine idem est ac servitus: ex usu DD. significat servitium, ac cultum soli Deo exhibendum. Et potest accipi habitualiter pro virtute, & habitu inclinante hominem ad exhibendum Deo debitum servitium, ac cultum externum: & sic Latria idem est cum virtute Religionis, hoc solo discrimine, quod Religio generalius respiciat omnem cultum Deo exhibendum, tam internum, quam externum: Latria vero specialiter respiciat servitium, & cultum Dei externum, simul tamen cum actu interno exhibendum.

I. Communiter tamen Latria accipitur actualiter pro a- 5
ctuali cultu, & adoratione Dei externa, & sic idem est, ac adoratio stricte sumpta pro cultu soli Deo debito, in S. Scriptura passim omnibus locis, quibus aut præcipitur solus Deus adorari, aut prohibetur adorari creatura, ut Deuter. 6. Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Apoc. c.22. Joannes apparente sibi Angelo ait: *cecidi ante pedes ejus, ut adorarem, & dixit mihi: vide, ne feceris, conservus enim tuus sum &c. Deum adora*. In quem locum S. August. *qu.*61. *in Gen. Talis apparuerat Joanni Angelus, ut pro Deo posset adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator*. Eodem sensu D. Hieron. lib. contra Vigilant. *Quis, o insanum caput! aliquando Martires adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Eodemque sensu adorationem sæpissime accipiunt SS. PP. stricte, prout & accipitur in illo trito versiculo:

Effigiem Christi, cum transis, semper honora.
Non tamen effigiem, sed, quem designat, adora.

Recte denique *Perrer. in cap.*32. *Genes.* advertit Latinum verbum *adorare* non esse fere in usu, neque in vulgari Christianorum sermone, nisi in veri, soliusque Dei cultu. Atque adeo adoratio proprie sumpta, & Latria actualis omnino idem sunt, & synonima: cujus proinde est

Definitio.

III. L*Atria, seu Adoratio proprie dicta est actus externus* 6
Religionis, quo per convenientem corporis gestum, aliave actione sacra externa protestamur nostram subjectionem erga Deum, ut summum omnium, & excellentissimum Dominum ob ejus increatam, & infinitam excellentiam, adeoque tribuimus ei summum, & Divinum honorem. Sic ex communi Valent. *to.*3. *disp.*6. *qu.*3. *part.*2. Liquet definitio sufficienter ex hactenus dictis. Differentia Latriæ, & Adorationis hujus soli Deo propriæ principaliter, & universaliter desumitur ab actu interno Religioso voluntatis, volentis tali actu externo colere ipsum Deum, ac protestari suam infimam submissionem, ac subjectionem erga Deum, ut supremum nostrum Dominum ob ejus supremam, & infinitam excellentiam, ut §. *præc.* explicatum, quicumque deinde sit ille actus externus; generaliter enim omnis actus externus moraliter bonus, immo & indifferens potest esse actus Latriæ, & adorationis, quatenus a virtute Religionis ordinatur ad cultum Dei. Speciales actus sunt prostratio, inclinatio, genuflexio, &c. facti in cultum ipsius Dei.

IV. Specialissimi autem actus Latriæ sunt actus Sacrificii, 7
& quæ ad ipsum referuntur; Templa, Altaria, Sacerdotium, ac Sacri Ordines omnes. Nam Sacrificio, quo Deo res sensibilis immutata, vel distructa offertur in recognitionem ejus supremi Dominii, profitemur, & contestamur nostram omnimodam subjectionem erga Deum, ut supremum, & excellentissimum vitæ, & mortis Dominum: cum autem nulli alteri, nisi soli Deo debeatur talis omnimoda subjectio, tamquam primo principio, & supremo Domino vitæ, & mortis, perspicuum est, Sacrificium, (& maxime Sacrosanctum Missæ qua ipsa persona Divina religiose offertur) deberi uni soli Deo. Hinc est illa pulcherrima sententia D. August. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 4. *Multa de cultu Divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera, ita tamen, ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi, & venerandi; si autem eis multum additur, & adorandi. Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Hæc August. unde etiam Exod. 22. dicitur: *Qui immolat Diis, occidetur, præterquam Domino soli*.

§. Hæc de Sacrificio intellectu communissima. At singulari, & arcaniori intellectu Sacrificio contestamur tam omnimodam nostram submissionem, subjectionem, ac dependentiam erga Deum supremum, & undequaque excellentissimum Dominum, tantamque Dei super nos eminentiam, potestatem, ac dominium, ut dignissimum agnoscamus, ac profiteamur nos ipsos destruere, ac immolare, sicque velut in nihilum redigere in honorem, cultum, & obsequium Dei: neque enim aliter istam omnimodam dependentiam, & abyssale nihilum nostrum respectu Dei repræsentare, ac profiteri perfecte possumus. Verum quia hoc non expedit, nec ipse Deus vult, loco nostri quasi substituimus, immolamus, ac destruimus aliam rem sensibilem; in Veteri quidem Lege boves, oves, vitulos, hircos, &c. in figuram. In Nova autem Lege ipsum *Corpus, & Sanguinem Christi*, adeoque concomitanter *totum Christum Deum, & Hominem*: Idque non solum mystica repræsentatione, vel ut mor-

mortuum sub mortui speciebus panis, & vini redactum, ac per modum cibi ac potus sumendum; verum etiam aliqualiter physice ita consummandum in nobis, quoad illud esse Sacramentale, ut si de facto non haberet esse aliud, nisi in Sacramento, revera consumptis speciebus Sacramenti, deberet desinere esse. Obstupescite cœli super hoc. Sed hoc pie incidentaliter. Ex dictis patet, quod actus Latriæ, seu Adorationis Divinæ quoad differentiam ab aliis cultibus, etsi primario, & universaliter, ut dictum est, dignoscatur ab intentione interna voluntatis, ita singulariter volentis colere Deum, secundario tamen etiam dignoscitur ex actu externo, qui ex natura, vel conditione sua, aut consuetudine communi, soli Deo exhiberi debet. Ut sunt maxime actus Sacrificii, & si qui alii.

§. IV. *Dulia, Hyperdulia*.

8 DUlia itidem vox græca ex primæva institutione significat servitutem generatim, unde Theodulus, Cosmodulus, servus Dei, servus mundi, ex usu, & appropriatione DD. significat eum cultum, qui creaturis exhibetur ob earum excellentiam creatam quidem, sed singularem, ac supernaturalem. Potestque accipi aut habitualiter pro virtute, & habitu inclinante ad eum cultum, & actualiter pro ipso actuali cultu Sanctorum, ut supra Latria: & sic nos accipimus.

Definitur.

I. DUlia est cultus sacer externus, quo gestu, vel actu aliquo externo contestamur nostram submissionem erga creaturas sanctas ob earum excellentiam creatam supernaturalem, gratiæ scilicet, & gloriæ; ac proinde solis Angelis, & Sanctis defunctis exhibendus est hic cultus, hisque de quorum gratia, sanctitate, & gloria solum constat; exhibitus tamen olim Prophetis, & Sanctis viris, ut infra videbitur.

Cultus hic Duliæ medius est inter Divinum Religionis, seu Latriæ, & cultum politicum: a cultu Divino differt, quia creaturam, ejusque excellentiam creatam respicit, a cultu politico differt, quia ille respicit excellentiam sacram supernaturalem, iste vero naturalem, vel politicam tantum. Denique subdividitur in Duliam simplicem, & Hyperduliam. Dulia simplex, & communis, est cultus, quo coluntur Sancti communiter ob eorum ordinariam excellentiam supernaturalem gratiæ, & gloriæ.

Hyperdulia.

9 II. ESt, qua specialiter colitur creatura sancta ob extraordinariam aliquam excellentiam supernaturalem. Hoc nimirum cultu Hyperduliæ de facto colitur B. V. Maria Mater Dei ob ejus duplicem extraordinariam excellentiam supernaturalem: 1. Gratiæ, & Gloriæ singularis super omnes Angelos, & Sanctos. 2. Maternitatis Dei, ac proximæ consanguinitatis cum Christo Filio Dei, quam Suarez *3.p. to.2. disp.1. sect.2.* merito vocat quamdam quasi affinitatem cum Deo.

Eodem cultu Hyperduliæ colenda esset sacra Christi Humanitas seorsim sumpta a Verbo: Ut habet communis DD. cum S.Th. *3.p.q.25. art.2.* & Scot. *in 2.dist.25.* adeo, ut Christo duplex exhibendus sit cultus, & adoratio: & Latriæ tamquam Deo ob excellentiam Divinitatis; & Hyperduliæ, ut Homini ob excellentiam supernaturalem maximam super omnes creaturas sacræ Humanitatis, nimirum supremæ Gratiæ, & Gloriæ, & Unionis Hypostaticæ ad Verbum: attamen practice, & absolute solum cultu Latriæ adorandus est tamquam Persona Divina, & non Hyperduliæ, nisi forte a docto intelligente, ob periculum hæresis duas personas in Christo fingentis, & scandali.

Adoratio absoluta, & respectiva.

10 III. A*Doratio absoluta, & per se* quoad Sanctos dicitur, quæ exhibetur Sanctis ob eorum propriam, & intrinsecam excellentiam gratiæ, & gloriæ, & hæc dicitur Duliæ, vel Hyperduliæ, distincta prorsus ab adoratione Latriæ, ut ex dictis patet. *Adoratio respectiva*, & per accidens quoad eosdem Sanctos, (& maxime res sacras, Imagines, Reliquias, &c. de quibus *sect.4.*) dicitur, quæ exhibetur Sanctis ob respectum singularem ad Deum per modum singularis imaginis, filiationis, amicitiæ, templi Dei; & præcipue sic coli posset B.V. Maria ob singularissimum respectum ad Deum, non solum perfectissimæ Imaginis, Filiæ, Amicæ, sed etiam Matris Dei. Et hæc adoratio spectat virtutem Religionis, & Latriæ, tamquam ejus actus secundarius, quemadmodum dilectio proximi propter Deum spectat ad virtutem Charitatis Divinæ tamquam actus ejus secundarius. Verum etiam hic recte monent DD. in praxi præsertim a simplicibus non satis intelligentibus, abstinendum esse ab hoc cultu, adoratione respectiva Latriæ in Sanctis, atque etiam ipsa B. V. Maria ob periculum idololatriæ: uti docet etiam S.Th. *cit. a.3. ad 3.* dicens, creaturæ rationali debetur reverentia propter se ipsam, & ideo si creaturæ rationali, in qua est imago Dei, exhiberetur adoratio Latriæ (respectiva nimirum) posset esse erroris occasio, ut scilicet motus adorationis sisteret in homine, in quantum res quædam, & non referretur in Deum, cujus est imago. Sic S. Doctor, qui tamen alibi *2. 2. qu.84. art.1. ad 1.* expresse fatetur, Deum olim in Angelis ipsum repræsentantibus potuisse coli Latria, & merito.

Præmonitio.

IV. HIs ita necessario prænotatis pro debita explicatione terminorum, accedendum est ad materiam maxime propriam primo Præcepto Decalogi, quod sicut affirmative præcipit Deo debitum cultum exhibere, ita negative prohibet cultum Deo debitum, ac proprium exhiberi ulli creaturæ. Videndum ergo, quis cultus Deo, quis vero Sanctis, ac rebus sacris exhiberi possit, ac debeat, salvo primo Præcepto. Sectiones ergo tres sequentes mixtæ erunt Theologico-controversisticæ, sed summo compendio decerptæ ex Card. Bellarm. Becan. Greg. de Valent. Sunt enim controversiæ omnium communissimæ, scitu admodum necessariæ omni Fideli, Pastori maxime.

SECTIO II.

Latria, & Adoratio primo Præcepto mandata.

SUMMARIUM.

11 *Præcepto divino positivo primo Decalogi obligamur adorare Deum Cultu Latriæ.*
12 *Affirmative quidem tempore, & modo a Deo, & Ecclesia determinato.*
13 *Negative vero semper obligamur non tribuere ulli creaturæ cultum, sicut Deo.*
14 *Nihil ergo hoc 1.præcepto prohibetur tamquam idololatria, quam cultum Deo debitum tribuere creaturæ, sicut Deo.*

ASSERTIO I.

P*Ræcepto Divino primo Decalogi naturali, & positivo Deus optimus maximus adorandus est adoratione Latriæ omnium perfectissima, qua nimirum contestamur nostram subjectionem ad ipsum, ut supremum omnium Dominum, supremæ & infinitę Excellentiæ super omnes. Affirmative quidem tempore, & modo determinato ab ipso Deo, vel Ecclesia: negative vero, ne ulli unquam creaturæ exhibeatur cultus, seu honor sicut Deo. Nihil ergo primo Præcepto prohibetur, tamquam idololatria, quam honorem Deo debitum tribuere creaturæ sicut Deo*. Ita omnes Orthodoxi. Explico breviter.

§. I. *Præcepto Divino primo Decalogi*.

NAm præceptum primum Decalogi licet in terminis negativum, *non habebis Deos alienos coram me, non adorabis eos, neque coles &c.* virtute tamen simul est affirmativum: 11
habebis me solum verum Deum, me solum adorabis atque coles: prout clarius exprimitur Deut.6. & Matth.4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Præceptum vero naturale dictat ipsa ratio cuivis rationis capaci: quia constat cuivis personæ excellenti pro ratione suæ excellentiæ, & dignitatis dignum cultus honorem esse tribuendum. Cum ergo Deus natura sua sit summæ, & infinitæ excellentiæ, consequens est, eum summa, & perfectissima quadam adoratione esse colendum, quam proprio nomine vocamus Latriam, qua scilicet contestemur nostram infimam subjectionem erga Deum, ut supremum omnium Dominum, Auctorem, Principium, & Finem universorum, supremæ, ac infinitæ prorsus supra omnes excellentiæ. Unde D.Aug. *lib.1.* de Trinit. *c.6. jubemur, non servire creaturæ, sed Creatori.* (ad Rom.1.) Non eo modo, quo jubemur per charitatem servire invicem (*ad Galat.5.*) quod est Græce *dulevin*, sed eo modo, quo Deo tantum servitur, quod est Græce *latrevin*. Secundum hanc enim servitutem dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Quod autem Deo invisibili, & inspectori cordium, etiam actu externo sensibili exhibendus sit cultus, & adoratio, constat ex Scripturis Sacris ejusmodi cultum externum & commendantibus, & præcipientibus, præsertim diversis Sacrificiis: cujus rationem bene dat D. Jo. Damasc. *l.2. de Fide Orthodoxa cap.13.* Quia sicut ex duplici natura compositi sumus, corporali & spirituali, ita convenit, ut utriusque naturæ operibus, internis scilicet animæ, & externis corporis protestemur nos omnia debere Deo. Et D. August. *lib. de cura pro mortuis habenda c.5.* aliam indicat rationem dicens: quia externi ejusmodi gestus, & actus corporis habent miram vim ad fovendum, & augendum internum affectum erga Deum: ita loquens, *nescio, quo pacto cuncti motus corporis, cum non possint, nisi motu animi præcedente, fieri, eisdem exterius visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augeatur: ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent hæc, præcessit, quia facta sunt, crescit*. Hæc S. Doctor Augustinus.

§. II. *Affirmative quidem, tempore, & modo ab ipso Deo, vel Ecclesia determinato.*

12 NAm præceptum illud naturale positivum primum Decalogi de adorando solo Deo ex se non determinat nec certa tempora, nec certos ritus, vel modos, quibus colatur Deus, sed in veteri quidem Lege ab ipso Deo per Moysen determinatum fuit diversissimis, ac plurimis præceptis positivis cæremonialibus appellatis, quoad tempus ad diem Sabbati, & certa Festa; quoad modum vero ad diversissima Sacrificia, aliasque cæremonias: in nova autem Lege (præter præceptum Christi de Sacrificio Missæ, & Sacramentis) ab Ecclesia determinatum fuit universaliter quidem pro omni populo Christiano ad diem Dominicam, qua Deus auditione Missæ, & Religiosa feriatione colatur, de quibus speciatim in tertio præcepto: specialiter vero pro Clericis loco, & nomine totius Populi Christiani ad quotidie persolvenda divina Officia, aliosque certos ritus per annum.

§. III. *Negative vero obligat.*

13 UT *nulli creaturæ tribuatur Divinus cultus, sicut Deo.* In quo consentiunt omnes Christiani, & evidenter constat ex terminis præcepti: *Non habebis Deos alienos, non facies tibi sculptile, non adorabis, &c.* De peccatis oppositis agetur *c. seq.* late per totum. Verum hic controversia est gravissima inter Catholicos, & Hæreticos nostri temporis, quidnam præcise, & adæquate prohibeatur primo præcepto tamquam idololatria: Hæretici enim, ut evertant ritus religiosos Catholicorum impudenter, & malitiose contendunt præcepto hoc prohiberi, tamquam veram idololatriam, omnem prorsus cultum tam ipsius veri Dei, quam Sanctorum, &c. qui sine expresso verbo Dei exercetur, & usurpatur: atque adeo non tantum cultum, & invocationem Sanctorum, venerationem Sacrarum Imaginum, Reliquiarum, &c. verum etiam Sacrificium Missæ, adorationem Sacrosanctæ Eucharistiæ, omnesque fere Catholicos ritus colendi Deum, blasphemant, esse idololatriam primo Præcepto Decalogi prohibitam, quod scilicet non extet expressum Dei verbum, seu mandatum ejusmodi cultus. Idque confirmare nituntur obscuris quibusdam locis, quæ latissime refert, & optime explicat, & refutat Greg. Valent. *tom.3. disp.6.q.10.pu.1. per tot.* quem consule. Contra hos ergo pro fundamento dicendorum in sequentibus, dixi ulterius in Assertione.

§. IV. *Nihil prohibetur eo præcepto tamquam idololatria, quam honorem Deo debitum tribuere creaturæ, sicut Deo.*

14 ITa omnes Orthodoxi. Ratio clara est: Quia primo Præcepto in terminis prohibetur idololatria: *non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi sculptile: non adorabis ea, neque coles;* sed vera idololatria nihil aliud est, quam creaturæ alicui, v. g. idolo, dæmoni, vel homini, Divinum cultum tribuere, sicut Deo; ergo id solum, & nihil aliud prohibetur primo Præcepto: minor præterquam quod ex ipsa nominis ethimologia pateat,

I. Probatur ex S. Scriptura, quæ ubique cultum veri Dei per antithesin opponit cultui idolorum, & falsorum Deorum: & idololatriam seu phrasi Hebræa fornicationem vocat, cultum idolorum, simulacrorum, falsorum Deorum, adorare opera manuum hominum, quæ oculos habent, & non vident: Loca sunt innumera, & ubique obvia: Ex. gr. Sap.14. *Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam, aut affectui, aut Regibus deservientes homines, incommutabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.* Et luculenter Jer. c.2. ita invectus in idololatras: *mutavit gens Deos suos, & certo ipsi non sunt Dii. Populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum. Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer: Duo enim mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vitæ, & foderunt sibi cisternas, &c.* Non potuit Propheta clarius exprimere idololatriam, non solum continere aversionem a vero Deo, sed etiam conversionem ad creaturam fragilem, scilicet idolum, ut ad Deum suum Divino honore colendum, quod mox magis exprimit dicens; *dicentes ligno: Pater meus es tu: & lapidi; tu me genuisti. Verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis suæ dicent: surge, & libera nos: ubi sunt Dii tui, quos fecisti tibi? surgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ, &c.* Ergo idololatria vera non potest consistere cum cultu aliquo ipsius veri Dei, sed dicit cultum creaturæ, vel idoli tamquam Dei.

II. Confirmatur id ipsum luculenter testimoniis SS. PP. Tertul. lib. De Idol. initio: *Idololatria Deo fraudem facit, honores illi suos negans, & conferens aliis &c.* Lactant.lib.1.Divinar. Inst. cap.19. negat factum esse umquam, ut qui falsos Deos colit, etiam Deum coluerit: neque fieri potest: *quoniam si honos idem tribuatur aliis, ipse omnino non colitur.* S.Greg. Nazianz. Orat. in Christi Nativ. Idololatriam definit: *Adorationis a Deo ad creaturam translationem.* D.Aug. lib.1. De Trin. c.6. *Jubemur servire, &c.* addit: *Unde Idololatræ dicuntur, qui simulacris eam servitutem exhibent, quæ debetur Deo: secundum hanc enim servitutem dictum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies,* D.Ambr. in c.1. ad Ephes. *Idololatria Dei honorificentiam usurpat, & vindicat creaturæ.* Similia alii passim. Nullo ergo sensu Scripturæ vel SS. PP. cultus aliquis veri Dei potest vocari idololatria.

III. Nihil urget principale fundamentum Hæreticorum ex Deut.12. Ubi variis præceptis præscripto cultu veri Dei adjicitur novum præceptum: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas:* Ergo (inferunt) quidquid in cultu etiam veri Dei, in verbo Dei præceptum non est, prohibitum est, superstitiosum est, idololatria est. Idque confirmant aliis locis Scripturæ attamen re ipsa loquentibus de cultu idolorum, & non veri Dei, ut bene monstrat *Valent. sup.* Hoc Achille eversum, & prostratum volunt omnem prorsus cultum religiosum Catholicorum, etiam circa verum Deum, Christum, Eucharistiam, nedum circa Sanctos, vel res sacras. Responsio plana, patens, & facilis est: Nihil ad nos; præceptum enim illud: *hoc tantum facito Domino, &c.* ex claro contextu præcise respicit, & determinat illa præcepta cæremonialia data Judæis, & Sacrificiis, & ritibus in Dei cultu adhibendis: & prohibet aliquid addi, vel minui, ne scilicet populus ille carnalis in superstitiones, vel idololatriam deflecteret: atqui præcepta illa cæremonialia, sicut & Legalia vetera per novam Legem abrogata nihil ad nos Christianos: ergo neque illud præceptum superadditum ad nos spectat: negatur ergo tota consequentia. Sed neque verum est, omne peccatum contra illud præceptum in vero Dei cultu factum fuisse idololatriam: nam etiam prohibitum erat extra Templum, vel locum a Deo electum offerri Deo Sacrificia: At quis umquam dixit (præter malitiosos Hæreticos) extra Templum Sacrificium offerre Deo fuisse tunc idololatriam? Quod clare significatur 2. Paralip. 33. ubi dicitur descripta pœnitentia Manassis: *Qui postquam coangustiatus est, oravit Dominum Deum suum: & egit pœnitentiam valde, &c. & abstulit deos alienos, & simulacra de domo Domini &c. præcepitque Judæ, ut serviret Domino Deo Israel.* Tandem subditur: *Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo.* Septuaginta habent: *populus immolabat, sed Domino Deo suo.* Sensus manifestus est, etsi tunc idololatria sublata fuerit, attamen adhuc peccabat populus extra locum debitum immolando, non quidem idolis, sed Domino Deo, non utique amplius peccato idololatriæ, sed alio inobedientiæ.

IV. Insuper posito (minime concesso) præceptum illud etiam spectare ad nos Christianos. *Respondetur:* Illo præcepto excludi non omnem prorsus cultum qualicumque modo non præceptum, sed illum tantum, qui ita non est præceptus, ut etiam sit prohibitus, quod tripliciter probatur. 1. ex toto contextu ejusdem Deut.12. Ex quo constat, Deum solum voluisse excludere ritus impios gentium, utique prohibitos. 2. Ex phrasi Scripturæ in aliis locis, quibus non præceptum idem dicitur, ac contra præceptum, vel prohibitum, ut Deut.17. *Cum reperti fuerint apud te &c. vir, aut mulier, qui faciant malum &c. & adorent solem, & lunam, & omnem militiam cœli, quæ non præcepi,* idest, prohibui. 3. Certissime constat ex Scripturis cultus aliquos voluntarios esse Deo gratos, quamvis a Deo non sint præcepti; ut votum, juramentum, observatio aliquorum Festorum ob beneficiorum memoriam, uti absque omni Dei mandato factum est. *Judith.15. Ester.9.* Item cœlebs vitæ ad purius serviendum Deo, de quo Apost.1. *ad Corinth.7. Præceptum Domini non habeo:* late tamen commendat virginitatem, & vitam cœlibem. Denique etsi de multis ritibus colendi Deum nullum extet præceptum scriptum, sint tamen præcepta tradita ex traditione Apostolica, & Auctoritate Ecclesiæ proposita, quam frustra nituntur adversarii avertere. Itaque quoad ritus Ecclesiæ in colendo Deo, Christo, Eucharistia, nullam prorsus possunt ostendere idololatriam Hæretici, nisi ex falsissimo principio, modo everso; omnem cultum etiam veri Dei absque ejus expresso mandato, esse idololatriam. Hoc autem multo magis urget in cultu Sanctorum, & Rerum sacrarum. Sit ergo

SECTIO III.

De Cultu, & Invocatione Sanctorum.

SUMMARIUM.

15 *Primo præcepto Decalogi non prohiberi, sed licitum, & Sanctum esse cultum Duliæ Sanctorum.*
16 *Probatur 1. Ratione.*
17 *II. Ex Scriptura, & SS. Patribus multipliciter.*
18 *Objectiones Hæreticorum*
19 *Solvuntur.*
20 *Sanctos pro nobis orare,*
21 *Ac proinde salubriter a nobis invocari, probatur multipliciter.*
22 *Objectiones Hæreticorum*
23 *Diluuntur.*

ASSERTIO II.

15 *PRimo Præcepto Decalogi minime prohibitum, sed licitum, & sanctum est, Sanctos Angelos, & homines, seu animas beatas in cœlis colere, cultu aliquo sacro, & religioso, majori, quam civili, & politico; quem vocamus cultum, vel adorationem Duliæ.* Est de Fide Catholica, definita in variis Conciliis, maxime in *Synodo secunda Nicæna, &c.* Et novissime in Conc. Trid. *sect.* 25. initio *in decreto de Purgatorio.* Est omnium Catholicorum contra omnes Hæreticos nostri temporis, & paucos eorum veteres Antesignanos: *Vigilantium, Vvicleffum,* ac alios.

I. Probatur *Ratione.*

16 PRimo Præcepto prohibetur solum idololatria, qua creaturæ divinus honor tribuitur sicut Deo: utpote animo protestandi suam subjectionem erga alterum, ut Deum, seu supremum Dominum suum: atqui talis cultus, seu adoratio minime tribuitur Sanctis, sed longe inferior, quo scilicet contestamur nostram submissionem erga Sanctos ob eorum excellentiam creatam supernaturalem, ut speciales amicos Dei, Principes cœli, Patronos, & Advocatos nostros apud Deum, ut constat omnium Catholicorum consensu, & confessione: Et Hæreticis oppositum impudentissime mentientibus in Catholicos optimo jure respondetur, quod respondit *D. Hieron. Vigilantio* Hæretico, qui primus ferme cultum Sanctorum impugnavit, & idololatriam vocavit: *Quis o insanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Deinde ipsa ratio dictat, cuivis personæ excellenti pro ratione excellentiæ debitum, ac congruum exhibendum esse cultum, honorem, vel venerationem: sed Sancti Dei habent excellentiam peculiarem supernaturalem, etsi infinite inferiorem Divina, tamen etiam multo majorem, & superiorem omni prorsus excellentia humana naturali, utpote inamissibilis gratiæ, & amicitiæ Dei, ac sempiternæ gloriæ: ergo debetur eis cultus aliquis, utpote inferior cultu divino, major tamen cultu civili, & politico, adeoque inter utrumque medius, quem vocamus *Duliæ.*

Denique si honor civilis debetur civili, seu humanæ virtuti, sapientiæ, potentiæ, nobilitati, &c. Ergo honor plus quam civilis debetur supernaturali virtuti sapientiæ, dignitati, &c. Sed Sancti in immensum excellunt supernaturali virtute, & sanctitate consummata, sapientia perfectissima in clara visione Dei & omnium rerum in Deo velut speculo relucentium, ac potentia, nobilitate, & dignitate velut Reges, & Principes celestes. Luc. 22. *Ego dispono vobis Regnum, &c.* Apocal. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Et alibi: ergo Sanctis debetur honor, seu cultus aliquis altior, & plus quam civilis, ac politicus.

II. *Ex S. Scriptura, & Patribus.*

17 CErtissime constat ex Sacris Litteris, creaturis sacris plus quam civilem cultum esse exhibitum, etiam a Sanctis, & sancte, qualem nos volumus exhibendum Sanctis, & Duliam vocamus.

I. Psal.98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Quo scabello intelligitur arca Testamenti, uti vocavit Salomon 1. Paralip.28. dicens: *Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Domini Dei nostri.* Et Psal.131. *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Et mox sequitur: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ:* Atqui certum est, ibi sermonem esse de aliquo cultu, utique non civili politico, sed aliquo altioris ordinis, & sacro ob excellentiam aliquam supernaturalem, *quoniam Sanctum est,* ait textus: ergo licitus, & sanctus est aliquis cultus plus quam civilis creaturæ, qualem nos Sanctis exhibemus, ac *Duliam* vocamus.

II. In eadem Scriptura referuntur etiam Angeli adorati, etiam ab hominibus sanctis, & prudentibus *Genes.*18. *Abraham* tres Angelos in specie hominum sibi apparentes adoravit pronus in terram. Similiter *Genes.*19. Loth duos Angelos adoravit pronus in terram. Nec verisimilis est Hereticorum responsio, dicentium Abraham, & Loth illos Angelos putasse homines esse, & ideo cultu solum politico adorasse. Clarius n.22. *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.* Audis, non prius adoravit, quam Angelum cognovit: ridiculum autem est dicere Angelis deberi cultum humanum civilem, politicum. Item *Josue* 5. cum vidisset Josue virum stantem evaginato gladio, dixit? *Noster es, an adversariorum? Qui respondit: nequaquam: sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio; continuo cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait, &c.* Non adoravit, ut Deum cultu Latriæ, quia Angelus dixerat, se esse ministrum Domini. Nec, ut hominem cultu civili, quia non prius adoravit, quam intellexit esse Angelum, Dei Legatum: ergo, aliquo cultu medio, sacroque, quem *Duliæ* dicimus. Nec potest dici: Josue male fecisse, & idololatriam commisisse, quia Angelus non solum eum non prohibuit ab adoratione, sed etiam majorem reverentiam injungens dixit: *solve calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, sanctus est.* Nec locus ille alias profanus in campestribus Jericho erat sanctus, nisi ex præsentia Angeli.

III. Eadem S. Scriptura refert etiam Sanctos homines adoratos 1.*Reg.*28. Saul adoravit animam Samuelis sibi apparentem: certum autem est animabus defunctis non competere cultum civilem politicum. Nec potest dici Saulem errasse, quia nec Samuel, nec Scriptura eum reprehendit. Item 3.*Reg.*18. *Abdias* vir sanctus *cecidit super faciem suam* adorans Heliam. Nec potest dici adorasse cultu civili ob excellentiam humanam: major enim erat *Abdias* unus ex Principibus Regni *Helia* privato homine; adoravit ergo cultu aliquo sacro ob excellentiam supernaturalem, scilicet ut Prophetam, & hominem Dei singulari sanctitate excellentem. Item 4.*Reg.*2. *Videntes autem filii Prophetarum, qui erant in Jericho, e contra dixerunt: Requievit Spiritus Heliæ super Helisæum: Et venientes in occursum ejus adoraverunt eum proni in terram.* Quem locum aptissimum de adoratione hominis plusquam civili, & sacra ob supernaturalem excellentiam suo more corrupit Lutherus in sua versione, erasa particula *eum:* cum tamen habeatur in omnibus prorsus exemplaribus Latinis, Græcis, & Hebraicis. Tandem *Daniel* 2. Nabuchodonosor adoravit Danielem: Quis autem dicat potentissimum Regem adorasse Danielem unum ex suis captivis cultu civili politico ob humanam excellentiam? adoravit ergo cultu majori, & sacro ob excellentiam supernaturalem, tamquam hominem Deo plenum, & minime per errorem, nam adorans dixit: *vere Deus vester Deus Deorum est, Dominus Regum revelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum.*

§. Nec refert (quod ineptissime cavillantur Hæretici) in Scriptura non referri adorationem hominum Sanctorum in celo, quia in Veteri Testamento nullus adhuc Sanctus fuit in celo; in Novo autem Testamento, quando scriptum est, adhuc pauci.

IV. Probatur auctoritate irrefragabili, ac unanimi consensu SS.PP. Græcorum, & Latinorum, totius Antiquæ Ecclesiæ. Ex Græcis omnes. Orig. hom.3. in diversos. *Horum* (SS.Martyrum) *memoria semper, ut dignum est, in Ecclesia celebratur.* D. Athan. *l. de virginit. circa fin.* Basil. *Orat. in S.Mamantem.* Et *Orat. in* 40. *Martyr.* D.Greg. Naz. *Orat. in Machab. & Julianum.* D.Epiph. *hæres.*79. D.Chrys. *hom. de SS.Juventio, & Maximo.* D. Cyrill. *de Alex. l.6. ad Jul. ann.* D.Damascen. *de Fide Orthodoxa l.4. c.16.* inter alia dicens: *Honorare decet Sanctos, & amicos Christi, ut filios, & hæredes Christi.* Tertull. *lib. De corona milit.* D.Cyprian. *lib.* 4. *Epist.*5. inter alia dicens: *Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus.* S.Ambr. Serm.6. in fine: *Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum, & qui spernit Sanctos, spernit & Dominum.* D.Hier. Epist. ad Riparium: *Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.* Et in vita D.Paulæ: *Vale, o Paula, & cultorem tuum orationibus adjuva.* D.Aug. Serm.1. De SS.Petr. & Paul. *Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat gentium multitudo.* Idem docet *Epist.*44. & *alibi.* D. Greg. *l.*3. *Dial. c.*24. Bernar. Ser. in illud Signum magn. *Amplectamur Mariæ vestigia, & devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur.* Et alibi sæpissime. Aliique Omnes. Textus ad longum lege *l.c.* vel descriptos apud Bellarm. *tr.*1. *De Beatitudine Sanctorum Lib.*1. *cap.*13. *in toto.*

Objiciunt Hæretici

I. LOca Scripturæ Deuter.6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* 1.ad Timoth. 1.*Soli Deo honor, & gloria.* Galat.4. *His, qui natura non sunt Dei, serviebatis.* In Græco est verbum *Dulevin*, ut etiam Dulia excludatur eorum, qui non sunt natura Dii, seu Deus verus. Alia loca minoris momenti, & nil urgentia consulto omitto. II. Exempla Scripturæ objiciunt *Esth.*1. Mardochæus noluit adorare, seu genuflectere coram Aman, rationem reddens: *Timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Act.14. Paulus, & Barnabas vetant Lycaonios volentes se adorare. Et *Apoc.* 19. Angelus Joanni volenti se adorare dixit: *vide, ne feceris, conservus tuus sum, &c. Deum adora.* III. Dicta aliquot PP. *S.Athanas.* ex professo docet, neque Angelos, neque SS. homines adoratione colendos esse. *D. Epiphan. in hæresi Collyridiani* sæpius repetit, Mariam non esse adorandam, sed solum Deum. D.August. lib. De vera Religione cap.55. diserte dicit. *Non sit nobis Religio cultus hominum mortuorum, quia si pie vixerunt: non sic habentur, ut tales quærant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes.* IV. Rationem. Duplex tantum est honor, vel cultus, religiosus Deo debitus; & civilis, debitus hominibus excellentibus: at Sanctis non convenit cultus religiosus, cum non sint Dii; nec civilis, cum non versentur nobiscum civiliter: ergo nullus: Ita Calvin. *l.*1. *Instit. c.*11. & 12. Addens ineptam esse distinctionem Catholicorum: *Sanctos coli Dulia, & non Latria,* cum enim Latria significet cultum, colere sine Latria erit colere sine cultu. Insuper plus est Du- 18

lia, id est servitus, quæ tantum Superiori debetur, quam Latria, id est, cultus, qui etiam exhibetur æquali.

Respondent Catholici.

19 AD I. Omnia illa loca Scripturæ, & similia debere intelligi de adoratione, & servitute strictè sumpta, prout soli Deo competit ob supremam ejus, & infinitam excellentiam, ac supremum dominium, prout hactenus explicatum est: tali autem cultu, & adoratione nos adorare Sanctos, mendacium, & calumnia est Hæreticorum. Ad II. Similiter respondetur, omnibus illis locis negatos, & recusatos esse cultus Divinos Deo debitos. Nam Amon superbissimus omnino ambiebat cultum aliquem Divinum. Lycaonii non solum adorare volebant Paulum, & Barnabam, sed etiam, ut Diis immolare boves adductos: ideoque merito scissis vestibus præ horrore repulsi sunt. Angelus ille apparebat in persona Dei, dixerat enim: *Ego sum primus, & novissimus, & vivus; & fui mortuus* (Apocalypsis 1.) *& ecce sum vivens, &c.* adeoque merito fuisset a Joanne adoratus pro Deo, vel Christo, nisi is explicasset, quis esset, sicque eum cultum recusasset, forte non recusaturus aliam venerationem sibi competentem. Prout explicat D. August. qu. 61. in Genes. *Talis enim*, dicens, *apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari, & ideo corrigendus erat adorator*. Quamquam aliter D. Greg. *lib. 17. moral. c. 11.* & Rupert. *in cap. 19. Apoc.* respondeant, Angelos, qui in Veteri Testamento passi sunt se adorari ab hominibus, in Novo Testamento ob reverentiam Sacratissimæ Humanitatis Christi in Divinam Personam assumptæ præ modestia id recusare.

III. Apertissimum est ex contextu ipsorum Locorum citatorum, SS. PP. loqui contra errores Gentilium, & superstitiones etiam quorumdam Christianorum illorum temporum, qui B. V. Mariæ, vel Sanctis defunctis divinos honores detulerunt. Nam quod Sancti alias debito honore prosequendi sint, iidem SS. PP. sexcentis aliis locis clarissime asseruerunt, & docuerunt, ex quibus aliqui supra allegati sunt. Hæretici autem dissimulantes, nequiter plura, & clara, importune, & impudenter pauca, & obscura corrodunt. Vide P. Jacobum Keller *in suo Catholico Papatu to. 2. art. 7. per totum* latissime.

Ad IV. Negatur Major ex dictis *sect. præc.* Datur enim cultus medius inter religiosum, & civilem, sicut datur excellentia media inter divinam, & humanam naturalem, scilicet supernaturalis creata Beatorum Angelorum, Sanctorum. Deinde inepta est sequela Calvini, non distinctio Catholicorum, qui cum dicunt sanctos coli Dulia, & non Latria, Latriam, etsi primæva significatione Græca significet quemvis cultum, non tamen accipiunt pro quovis cultu, sed pro cultu illo, qui soli Deo debetur ob ejus excellentiam divinam: adeoque Sanctos colere absque Latria, non est colere absque omni cultu, uti ineptit Calvinus, sed est colere absque illo speciali cultu soli Deo proprio, quem nos appropriato nomine vocamus *Latriam*. Denique quod Hæretici objiciant, nos Templa, Altaria extruere, Sacrificia offerre, Festa agere Sanctis tamquam Diis more suo, impudenter mentiuntur, & imponunt Catholicis, cum illa omnia principaliter fiant Deo, & non nisi secundario in memoriam Sanctorum, & venerationem ipsis competentem, ut constat unanimi consensu, & doctrina Catholicorum. Et de Templis docet D. August. *l. 8. de Civit. Dei c. 7.* De Sacris, lib. 20. contra Faustum, c. 21. Eadem est ratio de Festis.

ASSERTIO III.

Beati Angeli, & Sancti, & orant pro nobis, & a nobis, rectè & salubriter invocantur tamquam Intercessores apud Deum. Utrumque est de Fide Catholica, contra Hæreticos, eorumque archiducem *Vigilantium a D. Hieronymo* peculiari libro confutatum.

§. I. *Sancti pro nobis orant*.

20 I. PRobatur ex Scriptura Jerem. 15. *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*. Ergo Moyses, & Samuel jam defuncti poterant, & solebant orare pro populo Judæorum, alioquin si numquam orassent, vel orare non potuissent, inepta esset hæc Dei locutio, perinde ac si quis diceret: Si charissimum jumentum meum oraret pro te, tamen nihil impetraret. 2. *Machab. ult.* De S. Jeremia Propheta dudum defuncto dicitur: *Hic est fratrum amator, & populi Israel, hic est, qui multum orat pro populo, & universa Sancta civitate, Jeremia Propheta Dei*. Quod si ergo tunc Sancti in Lymbo existentes orabant pro viventibus, quanto magis orabunt nunc Gloriosi in cœlis pro nobis, necessitates nostras olim experti, & modo in Deo videntes? *Apoc. 5.* describuntur viginti quatuor Seniores in cœlo procidisse coram Deo habentes *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum*. Apocal. 8. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*. Ubi de intercessionibus Sanctorum pro Ecclesia exponunt SS. PP. & Interpretes unanimiter. Deinde *ib. c. 6.* Animæ SS. Martyrum clamore magno petunt vindictam de interfectoribus suis; ergo multo magis petunt misericordiam pro viventibus. 2. Petri 1. *Dabo operam, & frequenter habere vos* (commendatos, vel in animo meo) *post obitum meum, ut horum memoriam faciatis*: Ergo Sancti saltem gerunt curam. Quin insuper *Luc. 16.* Dives in inferos orat pro fratribus suis, mitti ad eos Lazarum, qui eos commoneat, ne & ipsi veniant ad hunc locum tormentorum: ergo multo magis justi, & Sancti in cœlis orabunt pro fratribus suis, & tota Ecclesia.

II. Probatur ratione duplici Theologica. Certissimum est ex Scriptura, Angelos orare pro nobis. *Tob. 12. Zachar. 1. Apocal. 8. Daniel. 10. Psalm. 90. Matth. 18.* Ergo multo magis id faciunt Spiritus, & animæ Beatorum, cum & habeant omnia quoad hoc, quæ habent Angeli; utpote intellectum, voluntatem, visionem Dei, & gratiam, & charitatem erga nos. Et insuper aliquid habent præ Angelis, quod sint confratres nostri in Christo, & membra Ecclesiæ, nobis magis conjuncti, quam sint Angeli, atque experti miserias, & pericula nostra. Unde Ambros. lib. 8. in Luc. *Sicut Angeli præsunt, ita & hi, qui vitam meruerunt Angelorum*. Rursus certissima fide constat in Scripturis, Justos viventes utiliter orare pro aliis, ut patet de *Moyse Exod. 32. Psalm. 105.* ubi dicitur: *Et dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus*. Et Job. 42. Deus ipse mandat amicis Job. *Ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia*: Ergo multo magis sancti locati in cœlis orabunt pro nobis, nam, ut rectè ait D. Hier. lib. contra Vigilant. *Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse soliciti, pro aliis orant, quanto magis post coronas, victorias, triumphos?* Et S. Leo Papa serm. 2. *Petrus tunc plenius, & potentius ea, quæ sibi commissa sunt, peragit*. Rationem dat *D. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 11.* cum Oratio pro aliis facta ex Charitate proveniat, idcirco quanto sancti, qui sunt in Patria, sunt perfectioris Charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari possunt, & quanto sunt conjunctiores Deo, tanto eorum orationes sunt efficaciores, habet enim hoc divinus ordo, ut Superiorum excellentia in inferiora refundatur, sicut ex claritate solis in aerem.

III. Probatur Auctoritate, & doctrina unanimi SS. PP. Cyprian. lib. 1. *Epist.* ex professo. Greg. Naz. orat. 14. De obitu patris sui dicit: *Nunc magis proficit nobis precibus, quam antea doctrina*. D. Chrysost. *serm. de SS. Juventio, & Maximo*. D. Hier. ex professo *contra Vigilant*. D. August. *lib. 7. De Baptismo contra Donatistas*. S. Leo Papa *tr. 3. De anniversf. & serm. 1. De SS. Petro, & Paulo*. Aliique passim, omnes citandi §. *seq.*

IV. Probatur Historiis authenticis, & Sanctorum apparitionibus, qui aperte testati sunt, se pro viventibus orare, ac beneficia impetrare. Sic D. Aug. lib. de cura pro mortuis habenda c. 16. ait: *non solum beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus confessorem apparuisse Felicem, cum a Barbaris Nola oppugnaretur, audivimus non incertis rumoribus, sed testibus certis*. Et Euseb. *l. 6. Hist. c. 5.* describit: S. Potamienam Martyrem carnifici orationes in cœlo promisisse. Deinde triduo a morte apparuisse, coronam capiti imponendo in signum futuri martyrii. Similia passim habentur plurima apud S. Basil. *Orat. de S. Mamante Martyre*. Greg. Naz. *Orat. 1. in Julian.* Et Oratione *de Cæsario*, Greg. Nyssen. *Orat. De Vita S. Gregor. Neocæsar.* Theodor. *l. 5. Hist. c. 24.* S. Ambros. *de SS. Gervas. & Protas. Et sermon. De S. Agnete*. Sulpit. *in vita S. Martini*. Qui omnes Auctores sanctitate, & doctrina celebres ante mille annos floruerunt: eosque omnes mendacii, seu falsitatis insimulare, intolerabilis, sed hæreticis non insueta, est impudentia.

§. II. *Sancti proinde invocandi*.

I. PRobatur ex Scriptura *Job 5. voca ergo, qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere*. Exod. 32. 21
Ita ores Moyses: recordare, Domine, Abraham, Isaac, & Jacob servorum tuorum. Psal. 131. *Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus: propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui*. Dan. 3. *Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum: & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum*. §. Hic notandum, quia in Veteri Testamento ante Christi adventum Sancti, qui moriebantur, non intrabant cœlum, neque Deum videbant, nec consequenter cognoscere poterant ordinarie preces viventium, ideo non fuit consuetum, ut vivi orarent eos alloquendo: v. g. dicendo: *Sancte Abraham, ora pro nobis*; sed solum orabant homines ejus temporis ad Deum allegando merita Sanctorum, qui jam obierant, ut ii ipsorum orationibus juvarentur. Unde D. Aug. q. 194. in Exod. ait, *admonemur, cum merita nostra nos gravant, ne diligamur a Deo, relevari nos apud Deum illorum meritis posse, quos Deus diligit*. Idipsum docet D. Chrys. *Hom. 42. in Gen. & hom. 27. in Matth.*

II. Probatur ratione Theologica. Certissimum est ex Sacr. Script. homines sanctos viventes a viventibus rectè esse invocatos 1. Reg. 7. dicunt filii Israel ad Samuelem: *ne cesses clamare pro nobis ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum*. Job ult. *Ite ad servum meum Job*. Jer. 42. *Dixeruntque ad Jeremiam Prophetam: cadat oratio nostra*

stra in conspectu tuo, & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, &c. Baruch 1. *Pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum, quia peccavimus Domino Deo nostro.* Et in nova Lege frequentissime Rom. 15. *Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, & per Charitatem Sancti spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Et Jac. 5. *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Quod si ergo Sancti ac justi adhuc in terra peregrinantes recte invocantur: ergo multo magis eosdem Sanctos nunc cum Christo regnantes licebit invocare. *Probatur consequens.* Si sancti nunc in cœlis non possent invocari a nobis, esset, vel quia nollent, vel quia non possent pro nobis intercedere, vel quia non scirent nostras preces, & invocationes. *Non primum*: quia nunc sunt majori Charitate præditi, quam antea; atque ut loquitur *D. Cyprian. ser. de mortalitate*; soliciti. *Neque secundum*; quia si poterant, dum adhuc erant peregrini, quanto magis nunc possunt in Patria Beati, & inamissibili gratia, amicitia, ac beatifica fruitione Deo uniti? *Neque tertium*: quia sancti in cœlo beatifice, & intuitive vident divinam essentiam, in qua tamquam vivo speculo creaturæ omnes præsentantur, adeoque etiam preces a nobis ad ipsos fusæ: aut certe alio modo ipsis a Deo revelantur. Certe Beati in Beatitudine æquales Angelis ea ratione, qua Angeli possunt cognoscere pœnitentiam peccatoris in terra, de qua tantopere lætantur in cœlis Luc. 15. *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*: eadem ratione sancti poterunt cognoscere preces nostras. Saltem denique sanctis in cœlo regnantibus non denegandum est id perfectionis, quod ipsis in hac vita etiam sæpe concessum fuit: atqui sanctis in hac vita sæpe concessum fuit cognoscere occulta aliorum etiam absentium. 1. *Reg.* 9. Samuel cognovit omnia, quæ erant in corde Saul. 4. *Reg.* 5. Elisæus scivit omnia, quæ a servo Giezi absente erant perpetrata cum Naaman Principe, &c. Item 4. *Reg.* 6. Idem scivit omnia consilia Regis Syriæ, eaque detexit Regi Israel. *Dan.* 2. Daniel scivit occultum somnium Nabuchodonosor. *Act.* 5. Petrus scivit occultam fraudem Ananiæ. Hoc argumentum numquam adhuc solvere potuerunt Hæretici: solum obscure ajunt, aliam esse rationem vivorum, aliam mortuorum; at quænam sit alia ratio, explicare nequeunt, nisi trita illa cantilena invocationem mortuorum esse invocationem, & cultum sacrum in scriptura prohibitum. De quo mox §. *seq.*

III. Probatur Auctoritate antiquissima, & continua Conciliorum, & SS.PP. Conc. Calced. *actione* 11. *synod.* 6. *Generali can.* 7. ubi dicitur. *Solo Deo Creatore adorato, invocet Christianus sanctos, ut pro se intercedere apud Majestatem Divinam dignentur.* Similiter VII. Synod. Gener. *act.* 6. *Cum timore omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ. Item SS. Angelorum, omniumque sanctorum.* Conc. *Gerundense cap.* 2. *Aurelianense. Mogunt. sub Carolo Magn. can.* 33. *Tolet.* V. *cap.* 1. & VI. *cap.* 6. *Braccar.* II. *c.* 9. quo inducuntur Lytaniæ cum invocatione Dei, & sanctorum triduo ante Ascensionem, quæ Concilia fere omnia consensu Ecclesiæ universalis celebrata sunt ante mille annos. SS. PP. Sententias late recitant Bellarm. *tom.* 1. *De Beatitud. Sanctor. l.* 1. *cap.* 18. Becan. *in Manuali controv. l.* 1. *cap.* 1. Jacob. Keller. *in Papatu Cathol. l.* 1. *art.* 7. per totum latissime. Antiquissimos quosdam audiamus. Origenes in Threnis, sive planctu. *Incipiam me genibus prosternere, & deprecari omnes Sanctos, ut mihi non audenti petere Deum propter nimietatem peccati succurrant. O Sancti Dei! vos lacrymis, fletu, & dolore deprecor, ut procidatis misericordiis ejus pro me misero.* S. Ephrem in Sermonibus de laudibus SS. Martyr. *Precamur, Beatissimi Martyres, qui pro Domino Salvatore, proque illius Charitate sponte tormenta subiistis, ideoque familiarius Domino conjuncti estis, ut pro nobis miserrimis peccatoribus, & negligentiæ squallore sordentibus Dominum interpellare dignemini, ut superveniat in nos gratia Christi, &c.* D. Greg. Naz. in Orat. S. Cypr. *Tu vero nos ab alto propitius respice, nostrumque sermonem, ac vitam dirige, & sanctum ovile hoc pasce.* D. Chrys. Hom. 26. in Epist. 2. Corint. *Nam & ipse purpura indutus, peregre proficiscitur, sepulchra illa SS. Martyrum complexurus, sanctos rogans, ut sibi patrocinentur apud Deum.* Et alibi sæpissime. D. Ambr. l. de Viduis: *Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare; possunt pro peccatis nostris rogare, qui proprio sanguine etiam, quæ habuerunt, peccata luerunt.* D. Hier. Epist. 25. ad Eustoch. in Epitaphio S. Paulæ: *Vale, o Paula: & cultoris tui ultimam Senectutem orationibus juva. Fides & opera tua Christo te sociant, præsens facilius, quod postulas, impetrabis.* D. August. lib. 7. de Baptis. contra Donatist. c. 9. Ita invocat S. Cyprianum; *adjuvet itaque nos orationibus suis, in istius carnis mortalitate tamquam in caliginosa nube laborantes, ut donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur. Obsecro vos per vestram Charitatem qui securi estis de vobis, sollicititi estote de nobis. Intercedite constanter, atque indesinenter pro nobis miseris, multumque negligentibus peccatoribus.* Atque SS.PP. omnes, qui ante mille annos floruerunt. Greg. Magnus, qui Hæreticis in hac materia inimicus est, ut proinde impudenter mentiantur hæretici, & nominatim *in Apolog. Confession. August. art.* 1. veteres scriptores ante Greg. Magn. nullam fecisse mentionem invocationis sanctorum.

IV. Confirmatur Historiis authenticis, & probatis. Deinde infinitis fere miraculis, quibus Sancti demonstrarunt se audire preces deprecantium, & viventium, ac eos velle, & posse juvare: præsertim apud Theodoret. *l.* 1. *Histor. cap.* 24. S. Ambros. *serm.* 90. *de S. Agnete*. S. August. *l.* 22. *Civ. Dei c.* 8. Greg. Turonens. totis libris, *de Gloria Martyr. & Confess.* Greg. Mag. *lib.* 3. *Dialog. cap.* 22. 25. 24. 37. D. Bonav. *in Vita S. Francisci*: aliosque innumeros. Omnes autem, ac tantos PP. autem mendacii insimulare, aut omnia ista miracula, vel ficta fuisse, aut ope dæmonum facta asserere, omnino incredibile est, nisi apud illos, qui omnem fidem amiserunt.

§. III. *Objiciunt Hæretici.*

I. Invocatio Sanctorum cedit in injuriam Dei, qui solus vult invocari: *Invoca me, &c.* Probant variis Scripturæ locis, quibus jubet se invocari. Sed singulariter urgent *Rom.* 10. Scriptum est: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit: Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt?* ergo (ajunt) ille solus invocandus est, in quem creditur: atqui in solum Deum creditur: ergo solus Deus invocandus; aut certe invocando Sanctos facimus illos Deos horribili idololatria. 22

II. Invocatio Sanctorum cedit in injuriam Christi Mediatoris, qui solus est Mediator, & Advocatus noster. 1. Tim. 2. *Unus est Mediator Dei, & hominum, Homo Christus JESUS.* Rom. 8. *Christus JESUS, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Joan. 14. *Ego sum Via, Veritas, & Vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Joan. 16. *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* 1. Joan. 2. *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum justum.* In quæ verba D. Aug. l. 2. contra Parmenianum cap. 8. sic scribit: *Si Joannes ita diceret: hæc scripsi vobis, ut non peccetis, & si quis peccaverit Mediatorem me habebitis apud Patrem, ego exoro pro peccatis vestris: sicut Parmenianus quodam loco Mediatorem posuit Episcopum inter populum, & Deum; Quis eum ferret bonorum, atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur?* Et infra: *Si esset Mediator Paulus, essent utique & cæteri Coapostoli ejus, ac sic multi Mediatores essent; nec ipsius Pauli constaret ratio, qua dixerat: unus Deus, unus Mediator Dei, & hominum.*

III. Invocatio sanctorum est signum diffidentiæ in Deum, qui & potens est, & paratissimus nos juvare, & toties nos invitat ad eum orandum. Et Paulus hortatur ad *Heb.* 4. ut cum fiducia accedamus ad thronum gloriæ ejus.

IV. Invocatio Sanctorum inutilis est omnino, cum non ipsi, sed solus Deus cognoscat nostras preces, & necessitates (1.) 3. Reg. 8. *Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum.* (2.) Job. 14. dicitur de mortuis parentibus, *sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* (3.) Eccl. 9. *viventes sciunt se morituros: mortui vero nihil noverunt amplius.* (4.) Isa. 63. *Tu es enim pater noster; Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos.* (5.) 4. Reg. 22. dicit Deus Josiæ Regi: *Colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum in locum istud.* (6.) Accedit clara Augustini auctoritas lib. de cura mortuor. cap. 13. *Si parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui sciant, quid agamus, aut quid patiamur? Isaias enim Propheta dicit; Abraham nos nescivit, & Israel non cognovit nos.*

Hæc sunt præcipua argumenta Hæreticorum contra invocationem Sanctorum, quorum tria priora efficacissime, & insolubiliter retorquentur ex Scripturis supra allatis, quibus constat licite invocari Sanctos, & Justos adhuc viventes absque injuria Dei, vel Christi Mediatoris, & absque diffidentia in Deum: ergo licebit etiam Sanctos jam Beatos invocare absque injuria Dei, Christi, & diffidentia in Deum. Sed veritatis gratia directe.

§. IV. *Respondent Catholici.*

Ad I. *Neg. anteced.* Scripturæ enim præcipientes Deum invocare, probant solum Deum esse invocandum ultimate, & principaliter tamquam principalem, & unicum auctorem bonorum, quæ ab ipso petimus: petimus enim principaliter bona supernaturalia gratiæ, & gloriæ, quæ absolute dare in solius Dei, & nullius Sancti potestate est: juxta illud *Psalm.* 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Ps.* 120. *Auxilium meum a Domino, qui fecit Cœlum, & terram.* Jacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.* Et de tali invocatione, utpote fidem in Deum supponente, loquitur *Apost. l. c.* Tali autem modo Catholicos invocare B. Vir. & Sanctos tamquam principales Auctores bonorum a nobis petitorum, imprudens impostura est, & calumnia Hæreticorum, & sine dubio cederet in injuriam Dei, verissima idololatria. Invocantur ergo Sancti a Catholicis solum, ut Patroni, & intercessores apud Deum, ut eorum meritis, & intercessione tamquam medio ad id divinitus ordinato facilius, quæ desideramus, impetremus, ut patet omnibus omnino orationibus Ecclesiæ ad Sanctos, quibus solum petitur, ut eorum intercessione apud 23

Deum beneficia impetremus; adeoque orantur solum transitive, ita ut oratio nostra non sistat in ipsis, sed velut transeundo ultimo ad Deum terminetur: sicque invocando Sanctos verissime, ultimate, & principaliter invocamus ipsum Deum, ut patet confessione omnium Catholicorum. At vero sic invocando Sanctos petere eorum intercessionem apud verum Deum, nullo modo est injuriosum Deo, nec est Sanctos facere Deos, aut colere pro Diis, ut calumniantur Hæretici: sicut petere intercessionem Aulicorum apud Imperatorem, nullo modo est injuriosum Imperatori, nec est aulicum facere Imperatorem, aut pro Imperatore colere, vel adorare. Cæterum hoc discrimen invocandi Deum, & Sanctos non debet semper attendi in nudis verbis, sed in verborum sensu: ut cum dicimus *S. Petre, miserere mei, adjuva me, da mihi &c.* non est sensus, ut faciat authentice per potestatem propriam, sed supplicative per intercessionem; quamquam a talibus verbis consulto abstineatur.

Ad II. *Neg.* similiter *Antec.* Duobus enim præcipue modis potest quis mediare inter duas partes dissidentes. 1. Solvendo debitum uni parti pro altera, & hoc modo solus Christus est unicus, & principalis mediator inter Deum, & hominem, unus, & principalis Advocatus noster apud Deum: quia nimirum solus sanguine suo nos redemit, & Deo Patri reconciliavit; adeoque solus pretium persolvit pro nostra salute, justificatione, gratia, & omni bono impetrando a Deo, prout ipse Apostolus citat. explicat: cum enim dixisset *unus mediator Dei, & hominum Christus JESUS*, mox addidit: *quia dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. 2. Potest quis mediare inter duos solum orando unam partem, ut alteri debitum remittat, vel bona præstet, & hoc modo Sancti, & justi homines possunt dici mediatores inter Deum, & hominem secundario; neque id cedit ullo modo in injuriam Christi, quasi ejus mediatio non esset sufficientissima, sed est ex defectu nostro: quia nos scilicet mediationis, & meritorum Christi non semper digni, & capaces sumus; ideo invocamus Sanctos, ut eorum intercessione, mediationis redemptionis Christi fructus applicentur. Deinde ipsi Sancti omnem suam apud Deum gratiam, & vim impetrandi habent ex meritis Christi; unde eorum invocatio potius cedit in honorem Christi. Et hinc patet ad locum Augustini allegatum, qui agit contra Donatistas putantes, gratiam Sacramenti pendere ex meritis Sacerdotis, & sic faciebant eum quasi mediatorem principalem inter Deum, & hominem, contra quos acute arguit ibi S. Doctor.

Ad III. *Neg.* iterum *Anteced.* Quia invocatio Sanctorum nullo modo est ex diffidentia erga Deum, aut de ejus erga nos bonitate, charitate, promissionibus, sed ex diffidentia erga nos ipsos, & nostra merita, & gratiam apud Deum, quia non scimus, an amore, vel odio digni simus; cum ergo constet majori longe, & certa gratia valere Sanctos apud Deum, adeoque longe facilius audiri, quam nos, recte invocamus eorum patrocinium, prout ipse Deus jussit amicos Job. *cap. ult. Ite ad servum meum Job.*

Ad IV. *Neg.* itidem *Anteced.* Omnibus enim illis, & similibus Scripturæ locis solum probatur, quod solus Deus naturaliter, & propria virtute cognoscat nostra occulta, & nullus hominum, quod verissimum est. Non enim naturaliter, & propria virtute cognoscunt Sancti in cœlis orationes, vel res nostras, sed solum supernaturaliter, aut in ipsa visione Verbi, aut ex peculiari Dei revelatione. De quo disputant Theologi in 1.*sent.* 1.*p. de visione beatifica.* Cætera loca 2. 3. 4. 5. agunt de Sanctis, vel defunctis V. Test. qui, quia nondum Beati erant, nec Deum videbant, nullo modo ordinarie res vivorum cognoscere potuerunt. *Sexto loco* Aug. solum contendit mortuos non interesse rebus vivorum naturali conservatione, sicut fuerant in vivis contra quorundam errores; quod autem Beati supernaturaliter, & divina revelatione sciant, quæ hic aguntur (præter alia loca innumera) docet apertissime eod. lib. moral. c.15. & c.16. dicens: *Non igitur ideo putandum est, vivorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis, vel adjuvandis Martyres adsunt; sed ideo potius intelligendum est, quod per divinam potentiam Martyres vivorum rebus intersint, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt.*

SECTIO IV.

Cultus sacrarum Imaginum, & Reliquiarum.

SUMMARIUM.

24 *Imagines quid, & cur fiant.*
25 *Licite habentur Imagines Dei.*
26 *Item imagines SS. Angelorum.*
27 *Ac Imagines Christi, & Sanctorum.*
28 *Liciteque, & sancte coluntur, & adorantur:*
29 *Cultu tamen, & adoratione* respectiva *tantum.*
30 *Objectiones Hæreticorum*
31 *Solvuntur.*
32 *Reliquiæ sanctorum*
33 *Licite, & sancte etiam honorantur.*
34 *Cultu tamen item respectivo tantum ad ipsos sanctos.*
35 *Quo cultu caro, & Sanguis Christi ex Passione relictus, vel in Eucharistia miraculose apparens, & aliæ Reliquiæ ex contactu corporis Christi sanctificatæ, ut Crux, Corona, & alia Passionis instrumenta, adoranda sint.*
36 *Objectiones Hæreticorum*
37 *Dissolvuntur,*
38 *Qui Sancti, imagines, & Reliquiæ possint coli cultu publico, & quæ privato.*

ASSERTIO IV.

Sacræ imagines Dei, Christi, & sanctorum recte habentur, licite & sancte coluntur, & adorantur, sed cultu, & adoratione respectiva tantum conformi ad sua prototypa. Est de Fide Catholica contra Hæreticos Iconoclastas antiquos, & modernos, definita in variis Conciliis, & novissime *in Trident.* paulo antea citato.

§. I. *Sacræ imagines recte habentur.*

IMago proprie definitur figura picta, vel sculpta, vere repræsentans aliud, cujus est imago, quo differt ab idolo, quod falsum quid repræsentat, ut imago chimæræ. Tripliciter autem potest fieri, pingi, vel sculpi imago, vel similitudo alterius. 1. Ad exprimendam veram similitudinem formæ, vel naturæ alterius; & hoc modo solum rerum corporearum, & sensibilium, quæ lineamentis, & coloribus, forma, & figura præditæ sunt, imagines fieri possunt, & tales inter sacras imagines tantum sunt imagines Christi hominis, & Sanctorum, quoad formam, & figuram externam corporalem, indirecte tamen solum repræsentantes animas sacras, at nullo modo possunt esse tales imagines Dei, Angelorum, aut ullarum rerum spiritualium: & qui hac ratione tentaret facere imaginem Dei, vere constitueret idolum: quia falsum repræsentaret. 2. Ad repræsentandam solum historiam oculis exhibendam, ut qui vellet depingere expulsionem Adæ ex paradiso, pingeret Deum in forma hominis senis, & gravis deambulantis: Angelum in forma humana juvenili gladium gestantem, Adam, & Evam nudos, &c. non utique ad repræsentandam naturam, vel similitudinem propriam Dei, vel Angeli, sed solum ad repræsentandum oculis in suis personis, ut in Scriptura legitur: & hoc modo Deum, & Angelos pingi posse, nullus nec Hæreticus, nec ipse Calvinus, omnium accerrimus imaginum hostis, negat. 3. Etiam solitarie extra historiam solum ad repræsentandam aliquam proprietatem, affectionem, operationem, vel mysticam significationem alterius rei; & hac ratione depinguntur Imagines Dei, & SS. Triadis in forma visibili, Divinus Pater in forma Viri senis, quia est antiquus dierum, & principium aliarum personarum: Divinus Filius in forma Viri juvenis, quia est filius Patris, & talem naturam humanam assumpsit: Spiritus Sanctus in forma columbæ, quia talis apparuit. Sic Angeli in forma juvenum alatorum: Christus in forma Agni: Evangelistæ in forma quatuor animalium depinguntur, omnia ob aliquas proprietates, & mysticas significationes, prout ex Scripturis, & SS. PP. nosse debemus. 24

§. II. *Imagines Dei.*

CErtum omnino esse debet, licitum esse in Nova Lege Deum, & Sanctissimam Trinitatem depingere, & repræsentare in forma corporea, & visibili prædictis modis, etiam extra historiam, juxta communissimam DD. Catholicorum, accedente jam usu Ecclesiæ, in qua jam ubique fere sunt receptæ ejusmodi imagines: nec credibile est, Ecclesiam toleraturam universaliter aliquid illicitum. *Ratio* sumitur ex S. Scriptura, qua constat, Deum ipsum hominibus apparuisse in forma corporea, & visibili *Gen.* 3. Apparuit Adæ tamquam homo deambulans ad auram post meridiem *Gen.*28. Jacob vidit Deum in forma visibili *innixum summitati scalæ.* Isa. *c.* 6. vidit *Dominum sedentem super solium excelsum.* Dan. c. 7. vidit *Antiquum dierum in throno sedentem*, capite, & crine canum, seu capillis albis; prout pingitur divinus Pater. Denique *Matth.*3. apparuit Spiritus Sanctus in specie columbæ: atqui licite depingitur, & repræsentatur, quod revera gestum est, ergo si Deus ipse ita apparuit, ut ex tali forma corporea mentem hominis erigeret ad incorporea, & spiritualia apprehendenda, cur non etiam nobis liceat id pia recitatione pictis, vel sculptis imaginibus imitari, repræsentare, & colere? Attamen fatentur Bellarm. *cit. lib.*2. *c.*8. de Sacris imaginibus. *Laym. lib.*4. *tract.*7. *c.*5. non esse omnino certum, multo minus de Fide, usum talium imaginum in Ecclesia habendum esse. Unde non modo contradicunt hæretici, sed etiam nonnulli Catholici. Abulensis *in c.*4. *Deuter. q.* 5. Henricus Gandavens. Durand. alii: idque maxime ob periculum idololatriæ; quamvis non adeo certum, & de Fide non sit, ob Ecclesiæ tamen universalem consuetudinem, & DD. Orthodoxorum consensum negari absque temeritate non potest. Et licet revera subsit periculum idololatriæ maxime quoad rudiores (unde olim Judæis ad idololatriam valde pronis, usus omnium imaginum 25

ginum interdictus videtur) attamen in nova Lege facile doceri potest, & omnino debet populus Christianus, non propterea Divinitatem figurari imaginibus, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus exprimi possit. Ut ait *Trid. sess.25. in Decret. de SS. Imaginum veneratione*.

§. III. *Imagines SS. Angelorum*.

26 CErtius utique est, eos licite depingi, etiam extra historiam, forma corporea de facto præsertim consueta honestissima: quia non modo Angeli in tali forma sæpissime apparuisse describuntur in Scripturis V. & N. Testamenti, verum etiam in V. T. Cherubini corporali forma ad Arcam in templo, ac alibi etiam ex auro erecti, & repræsentati sunt: ergo recte a nobis etiam sic repræsentantur, ut mens ex forma visibili, & similitudine sibi nota assurgat ad spiritualia æqualiter intelligenda: ubi tamen iterum sedula, & diligens populi instructio esse debet, ne tales esse putans Deum, & Angelos, quales in imaginibus repræsentantur, tamquam tales colat, & veneretur. Tunc enim esset verissima idololatria, seu cultus Idoli falsum repræsentantis. Mysteria picturarum Angelorum videre potes apud Scripturistas.

§. IV. *Imagines Christi, & Sanctorum*.

27 CErtissimum est, eas licite sculpi, pingi, haberi, & asservari a Christianis, idque de Fide, sicut de Fide certum est, eas imagines licite coli: ut certe constat, Iconoclastas antiquos, & modernos Calvinistas, eorumque successores omnem prorsus usum imaginum Christi, & Sanctorum extra historiam eliminare; Lutherani vero non prohibent usum imaginum Christi, & Sanctorum, etiam extra historiam solum pro memoria, sed tantum prohibent, quoad cultum: Catholici vero, & pro memoria, & pro cultu eas admittunt. De quo agit Decretum Conc. Trid. *sess.25. de cultu* Sanctorum, & imaginum ita dicens: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam* (decernimus) *non quod credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: itaut per imagines, quas osculamur, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudines gerunt, veneremur. Id, quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicenæ synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum*. Ita Conc. Trid. de Catholico sensu cultus, & adorationis sacrarum imaginum. His pro fundamento positis, esto

§. V. *Licite, & Sancte coluntur, & adorantur*.

28 I. PRobatur ex *scriptura Exod.*25. Erecti sunt duo Cherubin super Arcam Testamenti. *Num.*21. Jussu Dei erectus est in sublime serpens æneus. Has imagines, seu signa sacra honorata esse, & honorari debuisse constat ex Regula S.Augustini *lib.3. de doctrina Christiana c.9.* dicentis signa utilia divinitus instituta honoranda esse, quia honor eorum ad prototypon transit: atqui imagines illæ Cherubin, & serpentis fuerunt quam maxime utiles, & divinitus institutæ, ut sacra Scriptura testatur: ergo fuerunt honoranda, & honorata. Jam vero si licuit venerari imagines Angelorum, cur non etiam Sanctorum? si licuit venerari Christum in imagine serpentis (serpens enim ille æneus figura Christi fuit, ipso Salvatore testante Joann.3. *sicut exaltavit Moyses &c.*) cur non potius venerabilis sit imago Christi in forma propria hominis, vel ejus Crux, Crucifixve imago?

II. *Auctoritate* SS. PP. D.Chrysost. in Liturgia inter alia: *Sacerdos ad imaginem Christi caput inclinat*. D. Ambros. serm.10. in Psal.118. *Qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit*, &c. optime applicans de cultu imaginum Christi, & Sanctorum. D. Aug. *lib.3. de Trinit. c.*10. *late, lib.*10. *confess. cap.*24. Et alibi S. Damascen. *de Fide Orthod. lib.* 4. *c.*17. Et specialiter Crucem, ac Crucifixi Imaginem semper fuisse in Ecclesia honoratam, certissimum est apud SS. PP. Lactantius in carmine de Passione Domini: *Flecte genu, Lignumque Crucis venerabile adora*. D.Ambr. Orat. de obitu Theodosii: *Sapienter Helena egit, quæ Crucem Christi in capite Regum levavit, & locavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur*. S.Hieron. in vita Paulæ: *Prostrata ante Crucem quasi pendentem Dominum cerneret, adoravit*. D. Athan. *q.*16. *ad Antioch.* Et Tertullian. *in Apologetico cap.* 16. dicunt: Christianos appellatos Religiosos Crucis.

III. *Miraculis infinitis* ad imagines Christi Crucis, & Sanctorum patratis, beneficiisque exhibitis earum cultoribus, quibus Deus ostendit earum cultum sibi gratum esse. Antiquissima sunt de ipsa Cruce Christi inventa. De statua Christi erecta ab Hemorrhoissa: omnia autem ejusmodi miracula, omnibus sæculis hucusque toto orbe facta, conficta, aut dæmonum ope facta esse asserere, intolerabilis est protervia Hæreticorum.

IV. *Ratione*. Homo dignus est veneratione: quia est imago Dei juxta illud Cyrilli catechesi 12. *Imago linea terreni Regis honoratur; quanto magis rationalis imago Dei?* Ergo & cæteræ Imagines Dei, Christi, & Sanctorum veneratione dignæ sunt; quod enim uni imagini convenit, quia imago est, omnibus imaginibus, quia imagines sunt, convenire debet. Item imago Regis est venerabilis cultu civili; cur ergo Imagines Dei, Christi, & Sanctorum non etiam sint venerabiles cultu aliquo religioso competente suis prototypis? Denique imagines capaces sunt injuriæ, & contumeliæ; ergo a contrario etiam honoris, atque cultus. *Ant.* patet innumeris historiis, & maxime de infelici exitu antiquorum Iconoclastarum.

§. VI. *Sed Cultu, & adoratione respectiva tantum*.

CErtum enim est, imagines quasvis non esse colendas, 29
vel adorandas cultu, vel adoratione absoluta propter se ipsas, earumque intrinsecam aliquam excellentiam: omnes enim imagines sunt secundum se creaturæ irrationales, & inanimes; nulla autem creatura irrationalis capax est cultus, vel adorationis, quia nimirum cultus, vel adoratio est signum, vel protestatio submissionis, vel subjectionis erga alterum; homo autem nulli creaturæ irrationali, sed omnis creatura irrationalis potius ipsi homini subjecta est.

II. Coluntur ergo, & adorantur imagines respective tantum propter respectum ad sua prototypa, uti explicat, & definit Trid. *sess.*25. Imagines honorandas esse, quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant. Unde cultum sacrarum imaginum a similitudine cultus imaginis Imperatoris ad ipsum Imperatorem relati explicant SS. PP. D. Damasc. *Orat. 3. de Imaginibus*. D. Ambros. paulo supra cit. D. Augu. *l.3. de doctrina Christiana c. 9. Qui veneratur utile signum divinitus institutum, cujus vim, significationemque intelligit non hoc veneratur, quod videtur, & transit, sed illud potius, quo alia cuncta referenda sunt*.

III. Coluntur ergo, & adorantur ipsæ sacræ imagines solum per accidens, & concomitanter ad suum prototypon, quatenus nimirum in iis velut signis, vel speculis apprehendimus Christum, vel Sanctos, & ad eos colendos, & adorandos excitamur, & consequenter adorando Christum, vel aliquem Sanctum concomitanter, & per accidens, necessario etiam adoramus, & colimus Christi, vel Sancti illius imaginem. Quod D.Damascen. *Orat.*1. de imaginibus eleganter declarat a simili dicens: *Quemadmodum purpura, & sericum, & quod ex his vestimentum conficitur, per se nihil aliud est, nisi tenue quoddam operimentum, quod tamen si Rex induerit, honoris, quo præstat Rex, ipsum quoque particeps fit. Ita res ex materia constantes per se quidem adorandæ non sunt; at si gratia plenus sit is, quem illæ referunt, pro Fidei portione ipsæ quoque participes fiunt*.

IV. Aliud simile indicat Athanas. Orat.4. contra Arian. *Quia qui portat imaginem Regis, in illa adorat ipsum Regem: quippe cujus imago aliud non sit, quam regis forma, & species;* Ex.gr. qui regem in speculo refulgentem videt, & adorat; uno motu & Regem adorat, & speculum, sive imaginem Regis: ipsum quidem Regem per se principaliter, speculum autem concomitanter, & per accidens: ita est de adoratione imaginum Christi, & Sanctorum, quæ quidem materialiter sumptæ, quoad suam materiam, lineamenta, coloresque minime, sed formaliter sumptæ, quatenus repræsentant sua prototypa, coluntur, & adorantur respective cultu, & adoratione conformi suis prototypis, ita nimirum, ut imagines Dei, & Christi (idem est de cruce, & Speciebus Eucharisticis) per accidens, & respective colantur, & adorentur cultu Latriæ. Uti docent DD. communissime cum S. Th. *3.p.q.25. a.3.* D.Bonav. *in 3.dist.9.q.2.* Imagines similiter B.Virginis, & Sanctorum per accidens, & respective cultu Hyperduliæ, ac Duliæ coluntur, adoranturque. Lege *Bellarm. Keller. Valentiam*.

§. VII. *Objiciunt Hæretici*.

INducunt variis locis S. Scripturam prohibentem fieri, 30
ac coli imagines, sed maxime urgent primum Præceptum Decalogi, Exod.29. *Non facies tibi sculptile: neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, aut eorum, quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, neque coles*. Quo præcepto Hæretici, & præsertim Calvinus *l.*1. *de Instit. cap.*11. contendunt prohiberi non tantum idola, seu imagines falsorum Deorum divino cultu coli, vel adorari, sed omnes prorsus imagines quovis modo coli, vel adorari tanquam per idololatriam: insuper Judæos contra hoc præceptum idololatrantes, & adorantes vitulum aureum, omnino intendisse ea imagine vituli colere verum Deum, quod colligi volunt ex verbis eorum *Exod.* 32. ubi dicunt de vitulo aureo: *Hi sunt Dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti;* Et Aaron indicens festum pro cultu vituli aurei præconis voce clamari jussit: *cras solemnitas Domini est*, & quidem nomine Dei pro-

proprio. *Tetragramaton Jehova*: ergo, inferunt, cultus imaginum etiam veri Dei idololatria est. II. Objiciunt tria Concilia Elibertinum *c.36.* ubi dicitur: *placuit in templis non haberi picturas: ne id, quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur*. Constantinopolitanum duplex, unum sub Leone Iconomacho, alterum Constantinopolitanum sub Constantino Copronimo 338. Episcoporum, & Concilium Francofurtense 300. Episcoporum, quibus omnibus definitum sit; *Imagines abolendas esse*. III. Objiciunt Libros Carolinos quatuor contra imagines ex professo tractantes. 4. Objiciunt Auctoritates aliquot SS. PP. Irenæus lib.1. cap.24. inter hæreses Carpocratis ponit, quod coleret imaginem Christi, & Pauli. D.Epiph. hæresi 79. dicit, *hæreticos, qui imaginem B.V. circumferunt, & adorant*. D.Ambros.de obitu Theodosii: *invenit Helena Crucem Domini, regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error, sed adoravit illum, qui pependit in ligno*. D. Hier. in *c.3.* Daniel. *Cultores Dei imagines adorare non debent*. D.Aug. de moribus Ecclesiæ *cap.36.* de talibus dicit: *novi picturarum adoratores*. D. Greg. *lib.7. Epist.54. & 109.* expresse docet, imagines non esse adorandas.

Rationes hæreticorum nihil probant, nisi solum imagines non esse adorandas absolute, & in se, quod jam ultro asseruimus, ideoque præterimus.

§. VIII. *Respondent Catholici*.

31 AD I. In omnibus illis locis prohiberi veram idololatriam, qua coluntur idola, quæ habentur pro Diis, aut repræsentant pro Diis, qui revera non sunt Dii. Et certe primum præceptum Decalogi, quatenus quid divinum naturale est, non prohibet plus quam veram idololatriam, seu cultum vero Deo debitum tribuere idolis: quatenus vero divinum positivum est, esto quod sentiant multi DD. Deum in Veteri Lege Judæis prohibuisse omnes prorsus imagines, eorumque cultum, utpote populo nimium propensio in idololatriam; certum tamen est illa præcepta quatenus mere positiva, & cæremonialia per Moysen promulgata sunt, cessasse in Nova Lege, in qua Christus Legifer noster nihil de novo statuit quoad imagines, Ecclesiæ suæ determinationi relinquens: sicut etiam contingit in tertio præcepto. Contentioni hæreticorum, quod Judæi per vitulum aureum intenderint adorare verum Deum, repugnat aperte textus scripturæ: ajunt enim: *hi sunt Dii tui*, in plurali; noverant autem verum Deum esse unum tantum: falsos ergo Deos intellexerunt, & coluerunt more Ægyptiorum. Unde Scriptura *Deut.32.* hanc idololatriam ipsis exprobrans ait: *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui*. Et Psal.105. *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile. Obliti sunt Deum, qui salvavit eos*. An hoc est colere verum Deum? Quod autem dixerit Aaron: *Cras solemnitas Domini est*; varias expositiones potes videre apud Bellarm. *tom.1. controv.7. lib.2. cap.13.* Facilior videtur responsio *Cajetani in cap.32. Exodi*: Quod Judæi idololatræ ipsum verum nomen Domini tribuerunt idolo illi, & forte hoc significare Scripturam Sap.14. cum dicit: *Incommutabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt*.

Ad II. Resp. Concilium Elibertinum nullo modo absolute prohibere imagines habere, & colere, sed solum pingere in parietibus, ne, imminente persecutione tunc adhuc frequenter fæviente, dum Christiani imagines pictas secum auferre, & abscondere non possent, Judæis, ac Paganis ludibrio fierent. Ita *Bellar. Suar.* & alii. Concilia vero duo Constantinopolitana sub Imperatoribus Iconoclastis habita, non fuerunt legitima. Cum non modo Summus Pontifex nec per se, nec per Legatos adfuerit (cum tamen ex Regula Concilii primi Nicæni sine sententia Romani Pontificis non liceat Concilia Generalia celebrare) verum nec ulli Patriarchæ per se, vel per Legatos consenserint. Omnes porro Auctores antiqui de Conciliis scribentes, illa duo Concilia vel omnino non memorant, vel aperte reprehendunt. Concilium autem Francofurtense, quidquid in hac re statuerit, quia tamen (ipsis Magdeburgensibus centuriatoribus testibus) Adrianus Pontifex, & Legati ejus non modo non consenserunt, sed acerrime repugnarunt, constat nullius fuisse auctoritatis. Vide *Bellarm. Suar. Laym.*

Ad III. Resp. Libros illos Carolinos dictos nihil ominus esse, quam ipsius Caroli Magni Imperatoris (ut imponunt hæretici) sed ab alio quopiam compositos, & a Carolo Magno Romano Pontifici ad examinandum transmissos, ut aperte constat ex eo, qui extat, libro Adriani I. Pontificis ad Carolum Magnum, in quo illi libri accurate refelluntur, ut latius probat *Bellarm. cit.*

Ad IV. Evidens est. SS. PP. illos loqui aut de adoratione statuarum more Gentilium: uti *Iræneus*, & *Hier.* aut de adoratione etiam Sacrarum imaginum; sed absoluta, & propter se ipsas: aut modis indebitis per Sacrificia, prout hæretici apud *Epiphan. cit.* adorabant imaginem B. Virginis. Et uno verbo prohibent cultum imaginum superstitiosum. Idem tamen PP. locis supra allegatis apertissime asserunt, & defendunt, cultum sacrarum imaginum competentem, & religiosum. Hæretici autem dissimulatis claris auctoritatibus corradunt loca quædam obscura.

ASSERTIO V.

RELIQUIÆ *Sanctorum licite, & sancte coluntur, & adorantur, similiter tamen cultu, & adoratione respectiva ad ipsos Sanctos*. Ita omnes Orthodoxi, est de fide Catholica definita in diversis Conciliis in omnibus orbis partibus infra recitandis contra omnes hæreticos, qui sicut ipsis Sanctis, ita multo magis eorum Reliquiis omnem cultum, & adorationem negant. 32

§. Dicuntur autem Reliquiæ Sacræ, quidquid ex sanctorum ex hac vita decedentium corporibus reliquum mansit, sive sint eorum corpora, vel cadavera, membra, ossa, dentes, capilli, ungues, item cineres, ac pulveres, in quos eorum corpora immediate conversa sunt: nam si plures mutationes in alias res factæ sint, amittitur omnis habitudo moralis ad Sanctos, ut proinde illæ res adorabiles amplius non sint, sicut etiam si decenter adorari non possunt, ut vermes sanctorum corporibus nati. Ut notant, *Suarez, Sanchez, Layman*, alii hic. Sive sint eorum vestes, varia utensilia, quibus in hac vita usi fuerunt: item panni, & quælibet res, quam in hac vita tetigerunt, vel quibus eorum corpora, vel membra sive vivorum, vel mortuorum tecta fuerunt, prout docent DD. communiter in hac materia.

§. I. *Licite, & sancte honorantur*.

I. PROBATUR ex Scriptura. *Exod.13.* Moyses discessurus cum populo Israelitico ossa Josephi dudum defuncti honorifice secum asportavit. *Deut. ult.* Deus ipse honoravit corpus Moysis defuncti, dum illud propriis manibus sepelivit, ut argumentatur *D. Hier.* contra Vigilantium. *4. Reg.13.* ossa Elisæi, cum tetigissent mortuum quendam hominem, continuo is ad vitam revocatus est. Ita Deus honorat Reliquias sanctorum. *4. Reg.23.* Cum Josias delubra idolorum everteret, aliorum ossibus in cineres redactis, ossa tamen sancti Prophetæ ibidem reperta honorifice asservari jussit, adeoque licet intenderet omnem idololatriam extirpare, Reliquias tamen sanctorum honorandas esse censuit. *Isa.11. de Messia* loquens ait: *in eum gentes sperabunt, & erit sepulchrum ejus gloriosum*. *Matth. 9.* Hemorrhoissa solum fimbriam Christi fideliter, & religiose tetigit dicens: *si solum tetigero &c.* & sanata est. *Act.5.* Populi certatim contendebant saltem obumbrari ab umbra Petri pro sanitate consequenda, & consecuti sunt, & quæ vilior reliquia, quam umbra excogitari potest? *Act.19.* Pauli sudaria, & semicinctia deferebantur ad ægrotos, ut modo etiam nos facimus cum Reliquiis, qui tamen omnes nullo modo reprehensi sunt, ut superstitiosi, sed potius præmium Fidei, & devotionis suæ reportabant: cur ergo nos Catholici ab Hæreticis reprehendimur tanquam superstitiosi, & idololatræ simili devotione, & fide honorantes Sanctorum Reliquias? 33

II. Probatur ex pluribus Conciliis in omnibus mundi partibus habitis: in Oriente Concil. Nicæn. II. *Act.3.* Item Gangrense ante annos 1200. *can. ult.* In Africa *Concil. Carthag. canon.14.* ubi jubetur, ut nulla Altaria dedicentur, nisi ibi sint Sanctorum Martyrum Reliquiæ. In Hispania Concil. Braccarense III. *can.5.* ubi statuitur thecam Reliquiarum in Processionibus gestari debere manibus Episcoporum. In Gallia Concil. Ephanense *can.25.* In Germania Concil. Moguntin. tempore Caroli Magni *can. 51.* In Italia Concil. Lateran. sub Innocent. III. *cap. 62.* Tandem Concil. Trident. *sess.25.*

III. Probatur Auctoritate, & doctrina unanimi omnium SS. PP. Ex Græcis. D. Athan. *in vita S. Anton.* de pallio Pauli primi Eremitæ. Basil. in Psal. 115. *Pretiosa in conspectu Domini &c.* Greg. Nyssen. *orat. in Theodor. Mart.* Greg. Nazianz. *Orat.1. in Julianum*. D.Chrys. *serm. de SS. Juventio, & Maximo*. D.Damascen. *lib.4. de Fide Orthodoxa cap.16.* copiose, & diserte id probans. Ex latinis vero D. Hieron. *lib. contra Vigilant.* ex professo inter cætera objiciens: *dolet Vigilantius Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium; ut solus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur* D. Ambr. *serm. 93. de SS. Nazar. & Celso* disertissime D. August. *Epist. 103. ad Quinctianum*. D.Greg. *lib.5. Epist.50.* aliique plurimi, quos omnes cum textibus invenies apud *Bellarm. cit. l.2.c.3. Coccium, Beeanum, Keller, & alios*.

IV. Denique probatur miraculis innumeris factis divinitus ad Sacras Reliquias religiose cultas: certe non fienda, si Deo earum cultus displicerent. Item miraculis super ipsa Sacra corpora, vel Reliquias factis, quibus Deus ostendit honorem ipsis debitum. Plena sunt monumenta Sanctorum Patrum, & historiarum, ut superfluum sit hic multum de eis referre. *Ratio* denique sumitur ab honesto, & æquo: quia nimirum illæ Reliquiæ fuerunt organa sanctarum animarum ad omne opus bonum, instrumenta Dei ad miracula, &c. quare nullus sanæ mentis eis honorem congruum denegare potest.

§. II. *Cul-*

§. II. *Cultu tamen, & adoratione respectiva ad ipsos Sanctos.*

34 CUm enim Reliquiæ secundum se vere sint res inanimes, incapaces cultus, & adorationis ab homine, ob rationem supra de imaginibus datam; hinc illæ non secundum se, & propter se absolutæ, sed solum respective ad Sanctos cultu, vel adoratione eis competente adorari, & coli debent; ita scilicet, ut Reliquiæ B. Virginis, & Sanctorum colantur cultu respectivo Hyperduliæ, & Duliæ: Reliquiæ vero Christi, quæ adhuc asservantur, cultu respectivo Latriæ, ut Christi præputium, ejusque Sanguis adhuc asservatus in aliquibus Ecclesiis, posito etiam quod adhuc sit verus Sanguis Christi, ut affirmant *D. Bonav. Gabriel. Suarez p. 3. t. 2. disp. 47. sect. 2.* Negant autem plures cum S. Th. *3. p. qu. 54. art. 2.* certum enim est illum sanguinem, sicut & præputium non esse amplius unitum hypostatice cum Verbo, ideoque non absolute, sed respective tantum adorari debere, sicut & aliæ Reliquiæ propter contactum carnis Christi.

II. At quid de Carne, vel sanguine Christi aliquando apparentibus, vel miraculose factis ex S. Eucharistia? Cultu Latriæ absoluto adorari debere docent *Sot. Major. Gabriel.* apud Bassæum *verbo Adoratio n. 5.* Quia putant eamdem esse carnem unitam Verbo miraculose ibi reproductam. Sed verior est communior sententia cum S. Thom. *3. p. qu. 67. a. 3. Suar.* post *Bassæum cit.* debere adorari cultu solum Latriæ respectivo: cum enim ibi non sint amplius species Eucharisticæ, & consequenter nec Eucharistia, nec ipse Christus, nec caro, vel sanguis ejus, non sunt eademmet Caro, vel Sanguis Christi, sed illius imago tantum; nimirum alia substantia miraculose producta a Deo; ideoque non cultu Latriæ absoluto, sed respectivo tantum adorari possunt, quemadmodum Crux, & imagines Christi.

35 III. Eodemque respectivo Latriæ cultu adorari debent aliæ Christi Reliquiæ ex contactu Corporis Christi sanctificatæ, & honeste adorabiles. Ut Crux, Corona spinea, aliaque instrumenta Passionis Christi, Sudarium, Tunica, vestes aliæ, vel illorum omnium particulæ asservatæ. At quid de imaginibus ejusmodi Reliquiarum, seu rerum inanimatarum, quæ Christum contigerunt, ut sunt imagines Crucis, clavorum, coronæ, lanceæ, tunicæ, sacræ sindonis? &c. Resp. Imaginem Crucis esse Latria respectiva adorandam: quia semper est imago Christi, & proponitur ad repræsentandam ejus Passionem: aliæ vero imagines instrumentorum, cum non assumantur ad repræsentandam Christi Passionem, seu Christum passum, sed solum ad repræsentanda illa ipsa instrumenta, vel vestimenta &c. quæ Christum attigerunt, ideo non sunt adorandæ cultu Latriæ, sed solum ut sacra signa honoranda, ut ex D. Th. *cit.* notat *Bassæus cit. num. 7.* Sermo est de ejusmodi Reliquiis, seu rebus inanimatis, quæ Christum tetigerunt. Nam

IV. Excipiendæ omnino sunt creaturæ rationales, quæ Christum etiam sancte tetigerunt, ut B. Virgo Maria, Joseph, Apostoli, alter Joseph, & Nicodemus, &c. Hi enim non sunt adorandi cultu Latriæ respectivo propter periculum idololatriæ (*ut sect. 1.* sub finem notatum est) sed cultu ipsis competente, nimirum Duliæ, vel Hyperduliæ. Magis excipienda sunt illa, quæ Christum ignominiose tetigerunt; ut os Judæ, manus alapam infligentis, crucifigentium Christum &c. licet adhuc existerent: hæc enim ex contactu Christi non participaverunt ejus sanctitatem ob eorum incapacitatem, & impietatem. Certe etiam excipiendum foret jumentum illud, cui Christus insedit Hierosolymam ingressus, si adhuc in toto, vel in parte existeret: quia licet contactus Christi sufficiens fuisset ad hanc adorationem respectivam, hoc tamen certe non decet, ut in pluribus aliis. Vide *Suarez supra cit.* & optime Candidum *v. Adoratio disquisit. 7. dub. 5.* His conformiter resolvi debent aliæ quæstiones curiosæ hic proponibiles.

§. III. *Objiciunt Hæretici.*

36 I. SCripturam. *Matth. 23.* Arguuntur a Domino Judæi, quod ornarent sepulchra Prophetarum, *Deuter. ult.* Deus ipse abscondit Moysis corpus: cujus ratio ab omnibus redditur, ne Judæi illud adorarent. Hinc Judas in Epistola sua refert, Michaelem Archangelum altercatum cum diabolo de Moysis corpore: quia scilicet Diabolus volebat illud manifestare ut occasionem præberet Judæis illud adorandi ergo &c. Addit *Heilbronner* supra præceptum divinum Gen. 3. *Terra es, & in terram ibis*: ergo in terram, in sepulchra pertinent Sanctorum cadavera, non ad Altaria, in thecas, monstrantias, &c.

II. D. Paulus *Colloss. 2.* damnat omnem cultum arbitrarium, id est, a Deo non institutum, quem vocat grece stultitiam: cultus autem Reliquiarium, imaginum, non est institutus a Deo, sed inventus ab hominibus: ergo ab Apostolo damnatus, & damnandus.

III. D. Aug. *lib. de moribus Ecclesiast. c. 34.* reprehendit sepulchrorum adoratores. *D. Hieron. Vigilantio* objicienti esse idololatriam accendere cereos coram Sanctorum Reliquiis, aliud respondere non potuit, quam id fieri a mulierculis, quæ zelum habent, sed non secundum scientiam. Insuper Conc. *Elibert. can. 34.* dicit: ejusmodi cereis Sanctorum Spiritus inquietari.

IV. Maxima pars Reliquiarum supposititia est, tum quia D. Aug. *lib. de opere Monach. c. 28.* cum dixisset quosdam Monachos circumferre membra Martyrum, addidit: *Si tamen Martyrum*: Quod si autem tunc temporis jam fiebant imposturæ, quid nunc fieri credendum est? Tum quia tam multæ Reliquiæ ejusdem generis reperiuntur, ut oporteat vel eumdem Sanctum multa corpora, aut certe giganteum corpus habuisse, vel multas esse falsas Reliquias: nam inde illud: *Multorum Reliquiæ in terris honorantur, quorum animæ in inferno cruciantur.*

§. IV. *Respondent Catholici.*

I. AD I. Dominum non reprehendere Judæos, quod ædificarent, vel ornarent sepulchra Prophetarum, sed 37
quod non imitarentur prophetas, sed potius, eos, qui illos occiderunt, & sic se ipsos condemnarent. Uti exponunt eum locum omnes fere SS. PP. Hilar. Hieron. Chrys. Theophylact. *in c. 23. Matth.* Et Ambr. *in c. 11. Lucæ* dicens: Propheticorum ædificatione tumulorum sceleris eos, qui occiderunt, arguebant, & similium æmulatione factorum se quoque declarabant paternæ iniquitatis hæredes; non igitur ædificatio, sed æmulatio sceleris loco æstimatur. Moysis corpus absconditum est, ne a Judæis in idololatriam pronissimis coleretur pro Deo vera idololatria, ait Chrys. *hom. 8. in Matth.* Illud *terra es, & in terram ibis*, significat hominem ordinarie naturali morte in pulverem resolvendum, nihil de veneratione Reliquiarum: non autem semper cadavera sub terra abscondenda; alias & Deus malefaceret, eos aliquando resuscitando.

Ad II. Resp. S. Paulum ibi prohibere non quemvis cultum voluntarium, sed superstitiosum, ut nostri Interpretes recte vertunt, seu falsam Religionem, ut vertit Hieronymus *Epist. ad Aglasiam.* Deinde falsa est *minor*: cultus enim Reliquiarum non est omnino voluntarius, ab hominibus excogitatus, sed a Deo, etsi non expresse præceptus, tamen inspiratus, ut patet ex Scripturis allatis §. 1. Quibus approbatur cultus Reliquiarum; cultum autem superstitiosum & nos damnamus.

Ad III. Resp. Aug. reprehendere illos sepulchrorum adoratores, qui sacrificia panis, & vini, aliarumque epularum manibus defunctorum ad sepulchra offerebant, quibus deinde se se ingurgitabant: sic enim loquitur: *Novi sepulchrorum adoratores, novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes super sepultos se ipsos sepeliant, & voracitates, ebrietatesque suas deputent Religionem.* Sic Ille. Abusum ergo turpissimum reprehendit, non cultum debitum Reliquiarum, & sepulchrorum SS. Martyrum, quem alibi sæpius disertissime asseruit, & commendavit. Similiter D. Hier. & Concil. *Elibertinum* reprehendunt candelas oblatas, & accensas Martyribus solum propter adjunctam superstitionem: quod mulierculæ putarent iis Sanctos Martyres illustrari. Ita enim objicienti Vigilantio: Magnum honorem præbent hujusmodi homines Beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrari; respondet Hieronym. *confiteor zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* Cæterum ibidem pergit Hieronym. in nostram sententiam: *causabantur quondam & Apostoli, quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt; neque enim Christus egebat unguento, nec Martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honorem Christi fecit, devotioque mentis ejus recipitur, & quicumque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem.* Et ulterius objicienti, quod etiam idolis accendebantur cerei in signum Divinitatis eorum idololatricæ. Respondet Hier. *Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est, sed hoc fit Martyribus, & ideo recipiendum est.* Sic S. Doct. Neque cerei accensi sunt semper signum cultus divini, veri, vel falsi, sed generaliter significant lætitiam, & gloriam: merito autem colimus cum lætitia Gloriam Sanctorum.

Ad IV. denique negatur, Reliquias, quæ publica auctoritate in Ecclesia ad colendum publice proponuntur esse suppositities: Quippe de quibus Ecclesia semper diligentissime inquirit, ne fraudes fiant; esto in privato subinde errores contingant, ut *l. c.* merito suspicabatur Aug. de privatis Monachis Reliquias ita circumferentibus. Ex dictis patet, quid dicendum de oblationibus, & peregrinationibus sanctis; eorumque imaginibus pictis: de votis factis ad Sanctos patebit, *tract. seq. in Præcepto secundo.*

ANNOTATIO MORALIS.

De Sanctorum, eorumque Imaginum, ac Reliquiarum cultu publico, & privato.

I. CUltus publicus dicitur, qui Sanctis, eorumque imaginibus, ac Reliquiis ab Ecclesia institutus est, at- 38
que ejus nomine exhibetur, adeoque ad colendum publico cultu (Sacrificio Missæ, Processione, Festo, voto communi ad illum Sanctum, ejusve Reliquias, vel Imaginem) debet necessario ejus Sanctitas ab Ecclesia publice esse proposita fidelibus per Canonizationem, vel Beatificationem spo-

specialem, aut approbationem generalem, uti præcipitur *c. finali, de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, aliorumque Pontificum Decretis: quia rectus ordo exigit, ut publice solum colatur, qui publice est propositus Sanctus. Et de hoc cultu potissimum hactenus locuti sumus.

II. Cultus privatus dicitur, qui Sanctis eorumque Reliquiis, vel imaginibus exhibetur solo nomine, & devotione privatorum fidelium, atque ad ejusmodi privato cultu colendum aliquem Sanctum sufficit, si prudenter nobis persuadeamus, illum esse Sanctum, seu Dei amicum in gloria. *Ratio est*. Quia sic non erit morale periculum errandi, sicut in cultu publico; alioquin absque ejusmodi prudenti persuasione, seu morali certitudine sanctitatis, semper erit temerarium colere, vel adorare. Et hinc

III. Per se, & secluso scandalo defuncti viri (non tamen adhuc vivi, absque speciali instinctu Spiritus Sancti) quem Sanctum credis, licite poteris cadaver, vel Reliquias osculari; easdem cum honore servare, ejusdem imaginem depingere, & domi habere, diem mortis ejus privatim colere, in ejusdem vigilia jejunare, eum orando invocare, preces privatas, *Pater*, *Ave*, *Rosaria*, *Psalmos*, in ejus honorem recitare, votum privatum ei nuncupare, in privatis colloquiis Sanctum, vel Beatum nominare, &c. & his similia: quia hæc omnia publicum cultum minime sapiunt. At contra

IV. Non licet ejus nomen in Litaniis etiam privatis apponere: ejus imaginem in Altari, vel Ecclesia collocare ad cultum (secus si solum ad memoriam, vel ornatum) nec in Missa de eo commemorationem facere, seu in collectis Missæ, vel Officii divini eum nominare, nec ei vota publica nomine communitatis nuncupare, nec diem Festum publicum, aut Processionem in ejus honorem instituere, etiam auctoritate Episcopi, & his similia: quia hæc omnia, & similia vel publicum cultum supponunt, vel instituta sunt solum ad Sanctos canonizatos, seu publice propositos, venerandos. Hæc omnia latius post *Suarez*, & alios, *Lezana v. Sanctorum cultus*, ex quo strictim Tambur. *lib.* 2. *Decalog. cap.* 5. §. 1. *num.* 11. Et ex hoc ego.

CAPUT IX.

De Irreligiositate secundum excessum, seu superstitione contra primum Præceptum, ut negativum est.

I. IRreligiositas generatim est vitium oppositum Religioni seu Reverentiæ, & cultui Deo debito, quemadmodum enim respectu Justitiæ datur vitium in communi oppositum, quod vocatur *injustitia*: & respectu temperantiæ datur vitium in genere oppositum, dictum *intemperantia*, &c. Et utrumque diversas sub se species complectitur: ita etiam respectu Religionis datur vitium in communi oppositum, quod generaliter vocamus *irreligiositatem*, diversissimas sub se species complectentem. Generalissime autem dividitur in duas species, scilicet: Irreligiositatem secundum excessum, & secundum defectum.

II. Irreligiositas secundum excessum dicitur (non quidem quoad quantitatem cultus absolute, quantumvis enim homo Deum colat, minus est, quam ei debeatur, neque hic excedi potest) sed, vel secundum objectum, ut si aliquid pro Deo colatur, quod Deus non est; vel secundum modum colendi, utpote si verus Deus quidem colatur, sed modo indebito; utrovis modo facta proprio nomine dicitur *superstitio*, sic dicta, quasi aliquid super convenientem Dei cultum *statuens*: & definitur

III. Superstitio est falsa Religio, seu cultus vitiosus, quo vel colitur creatura cultu divino, vel Deus modo indebito. Ita communiter DD. cum *D. Th.* 2. 2. *quæst.* 92. *ar.* 1. Quia enim vera Religio, & cultus Dei duo requirit: 1. objectum, ut scilicet verus tantum Deus colatur cultu divino. 2. Modum colendi, ut scilicet Deus etiam modo convenienti, seu congruo colatur; si alterum horum desit, exceditur contra Religionem veram, & efficitur Religio falsa, & superstitio; quæ proinde immediate subdividitur in duas species: nimirum superstitionem in objecto colendo, qua scilicet cultus divinus tribuitur creaturæ præsertim diabolo; cujus tres sunt præsertim species *idololatria*, *divinatio*, *& vana observatio*, *seu magia*. Et superstitionem in modo colendi, qua Deo vero cultus indebitus tribuitur.

IV. Superstitio secundum defectum dicitur, qua Deo vero irreverentia irrogatur, cujus species sunt *Tentatio Dei*, *Blasphemia*, *Sacrilegium*. De quibus *cap. seq.*

SECTIO I.

De Idololatria.

SUMMARIUM.

1 *Idololatria est superstitio, qua divinus honor creaturæ tribuitur.*
2 *Ut sit vera idololatria, quæ requirantur.*
3 *Est peccatum mortale gravissimum, quandoque duplex.*
4 *Idololatriæ triplex species explicatur.*
5 *Qualiter hoc peccatum etiam committi soleat circa Sanctos, eorum Imagines, Reliquias.*
6 *Idololatria simplex, & mixta: implicita, & explicita quid.*
7 *Unde superstitiosæ divinationis, & magiæ malitia oriatur.*
8 *Superstitiosa divinatio, & magia alia cum pacto expresso;*
9 *Alia cum pacto implicito, seu tacito.*
10 *Notanda Confessariis.*

ASSERTIO I.

IDololatria est superstitio, qua divinus cultus tribuitur creaturæ, seu est cultus, seu servitus, quæ Deo debita, creaturæ tribuitur; peccatum mortale gravissimum, & quandoque duplex, mixtum scilicet infidelitate; alia simul & implicita, & explicita; alia mixta, & implicita saltem, Divinatio, & Magia; & hæc alia cum pacto explicito, vel expresso, alia cum pacto implicito, & tacito cum dæmone. Omnes.

§. I. *Est superstitio, qua divinus honor tribuitur creaturæ &c.*

I. PAtet vel ex ipso nomine *idololatriæ*, composito ex *idolo*, *& Latria*: Latria enim proprie significat Deo soli proprium honorem, cultum. Idolum autem proprie significat simulacrum repræsentans falsum: ut imago chimeræ, hypocentauri: quo differt idolum ab imagine, quæ est simulacrum repræsentans aliquid verum, seu quod ita se habet, sicut figuratum: ut imago Christi hominis, B. Virg. &c. Unde communi jam sensu idolum dicitur omne illud, quod pro Deo colitur, estque non Deus; ideoque Idololatria proprie est cultus divinus tributus creaturæ tanquam Deo, hoc est simulacro Deum falso repræsentanti, aut aliquid Divinitatis habenti. Nam 1

II. Varie olim idololatrabant Veteres. 1. Aliqui omnium stupidissimi adorabant ejusmodi simulacra falsa absolute, & in se, quasi aliquid Divinitatis in se habentia. 2. Alii prudentiores adorabant ea simulacra solum respective ad aliquid aliud falso pro Deo repræsentatum, quod tamen non erat Deus, sed vel homines mortui: ut Jupiter, Mars &c. aut animalia, aut elementa, sic enim antiqui in statua Apollinis adorabant Solem; in statua Dianæ Lunam; in imagine Jovis aerem; Neptuni aquam. 3. Alii seclusis simulacris absolute adorabant creaturas, Solem, Lunam, Stellas, ignem, homines, immo bestias crocodillos &c. tamquam Deos, vel Divinitatis aliquid habentes; adeoque adhuc ut falsa Divinitatis simulacra. Et quia omnia ista fiebant ex instinctu dæmonis Divinitatis hostis, & æmulatoris, divinum honorem affectantis, ideo reipsa ultimate adorabatur ipse Dæmon, qui talibus se immiscens, responsa dans, aliaque præstans pro Deo colebatur. Tandem eousque res nefanda processit, ut 4. Ipse Dæmon in se ipso forma visibili apparens pro Deo adoraretur; & quidem etiamnum in Christianitate ab infandis illis sagis, & magis: unde factum, ut sicut idolum jam communi sensu accipitur pro omni eo, quod pro Deo colitur; ita idololatria accipitur pro omni honore, vel cultu exhibito cuicumque creaturæ, tamquam Deo, sive simulacrum sit, sive res alia animata, inanimata, &c. ac tandem ipse dæmon, ut cum *D. Th. cit.* notant DD. communiter.

III. Ad veram ergo idololatriam duo principaliter requiruntur. 1. Ut id, quod creaturæ tribuitur, vere sit cultus divinus, seu Latria soli Deo debita, qua nimirum in creatura contestamur divinam aliquam excellentiam, nostramque erga eam subjectionem, quod universaliter dignoscendum est ex actu interno, & intentione colendi creaturam pro Deo, quocumque actu externo id fiat: actus enim illi cultui communes, nimirum prostrationes, genuflexiones, inclinationes, sicut ad cultum Latriæ, Duliæ, & politicum, ita etiam ad idololatriam determinantur per actus internos. Deinde particulariter etiam cognoscitur ex actu externo, si nimirum talis actus ex natura sua, vel consuetudine soli Deo tribuendus sit, ut sunt omnia Sacrificia, omniaque ad ipsum pertinentia, ut Templa, Altaria. De quo eleganter S. Aug. *lib.* 20. contra Faustum *c.* 21. ait: *Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, construimus Altaria*. Et paulo post: *illo cultu, qui grece latria dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie Divinitatis debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo*. Hæc ille. 2

IV. Requiritur. 2. Ut talis divinus cultus vere exhibeatur, vel tribuatur creaturæ, tali nimirum voluntate, & intentione huic creaturæ conciliandi, quantum in se est, opinionem divinæ alicujus excellentiæ, qualis in solam divinam Majestatem cadit: non enim opus est ad idololatriam, omnem excellentiam, vel perfectionem divinam Deo de facto inexistentem explicite tribuere creaturæ, scilicet diabolo, quod numquam factum, nec fieri potest: sed sufficit aliquam quamcumque excellentiam, vel perfectionem Deo debitam creaturæ tribuere. Quemadmodum gentiles olim

olim tam varios Deos colendo, non omnibus absolutam supremam excellentiam, & dominium tribuere potuerunt, sed singulis peculiarem, & supremam vim ad certum munus, vel effectum: Jovi super Regna: Marti super bella: Neptuno super aquas: Apollini super scientiam &c. quæ tamen singulæ etiam excellentiæ soli Deo propriæ sunt. His ergo duobus concurrentibus, ut & cultus divinus sit, & vere tribuatur creaturæ, dicimus,

§. II. *Peccatum mortale gravissimum, & quandoque duplex.*

3 Post peccata contra Virtutes Theologicas superius latius explicata, omnium gravissimum est *idololatria*: quippe primum locum tenens inter peccata contra Virtutem Religionis, quæ est omnium virtutum moralium præstantissima: quia, quantum est in se, tollit honorem Deo, ut transferat in creaturam; est verum crimen læsæ Majestatis Divinæ, Apostasia a Deo: unde sæpe duplex involvit peccatum: idololatria enim tres præcipue actus includit. 1. Existimationem Divinitatis, seu perfectionis, vel excellentiæ alicujus divinæ in creatura. 2. Affectum adorandi, seu actum internum voluntatis, quo quis se creaturæ submittit ut Numini, idque colere intendit. 3. Ipsam adorationem, seu actum externum, quo quis suam erga talem creaturam, tamquam Deum, submissionem protestatur, & significat: & hinc triplex est species adorationis idololatricæ.

4 *Prima* est idololatria externa simul, & interna quoad existimationem, & affectum: cum quis & intellectu existimat erronee creaturæ aliquid inesse Divinitatis; & ideo voluntate intendit eam tollere, quæ est idololatria perfecta, & semper conjuncta cum infidelitate: adeoque duplex peccatum mortale, infidelitatis contra Fidem, & superstitionis contra Religionem, atque adeo talis idololatra v. gr. dæmonem pro Deo adorans, est verus infidelis, hæreticus, vel hæretica, & incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ; ideoque a Confessario etiam Regulari privilegiato non habente facultatem specialem absolvendi ab hæresi, absolvi non potest: quod valde notandum.

Secunda est idololatria externa simul, & interna quoad affectum tantum, non quoad existimationem, cum quis scilicet cognoscit huic idolo &c. nihil inesse Divinitatis, unumque tantum & verum Deum agnoscens: tamen ex pravo affectu, utpote odio erga Deum, cupiditate aliquid a Diabolo impetrandi, idolo, vel ipsi dæmoni voluntarium deliberatum cultum externum tamquam Deo defert: qualis regulariter est idololatria, vel potius Dæmonolatria sagarum, & magorum: & licet hæc species deficiat a priori quoad existimationem intellectus, non tamen deficit quoad affectum voluntatis, immo malitia excedit, longeque gravius peccatum est, quam prior species, quæ ob ignorantiam utcumque excusari potest: hæc vero contra propriam scientiam, & conscientiam ex mera malitia procedit, Deo debitum cultum tribuens creaturæ: & si fiat ex actuali odio Dei, ac formali contemptu ipsius, erit peccatorum omnium gravissimum: & quamvis talis idololatrans solo affectu sine æstimatione erronea intellectus non sit infidelis, vel hæreticus, nec consequenter incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ, excommunicationem tamen aliam incurrit, nimirum latam a Joanne XXII. non tamen reservatam Pontifici. Uti habetur in Directorio Inquisit. adeoque a quovis Confessario legitimo tales absolvi possunt.

Tertia est idololatria externa, & simulata tantum, cum quis absque existimatione Divinitatis, omnique affectu interno colendi aliquid pro Deo, tamen ex infirmitate, metu persecutionis, tormentorum, mortis &c. idolo, creaturæ, vel dæmoni exterius tantum exhibet cultum Deo debitum v. gr. sacrificium thuris, qualis fuit idololatria S. Marcelli Papæ, & aliorum; & licet hæc non sit idololatria vera, & formalis, sed materialis tantum; cum careat affectu interno colendi aliquid pro Deo essentialiter requisito ad omnem cultum formalem, est tamen gravissimum peccatum mortale, tum contra professionem externam Fidei, tum etiam contra virtutem Religionis; cum sit plenissimum mendacium, perniciosum, in cultu publico Religionis Deo injuriosum, hominibus scandalosum.

5 Neque hoc peccatum idololatriæ ita proprium est Gentilium, magorum, & sagarum, falsos Deos, & ipsum dæmonem pro Deo adorantium, quin Christianis, & aliis quoque commune sit. Sic enim peccato idololatriæ, & etiam gravissime peccat mortaliter (si scienter, & voluntarie.) *Primo*: Quisquis Sanctos adorat, & invocat pro donis, vel effectibus naturalibus, vel supernaturalibus, tamquam Auctores principales istorum donorum, vel effectuum, tamquam sua propria virtute, & facultate præstandorum; hoc enim vere est divinam excellentiam tribuere creaturæ: quod tamen non ex verbis nudis, sed ex sensu verborum debet expendi, ut supra etiam monui. *Secundo*: Quisquis imagines, & alias quasvis res sacras, vel Reliquias adorant in se vel propter se, & non cum respectu ad sua prototypa, Deum, vel Sanctos: talis enim necessario tribuit creaturæ excellentiam supernaturalem, vel divinam. *Tertio*. Quisquis aliquam excellentiam supernaturalem, etiam creatam, & ideo cultum tali excellentiæ debitum falso tribuit creaturæ, in qua talis excellentia non reperitur. E. G. qui sanctis falsis, vel fictis hominibus non beatis, vel damnatis cultum tribuunt veris Sanctis debitum. Qui falsas Reliquias obtrudunt adorandas; qui in signum falsi miraculi, vel beneficii miraculose accepti tabellas ad sepulchra, ad Altaria, vel alias in templo appendunt. Qui falsa miracula prædicant, vel evulgant &c. peccant omnino hi mortaliter, quamvis non proprie idololatriæ, sed potius idoloduliæ peccato; quia gravis hic veræ Religioni infertur injuria. Neque excusatio duci potest a bona intentione propagandæ devotionis; cum ea potius hoc modo diminuatur, dum aperitur via ad etiam vera miracula neganda, & confundenda, uti sæpius experimur ab hæreticis; præterquam quod verus Deus mendaciis honorari abhorreat: atque huic periculo se exponunt, qui Sanctos necdum publica auctoritate canonizatos, eorumque Reliquias, vel imagines colunt, vel venerantur cultu Sanctis debito: contra quos *Urbanus VIII.* edidit Bullam *Anno* 1625. 4. *Aprilis*, prohibens, ne talium imagines cum radiis pingantur, ne ad eorum sepulchra vota appendantur. Deterius adhuc faciunt, qui hominum adhuc viventium Reliquiis, imaginibus, cultum Sanctis debitum exhibent, quod non raro accidit nostro tempore. *Quarto*: Quisquis hujusmodi cultus Deo, vel Sanctis debitos sibi ipsi arrogat, exhiberi permittit, vel procurat quocumque medio, ficta sanctitate, miraculis, revelationibus falsis, peccat mortaliter peccato saltem idololatriæ ultra peccatum hypocrisis, mendacii, & falsitatis in rebus Religionis. Exempla illusionis, & deceptionis plus satis nota fuerunt. Sed de his satis.

§. III. *Idololatria simplex, & mixta, implicita, & explicita.*

Idololatria *simplex*, & *explicita* est, qua divinus cultus exhibetur creaturæ, diabolo præcise animo ipsum colendi, ac honorandi, aliquam ejus excellentiam divinam, v. g. supremum dominium submisse contestando. *Idololatria mixta*, & *implicita* dicitur, qua colitur dæmon, ipsum invocando pro aliquo opere a Deo tantum petendo, & exhibendo: utpote, aut pro notitia occultorum per divinationem; aut pro effectu aliquo præternaturali causando per magiam, seu vanam observationem: etenim diabolus hostis, & æmulus Divinitatis ex superbia, & odio erga Deum divinum honorem affectans, omnibus modis, quibus Deus colitur, & ipse coli vult: colitur autem Deus, aut per adorando, & reverentiam debitam divinæ Excellentiæ, ac Majestati exhibendo, aut invocando, & petendo ab ipso ea, quæ ad nostræ mentis, & operationis directionem spectant: ita etiam diabolus homines edocuit. 1. Ut ipsi cultum, & reverentiam quasi divinam exhibeant, & erit pura idololatria. 2. Ut ipsum invocent, & petant ab ipso occultorum cognitionem per divinationem. 3. Ut ipsum invocent, & petant ab ipso directionem operum, & effectus præternaturales per magiam, seu vanam observationem: unde omnis superstitiosa divinatio, & magia verissima est idololatria, aut mixta, sæpe scilicet conjuncta cum actuali explicita adoratione dæmonis, ut patebit; aut saltem implicita, hoc enim ipso, quo homo expresse, vel tacite invocat, & petit a dæmone cognitionem occultorum, vel effectum præternaturalem, implicite saltem, & interpretative intendit ipsum colere, & de facto ipsum colit, nec requiritur intentio formalis explicita colendi cum cultu divino, sed sufficit intentio virtualis, & implicita, faciendo nimirum id, quod revera cedit in honorem ejus, semper affectantis honorem divinum. 6

Superstitiosæ ergo divinationis, & magiæ malitia, & ratio peccati mortalis gravissimi consistit in hoc, quod homo pro cognitione rerum occultarum, aut alio affectu obtinendo, relicto Deo, recurrat ad dæmonem, eum expresse, vel tacite (modo mox explicando §. *seq.*) invocans, atque expectans ab eo notitiam, vel effectus a Deo solo petendos, vel expectandos, quod ipsum necessario cedit in contemptum Dei, ac honorem diaboli, divinum semper in his honorem affectantis, ac per hoc homo ipso facto diabolo divinum quendam honorem exhibet, utique gravissimo peccato idololatriæ, saltem implicitæ, Apostasiæ a Deo, ac velut læsæ Majestatis divinæ crimine. Unde ulterius quamvis in rigore loquendo, vera, & formalis superstitiosa divinatio, & magia implicite idololatria dæmoni divinum cultum exhibens tunc solum videatur esse, quando ad diabolum recurritur pro notitia, vel effectu solum a Deo haberi possibili, ut pro notitia futurorum contingentium, cogitationum cordium, pro resuscitatione mortui, extemporanea curatione morbi gravis, præsertim incurabilis &c. certum tamen videtur apud omnes, etiam illam divinationem, vel magiam esse veram superstitionem cum implicita, seu interpretativa idololatria, & peccatum mortale gravissimum, qua petitur a diabolo cognitio earum rerum, quas is (utpote substantia intellectualis perfectissima) naturaliter scire potest, ut auctorem furti, vel homicidii occultum, eventus naturales, aut effectus aliquos, quos naturaliter efficere potest, ut tempestates, curationem febris, intoxicationem hominis, vel 7

specialem, aut approbationem generalem, uti præcipitur *c. finali, de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, aliorumque Pontificum Decretis: quia rectus ordo exigit, ut publice solum colatur, qui publice est propositus Sanctus. Et de hoc cultu potissimum hactenus locuti sumus.

II. Cultus privatus dicitur, qui Sanctis eorumque Reliquiis, vel imaginibus exhibetur solo nomine, & devotione privatorum fidelium, atque ad ejusmodi privato cultu colendum aliquem Sanctum sufficit, si prudenter nobis persuadeamus, illum esse Sanctum, seu Dei amicum in gloria. *Ratio est*. Quia sic non erit morale periculum errandi, sicut in cultu publico; alioquin absque ejusmodi prudenti persuasione, seu morali certitudine sanctitatis, semper erit temerarium colere, vel adorare. Et hinc

III. Per se, & secluso scandalo defuncti viri (non tamen adhuc vivi, absque speciali instinctu Spiritus Sancti) quem Sanctum credis, licite poteris cadaver, vel Reliquias osculari; easdem cum honore servare, ejusdem imaginem depingere, & domi habere, diem mortis ejus privatim colere, in ejusdem vigilia jejunare, eum orando invocare, preces privatas, *Pater*, *Ave*, *Rosaria*, *Psalmos*, in ejus honorem recitare, votum privatum ei nuncupare, in privatis colloquiis Sanctum, vel Beatum nominare, &c. & his similia: quia hæc omnia publicum cultum minime sapiunt. At contra

IV. Non licet ejus nomen in Litaniis etiam privatis apponere: ejus imaginem in Altari, vel Ecclesia collocare ad cultum (secus si solum ad memoriam, vel ornatum) nec in Missa de eo commemorationem facere, seu in collectis Missæ, vel Officii divini eum nominare, nec ei vota publica nomine communitatis nuncupare, nec diem Festum publicum, aut Processionem in ejus honorem instituere, etiam auctoritate Episcopi, & his similia: quia hæc omnia, & similia vel publicum cultum supponunt, vel instituta sunt solum ad Sanctos canonizatos, seu publice propositos, venerandos. Hæc omnia latius post *Suarez*, & alios, *Lezana v. Sanctorum cultus*, ex quo strictim Tambur. *lib.* 2. *Decalog. cap.* 5. §. 1. *num.* 11. Et ex hoc ego.

CAPUT IX.

De Irreligiositate secundum excessum, seu superstitione contra primum Præceptum, ut negativum est.

I. IRreligiositas generatim est vitium oppositum Religioni seu Reverentiæ, & cultui Deo debito, quemadmodum enim respectu Justitiæ datur vitium in communi oppositum, quod vocatur *injustitia*: & respectu temperantiæ datur vitium in genere oppositum, dictum *intemperantia*, &c. Et utrumque diversas sub se species complectitur: ita etiam respectu Religionis datur vitium in communi oppositum, quod generaliter vocamus *irreligiositatem*, diversissimas sub se species complectentem. Generalissime autem dividitur in duas species, scilicet: Irreligiositatem secundum excessum, & secundum defectum.

II. Irreligiositas secundum excessum dicitur (non quidem quoad quantitatem cultus absolute, quantumvis enim homo Deum colat, minus est, quam ei debeatur, neque hic excedi potest) sed, vel secundum objectum, ut si aliquid pro Deo colatur, quod Deus non est; vel secundum modum colendi, utpote si verus Deus quidem colatur, sed modo indebito; utrovis modo facta proprio nomine dicitur *superstitio*, sic dicta, quasi aliquid super convenientem Dei cultum *statuens*: & definitur

III. Superstitio est falsa Religio, seu cultus vitiosus, quo vel colitur creatura cultu divino, vel Deus modo indebito. Ita communiter DD. cum *D. Th.* 2. 2. *quæst.* 92. *ar.* 1. Quia enim vera Religio, & cultus Dei duo requirit: 1. objectum, ut scilicet verus tantum Deus colatur cultu divino. 2. Modum colendi, ut scilicet Deus etiam modo convenienti, seu congruo colatur; si alterum horum desit, exceditur contra Religionem veram, & efficitur Religio falsa, & superstitio; quæ proinde immediate subdividitur in duas species: nimirum superstitionem in objecto colendo, qua scilicet cultus divinus tribuitur creaturæ præsertim diabolo; cujus tres sunt præsertim species *idololatria*, *divinatio*, *& vana observatio*, *seu magia*. Et superstitionem in modo colendi, qua Deo vero cultus indebitus tribuitur.

IV. Superstitio secundum defectum dicitur, qua Deo vero irreverentia irrogatur, cujus species sunt *Tentatio Dei*, *Blasphemia*, *Sacrilegium*. De quibus *cap. seq.*

SECTIO I.

De Idololatria.

SUMMARIUM.

1 *Idololatria est superstitio, qua divinus honor creaturæ tribuitur.*
2 *Ut sit vera idololatria, quæ requirantur.*
3 *Est peccatum mortale gravissimum, quandoque duplex.*
4 *Idololatriæ triplex species explicatur.*
5 *Qualiter hoc peccatum etiam committi soleat circa Sanctos, eorum Imagines, Reliquias.*
6 *Idololatria simplex, & mixta: implicita, & explicita quid.*
7 *Unde superstitiosæ divinationis, & magiæ malitia oriatur.*
8 *Superstitiosa divinatio, & magia alia cum pacto expresso;*
9 *Alia cum pacto implicito, seu tacito.*
10 *Notanda Confessariis.*

ASSERTIO I.

IDololatria est superstitio, qua divinus cultus tribuitur creaturæ, seu est cultus, seu servitus, quæ Deo debita, creaturæ tribuitur; peccatum mortale gravissimum, & quandoque duplex, mixtum scilicet infidelitate; alia simul & implicita, & explicita; alia mixta, & implicita saltem, Divinatio, & Magia; & hæc alia cum pacto explicito, vel expresso, alia cum pacto implicito, & tacito cum dæmone. Omnes.

§. I. *Est superstitio, qua divinus honor tribuitur creaturæ &c.*

I. PAtet vel ex ipso nomine *idololatriæ*, composito ex *idolo*, & *Latria*: Latria enim proprie significat Deo soli proprium honorem, cultum. Idolum autem proprie significat simulacrum repræsentans falsum: ut imago chimeræ, hypocentauri: quo differt idolum ab imagine, quæ est simulacrum repræsentans aliquid verum, seu quod ita se habet, sicut figuratum: ut imago Christi hominis, B. Virg. &c. Unde communi jam sensu idolum dicitur omne illud, quod pro Deo colitur, estque non Deus; ideoque Idololatria proprie est cultus divinus tributus creaturæ tanquam Deo, hoc est simulacro Deum falso repræsentanti, aut aliquid Divinitatis habenti. Nam 1

II. Varie olim idololatrabant Veteres. 1. Aliqui omnium stupidissimi adorabant ejusmodi simulacra falsa absolute, & in se, quasi aliquid Divinitatis in se habentia. 2. Alii prudentiores adorabant ea simulacra solum respective ad aliquid aliud falso pro Deo repræsentatum, quod tamen non erat Deus, sed vel homines mortui: ut Jupiter, Mars &c. aut animalia, aut elementa, sic enim antiqui in statua Apollinis adorabant Solem; in statua Dianæ Lunam; in imagine Jovis aerem; Neptuni aquam. 3. Alii seclusis simulacris absolute adorabant creaturas, Solem, Lunam, Stellas, ignem, homines, immo bestias crocodillos &c. tamquam Deos, vel Divinitatis aliquid habentes; adeoque adhuc ut falsa Divinitatis simulacra. Et quia omnia ista fiebant ex instinctu dæmonis Divinitatis hostis, & æmulatoris, divinum honorem affectantis, ideo reipsa ultimate adorabatur ipse Dæmon, qui talibus se immiscens, responsa dans, aliaque præstans pro Deo colebatur. Tandem eousque res nefanda processit, ut 4. Ipse Dæmon in se ipso forma visibili apparens pro Deo adoraretur; & quidem etiamnum in Christianitate ab infandis illis sagis, & magis: unde factum, ut sicut idolum jam communi sensu accipitur pro omni eo, quod pro Deo colitur; ita idololatria accipitur pro omni honore, vel cultu exhibito cuicumque creaturæ, tamquam Deo, sive simulacrum sit, sive res alia animata, inanimata, &c. ac tandem ipse dæmon, ut cum *D. Th. cit.* notant DD. communiter.

III. Ad veram ergo idololatriam duo principaliter requiruntur. 1. Ut id, quod creaturæ tribuitur, vere sit cultus divinus, seu Latria soli Deo debita, qua nimirum in creatura contestamur divinam aliquam excellentiam, nostramque erga eam subjectionem, quod universaliter dignoscendum est ex actu interno, & intentione colendi creaturam pro Deo, quocumque actu externo id fiat: actus enim illi cultui communes, nimirum prostrationes, genuflexiones, inclinationes, sicut ad cultum Latriæ, Duliæ, & politicum, ita etiam ad idololatriam determinantur per actus internos. Deinde particulariter etiam cognoscitur ex actu externo, si nimirum talis actus ex natura sua, vel consuetudine soli Deo tribuendus sit, ut sunt omnia Sacrificia, omniaque ad ipsum pertinentia, ut Templa, Altaria. De quo eleganter S. Aug. *lib.* 20. contra Faustum *c.* 21. ait: *Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, construimus Altaria*. Et paulo post: *illo cultu, qui grece latria dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie Divinitatis debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo*. Hæc ille. 2

IV. Requiritur. 2. Ut talis divinus cultus vere exhibeatur, vel tribuatur creaturæ, tali nimirum voluntate, & intentione huic creaturæ conciliandi, quantum in se est, opinionem divinæ alicujus excellentiæ, qualis in solam divinam Majestatem cadit: non enim opus est ad idololatriam, omnem excellentiam, vel perfectionem divinam Deo de facto inexistentem explicite tribuere creaturæ, scilicet diabolo, quod numquam factum, nec fieri potest: sed sufficit aliquam quamcumque excellentiam, vel perfectionem Deo debitam creaturæ tribuere. Quemadmodum gentiles olim

olim tam varios Deos colendo, non omnibus absolutam supremam excellentiam, & dominium tribuere potuerunt, sed singulis peculiarem, & supremam vim ad certum munus, vel effectum: Jovi super Regna: Marti super bella: Neptuno super aquas: Apollini super scientiam &c. quæ tamen singulæ etiam excellentiæ soli Deo propriæ sunt. His ergo duobus concurrentibus, ut & cultus divinus sit, & vere tribuatur creaturæ, dicimus,

§. II. *Peccatum mortale gravissimum, & quandoque duplex.*

3 POst peccata contra Virtutes Theologicas superius latius explicata, omnium gravissimum est *idololatria*: quippe primum locum tenens inter peccata contra Virtutem Religionis, quæ est omnium virtutum moralium præstantissima: quia, quantum est in se, tollit honorem Deo, ut transferat in creaturam; est verum crimen læsæ Majestatis Divinæ, Apostasia a Deo: unde sæpe duplex involvit peccatum: idololatria enim tres præcipue actus includit. 1. Existimationem Divinitatis, seu perfectionis, vel excellentiæ alicujus divinæ in creatura. 2. Affectum adorandi, seu actum internum voluntatis, quo quis se creaturæ submittit ut Numini, idque colere intendit. 3. Ipsam adorationem, seu actum externum, quo quis suam erga talem creaturam, tamquam Deum, submissionem protestatur, & significat: & hinc triplex est species adorationis idololatricæ.

4 *Prima* est idololatria externa simul, & interna quoad existimationem, & affectum: cum quis & intellectu existimat erronee creaturæ aliquid inesse Divinitatis; & ideo voluntate intendit eam tollere, quæ est idololatria perfecta, & semper conjuncta cum infidelitate: adeoque duplex peccatum mortale, infidelitatis contra Fidem, & superstitionis contra Religionem, atque adeo talis idololatra v. gr. dæmonem pro Deo adorans, est verus infidelis, hæreticus, vel hæretica, & incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ; ideoque a Confessario etiam Regulari privilegiato non habente facultatem specialem absolvendi ab hæresi, absolvi non potest: quod valde notandum.

Secunda est idololatria externa simul, & interna quoad affectum tantum, non quoad existimationem, cum quis scilicet cognoscit huic idolo &c. nihil inesse Divinitatis, unumque tantum & verum Deum agnoscens: tamen ex pravo affectu, utpote odio erga Deum, cupiditate aliquid a Diabolo impetrandi, idolo, vel ipsi dæmoni voluntarium deliberatum cultum externum tamquam Deo defert: qualis regulariter est idololatria, vel potius Dæmonolatria sagarum, & magorum: & licet hæc species deficiat a priori quoad existimationem intellectus, non tamen deficit quoad affectum voluntatis, immo malitia excedit, longeque gravius peccatum est, quam prior species, quæ ob ignorantiam utcumque excusari potest: hæc vero contra propriam scientiam, & conscientiam ex mera malitia procedit, Deo debitum cultum tribuens creaturæ: & si fiat ex actuali odio Dei, ac formali contemptu ipsius, erit peccatorum omnium gravissimum: & quamvis talis idololatrans solo affectu sine æstimatione erronea intellectus non sit infidelis, vel hæreticus, nec consequenter incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ, excommunicationem tamen aliam incurrit, nimirum latam a Joanne XXII. non tamen reservatam Pontifici. Uti habetur in Directorio Inquisit. adeoque a quovis Confessario legitimo tales absolvi possunt.

Tertia est idololatria externa, & simulata tantum, cum quis absque existimatione Divinitatis, omnique affectu interno colendi aliquid pro Deo, tamen ex infirmitate, metu persecutionis, tormentorum, mortis &c. idolo, creaturæ, vel dæmoni exterius tantum exhibet cultum Deo debitum v. gr. sacrificium thuris, qualis fuit idololatria S. Marcelli Papæ, & aliorum; & licet hæc non sit idololatria vera, & formalis, sed materialis tantum; cum careat affectu interno colendi aliquid pro Deo essentialiter requisito ad omnem cultum formalem, est tamen gravissimum peccatum mortale, tum contra professionem externam Fidei, tum etiam contra virtutem Religionis; cum sit plenissimum mendacium, perniciosum, in cultu publico Religionis Deo injuriosum, hominibus scandalosum.

5 Neque hoc peccatum idololatriæ ita proprium est Gentilium, magorum, & sagarum, falsos Deos, & ipsum dæmonem pro Deo adorantium, quin Christianis, & aliis quoque commune sit. Sic enim peccato idololatriæ, & etiam gravissime peccat mortaliter (si scienter, & voluntarie.) *Primo*: Quisquis Sanctos adorat, & invocat pro donis, vel effectibus naturalibus, vel supernaturalibus, tamquam Auctores principales istorum donorum, vel effectuum, tamquam sua propria virtute, & facultate præstandorum; hoc enim vere est divinam excellentiam tribuere creaturæ: quod tamen non ex verbis nudis, sed ex sensu verborum debet expendi, ut supra etiam monui. *Secundo*: Quisquis imagines, & alias quasvis res sacras, vel Reliquias adorant in se vel propter se, & non cum respectu ad sua prototypa, Deum, vel Sanctos: talis enim necessario tribuit creaturæ excellentiam supernaturalem, vel divinam. *Tertio*. Quisquis aliquam excellentiam supernaturalem, etiam creatam, & ideo cultum tali excellentiæ debitum falso tribuit creaturæ, in qua talis excellentia non reperitur. E. G. qui Sanctis falsis, vel fictis hominibus non beatis, vel damnatis cultum tribuunt veris Sanctis debitum. Qui falsas Reliquias obtrudunt adorandas; qui in signum falsi miraculi, vel beneficii miraculose accepti tabellas ad sepulchra, ad Altaria, vel alias in templo appendunt. Qui falsa miracula prædicant, vel evulgant &c. peccant omnino hi mortaliter, quamvis non proprie idololatriæ, sed potius idolodouliæ peccato; quia gravis hic veræ Religioni infertur injuria. Neque excusatio duci potest a bona intentione propagandæ devotionis; cum ea potius hoc modo diminuatur, dum aperitur via ad etiam vera miracula neganda, & confundenda, uti sæpius experimur ab hæreticis; præterquam quod verus Deus mendaciis honorari abhorreat: atque huic periculo se exponunt, qui Sanctos necdum publica auctoritate canonizatos, eorumque Reliquias, vel imagines colunt, vel venerantur cultu Sanctis debito: contra quos *Urbanus VIII.* edidit Bullam *Anno* 1625. 4. *Aprilis*, prohibens, ne talium imagines cum radiis pingantur, ne ad eorum sepulchra vota appendantur. Deterius adhuc faciunt, qui hominum adhuc viventium Reliquiis, imaginibus, cultum Sanctis debitum exhibent, quod non raro accidit nostro tempore. *Quarto*: Quisquis hujusmodi cultus Deo, vel Sanctis debitos sibi ipsi arrogat, exhiberi permittit, vel procurat quocumque medio, ficta sanctitate, miraculis, revelationibus falsis, peccat mortaliter peccato saltem idololatriæ ultra peccatum hypocrisis, mendacii, & falsitatis in rebus Religionis. Exempla illusionis, & deceptionis plus satis nota fuerunt. Sed de his satis.

§. III. *Idololatria simplex, & mixta, implicita, & explicita.*

IDololatria simplex, & explicita est, qua divinus cultus exhibetur creaturæ, diabolo præcise animo ipsum colendi, ac honorandi, aliquam ejus excellentiam divinam, v. g. supremum dominium submisse contestando. *Idololatria mixta, & implicita* dicitur, qua colitur dæmon, ipsum invocando pro aliquo opere a Deo tantum petendo, & exhibendo: utpote, aut pro notitia occultorum per divinationem; aut pro effectu aliquo præternaturali causando per magiam, seu vanam observationem: etenim diabolus hostis, & æmulus Divinitatis ex superbia, & odio erga Deum divinum honorem affectans, omnibus modis, quibus Deus colitur, & ipse coli vult: colitur autem Deus, aut pure adorando, & reverentiam debitam divinæ Excellentiæ, ac Majestati exhibendo, aut invocando, & petendo ab ipso ea, quæ ad nostræ mentis, & operationis directionem spectant: ita etiam diabolus homines edocuit. 1. Ut ipsi cultum, & reverentiam quasi divinam exhibeant, & erit pura idololatria. 2. Ut ipsum invocent, & petant ab ipso occultorum cognitionem per divinationem. 3. Ut ipsum invocent, & petant ab ipso directionem operum, & effectus præternaturales per magiam, seu vanam observationem: unde omnis superstitiosa divinatio, & magia verissima est idololatria, aut mixta, sæpe scilicet conjuncta cum actuali explicita adoratione dæmonis, ut patebit; aut saltem implicita, hoc enim ipso, quo homo expresse, vel tacite invocat, & petit a dæmone cognitionem occultorum, vel effectum præternaturalem, implicite saltem, & interpretative intendit ipsum colere, & de facto ipsum colit, nec requiritur intentio formalis explicita colendi cum cultu divino, sed sufficit intentio virtualis, & implicita, faciendo nimirum id, quod revera cedit in honorem ejus, semper affectantis honorem divinum. 6

Superstitiosæ ergo divinationis, & magiæ malitia, & ratio peccati mortalis gravissimi consistit in hoc, quod homo pro cognitione rerum occultarum, aut alio affectu obtinendo, relicto Deo, recurrat ad dæmonem, eum expresse, vel tacite (modo mox explicando §. *seq.*) invocans, atque expectans ab eo notitiam, vel effectus a Deo solo petendos, vel expectandos, quod ipsum necessario cedit in contemptum Dei, ac honorem diaboli, divinum semper in his honorem affectantis, ac per hoc homo ipso facto diabolo divinum quendam honorem exhibet, utique gravissimo peccato idololatriæ, saltem implicitæ, Apostasiæ a Deo, ac velut læsæ Majestatis divinæ crimine. Unde ulterius quamvis in rigore loquendo vera, & formalis superstitiosa divinatio, & magia implicite idololatria dæmoni divinum cultum exhibens tunc solum videatur esse, quando ad diabolum recurritur pro notitia, vel effectu solum a Deo haberi possibili, ut pro notitia futurorum contingentium, cogitationum cordium, pro resuscitatione mortui, extemporanea curatione morbi gravis, præsertim incurabilis &c. certum tamen videtur apud omnes, etiam illam divinationem, vel magiam esse veram superstitionem cum implicita, seu interpretativa idololatria, & peccatum mortale gravissimum, qua petitur a diabolo cognitio earum rerum, quas is (utpote substantia intellectualis perfectissima) naturaliter scire potest, ut auctorem furti, vel homicidii occultum, eventus naturales, aut effectus aliquos, quos naturaliter efficere potest, ut tempestates, curationem febris, intoxicationem hominis, 7

vel

vel pecoris &c. Ita cum D. Aug. & S. Thom. 2. 2. *qu.* 85. *art.* 2. Navarr. Sanchez, Suarez, Layman, alii hic. Ratio est: quia enim hac ratione homo relinquit Deum, honorat diabolum, eique cultum, saltem ex parte hominis, soli Deo retribuendum, attribuit: etsi enim tunc non sit proprie cultus divinus ex parte operis petiti, utpote naturaliter possibilis, evadit tamen cultus divinus ex parte diaboli acceptantis, & in his semper affectantis cultum, & honorem divinum, seu aliquid usurpare de excellentia divina, & honore Deo debito, ac per hoc ipsum homo interpretative colit dæmonem cultu aliquo divino, quia cooperatur dæmoni in usurpatione divinæ excellentiæ, & cultus Deo debiti, ut post alios optime explicat Filliuc. *tr.* 24. *in I. Præcept. Decal. cap.* 4. *qu.* 6.

§. IV. *Alia cum pacto expresso, alia cum pacto implicito, vel tacito tantum.*

8 Superstitiosæ divinationis, & magiæ cujusvis duplex est species universalis jam nominata.

I. Divinatio, vel magia cum pacto expresso cum dæmone, seu expressa invocatio dæmonis, græce NEKROMANTIA, est, cum quis explicite, & expresse petit rerum occultarum notitiam verbo, vel facto, sive id fiat 1. simplici petitione, vel invocatione dæmonis, & idololatria implicita tantum, vel petitione, inclinatione solemni, adjunctis adorationibus, sacrificiis, suffitibus, aliisque cæremoniis in honorem diaboli cum idololatria explicita, sive fiat 2. expresso pacto, & conventione mutua cum dæmone, qua petens se obligat ad certa obsequia (certe nefanda) præstanda dæmoni pro illo beneficio, dæmone e contra promittente, se facturum, quod magus petierit. Idque 3. sive magus petat, & dæmon promittat per se ipsum revelare occulta, vel causare talem effectum, sive tandem modo solemni dæmon exhibeat, & magus ab eo accipiat certa signa, vel media ad tales effectus ope dæmonis causandos ab ipso instituta per modum Sacramentorum: magusque ea postea adhibeat pro assequenda notitia occultorum, aut alio effectu causando ope dæmonis, ut singulis patebit sigillatim. Atque ejusmodi pactum, invocatione, vel petitione facta jam perpetratum est gravissimum peccatum superstitionis cum pacto espresso, etiamsi postea effectus non sequatur, & dæmon non respondeat, vel præstet, quod promisit, sive quia a Deo non permittitur, sive quod dæmon ipse mendax conventis non stet, sive ob aliam causam.

9 II. Divinatio, vel magia cum pacto tacito, seu cum tacita, & implicita tantum invocatione dæmonis dicitur ab aliquibus, cum quis occultorum cognitionem, aliumve effectum consequi nititur per media, vel signa non ab ipsomet, sed ab alio conventa cum dæmone, tunc enim utendo conventu, signis, vel medio, censetur dæmonis voluntati consentire, ipsoque facto dæmonem invocare. Verum si scienter utatur ejusmodi signis, vel mediis a dæmone cum alio conventis, vel institutis, merito DD. communiter videntur revocare ad pactum expressum. Deinde revera constat, dæmonem sæpe operari per signa, & media numquam antea cum alio conventa, vel instituta ab ipso dæmone, sed ab aliquo vane adhibita, ut pluribus etiam recentibus exemplis monstrari possit. Itaque generalius

III. Divinatio, vel magia cum pacto tacito, vel implicito cum dæmone, seu tacita invocatione dæmonis, dicitur, cum quis occultorum notitiam, vel alium effectum consequi nititur per signa, vel media omnino impertinentia, & vana; quæ scilicet, neque ex natura sua, neque ex institutione Dei, vel Ecclesiæ habent aliquam peculiarem vim, vel virtutem ad causandum talem effectum, sive deinde illa signa, vel media de facto aliquando a dæmone cum alio conventa sint, sive non; dæmon enim ejusmodi signis, vel mediis omnino vanis, & frivolis adhibitis sentiens invocari aliquam occultam virtutem promptissime se immiscet, & operatur, ut plurimis etiam lepidissimis exemplis patet. Etiamsi ergo ejusmodi signis, vel mediis utens, explicite non sciat, vel agnoscat ea esse instituta a dæmone, aut dæmonem per illa operari; dummodo sciat, vel intelligat signa illa, vel media neque ex natura sua, neque ex institutione divina, neque ex ordinatione Ecclesiæ habere ullam virtutem, vel vim ad talem effectum causandum, hoc ipso posset, & deberet scire habere vim ex ope dæmonis; adeoque eo ipso, quo adhibet ea, convincitur implicite invocare dæmonem, ejusque opem advocare.

10 IV. Unde non obstat, nec excusat, quod homines talia agentes putent, dicant, protestentur, se nullum omnino cum dæmone pactum, vel commercium intendere, nullo modo velle diabolum invocare, aut illius ope, vel auxilio aliquid velle consequi; est enim protestatio facto contraria, & ideo de jure frivola, nam eo ipso, quo utuntur ejusmodi signis, vel mediis vanis nullam naturalem vim, vel proportionem habentibus ad causandam talem notitiam, vel effectum, convincuntur invocare aliquam aliam vim, vel virtutem homine superiorem, & intelligentem. Non certe ipsum Deum, qui talia tam severe prohibet. Non Angelum bonum, qui contra Dei placitum nihil potest facere, ut fateri coguntur, & in decursu magis patebit: ergo convincuntur (ideoque scire possent, & deberent) se reipsa invocare malum Angelum, seu dæmonem, nulla enim alia virtus superior homine, & intelligens de facto existit in universo. Quod valde notandum, & bene inculcandum est ejusmodi superstitiosis. His pro fundamento generaliter propositis, & semper præ oculis habendis, ipsas reliquas superstitionis species porro explicemus.

SECTIO II.

Divinatio superstitiosa.

SUMMARIUM.

11 *Divinatio quid secundum nomen, & generatim.*
12 *Quid in re, & proprie.*
13 *Ejus divisio in species varias.*
14 *Divinatio per astra quid.*
15 *Astrologia judiciaria quid.*
16 *Quando superstitiosa, quando non.*
17 *Physiognomia quid, & quando superstitiosa.*
18 *Divinatio ex somniis quid, &*
19 *Quando superstitiosa, & mala mortaliter.*
20 *Divinatio per sortes, seu* sortilegium.
21 *Sortes divisoriæ quid & quando licitæ.*
22 *Quid sortes consultivæ.*
23 *Quid sortes divinatoriæ; semper illicitæ.*

Divinatio sic dicta quasi *divina notio*, vel *notitia*, rerum occultarum, aut quasi *Divinitatis æmulatio* in cognitione rerum per se occultarum, vel futurarum soli Deo propria, juxta illud Isa. 41. *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Et hinc rigorose sumpta Divinatio definitur a S. Th. *qu.* 95. *ar.* 4. *Est prædictio inordinata eorum, quæ ad solum Deum spectant, ope dæmonis.* Verum quia etiam prædictio eorum, quæ non ad solum Deum spectant (ut futura contingentia, occulta cordis) sed quæ dæmon naturaliter scit, vel scire potest ope dæmonis habita ad veram superstitiosam divinationem, & idololatriam implicitam spectat, ut supra generaliter prænotavi, ideo generalius definienda, & dividenda divinatio. 11

§. I. *Definitio, divisio, & species enumeratæ.*

Divinatio est significatio, vel prædictio rerum per se homini occultarum, vel futurarum ex pacto cum dæmone, sive deinde cum pacto expresso, & expressa invocatione dæmonis, sive cum pacto tacito, vel implicito tantum, nimirum adhibendo media inutilia, & impertinentia, quæ scilicet nec ex natura sua efficaciam habent ad manifestationem rei occultæ, vel futuræ, nec a Deo, vel divina ordinatione ad id instituta sunt; nam generaliter quicumque res occultas hominis naturalem cognitionem superantes scire, & prædicare vult, & tentat, idque secluso Dei beneficio, ejus revelatione, vel mediis ab eo ad id ordinatis, necesse est, ut dæmonis ope addiscere, & prædicere desideret, & tentet, ideoque societatem, & pactum aliquod cum dæmone Dei, & humani generis hoste, expresse, vel tacite ineat, contra illud Apost. 1. ad Corinth. 10. *Nolo vos fieri socios dæmoniorum.* Uti late, & optime docet D. August. *lib.* 2. *de doctrina Christiana cap.* 23. Esto etiam quis dæmonem expresse invocare minime intendat, immo renuat; quia tamen ejusmodi mediis vanis, & impertinentibus notitiam occultorum, humanam cognitionem superantem acquirere tentat, eo ipso non procedit via inventionis, sed via disciplinæ, ut talem notitiam ab alia intelligentiori substantia addiscere tacite desideret, & petat, atqui non petit, nec invocat Deum, bonos Angelos; ergo dæmonem, cum post eos nulla detur alia substantia homine intelligentior. 12

II. Divinationis ergo superstitiosæ duæ sunt species generales, scilicet per pactum expressum; & per pactum implicitum cum dæmone, jam supra generatim explicatæ. Divinationis cum pacto expresso, seu expressa invocatione dæmonis penes diversos modos, quibus solet dæmon respondere, & revelare occulta, variæ numerantur species materiales, & præcipue novem, 1. *Præstigium*: cum dæmon divinatorie respondens apparet variis imaginibus, aut corporibus aliunde asportatis, vel compactis ex aere, vel solum deludendo sensus, vel phantasiam fictis imaginibus, de quibus vide *Delrium, Valent.* alios. 2. *Species* est per somnium: cum a dæmone ex pacto expectatur revelatio occultorum futurorum fienda in somno. 3. *Necromantia* specialis: cum adhibitis certis signis, vel carminibus, mortui videntur resurgere, loqui, & docere occulta. 4. *Pythonismus*: cum diabolus ex pacto docet per homines arreptitios. 5. *Geomantia*: cum dæmon docet per certa signa apparentia in corporibus terrestribus: ut in biviis, lignis, lapidibus, & aliis, plumbo fuso, &c. 6. *Hydromantia*: cum docet per signa apparentia in aqua. 7. *Æromantia*: cum docet per signa apparentia in aere. 8. *Pyromantia*: cum per signa apparentia in igne. 9. *Aruspicium*: cum per signa apparentia in arteriis, seu intestinis sacrificatorum animalium dæmon responsa dabat. Huc spectant 13

omnes species infra enumerandæ, quando ex pacto expresso cum dæmone, ejusque invocatione, fiunt.

III. Divinationis per pactum implicitum cum dæmone rursus duæ sunt species generales, augurium, & sortilegium. Augurium late sumptum est, cum cognitio occultorum vane quæritur ex consideratione dispositionis alicujus rei jam existentis. Cujus itidem novem enumerantur species. 1. *Est Astrologia judiciaria*: cum cognitio occultorum quæritur ex situ, & motum siderum, cujus pars genethliaca, qua ex situ siderum in nativitate divinatur de eventu hominis. 2. *Augurium proprie dictum*: cum ex hominis, animalium, avium vocibus, cantu, sternutatione &c. divinantur occulta. 3. *Auspicium*: cum ex avium volatu &c. 4. *Omen*: cum ex hominis vocibus præter intentionem dictis &c. 5. *Onyrocritica*: cum ex somnis habitis &c. 6. *Physiognomia*: cum ex totius hominis signis &c. 7. *Metoposcopia*: cum ex fronte divinatur. 8. *Chiromantia*: cum ex manuum lineis &c. 9. *Spatulamantia*: cum ex spatulæ signis occulta de statu hominis præsenti, vel futuro divinantur.

IV. *Sortilegium* est divinatio superstitiosa, qua occulta scire tentantur ex dispositione rerum ab hominibus ad id consulto factarum, electarum, dispositarum: ut projectione taxillorum, apertione fortuita libri, electione unius ex pluribus, ex signis resultantibus in plumbo liquefacto, & in aquam projecto (est exemplum D. Thomæ &c.) Hujusmodi species innumeræ sunt, & plura fere genera, quam vetularum capita. Ex omnibus enumeratis speciebus in particulari tres præcipuæ species divinationis pro praxi examinandæ sunt: scilicet per astra, per somnia, per sortes: his enim intellectis, facillimum est judicare de aliis omnibus.

§. II. *Divinatio per astra, Astrologia judiciaria.*

14 ASTrologia duplex est: naturalis, & judiciaria. Astrologia naturalis est, quæ ex motu, cursu, situ, conjunctione, oppositione astrorum, ratione eorum virtutis, & influentiæ naturalis, divinat effectus naturales, necessario eventuros, ut eclypses, vel contingentes tantum per alias causas naturales facile impedibiles: ut immutationes auræ, ventos, pluvias, tempestates, serenitates, siccitates, sterilitates, item temperamentum hominis sub tali constitutione astrorum concepti, vel nati. Atque hæc Astrologia & licita per se est, & utilis humano generi, maxime quoad tria necessaria: medicinam, agriculturam, navigationem. Neque illicita est, quatenus ex aspectu astrorum in puncto nativitatis cujusque hominis conjectat temperamentum ejus naturale, ingenium, & inclinationem in bonum, vel malum; cum hæc scientia ad hoc se extendere possit. Juxta communem DD. apud Sanchez *l.2. moral. c.*38. *nu.*28. Quamvis verum sit, hanc Astrologiam quoad effectus contingentes esse incertissimam: cum hi non a solis astris, sed aliis quoque causis dependeant, quæ facile variari, & astrorum influxus impedire possunt; unde tanta diversitas, & mendacitas Calendariorum. Exemplum notum Ferdinandi III. Maxime vero incerta est quoad conjecturam temperamenti, & propensionis hominum ex aspectu astrorum in puncto nativitatis. 1. Quia inclinatio prolis non ex solo influxu astrorum pendet, sed multo magis ex materia conceptionis, & nutritionis. 2. Quia punctum illud nativitatis (quod Mathematici exactissime observandum ajunt) deprehendi certe non potest ob rapidissimum cæli motum, & alias causas, ut etiam observavit D. Aug. *lib. de doct. Christ. c.* 22. 3. Quia vis astrorum etiam in fœtum utero inclusum influit, adeoque etiam punctum conceptionis, & animationis fœtus observandum erit, cujus tamen observatio Mathematicis multo magis, & omnino est impossibilis. Verumtamen si Astrologi ejusmodi effectus contingentes, tempestates, nati pueri propensiones more solito prædicant majori certitudine, quam ex astrorum aspectu consequi possunt, non committunt peccatum divinationis superstitiosæ contra Virtutem Religionis, & primum Decalogi Præceptum, sed sæpe peccatum temeritatis, & mendacii. Uti ex communi notant Sanch. *cit. n.* 29. Suar. Laym. alii.

Astrologia judiciaria,

15 SEu divinatoria dicitur, qua ex eodem aspectu, motu, situque astrorum prædicuntur eventus omnino fortuiti, & liberi ab hominum libero arbitrio pendentes, cujus tres partes optime assignat Mart. Delri. *lib.* 4. *Disq. Mag. c.* 3. *q.* 1. *Prima Astrologia revolutionum*: quæ prædicit totius anni, belli, pacisque vicissitudines, annonæ, morborum qualitatas, mortes Magnatum &c. *Secunda Astrologia nativitatis*, seu genethliaca, quæ ex aspectu siderum in puncto nativitatis prædicit sigillatim homini in vita eventura, &c. v. g. ad talem dignitatem promotum iri, tali Principi gratum fore, uxorem ducturum, divitem, pauperem, felicem, infelicem futurum; tali mortis genere, tali loco, tali tempore, anno, die, periturum. *Tertia Astrologia electionum*, quæ ex aspectu astrorum docet, quid in singulis rebus, & occasionibus agendum, vel omittendum: quando domo egrediendum, quando manendum, quo loco, & tempore, quæque agenda, ut feliciter succedant. Hic pro praxi aliqua statuenda sunt.

I. Astrologia hæc judiciaria prædicens certo ex aspectu 16
astrorum effectus liberos a libero arbitrio pendentes, vel casus omnino fortuitos, superstitiosa est, & pactum saltem implicitum cum dæmone involvit; ideoque ipsius usus, ex genere suo mortalis, omni jure prohibitus est. *Omnes*. Jus divinum patet variis locis S. Scripturæ præsertim Deuter. 4. Isa. 47. Jer. *c.* 10. ubi dicitur: *juxta vias gentium nolite discere, & a signis cæli nolite timere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vanæ sunt*. Jus Ecclesiasticum *c. igitur causa* 26. *q.*3. *ibid. c. non licet q.* 5. *Et alibi*. Ac novissime Motus proprius Sixti V. contra Astrologiam editus. Jus civile *tit. Cod. de Maleficis, & Mathematicis*, & alibi. Ratio generalis est: quia ejusmodi effectus liberi, & fortuiti, si possent divinari ex aspectu astrorum, vel possent, quia astra essent causa naturalis, adeoque signa naturalia eorum effectuum (ut iris pluviæ) vel quia sunt signa mera ex institutione tantum. Primum dici nullo modo potest: quia effectus liberi supposito omni ad agendum requisito, possunt fieri, vel non fieri; ergo non possunt determinate prævideri in astris futuri, tamquam causa, & signis naturalibus, alioquin tolleretur libertas, & illi effectus essent liberi, & non essent liberi. Effectus similiter fortuiti non a solis astris, vel ab una causa, sed ex plurium causarum concursu fiunt, quas Astrologi nec in astris, nec ulla alia ratione antecedente naturaliter deprehendere possunt; ergo dicendum secundum, scilicet istos effectus videri in astris tamquam signis ex instituto, atqui non sunt signa instituta a Deo, vel bonis Angelis, quin potius in Scripturis prohibita eorum observatio, ergo debent esse signa instituta a dæmone cum pacto expresso, vel tacito cum hominibus, consequenter divinatio futurorum effectuum liberorum, ac fortuitorum, & eadem ratione præsentium occultorum: ut notitia occulti thesauri, furis, virginitatis &c. ex astris, superstitiosa est cum pacto saltem implicito cum dæmone, & tacita ejus invocatione, si nimirum talia ut certa, & infallibilia prædicuntur, & creduntur, asseruntur ex astris.

II. Etiamsi talia non ut certa, & infallibilia prædicantur ex astris, si tamen prædicantur absolute, & cum majori firmitate, quam ex astris haberi possit; utpote tamquam absolute probabilia, adhuc est superstitio, & quidem lethalis ex genere suo: Quia sic adhuc transcenditur vis astrorum, quæ solum leves conjecturas pariunt, & non probabilitatem, eo ipso ergo, quo tale judicium absolute probabile ex solis astris haberi nequit, tacite censetur peti ex disciplina dæmonis. Ut recte docent Suar. Valent. Delrius, alii cum Sanch. *lib.* 2. *moral. c.* 38. *nu.* 34. Dico autem *ex solis astris*: nam si una cum astris considerentur temperamentum personæ, qualitates, & circumstantiæ aliæ, non erit saltem mortale, aliquid liberum contingens futurorum probabiliter asserere: v. g. videt Astrologus ex aspectu astrorum portendi, hunc Prælatum fore &c. is attentis circumstantiis personæ, nobilitate, bonis moribus, grata indole, poterit probabiliter pronunciare, hunc, si Clericatum assumat, bonis litteris operam det, loco, & tempore opportuno se accommodet, v. gr. Romæ in Curia &c. eligendum in Prælatum, Episcopum &c. & consequenter neque alter graviter peccaret, si id ut probabile crederet, & ideo Romam ad talem Curiam, & locum accederet, seque accommodaret cum aliqua spe, non tamen certitudine ejusmodi dignitatem consequendi. Sic Tambur. *lib.* 2. *Decal. c.* 6. §. 1. *n.* 18. & 19.

III. Quod si tamen ejusmodi occulta prædicuntur ex astris solum secundum tenuem illam conjecturam, quæ revera ex astris conjiciendo de inclinatione naturali, ac temperamentum hominum tenuiter etiam conjici potest de eorum eventibus liberis, & fortuitis, non erit superstitio, nec Jure divino, aut humano antiquo prohibitum. Juxta communem DD. cum S. Thom. 2. 2. *q.* 95. *ar.* 5. Sanch. *loc. cit.* Attamen id ipsum prohibitum est Jure novo in motu proprio Sixti V. contra Astrol. ibi. *Statuimus, ut contra facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamsi id se non certo affirmare asserant, & protestentur &c. inquirant, & procedant, & in eos severius canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.* Hæc Pontifex. Ratio prohibitionis est: Quia etiam hic modus est valde perniciosus, & expositus proximo periculo superstitionis ob naturalem curiositatem tam ex parte divinatorum, quam ex parte aliorum credentium: ergo merito prohibitus, idque in utroque foro, & per se loquendo sub mortali, ut volunt multi cum Sanch. *cit. n.* 34. Quamvis Suar. Valent. Delr. & alii, probabilius solum quoad forum externum restringant eam prohibitionem ob præsumptionem de superstitione interna.

IV. Quocumque dictorum modo res se habeat, sicut certum est, eum, qui in suis actionibus semper, & ordinarie, aut frequenter secundum ejusmodi prædictiones, seu prævisiones ex astris se geret, peccatum mortaliter, quia sic esset certum indicium credulitatis indebitæ, & consequenter commercii cum dæmone; ita probabilissimum, immo mi-

mo mihi certum est semel & iterum; & sub incertitudine eventus ita agere, non fore mortale, quia non est gravis deordinatio aliquid agere, vel omittere ob spem, vel metum etiam levem. Ut si in casu paulo ante dicto accederes Romam ad Prælaturam ex astris prædictam cum aliqua spe expectandam. Si tibi ex astris prædictum esset, te hoc anno periclitaturum in aquis, & ideo hoc tempore navigare nolles. Item, si tibi negotii alicujus promitteretur felix eventus pro hoc tempore, aut contra infelix prædiceretur, & ideo velles, vel nolles hoc tempore illa negotia aggredi, & similia sexcenta: ut mox iterum de somniis notabo. Hæc enim non ut certa, sed tantum ut conjecturalia credere, sperare, vel timere non videtur prohibitum ullo jure, esto ea prædicere sit prohibitum in supradicto motu proprio Sixti V.

§. Eadem prorsus ratione, qua de Astrologia dictum est, discurrendum, & dijudicandum est de

Physiognomia.

17 Alia enim similiter est Physiognomia naturalis, ac Philosophica, per quam ex corporis, & membrorum habitudine, incessu, &c. vultus, item frontis, manuum, aliarumque partium lineamentis; de corporis valetudine, temperamento, consequenter etiam ingenium, affectiones, vel inclinationes mentis probabiliter conjectantur, eaque per se licita est, Sanch. *cit. n.* 44. Delr. *lib.* 4. *q.* 4. Communis. Alia vero Physiognomia est divinatoria, & superstitiosa, quæ ex iisdem signis corporis prædicit prosperos, vel adversos hominis casus, longam, vel brevem vitam, divitias, paupertatem, præsentem mentis statum; an fur, an meretrix, &c. nec ne. Hujusmodi contingentia libera, quæ ex talibus signis naturaliter nullo modo cognosci possunt, nisi interventu commercii superstitiosi cum Dæmone, est omni Jure damnata. Magis superstitiosum est ex fortuito accidentibus homini, v. g. ex sternutatione, ruptura ligulæ, sinistri pedis ante dextrum a lecto, vel domo expositione, certorum animalium, lupi, leporis, funeris, vetulæ occursu, &c. prospera, vel adversa divinare. Hæc enim omnia fortuito fiunt, nec ullam habent connexionem cum eventibus hominis, bonis, vel malis, nisi per modum signorum ex disciplina de institutione saltem implicita Dæmonis. Denique ex volatu, vel cantu avium, aliorumque animalium vocibus, ac motibus, etsi subinde effectus naturales, ut pluviæ, vel serenitas recte conjiciantur, nec omnino superstitiose, ex mora corvorum super tectum domus, in qua decumbit ægrotus, conjicitur propinquitas funeris, ob eorum acutissimum olfactum ad odores cadaveris. Verumtamen ex iis eventus liberos fortuitos quoscumque, cum quibus nullam habent naturalem connexionem prædicere semper superstitiosum, & si serio cum firma fide fiat, peccatum mortale est. Idemque est de petentibus, & consulentibus ejusmodi divinatores, Astrologos, Ægyptiacos, vulgo ciginos: si nimirum fiat animo credendi, & se se inde dirigendi: secus si fiat ex curiositate, joci, vel risus causa, & secluso scandalo. De quo generaliter in fine Sectionis.

§. III. *Divinatio ex somniis, Onyromantia, vel Onyrocritica.*

18 I. Duplex est somnium naturale, & præternaturale. Somnium naturale nihil aliud est, quam sopitis sensibus externis, & ligato usu rationis in potentia imaginativa concursus specierum phantasticarum de diversis rebus, ortus ex naturalibus causis, utpote, vel ex præcedentibus cogitationibus, & occupationibus mentis in vigilia, ut experientia notissimum, vel ex varia corporis constitutione, temperamento, & motu humorum: unde sanguinei, læta somniant; cholerici, qui flava bile abundant, sæva, lites, jurgia, cædes, &c. Melancholici, qui atra bile abundant, tristia, mortes, infirmitates, oppressiones, &c. Phlegmatici, aquas, mersiones, ambulationes graves, &c. Atque ex ejusmodi somnio naturali licite divinantur, & conjiciuntur illa, quæ naturaliter revera significant, utpote ipsæ eorum causæ: sic somnia, quæ naturaliter significant humorem prædominantem, licite observantur ad dignoscendam naturalem complexionem corporis, morbum, vel a morbo convalescentiam, atque ad eum finem minime superstitiose Medici somnia infirmorum percontantur. Item somnia recte observantur ad dignoscendam bonam, vel pravam animi affectionem: ut iræ, odii, timoris, libidinis, &c. Etiam ad dignoscenda dubia circa ejusmodi actus in vigilia. Sic testantur etiam spirituales Magistri, eos, qui impudica somniant, & videntur sibi tunc, aut fortiter reluctari, aut prompte consentire, merito posse conjicere, se etiam vigilantes tali modo subinde habuisse. Et ita in similibus. Vide late Sanchez *cit. a num.* 49.

19 II. Somnium præternaturale dicitur, quod non oritur in dormiente ex prædictis naturalibus causis, seu vel est immissum ab ipso Deo, quale fuit somnium Gedeonis, Jacob, Joseph, Danielis, item S. Joseph, Magorum, &c. Aut est immissum, vel excitatum a Diabolo hominis phantasiam concursu specierum dirigente: uti magis, & sagis, ac aliis etiam fieri solet. Utrumque discernere prudentis, discreti, & experti viri est. Nec discrimen peti debet tantum ab objecto, vel fine bono, vel malo: nam etiam satanas transfigurat se in Angelum lucis; sed magis ex somniantis, & expergefacti dispositione, & immutatione mentis, si enim excitatus a tali extraordinario somnio sentiat in se insolitam illustrationem, consolationem & tranquillitatem mentis, devotionem, promptitudinem ad bonum, & servitium Divinum, evidens est indicium somnii a Deo immissi. Quod si contra sentiat, se ex tali somnio animo perturbatum, perplexum, protervum ad bonum, & servitium Dei tardiorem redditum: certum debet esse, somnium a dæmone esse immissum. Quod si ergo probabiliter constet, somnium esse immissum a Deo, utique fides adhibenda est, & actiones secundum illud dirigendæ, adhibito tamen semper prudenti judicio, præsertim Confessarii, vel Patris Spiritualis. Quod si vero e contra constet probabiliter, somnium esse immissum a dæmone: utique fides absolute neganda erit, alioquin enim tali somnio fidem adhibens, seque juxta illud dirigens in agendo, eo ipso init commercium, & societatem cum dæmone, peccatque mortali peccato superstitionis. Quando tamdem dubium est, sit ne somnium a Deo, vel diabolo, vel ex naturali causa, nulla fides habenda, nec præsumendum esse a Deo: Deus enim cum immittit somnia, simul etiam reddit hominem certum, quod a se immittantur: juxta illud Eccles. *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia: c.*34. Unde somniorum observantia (præter divinitus immissa) simpliciter prohibetur in sacris Litteris. *Levit.*19. *Deut.* 18. Et in Jure Cano *cap. non observetis caus.* 26. *q.* 7. omnia ex communi DD. Vide latissime, & optime Delr. *lib.* 4. *c.* 1. *q.* 3.

III. Divinatio ergo futurorum, vel occultorum per somnia superstitiosa est, & peccatum mortale cum pacto explicito, vel implicito cum dæmone. 1. Quando fides habetur somniis, quæ constet saltem probabiliter esse immissa a dæmone. 2. Quando ejusmodi somnia a dæmone immittenda animo eis fidem habendi desiderantur explicite, vel implicite; & certo saltem implicite desiderare, vel petere somnia a dæmone convincuntur pessima superstitione, qui certo corporis situ somnum capiunt, adhibitis nonnullis cæremoniis, ut eis per somnium occulta, vel futura manifestentur, utique non a Deo, vel bono Angelo: ergo a dæmone. De simili superstitione nupturientium dicam infra suo loco. 3. Quandocumque quis somniis quibusvis a Deo patenter non immissis firmam fidem adhibet, ita nimirum certo sibi, vel aliis eventurum quoad eventus liberos, vel fortuitos, sicut somniavit propter rationem mox dandam. Et optime monent Valentia, & Sanchez *cit. num.* 54. tunc vel maxime cavendum, ne fidem habeamus somniis, quando eventu probari videntur, eo quod, vel casu res postea accidant, vel certe procurante dæmone, ut homines ad fidem somniis superstitiose habendam facilius inducat, & illaqueet. 4. Similiter quicumque ex somniis certa divinant de occultis, vel futuris mere liberis, vel fortuitis, seu casualibus, v. g. si somnies tibi dentem excidere, consanguineum tibi certo moriturum, & similia innumera. Et tandem quicumque ex somniis habitis ordinarie se in suis actionibus dirigunt ad captanda prospera, vel cavenda mala, ut innumeris exemplis obviis palam est.

IV. Ratio dictorum, & similium omnium est. Quia somnia nullam omnino habent vim naturalem significandi, nisi suas causas, ex quibus oriuntur, juxta dicta *n.* 1. Nullo autem modo habent vim naturalem significandi eventus liberos, vel casuales præter levissimam conjecturam suspicionis limites non egredientem: ergo, qui somniis certam fidem habet, inde divinat, aut se in suis actionibus secundum illa dirigit, convincitur somnia acceptare tanquam signa instituta, & immissa sibi a substantia intelligente: atqui non a Deo, vel bono Angelo (ut supponitur) ergo a dæmone, & consequenter pacto saltem implicito cum atro genio. Estque peccatum mortale ex genere suo, a quo tamen excusat, & veniale reddit ignorantia non omnino crassa, vel affectata. Item si non adhibeatur certa fides, sed solum suspicio, & formido aliqua, posse forte ita evenire, sicut somniasti; & ideo solum ad cautelam semel, & iterum actiones tuas secundum tale somnium dirigas: v. gr. si hac nocte somniasti te submersum in aquis, & ideo hodie nolis navigare, quod licet plerumque vanum, & inutile sit, a mortali, & gravi culpa excusant, Cajet. *verb. somniorum observatio*, Navarr. *man. c.* 11. *n.*13. Suarez *lib.*2. *de Superstit. c.* 13. *n.* 25. Vide dicta Tract. 1. proœm. cap. 5. Sect. 2. n. 22. de parvitate materiæ sub Regula II. & accipe hunc casum: Quidam bis, vel ter in somniis admonitus fuit ab apparente sibi puella incognita, ut ad certum locum accederet, ibique terram foderet, certo ollam auro plenam reperturus; tandem flexus ad locum accessit, fodit, ollam quidem invenit, sed nigris carbonibus plenam. Quæritur: an hic peccaverit; certe non, saltem graviter ob modo datam doctrinam. Sed quid si ille certo sibi persuasisset, puellam illam non a Deo, sed a dæmone esse immissam? Adhuc non peccasset mortaliter; quia ipse illam notitiam a dæmone non petiit, vel procu-

procuravit, sed solum notitia jam ultronee habita usus est, quod non esse illicitum patebit infra, cum de solutione maleficii, &c.

§. IV. *Divinatio per sortes*, Sortilegia.

20 SOrtes nihil aliud sunt, quam actio, qua aliquid fit, ut ejus eventu considerato aliquid aliud fiat, vel innotescat. Unde triplices sunt sortes, *divisoriæ*, *consultivæ*, & *divinatoriæ*.

Sortes divisoriæ.

21 SUnt, quæ mittuntur a sortientibus, ut sciatur, quid cuique tribuendum in electionibus controversis: & hæ sortes per se licitæ sunt, nisi in casu jure humano interdicto. *Ratio est*: quia ejusmodi sortilegium nihil aliud est, quam contractus humanus, quo communi consensu contrahentium jus ad aliquam rem habentium, ea inter ipsos sorte dividitur, ut illius sit, cui sors contigerit. Hic contractus nihil superstitionis, aut mali in se habet de se, cum ad nullam rem occultam cognoscendam ordinetur (quod sane non est in potestate sortientium, sed aliunde peti deberet) sed solum, ut fiat aliquid, quod, ut fiat, est in potestate sortientium: ergo per se licitæ sunt sortes in casibus, in quibus jure humano non interdicuntur. Interdicuntur autem sortes solum jure Canonico quoad electiones Ecclesiasticas eo tit. De elect. cap. finali. *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus.*

Licitæ ergo sunt sortes. 1. In electionibus civilibus ad officia sæcularia. Communis DD. cum D.Th. *art.* 8. *q.* 97. Sanch. *n.* 58. Quia id nullo Jure prohibetur, dummodo mittantur sortes pro tali munere inter personas singulas tali munere dignas. 2. Ad dirimendas controversias inter hæredes, & legatarios, & alios quoscumque *l. si ambo ff. de judiciis*. Etiam inter Clericos in causis Ecclesiasticis præter electiones ad munera Ecclesiastica pastoralia. Communissima. De his vide latissime Sanchez *cit. a num.* 70. juxta illud Prov. 18. *Contradictiones comprimit sors*, & *inter potentes quoque dijudicat*. Dummodo in iis omnibus litigantes, jus æquale habentes in sortitionem consentiant. 3. Tempore pestis, vel persecutionis recte mittuntur sortes inter Parochos, vel Sacerdotes, quisnam permanere debeat in loco pestis, vel persecutionis ad serviendum ovibus. *D. Aug. Epist.* 108. *D. Thom. cit.* Idemque dicendum de mittendis in Indiam, Angliam, &c. Simili sortilegio Apostoli orbem terrarum inter se divisisse ad prædicandum scribuntur. Et similes sortes justissime fiunt in bello pro extremis stationibus, pro prima invasione hostis, muri, fortalitii. 4. Quando plures sunt rei mortis, neque expediat omnes puniri, sive ex gratia, sive aliam ob causam, licite mittuntur sortes, quisnam, vel quinam occidi debeant: praxis communis in bello. Quod si tamen inter duas personas lateat delictum, nullo modo licet id sortibus indagare, quænam illud commiserit; tunc enim esset divinatio superstitiosa cum periculo puniendi innocentem, sive casu, sive ope diaboli innocentibus maxime infesti sors caderet. Communis apud Suar. & Sanch. cit. 5. In certo periculo communis naufragii, nisi pro allevianda navi aliqui emittantur in aquas, communi consensu sortes mitti possunt, quinam ejiciendi. Delri. Laym. Sanch. alii. Neque hoc est se ipsum occidere, sed mortis evadendæ incertum sibi, aliis autem certum subsidium relinquere: quod si quis consentire nollet, loco ejus alii sortes mittant, & exequantur, cum sit irrationabiliter invitus, si enim positive resisteret, & sortes impedire conetur, ipse ab aliis in mare ejici potest: tunc enim aliis in extrema necessitate injustam vim inferret, contra quam alii se defendere possunt. Ita post alios Laym. *cit. c.* 3. *n.* 8. 6. Denique in omni licito, & honesto ludo licitæ quoque, & honestæ sunt sortes hæ divisoriæ pro ordine ludentium, & plerique ludi non sunt nisi sortes cum ingenio moderandæ.

Sortes consultivæ.

22 SUnt, quibus occultæ veritatis manifestatio, aut consilii alicujus directio, aut denique voluntatis divinæ indicium inquiritur, ut sciatur, quid in negotio aliquo agendum, cavendumque sit, ab ipso Deo implorata, quæ consultatio dupliciter fieri potest. 1. Sic intendendo expresse, vel tacite petendo a Deo signum aliquod extraordinarium, quo rem petitam manifestet, quod, ut liceat, non sufficit necessitas, sed requiritur vel jussio, & ordinatio Dei, vel instinctus ejus specialis, & extraordinarius: qua ratione sortes consultivæ factæ leguntur in sacris Litteris: ut in investigatione furis *Achan. Josue* 7. In electione *Saul.* 1. *Reg.* 10. *c.* In Electione *Matthiæ* pro *Joseph.* justo *Act.* 2. cujus electionem signo visibili a Deo demonstratam fuisse testatur D. Dionys. *lib. de cœlesti Hierarch. c.* 5. 2. Sic solum intendendo, & precando a Deo occultam sortium directionem per specialem providentiam: juxta illud Proverb. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*. Quod etsi miraculum non contineat, dicit tamen specialem Dei gratiam, & beneficium, atque ea fiducia petitur, ut petens secum statuat, quidquid sors tulerit, amplecti, tamquam Dei beneplacitum: atque ad hoc, ut licite fiat, non quidem requiritur specialis instinctus Dei, requiritur tamen necessitas, vel utilitas aliqua gravis spiritualis, vel temporalis in dubio alio modo ordinario commode non experiendo; & ut fiat cum debita reverentia, præmissa ad Deum oratione, &c. Qua ratione *S. P. N. Franciscus*, & alii Sancti sæpius in causa spirituali dubia sortes misisse apertione libri Evangeliorum, vel aliis modis leguntur: alioquin sortes hæ consultivæ non essent licitæ, cum Deus ordinarie velit indagari suam voluntatem non per sortes, sed per sacram Scripturam, Ecclesiam, SS. PP. aut Viros pios, & prudentes consulendo: ideoque extra rationabilem causam sortes consultivas utrasvis mittere erit peccatum, non quidem superstitionis, sed tentationis Dei, de qua infra.

Sortes divinatoriæ.

SUnt, quibus occultorum manifestatio, vel consilii alicujus directio petitur per media vana, & impertinentia, minime ad Deum relata, consequenter ad diabolum pacto expresso, vel tacito; & hæ superstitiosæ, & illicitæ semper sunt. Prohibitæ enim graviter in Jure Canonico *cap. si quis Episcopus*. Et *c. sortes*, *causa* 26. *q.* 5. Et in motu proprio *Sixti V.* Quæ quidem sortes aliquando mere speculativæ sunt, ordinatæ scilicet ad solam cognitionem alicujus rei occultæ capessendam. Et tunc solum continent malitiam superstitionis: aliquando vero practicæ sunt, ordinatæ ad aliquid agendum: v. g. ad deprehendendum, vel puniendum occultum furem, ut variis modis fit: & tunc præter peccatum superstitionis, etiam continent peccatum mortale injustitiæ: utpote injustæ infamationis, vel punitionis, delicto debite non probato. Quo spectat damnatissima praxis in bello, maxime qua litigantes, seu rixantes coguntur duello de causa sua decidere, ut succumbens censeatur fuisse nocens, vel injustam causam habuisse, gravissima superstitione, & injustitia. De quo in V. Præcepto: exempla, & praxes aliæ passim notæ, & innumeræ sunt, ut pigeat iis chartam illinire. 23

SECTIO III.

Observatio vana superstitiosa.

SUMMARIUM.

24 *Quid vana observatio.*
25 *Vana observatio per signa, seu signum, quid, & qualiter peccaminosa.*
26 *Vana observatio per preces, & characteres quid.*
27 Regula generalis, *quando mala, & superstitiosa sit hæc observatio per preces, & characteres.*
28 *Afferuntur casus varii, & frequentiores.*
29 *Observatio vana per media innaturalia quid.*
30 Regula generalis, *quando certo illicita.*
31 *In dubio, an medium, vel res applicanda, vel applicata habeat vim naturalem, nec ne, ad causandum effectum speratum, præsumi potest, quod habeat.*
32 *Afferuntur casus varii.*
33 *Quando certo, vel probabiliter constat, rem applicatam non habere quidem vim naturalem ad effectum intentum: dubitatur autem, an non sors habeat a Deo vel dæmone, censenda est superstitiosa.*
34 *Quædam notabilia.*

VAna observatio dicitur, quæ mediis inutilibus, & impertinentibus a divina providentia minime ordinatis, intendit tamen, & certo expectatur aliquis effectus, puta, aut consequi aliquod bonum, aut vitare, vel avertere aliquod malum, aut inferre aliquod damnum: circa hæc tria namque versatur omnis vana observatio, & magia. *Vana* observatio dicitur, vel quia non consequitur effectum intentum: vel si consequitur, semper plus nocet, quam prosit, prodest quandoque corpori, at semper obest animæ ob ejus malitiam, & offensam Dei: huic ergo iterum applica generaliter prædicta *sect.* 1. §. 2. 3. & 4. quoad ejus malitiam, & pactum explicitum, ac implicitum, & insuper nota. 24

Vana observatio, & magia in re omnino idem sunt, & differunt solum diverso respectu ad media, & effectum; nam vana observatio dicitur, quatenus comparatur ad ipsa signa, & media vana, quæ pro certo effectu consequendo superstitiose observantur, & applicantur: & hoc respectu commode dividimus in tres classes, vel species materiales: scilicet vanam observationem signorum, eventuum, precum, & characterum, & mediorum innaturalium: de quibus hoc respectu claritatis gratia agam seorsim. Magia vero dicitur eadem ineptia, quatenus comparatur ad ipsos effectus per talia signa, vel media vana, observata, & applicata causandos ope dæmonis, & hoc respectu rursus commode dividemus in tres classes, vel species materiales: scilicet artem notoriam, mirificam, & maleficam, seu maleficium. De quibus seorsim *sect. seq.* cum necessariis pro praxi.

§. I. *Vana*

§. I. *Vana observatio signorum, eventuum &c.*

25 DIcitur, cum quis ex observatione variorum signorum divinans de prospero, vel adverso eventu, aliquid facit, vel vitat. Hæc in re, & malitia prorsus idem est cum divinatione superstitiosa, differt solo hoc respectu, quod divinatio sit speculativa, & versetur solum in cognoscendo, conjiciendo, & prædicendo effectus, vel eventus occultos ex talibus signis impertinentibus. Vana autem observatio est practica, & versatur in observatione talium signorum in agendo, vel omittendo. Ex. gr. docet te Ariolus in egressu e domo, si sinister pes præ dextero exponatur; aut si initio itineris lepus, vel lupus occurrat, si anus vetula primo salutet, &c. esse signum alicujus infortunii, vel adversitatis; hac instructione accepta tu studiose observans in egressu e domo semper dexterum pedem prius exponis; si initio itineris lepus occurrat, non pergis, sed reverteris metu alicujus infortunii impendentis. Hic Ariolus divinator est, tu vanus observator, uterque superstitiosus, & pacto saltem implicito dæmonis studiosus. Tot ergo sunt species vanæ observationis ejusmodi signorum, quot sunt species, & signa divinationis supra allata, & enumerata: Et multa enumerat D. August. lib. de doctr. Christiana cap. 20. *Si membrum aliquod salierit; si junctim ambulantibus amicis lepus aut canis, aut puer medius venerit, &c. Hinc sunt etiam illa: limen calcare, cum ante domum suam transit: redire ad lectum, si quis, dum se calceat, sternutaverit; redire domum, si procedens offenderit: cum vestis a soricibus roditur; plus timere suspicionem futuri mali, quam præsens damnum dolere*. Hæc August. quem etiam utilissime leges *lib. de rectitudine Cathol. conversat.* late, & optime disserentem. Ad hanc ergo observationem pertinent superstitiosæ observationes dierum, vel temporum, quasi quidam dies, vel horæ faustæ, aliæ infaustæ essent. Quomodo peccant, qui die Martis, vel quovis die inter horam undecimam, & duodecimam, meridianam nolunt exire domo: quod talis dies, vel hora infausta sit, quod vere superstitiosum est, & prohibetur in *Jure Canon. cap. non observetis: causa 26. q. 7.* Item nolentes die Veneris ungues præscindere, aut die Sabbati nere, seu fila ducere (cum tamen alias laborent serviliter) in honorem B. Virginis. Aquæ benedictæ Dominicis Quatuor Temporum majorem vim tribuere, quam aliis benedictis ad quosdam effectus. Similiter aquæ benedictæ in alia Parochia. Item servantes ova die Paschatis a gallinis parta ad extinguendum incendium, vel alios effectus. Horrendum est audire inter Catholicos superstitionem vanarum observationum etiam irrepsisse in tremendum Missæ Sacrificium. Lege Martin. Delr. *l. c.* nostrum Marchant. *Trib. tom. 2. tr. 2. p. 3. tit. 1. q. 2. §. 2.* P. Gobat. *de superstit. cas. 22. & 23.* Non enim expedit talia denuo describere. Huc etiam referri debent omnes ejusmodi, quibus mulierculæ nupturientes futuri mariti notitiam procurare nituntur certis diebus, & ritibus; maxime in noctibus SS. Andreæ, Thomæ, Natalis Domini, Trium Regum, S. Joannis Baptistæ: si serio, & cum aliqua expectatione eventus fiant, & non levitatis, & joci tantum gratia, ut infra generaliter notabo. Item observatio certi numeri tamquam infausti in consessu, vel comitatu, v. g. aliqui convivio excepti nolunt accumbere numero tredecenario, tamquam infausto, eo quod importet unum ex ipsis brevi moriturum, exemplo ultimæ cœnæ, quia ibi unus ex tredecim brevi mortuus, nimirum Christus Dominus. Immo cur non præsagiunt etiam unum se suspensurum, sicut Judas unus ex tredecim brevi se suspendit? & alia innumera. Nec desunt, qui numerum imparem in pullulis sumendis tamquam necessarium observatum superstitionis damnent apud *P. Gobat. cit.*

Hic concludit Navarr. *c. 11. n.* 38. cum aliis: omnes eas vanas observationes dierum, temporumve de se esse peccata mortalia: intellige, quando fiunt cum indubitata, & certa fide, & efficacia; secus si solum ex suspicione, vel timore: ut si quis die Martis, vel inter horam undecimam, vel duodecimam, semel, aut iterum non auderet domo egredi, vel negotium aliquod inchoare, ut certe communiter faciunt homines: tunc enim non esse plus, quam veniale, recte docet etiam Sanch. *cit. c.* 40. *num.* 15. Cæterum omni peccato superstitionis vacabit observare dies, menses, annos, quibus convenientior sit cœli dispositio ad aliquos effectus, vel negotia: sicut in naturalibus licite observantur tempora colligendis herbis, sumendis medicinis, cædendis lignis, seminandis seminibus; cum certum sit astra influere in inferiora varie pro vario tempore, aliqua quidem benigne, alia vero maligne: unde & herbæ certo tempore sunt efficaciores: & dictum Galeni est, eamdem herbam, quæ hoc tempore sumpta sanat, si alio tempore sumeretur, mortiferam esse posse ratione diversæ influentiæ. Denique ex speciali devotione erga aliquem Sanctum ejus natalem eligere pro auspicio gravis negotii, v. g. pro primo Sacro, pro solemnitate matrimonii, omni superstitione, vel culpa caret, omnium consensu.

§. II. *Vana observatio precum, & characterum.*

ALias incantatio dicta est, cum pro aliquo effectu consequendo adhibentur certæ preces, vel characteres, vel verbo proferendæ, vel scripto gestandæ in collo, brachio, &c. Pro quibus omnibus super unum cumulum hæc sit verissima, & certissima 26

REGULA GENERALIS.

QUandocumque ejusmodi preces, characteres, signa aut ignota sunt, aut vana, vel frivola, vel falsa; aut si nota, bona, & sancta sint, sunt tamen admixte circumstantiæ vanæ, inutiles, & omnino impertinentes ad talem effectum, qui intenditur; aut denique si totum sanctum, & bonum sit, si tamen in iis constituatur certa, & infallibilis fiducia per eos consequendi talem effectum, v. g. sanitatem, vel quodvis bonum corporale, vel spirituale, certum esse debet, esse superstitionem cum pacto saltem implicito cum dæmone, adeoque ex genere suo peccatum mortale. Ita in re omnes. Sanch. Delr. Layman. Ratio Regulæ data est supra generaliter, cum de superstitione, &c.

Regula habet tres partes.

PRima: certa est superstitio, quando characteres, vel signa sunt ignota: dum enim continent notam, & expressam invocationem dæmonum, nomina propria Diabolorum, Astaron, Zabulon, &c. tunc usus eorum erit expressa invocatio, & pactum explicitum cum dæmone. Aut vana, & frivola, qualia sæpe reperiuntur in schedis contra febres, & alios morbos appendi solitis, & apertis, &c. Mira, & lepida refert P. Gobat *cit. cas.* 23. Aut signa falsa; ut quod Christus habuerit febrim. Quo etiam spectant ineptæ oratiunculæ de nescio quibus itineribus factisque Christi, B. Virg. S. Petri, quas incantatrices vetulæ super ægros vel vulnera demurmurare solent. Hujusmodi enim ignota, vel vana signa non possunt referri ad alium intelligentem, nisi dæmonem: quippe non ad Deum, vel bonos Angelos, qui non gaudent ejusmodi nugis; nec ad aliquem hominem, ut de se patet; neque ad ipsos morbos, qui nihil percipiunt: ergo &c.

Secunda. Etiamsi istæ preces, characteres, vel signa de se sint bona, & sancta; si tamen admisceantur circumstantiæ vanæ, & omnino impertinentes ad talem effectum ex parte loci, temporis, modi scribendi, legendi, alligandi, tamquam necessariæ ad talem effectum consequendum, ita ut in iis fiducia, & vis precum constituatur, certissima superstitio est. Communissima cum D. Thom. *2. 2. qu. 96. art. 4. ex c. non licet*. Exempla innumerabilia afferri possunt: v. gr. Evangelium S. Joannis e collo gestandum, scriptum debere esse a virgine in membrana virginea, oriente sole, & tribus funiculis talis coloris, ac materiæ, tali certo modo factis collo appensum, &c. Item orationes bonas, & sacras dici debere ad aures jumenti ægri certo numero, situ, gestu, tot crucibus permixtis, ita ut in ipso numero, vel simili vana circumstantia vis orationis, & fiducia effectus collocetur: quin ejusmodi vanis circumstantiis abuti contingit ipso tremendo Sacrificio Missæ ad certos effectus: ut nimirum legantur certo numero, continuis diebus, certis horis ab uno, duobus, tribus determinatis Sacerdotibus talis nominis, accensis candelis, certo numero, colore, forma, &c. ita ut in iis circumstantiis ponatur efficacia Missæ ad talem effectum, & una omissa, cesset esse efficax; quæ superstitio etiam damnatur in Concil. Trid. Sess. 22. in Decreto de observandis, & vitandis in celeb. Miss. ibi: *quarumdam Missarum, & candelarum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera religione inventus est, omnino ab Ecclesia Episcopi removeant*. Ubi tamen non damnatur certus numerus Missarum, vel candelarum ex devotione in honorem alicujus mysterii, v. gr. quinque in honorem quinque vulnerum Christi. Duodecim in honorem duodecim Apostolorum, aut sponte electus, absque eo quod in eo velut necessario numero vis aliqua, vel efficacia collocetur. Quo etiam spectat frequens, & damnatissima praxis, qua solent nummos, aliasve res sub mappa Altaris abscondere, ut super ipsas certo numero Missæ legantur ad diversos, & subinde infandos effectus, quare recte monet P. Gobat, Dominos, Parochos, & Æedituos curare debere, ne sæcularibus nemine præsente in templo aditus ad altare pateat.

Tertia. Etsi totum, quod adhibetur, oratur, dicitur, scribitur, bonum, & sanctum sit, verumque erga Deum cultum præseferat: v. gr. sola oratio ad Deum, unicus e Psalmo versiculus, Evangelium S. Joannis, vinum ex Sacerdotis ablutione, ova in Sabbato sancto crucifixo applicata, flores ex Altari, vel Monstrantia desumpta, aqua, cera, sal, vel alia res benedicta ab Ecclesia, Reliquiæ sacræ, Agni Dei: si tamen in sola eorum, vel similium applicatione constituatur certa vis, & fiducia Sanitatis, vel alterius effectus, vel commodi temporalis, & non principaliter in Deo, & fide Ecclesiæ, adhuc certa superstitio est: quia talis certa vis, & virtus illis omnibus neque ex natura rei, neque ex institutione Dei, vel Ecclesiæ inest, consequenter aliunde peti censenda est,

neque

neque ab alio, quam a dæmone, qui libenter se transfigurat in Angelum lucis, ut specie pietatis, & sanctitatis rerum facilius, & periculosius decipiat. Communissima DD. Suar. *hic c.* 15. *n.* 25. *Less. lib.* 2. *de Justit. c.* 44. *dub.* 3. Delr. *lib.* 3. *disf. mag. part.* 2. *q.* 4. §. 7. *& seq.* latissime. Laym. Alii RR. passim omnes. Ex quibus patet jam ad diversissimos casus. Aliquot frequentiores adfero.

28 I. Quomodo intelligendum id, quod scribit Cassiod. *Psal.* 115. multis in variis morbis efficax remedium fuisse trinam recitationem illius versus: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis?* ita nimirum, ut non ipsi trinæ recitationi, sed Fidei, ac devotioni, singulariter erga SS. Trinitatem, Deus effectum contulerit. Similiter chirurgi sistendo sanguini pronuntiantes illud Christi in Cruce: *consummatum est:* Si solum pro eo effectu non infallibiliter expectato, sed pie tantum impetrando deprecentur Christum per illam consummationem Passionis, & Sanguinis sui in Cruce, superstitionis damnari non possunt. Secus omnino, si ex illo per modum operis operati effectum infallibiliter expectent. Audivi alios sistere sanguinem recitato versu Psalmi 50. *Libera me de sanguinibus, &c.* Et eodem modo explicandum est illud, quod equitantes contra pericula lapsus portent secum galerum S. Gregorii: & equum ascendentes pronuntiant illud; *os non comminuetis ex eis.* A morbo caduco quidam liberant insusurrando in aurem, *O creatura Dei, memento creatoris tui.* Siquidem ea verba recitentur submisse, & cum certa expectatione effectus per modum operis operati, omnino certæ superstitionis condemnandi sunt. Secus dicendum, si ea verba alta voce inclamentur, ut morbo correptus audire possit, ad se reverti, seque Deo commendare, & pro remedio supplicare. Unde similia verba auribus equi, vel alterius jumenti aliquo morbo correpti ingerere a superstitione mortali excusari nullo modo potest: sicut nec ille, qui ad sistendos latratus canum pronuntiat illum versiculum: *in camo & freno maxillas eorum constringe:* quo audito illi statim obmutescunt, ut ipse semel attonitus aspexi. Nisi forte iterum fieret per modum simplicis invocationis auxilii divini.

II. Quid sentiendum de illis, qui certas preces quotidie recitant, aut descriptas secum portant pro felici negotii successu ad avertenda infortunia, pericula, aut etiam certos morbos? Quod si enim praxes bonæ sunt. 1. aut ex Scriptura, & nominatim *Psal.* 50. *Miserere. Et* 90. *Qui habitat in adjutorio altissimi, &c.* aut sint ab Ecclesia approbatæ, aut pie compositæ. 2. Absint omnes circumstantiæ, & conditiones vanæ, & superstitiosæ supra insinuatæ. 3. Non inde expectetur certus effectus per modum ex opere operato, sed solum pie speretur per modum impetrationis, superstitionis damnari non debent. Verum quia raro hæc omnia concurrunt, præsertim quoad preces scriptas secum gestandas, raro ejusmodi permittenda, minus consulenda sunt. Certæ, & perniciosæ superstitionis damnanda est recitatio orationum, etsi alioquin sanctissimarum, S. Brigittæ quotidie per integrum annum, cum certa fiducia, quod exinde morti æternæ non erunt subjecti, qui ita recitarunt, aliisque privilegiis potientur, prout in quibusdam libellis falso scribitur a Christo fuisse revelatum sanctissime illi viduæ: per hoc enim homines retrahuntur a Sacramentis, & inanem fiduciam concipiunt sæpissime pessimo effectu, ut alibi expertum, teste Anton. de Spirit. S. *Direct. Confess. p.* 3. *tr.* 4. *disp.* 2 *sect.* 5.

III. Quid sentiendum de hominibus incantatoribus, & incantatricibus, cum certas preces super morbos, & vulnera recitant, & adjurationes sacras? Quod si simul applicando medicinas naturales solum Deum orant, vel adjurant per Crucem, Passionem, vulnera Christi, ut prosint medicinæ applicatæ absque vana aliqua circumstantia admixta, nihil superstitiosi, vel vani continebunt: Uti observat Navarr. *c.* 11. *num.* 36. Sylvest. Angel. *verb. Superstitio*, aliisque Sanch. *cit. n.* 39. Qui tamen recte monet, eas plerumque superstitiosa miscere, adeoque nonnisi cautissime admittendas: simpliciter autem repellendæ sunt, ut superstitiosæ, quoties absque adhibitis medicinis naturalibus solis suis precibus, vel adorationibus quantumvis sacris, morbos, vel vulnera curare nituntur, cum iis orationibus nec ex natura rei, nec ex ordinatione Dei, vel Ecclesiæ, tanta vis insit, ideoque aliunde petatur.

IV. Quid dicendum de certis consuetudinibus locorum certorum, maxime in nostra patria, v. gr. certo die festo alicujus Sancti equis fœnum secare, equum ter circa templum circumequitare, vel alia jumenta, aut etiam per templum certo numero traducere; die S. Joannis Baptistæ flores, vel herbas decerpere tamquam salutiferas magis cæteris; ex auro, argento, vel alio metallo Crucifixo in die Parasceve applicato, annulum fabricare contra certos morbos, præsertim chiragræ? &c. Hæc, & similia omnia sine dubio superstitiosa sunt, nisi bona fides, ignorantia, vel simplicitas excuset, peccata mortalia, si animus sit adhibendi eas circumstantias, vel cæremonias tamquam per se necessarias, vel efficaces ad sanitatem, vel similes effectus consequendos; cum Deus lege ordinaria non operetur per ejusmodi media, & conditiones, in quibus aliquid vanitatis apparet. *Omnes cum Sanchez cit. & aliis.* Quod si tamen animus sit utendi iis circumstantiis solum ut signis, vel instrumentis suæ devotionis, & fiduciæ erga Deum, Crucifixum, Sanctos aliquos, cum tamen revera sanitatem, incolumitatem rerum suarum, aliumve effectum speratum minime ratione istarum conditionum, sed a solo Deo per merita Crucifixi, vel Sancti alicujus expectent, & postulent, utique a superstitione excusari poterunt: at vero si ob inveteratum usum, & consuetudinem communem talia omnino abrogari, vel dissuaderi non possunt sine offensa populi; saltem docendi sunt, quo animo prædicta fieri conveniat: inexcusabilis autem est superstitio illarum supplicationum, quibus Sancti alicujus imago in flumen projicitur: vel in ripa deponitur, donec pluat v. g. &c.

§. III. *Observatio vana mediorum innaturalium.*

Cum nimirum ad certum effectum causandum adhibentur res quædam per modum causarum naturalium ad certos effectus, cum tamem revera nullam ad id causalitatem habeant. Pro quibus itidem diversissimis, innumerisque, est hæc certissima 29

REGULA GENERALIS.

Quidquid adhibetur ad quemcumque effectum certo expectatum, ad quem tamen nullam vim, vel virtutem habet, neque naturalem ex natura sua, neque supernaturalem ex institutione Christi, vel ordinatione Ecclesiæ, sive se toto, sive aliqua sui parte, vel circumstantia inutili admixta, certissime superstitiosum est, cum pacto saltem implicito cum dæmone, adeoque ex genere suo peccatum mortale. Ita omnes cum D. Th. 2. 2. quæst. 96. art. 2. Tolet. aliisque congestis Sanch. sæpe *cit. lib.* 2. *moral. cap.* 40. *num.* 44. Laym. *cap.* 4. *num.* 3. *Ratio est:* Quia talis res, quæcumque sit, non adhibetur ut causa naturalis, cum supponatur ipsa nullam naturalem virtutem, vel causalitatem ad talem effectum continere: ergo habetur solum, ut signum talis effectus aliunde producendi ex alterius institutione, ordinatione, vel pacto: atqui non adhibentur, ut signa divina, quasi per illa divinitus deberet talis effectus produci ex institutione Dei, vel Ecclesiæ, sicut sunt Sacramenta, & Sacramentalia: cum illæ res revera, nec a Deo, nec ab Ecclesia institutæ sint, sed potius damnatæ, & vetitæ: consequens ergo est adhiberi, ut signa dæmonis, seu ut signa effectus ope dæmonis impetrandi vi occultæ ejus institutionis, vel cooperationis, adeoque pacti expliciti cum dæmone. 30

Colligitur ergo in his certa superstitio, & Magia. 1. Cum res applicata de se est plane inutilis ad talem effectum, v. g. funis, de quo fur pendebat, pro morbo hominis, vel jumenti curando: lignum de tumba, in qua mulier cum fœtu extincta jacebat, & alia innumera. 2. Cum quidem res de se esset, vel censetur esse utilis ad talem effectum, v. g. medium naturale, adhibentur tamen circumstantiæ vanæ, & impertinentes, loci, temporis, modi applicandi, &c. v. g. herbam debere esse fossam certo die, & hora; die veneris inter horam undecimam, & duodecimam noctis: aquam portari a Virgine pro salubri balneo, &c. eundo silente, &c. Item quando adhibentur ignota verba, vel characteres, certæ preces, certus numerus crucum, sacra verba, modo tamen, & intentione supra explicatis. 3. Quando constat rem etsi alias operativam, tamen hic, & nunc non posse operari tali modo, in tanta distantia, in tanta celeritate, in momento. 4. Denique ratione effectus sperati, qui nulla naturali virtute, sed solum a spiritu bono, vel malo effici potest: ut subitanea infusio scientiæ, loquela statuæ, &c. Hac regula bene animo impressa, facile est resolvere casus in hac re nimis innumerabiles; majoris tamen doctrinæ gratia sit

§. IV. *Regulæ in dubiis circa prædicta, & similia.*

Quia in supradictis casibus sæpissime dubium est, an signa, vel res applicatæ revera habeant aliquam naturalem, vel supernaturalem vim, vel virtutem causandi talem effectum, aut etiam significandi talem eventum: & in ejusmodi dubiis omnia reprobare durum, quodvis autem arripere, vel permittere periculosum sit; tutissime servabuntur duæ sequentes Regulæ.

REGULA PRIMA.

Quando prudenter dubitatur, utrum res applicanda, applicata ad effectum aliquem causandum habeat vim naturalem causandi illum effectum, nec ne, licite præsumi potest, quod sic: cum enim miræ sint naturalium causarum virtutes, præsertim herbarum, lapidum, &c. etiam doctos sæpissime latentes, non est ratio quod ex eo, quod virtus illa nobis ignota, vel dubia sit, statim eam negemus, & tamquam superstitionem magicam virtute dæmonis operativam condemnemus. Communissima DD. cum D. August. *lib.* 14. *de Civit. Dei c.* 24. Sanch. *cit. n.* 44. Laym. *lib.* 4. *tr.* 10. *c.* 4. *nu.* 6. Qui tamen recte consulunt cuilibet, qui ejusmodi re dubia ad sanitatem, vel alium effectum consequendum uti vellet, ut expresse protestetur, si ulla vis diabolica ex quocum- 31

quocumque pacto subsit, nolle se effectum consequi. Qua ratione Cajet. *verb. Incantatio*, asserit, se deprehendisse superstitiosum esse motum annuli super filum pronunciando certo versiculo Psalmi; cum etiam protestaretur nolle se versum recitare propter illum motum secundum diaboli virtutem, sed pure ad Deum laudandum, annulus motus minime fuit. Placet aliquos casus particulares adferre pro curiosis.

32 I. Herbas certis temporibus, festis diebus, horis, &c. colligere sine dubio sæpissime est superstitiosum, utpote quandocumque illæ circumstantiæ temporis omnino sunt impertinentes ad naturalem virtutem conferendam, vel augendam: ut quod debeant colligi, vel effodi feria sexta inter undecimam, & duodecimam noctis: ea hora, qua tres Sacerdotes in uno templo simul celebrant. In die S. Margaritæ, S. Joan. Baptistæ. Secus dicendum, quando ipsa circumstantia temporis conducit ad naturalem herbarum virtutem, maturitatem, vel aliam qualitatem: sine dubio enim potentior est virtus plurium herbarum collectarum in vere, quam in hyeme, in æquinoctio, quam in solstitio; specialiter autem pleræque herbæ medicæ, & salutiferæ maturitatem, & virtutem consequuntur versus æquinoctium autumnale, quo tempore celebratur Tricesimus B. V. Mariæ. Non est ergo superstitiosum colligere herbas intra illum Tricesimum B. V. Mariæ; eademque ratione asservare ova eodem tempore exclusa. *Communis apud cit.*

II. Quid sentiendum de virga avellana indice de thesauro occulto, vel aqua latente? Usus simplex absque alia superstitiosa circumstantia admixta damnari minime potest, maxime quoad fontium, & metallorum venas indagandas, & consequenter etiam thesaurum occultum auri, argenti, aut alterius metalli. Observant tamen naturales, seu Physici, non quamlibet ejusmodi virgam ubilibet natam, sed tantum natam in tali loco, & fundo, sub quo latent ejusmodi venæ fontium, vel metallorum, habere hanc virtutem, & sympathiam occultam, ut vehementi illo motu, & ictu suo versus talem locum etiam alibi prodat latentes illas venas, metalla, thesauros. Quare prout de facto ejusmodi virgæ applicantur, præsertim a militibus, & furibus, 1. Indifferenter undecumque arreptæ. 2. Ad detegendos thesauros quosvis, vel res latentes, etiamsi ibi nullum esset aurum, argentum, aliudve metallum, sed vestes, aliæve res. 3. Et ubilibet colorum, etiam supra terram, in domibus, inter parietes. 4. Præsertim in talibus impertinentibus, ac superstitiosis circumstantiis, sectionis, & applicationis, omnino damnandus est usus, ut meritissimum opus diaboli.

III. Annulo, vel globulo e filo intra extremos digitos, pollicem, & indicem, sustentato pendente intra vasculum quoddam successivo motu tandem ad unum latus alliso, velut horologio quidam utuntur pro indicio horarum: & ipse usus jum sæpissime aliquot annos certo semper effectu, quia credidi, id fieri naturaliter occulta virtute arteriæ pulsus, & influentiæ cœlestis, & adhuc ita opinor quoad aliquid, scilicet quoad motum ipsum, ejusque successiva incrementa: at vero quoad determinatum allisionum numerum horis singulis respondentem omnino superstitiosum esse experientia propria convincit Cardinalem de Lugo: nam eo medio usus in Hispania ad indicium horarum secundum horologium commune Astronomicum, scilicet viginti quatuor horarum a media nocte usque ad alteram media noctem, cum postea brevi tempore appulisset ad Italiam, eodemque medio vellet nosse, quota hora esset, ecce comperit edi ictus jam secundum horologium artificiale Italicum longe diversissimum, indeque, & merito conclusit, illud artificium esse superstitiosum: in tanta enim vicinitate locorum, neque pulsus arteriæ, neque astrum ullum tantam mutationem causare naturaliter potuisset: ergo non naturæ opus: quod enim idem est semper facit idem circa idem, sed alterius virtutis esse manifeste convincitur: sed neque alterius, nisi dæmonis, ut jam sæpe dictum.

IV. Filo etiam a Virgine ducto, vel neto aliqui utuntur ad aliquam curationem: certe primo intuitu apparet superstitiosum maxime, & est revera, si aliæ conditiones vanæ accedant, aut effectus nimis improportionatus inde speretur. Alioquin sane sunt, qui non audent omnino condemnare: & audi, quæso, quid in simili scribat celeberrimus Doctor Rupertus Tuitiens. *lib. 1. tom. 3. de Trin. cap. 1.* in illa verba Genes. 3. *Ponam inimicitam inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuum* inquiens: *Si nuda mulieris planta dentem serpentis prævenerit, & vivacissimum caput ejus vel leviter presserit, statim totum cum capite corpus repente interit, ita ut omnino motus nullus, nullus sensus in aliena parte residuus sit; id quod non malleis, aut vectibus aut gladiis concidentibus cito, ac leviter effici potest, siquidem excisum caput cum tribus, aut duobus digitulis vivere, & abire perhibetur; hoc, quod prædictum est, ita esse ipsorum, qui per industriam exploraverunt, fide, & relatione comperimus.* Hactenus Rupertus. Quod si ergo mulier, non autem vir id efficaciæ habeat, cur non possit virgo innocens, non vero mulier corrupta, alicujus efficaciæ nobis incognitæ particeps esse, ut suis manibus, immo etiam suo sputo, quo fæminæ solent nendo filum inungere, occultam virtutem ad aliquem morbum propellendum communicare? ait Tambur. *lib. 2. Decal. cap. 6. §. 1. n. 6. & 7.* Ego certe, si vera adsit necessitas, & aliud medium non suppetat, adhibita protestatione supradicta, ita facile permitterem, facerem, certe damnare non auderem. Idemque eadem ratione damnari explicite non possunt curationes factæ virtute emplastri magnetici per actionem in distans, dum loco membri vulnerati obligatur instrumentum, quo vulnus inflictum erat, ex probabili sententia DD. Physicorum. Et ita de his, & similibus sexcentis judicandum erit.

REGULA II.

Quando certo probabiliter constat, rem applicatam ad effectum aliquem, v. g. morbum aliquem curandum non habere ullam vim naturalem ad illum effectum causandum, 33
dubitatur autem, an habeat vim a Deo, vel dæmone, censenda est, esse superstitio ex pacto cum dæmone, ideoque simpliciter abstinendum. Ita post S. Thom. *cit. q. 96. a. 2.* plurimis congestis late, & optime probat Sanch. *lib. 2. c. 40. n. 4.* Et ipsum sequuntur RR. torrentis instar. Ratio est: Quia in dubio non præsumitur factum; cum ergo res illa certo non sit causa naturalis effectus, nec de virtute aliqua supernaturali constet, erit solummodo signum, ut ad ejus positionem, vel Deus, vel dæmon effectum ponat: atqui non Deus, quia de solis Sacramentis, vel Sacramentalibus tale quid per revelationem habemus: restat ergo, illum effectum fieri a dæmone per ejusmodi signa tacite invocato, idque omnium maxime in observatione precum, vel characterum, *sup.* §. 2. Quare sapienter Gerson. apud Sanch. *cit.* ubi quærens, an versiculus ille: *Dirupisti vincula mea &c.* habeat efficaciam ad sanitatem; ait. Respondeo pro Regula circa talia, quæ sunt innumera: quod nunquam attribuenda est aliqua virtus supernaturalis rebus quibuscumque, nisi hoc trahi possit ex Scriptura Sacra, vel revelatione divina: & oppositum, credo, habet speciem superstitionis. Aliqua hic breviter notanda occurrunt.

I. Licet ejusmodi signa dubia non possint scienter adhiberi absque tacita invocatione dæmonis ob rationem datam, post factum tamen non debet semper judicare, effectum esse causatum ope dæmonis; potuit enim fieri casu, vel fortuito: experientia enim constat, aliquos impostores, & male feriatas vetulas proprio ingenio componere ejusmodi nugas, v. g. contra febres, spasmos, aliosve morbos, si quando effectum casu sortiantur, virtutem jactant; si fallat effectus, defectum applicationis debitæ ostendunt: ex. g. aliquis sumpta charta certis notis, & circulis inscripta brevi convaluit a quartana, male argueretur: hæc sanitas non est a medio naturali, neque a Deo: ergo a dæmone: potuit enim casu evenire, tunc deficiente humore peccante. Prudenter ergo hic judicandum est, quam maxime vero cavenda illa stupida sequela: Hunc juvit aliquando tale medium dubium; ergo & me, & te, & alium juvabit, quasi dicas: hic in tali via casu invenit aurum; ergo & ego, & quivis alius inveniet.

II. Rem ita dubiam seclusa certa expectatione effectus semel, aut iterum tantum applicare, merito a peccato mortali superstitionis post alios liberat Tamburin. *nu.* 70. Quia tunc aut est actus imperfectus, aut non est grave periculum commercii cum dæmone, vel alterius notabilis inconvenientiæ. Consentit Gobat. *cas. 2. n. 935.*

III. Quin etiam ob justam causam necessitatis gravis deficiente alio medio naturali certo, non superstitioso, ejusmodi rem dubiam applicare ad pellendum morbum, strumam, rupturam curandam, adhibita protestatione contraria supradicta, ab omni peccato liberant boni DD. eosque sequens Tamb. *cit. n.* 72. Et Less. *lib. 2. de Just. c. 44. nu. 46.* insinuat dicens: *Non est licitum uti remedio, de quo dubium est, an contineat tacitam dæmonis invocationem, hoc enim est, se exponere manifesto periculo superstitionis, nisi forte id fiat cum expressa voluntatis contrariæ protestatione.* Vides sentire Lessium, te cum tali protestatione posse uti eo remedio ob necessitatem, nempe recuperandæ sanitatis. Et ratio videtur: Quia quamdiu est dubium medium, protestatio expressa contraria tollit invocationem, & commercium dæmonis, & remanet spes aliqua effectus aliunde obtinendi, vel causandi. Debuit practicari aliquoties.

IV. Denique quando certum est, medium esse superstitiosum, certum quoque esse debet, numquam licere eo uti ob quamcumque necessitatem, adhibita etiam quacumque protestatione contraria. Ratio clara est: Quia superstitio est intrinsece mala, involvit etiam contemptum Dei, dæmonis reverentiam, & cultum §. 1. in fine explicatum: quæ nullo unquam casu licere possunt, & protestatio est ipsi facto contraria, ideoque de jure frivola, ac nulla: ac si dicas: Scio equidem hoc medio adhibito debere operari dæmonem, non Deum, vel naturam; eo tamen adhibito protestor me nolle uti ope dæmonis. O stultitia! Quare valde pœnitet, me semel permisisse pro remedio rupturæ, ejus expositionem versus lunam crescentem cum iis verbis: *Quod video crescat, quod tango, decrescat*, recitatis postea 5. Pater, & Ave, præmissa tamen illa protestatione contraria; eram enim tunc dubius aliquatenus: at nunc inveni casum in specie apud solertissimum Gobat: judicantem certo esse superstitionem.

SECTIO IV.

Magia, Maleficium.

SUMMARIUM.

35 *Magia quid, & quotuplex.*
36 *Quid ars notoria.*
37 *Quid ars mirifica, seu magia sanifica.*
38 *Quid, & quotuplex maleficium.*
39 *Maleficii solutio tripliciter fieri potest.*
40 *Semper licite solvitur per se, vel per alium, etiam maleficum, vel sagam, quoties id sine novo maleficio, vel peccato fieri potest.*
41 *Adhibendo etiam signum positivum, aliunde non illicitum, maleficio tamen ex pacto conditionato diaboli contrarium.*
42 *Numquam vero licet illud solvere novo maleficio, etiam transferendo in canem, catum; vel ipsummet maleficum.*
43 *Quando constat, maleficum posse solvere maleficium sine novo, & solum dubitatur, an sine novo soluturus sit, licitum est petere, ut solvat.*
44 *Omnes divinationes, vanæ observantiæ, ac magiæ per se sunt peccata ejusdem speciei formaliter.*
45 *Omnis superstitiosa divinatio, ac magia cum pacto, vel invocatio dæmonis expressa, voce, signo, vel facto, non tantum est peccatum mortale gravissimum.*
46 *Sed etiam ordinarie gravissimas peccatorum species adjunctas habet.*
47 *Qualiter tales examinandi a Confessario.*
48 *Omnis etiam superstitio, divinatio, vel magia cum pacto, vel invocatione dæmonis implicita tantum, ex genere suo quidem peccatum mortale est, frequentissime tamen fit veniale ex ignorantia, levitate, curiositate, &c.*
49 *Acquisita per magiam citra damnum tertii licite retinentur.*

35 MAgia generatim dicitur ratio operandi mira præter communem, & ordinarium modum in natura. Duplex est, *naturalis*, & *superstitiosa*. *Magia naturalis* est ratio operandi mira per applicationem agentium naturalium, applicando scilicet activa passivis, unde effectus hominibus miri naturaliter oriuntur, cujus præcipua pars est Alchimia, qua ex metallis levioribus mediante mercurio aurum etiam verum effici posse concedunt communiter DD. quamquam etiam hæc ars Jure Canonico merito sit prohibita, tum quod sit incertissima cum jactura tantorum sumptuum, tum quod sit periculosissima, ne subrepat pactum, vel invocatio dæmonis ex desperatione, ac nimia aviditate effectus, adeoque fiat magis superstitiosa. *Magia superstitiosa* ergo est ratio operandi mira ope dæmonis; videlicet per signa, vel media a dæmone ad ejusmodi instituta; adeoque eo ipso cum pacto explicito, vel implicito saltem cum illo atro genio. Sicut enim Christus Dominus sensibilia signa Sacramentorum gratiæ effectiva instituit ad salutem, & sanctificationem animarum, ita diabolus malitiosus Christi æmulus, & simia, sensibilia plurima instituit signa ad diversissimos effectus ad eorum exhibitionem, vel usum sua ope producendos ad perditionem animarum, respectu quorum effectuum proprie dicitur magia. Quod si autem magia comparetur ad illa ipsa signa, vel media a diabolo instituta, & observanda, ac applicanda ad certos effectus, idem erit magia ac observatio superstitiosa, cujus species scilicet observare signa eventuum, observare preces, vel characteres, & observare media innaturalia, omnia huc referenda; confusionis vitandæ gratiæ seorsim explicata sunt *sect. præc.*

Magia ergo proprie dicta, quatenus comparatur ad ipsos effectus per talia signa, vel media dæmonis ope procurandos, rursus dividitur in tres species materiales; scilicet artem notoriam, mirificam, & maleficam. Explico brevissime, adeoque necessaria, qualiter liceat petere solvi maleficia, & tamdem resolutiones practicas circa prædicta omnia quoad peccata, ut sic tetræ materiæ finis imponatur.

§. I. *Ars notoria, & mirifica.*

36 ARs notoria dicitur, qua per certa verba, preces, aut alia signa variæ scientiæ, vel doctrinæ subitanee, & absque labore acquiruntur, vel certo acquirendæ expectantur: quale singulare non ita pridem contigit Romæ in septenni puero. Et notum est ea arte uti solitos Anabaptistas, qui profanæ cænæ suæ sumpto poculo subito scientiarum profanarum notitia imbuuntur, ut scripturas varias legere, & ad verba memoriter recitare possint, ita nimirum suggerente dæmone, adeo ut etiam doctos quosdam eludant. Unde sæpe evenit, ut Catholici exorcismis suis ipsis eorum scientiam cum confusione magna adimant; & experientia constat, quando (licet raro) abjecta sua secta, ad fidem Orthodoxam redierunt, eos in pristinam inscitiam relapsos esse. Ad hanc magiam spectat, quod quidam in nocte S. Jo: Baptistæ sub aviculis suis vigilant, certis cæremonis, & precibus intendentes, & expectantes eas meliorem garritum, vel cantum acquisituras; utique ope dæmonis.

37 Ars mirifica, magia sanifica, observatio sanitatum, &c. dicitur, qua sanitas, morborum, vel vulnerum curatio in hominibus, vel jumentis, aliarumve rerum incolumitas, aut quodvis bonum corporale procuratur per media, vel signa prorsus vana, inutilia, & impertinentia, quæque nullam naturalem, vel supernaturalem vim ad talem effectum habere ex vera Philosophia, & Fide constat: utpote per verba, preces, characteres, incantationes, insufflationes, ligaturas, &c. Ex. gr. ferrum, quo læsus es, infigatur in proximum pratum, &c. Loco pedis vulnerati ligetur pes scamni, vel arbor, & salvus eris.

Ad hanc speciem magiæ spectant procurationes quorumcumque effectuum, vel commodorum in utilitatem corporis, quæ naturaliter tali modo provenire non possunt: ut augmentatio, vel acquisitio pecuniæ ope vermis cujusdam; transvectio per aera ad campos, hortos, etiam cellas vinarias, &c. dæmonis auxilio sine strepitu reseratis cellis, iterumque clausis; exhibitio, nescio, quarum epularum, plerumque phantasticarum tantum, vel ex verissimis quibusdam rebus apparentium. Quamvis enim ejusmodi magis, & sagis plerumque eveniat, ut per phantasticam elusionem dæmonis imaginentur sibi se esse alibi, comedere, bibere, &c. cum tamen domi in suo lecto dormiant, nihilominus eos vere, & corporaliter de loco ad locum transferri, epulari, saltare, &c. & fœdissima quæque peragere cum dæmonibus, nimis multiplici experientia constat, & communiter docent DD. apud Sanch. Laym. Delr. sæpe cit. contra Navarr. & Rodriq. *num.* 2.

§. II. *Ars malefica, maleficium.*

EST, quo per certa signa, & media opera, & potestate dæmonis alicui nocumentum infertur. Dividitur in 38
veneficium, & amatorium: veneficium dicitur, quo per certa ejusmodi signa ope dæmonis hominibus in ipso corpore, vel rebus suis nocumentum infertur. Quo spectant omnes morbi occulti, pestes, intoxicationes, contractiones membrorum, tabes, & tamdem mortes hominibus, vel jumentis a dæmone illatæ ad positionem signorum maleficorum, qualia plerumque compinguntur ex capillis, fragmentis ovium, ossiculis murium, serpentum, &c. Et certe compertum est per ejusmodi veneficia, etiam fasces capillorum, fragmenta cultrorum, &c. intra corpora, vel ossa hominum ingesta fuisse. Item tempestates, grandines, pluviæ immodicæ ad destructionem fructuum, gravissimumque damnum hominum per signa malefica causata a dæmone. Item impotentia coeundi inter conjuges, quod communiter vocant maleficium ligaminis. Venefica autem dicuntur ejusmodi, quia talia nocumenta dæmon fere communiter in hominibus causat per venena, etsi etiam aliis mediis noceat.

Maleficium amatorium dicitur, quo per certa ejusmodi signa, vel media ope dæmonis immutatio in affectibus causatur: utpote, vel excessivi, vel impotentes amores carnales, vel philtra, seu pocula amatoria, aliaque signa, characteres, aliasque res, v. g. cantharides, &c. Aut e contra capitalia odia, & inimicitiæ, præsertim inter conjuges. Dicitur tamen simpliciter amatorium maleficium a potiori parte, seu principaliori passione animæ, scilicet amore, & casu frequentius contingente. Atque hæc magia malefica non tantum continet malitiam superstitionis contra Religionem, & primum Præceptum Decalogi, sed etiam malitiam gravissimam injustitiæ, cum onere restitutionis integræ totius damni, ita ut quidquid damni proximo ex maleficio illatum est, teneatur maleficus in integrum restituere; quia licet dæmon illud damnum causarit physice, maleficus tamen causavit moraliter, ad id movendo, instigando dæmonem, &c. secundum Omnes. Similiter tenetur, & a Judice cogi debet ad destruendum, vel auferendum maleficium positum, quando nimirum absque novo maleficio destrui, vel auferri potest. Hinc proinde res gravissimi momenti explicanda: an, & qualiter liceat solvere, vel solvi petere maleficia.

§. III. *Maleficii Solutio.*

MAleficium simpliciter solvi potest. 1. Præcise auferendo signa magica. 2. Ponendo signa contraria positiva, quibus diabolus solum cogatur abstinere a maleficio inferendo, vel illato continuando. 3. Novum maleficium ponendo, seu signa contraria positiva, quibus diabolus de novo invocetur, vel ex pacto cogatur de novo operando aliquod novum maleficium, vel effectum causare pro illo priori tollendo, quod certe frequenter fit. Quæstio ergo hic duplex est: 1. An, & qualiter liceat per se solvere maleficium. 2. An liceat petere a malefico, vel mago, ejusque opera uti ad solvendum maleficium. Pro re difficili, & satis frequenti casu pono breviter quatuor claras 39

Resolutiones.

PRima. Certissimum est, semper licitum, immo meritorium esse per se, vel per alium etiam maleficum, vel sagam solvere maleficia solummodo auferendo, vel destruendo, 40

do signa magica, defossiones, ligaturas, figuras, characteres, philtra, &c. ex quibus maleficia ex dæmonis pacto, & operatione dependent, inferuntur, continuantur: Quinimo hoc modo ipsi malefici, magi, sagæ obligantur, atque omnimodis tam a Confessario in foro conscientiæ, quam a Judice in foro externo cogi debent ad solvendum, auferendum, vel destruendum maleficium, quando nimirum absque novo maleficio destrui potest. Ratio clara est: Semper enim sunt destruenda opera dæmonis, & tam grave damnum proximo tam injuste illatum auferendum, quando sine nova ope dæmonis, vel peccato fieri potest; sic autem est in proposito: ergo &c.

41 *Secunda*. Certum quoque mihi videtur licere solvere maleficium per se, vel per alium (etiam maleficum, vel sagam) adhibendo signum positivum contrarium maleficio ex pacto conditionato diaboli, ita dissolvendo, vel impediendo; quo nimirum signo diabolus præcise cogatur abstinere a maleficio inferendo, vel continuando absque alia ejus operatione, vel effectu novo malefico, dummodo illud signum de se sit licitum, vel indifferens. Ita gravissimi DD. pluribusque congestis Suar. *cit. c.* 17. *n.* 19. Less. *lib.*2. *de Justit. c.* 44. *dub.*6.*n.*45. Sanc. *lib.* 2. *moral. c.* 41. *n.* 5. Mart. Delr. *dis. mag. lib.* 6. *c.* 2. *sect.*1. *q.*2. Laym. *cit. l.*4. *tr.* 10. *c.* 4. *n.* 9. alii RR. passim. Ex. gr. solet diabolus pacisci cum mago, vel saga, inficiam, quem incantaveris, insufflaveris, tetigeris, percusseris, &c. nisi ille mox se cruce signet, aqua lavet, vel te repercutiat, &c. licet tunc non tam se cruce signare, verum etiam aqua abluere, sagam repercutere, non utique intentione eo medio, vel signo aliquid efficiendi ope dæmonis in se, vel in alio, sed præcise intentione dissolvendi pactum diabolicum, ac impediendi signum magicum noxium, adeoque solvendi maleficium non aliqua dæmonis operatione, sed solum cessatione ab operando noxie. Ratio est: quia & talis intentio bona est, & medium, ac signum est licitum; neque enim dæmon ista signa instituit tamquam operativa, sed talia signa nocentia instituit nocitura sub conditione, nisi illis alia signa contraria adhibita fuerint: Quin pie creditur, dæmonem, DEO ejus malitiam cohibente, debere plerumque talia contraria signa maleficio apponere: ergo licite adhibentur. §. Hac ratione Judices reos torquendos, ne maleficio ad tormenta insensibiles sint, aut plane muti nihil fateri possint, curant exui, lavari, capillos abradi, non solum, ut tollant signum magicum dæmonis fortasse sub vestibus, vel capillis, aut unctione corporis latens, sed etiam quia potuit pactum cum dæmone fuisse, ut ad nudationem, vel ablutionem corporis, aut rasionem capillorum cessaret pactum, & effectus ille magicus; ut præter cit. recte monet Tambur. *c.*6. §. 2. *n.* 13. Ibidemque *n.* 17. lepidum casum referens. Senex quidam thesaurum noctu terræ infodit magicis artibus a dæmone custodiendum, hac nimirum cum dæmone conventione, ut nullum permitteret auferre, nisi illum, qui stans super locum bona pulte se reficeret, vinumque hilariter biberet: audit hoc rusticus non longe inde decumbens, statimque mane cum pulte & vino apparens thesaurum nemine impediente abstulit, sene nimis sero veniente. Et resolvit recte Tamburin. potuisse hoc facere rusticum citra superstitionis peccatum (an etiam potuerit licite retinere sine injustitia; alia quæstio est, alio spectans.) Quia hoc solum erat apponere signum contrarium maleficio, quo posito dæmon promiserat non amplius thesaurum custodire, ipsumque signum de se indifferens, & licitum fuit. Eadem denique ratione explicari, & excusari possunt signa pleraque, & ritus, quibus milites, vel alii solvunt maleficium hostium magice induratorum, & invulnerabilium, diversa novi, sed non vacat tibi dicere.

42 *Tertia*. Numquam licet maleficium solvere novo maleficio, scilicet applicando novum signum magicum, quo dæmon moveatur ad novum aliquid operandum ad prius maleficium tollendum; v. gr. ut febris, vel alius morbus hominis transferatur, in canem, vel catum, vel alium hominem, aut etiam in ipsum maleficum, vel maleficam, qui, vel quæ maleficium intulerat, prout fieri constat pro recuperando butyro, magice subtracto lacte: coquendo nimirum, & agitando lac ad ignem, toto calore translato in sagam, ut cogatur petere cessationem, & alia innumera. Ratio nimis nota est: Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; novum autem maleficium intrinsece malum est, ergo; Et consequenter non licet petere, vel jubere magum, vel sagam, ut maleficium maleficio novo solvat: nec absolute licet petere solvi maleficium, quando certo, vel probabiliter constat, maleficium absque alio maleficio solvi non posse; immo neque si dubitetur, an solvi possit; aut si constet solvi posse: ignoretur tamen, vel dubitetur, an hic, vel hæc solvere possit absque novo maleficio; semperque peccat mortaliter, qui petit, vel jubet tunc maleficium solvi. Ita ex communi DD. late, & optime probat Sanchez cit. *lib.*7. *de matrim. disp.* 95. & *lib.* 2. *moral c.* 41. Ratio clara est; quia numquam licet petere, jubere, vel quomodolibet alterum inducere ad id, quod ab eo sine peccato fieri non potest; esset enim verum activum scandalum: atqui uti novo maleficio, seu signo magico cum pacto dæmonis operativo per se intrinsece malum est, adeoque a nemine unquam scienter sine peccato fieri potest, cum repugnet primo præcepto negativo juris naturalis: ergo inducere aliquem ad solvendum maleficium novo maleficio, semper illicitum est, & peccatum mortale, cum sit inductio ad grave malum; idque etiam verum est in dubio, an solvi possit absque novo maleficio, adeoque eo ipso peccaret mortaliter. Practice ergo in tali dubio examinari debet magus, vel saga, qua ratione maleficium solvere possit, & velit: si recuset explicare, jam præsumendum est de novo maleficio: Si explicet, videndum erit, an licita, vel illicita media habeat. Atque, ut recte monent DD. cit. Suarez, Lessius, Sanchez, Layman; facilius præsumendum est de his, qui maleficium posuerunt, quod sciant debitum modum auferendi ea. Secus est de aliis magis, qui ipsi maleficium non posuerunt, hi ante omnia examinari debent, an, & unde sciant, quo loco, vel modo positum sit; si ignorent, & diceret nolint, absolute non licet eorum operam petere: esset enim tacite petere a tali, ut alio novo maleficio a dæmone id discat, & solvat: quod si vero jam norit (esto ab ipso diabolo, prout in simili dicetur in Regula quarta,) & media licita solvendi proponat juxta resolutionem primam, & secundam, jam tuto ejus ope uti poteris. Quæ omnia valde notanda sunt.

Quarta. Quando constat maleficium de facto solutum, 43 aut certe posse solvere maleficium absque novo maleficio, etiamsi suspicetur, vel credatur ipsum non esse soluturum modo licito, sed novo maleficio magico, licitum erit petere, immo jubere illum, ut solvat. Communis DD. cum Suarez, Lessio, Sanchez, Layman. cit. Ratio est: quia semper licitum est petere pro suo commodo, vel necessitate ab alio, quod alter licite, & sine peccato præstare potest, etsi is ex mera malitia non sit præstiturus absque peccato, juxta communem doctrinam in materia de scandalo: tunc enim peccatum alterius non sequitur ex tua petitione per se, sed mere per accidens ex sola alterius malitia, quam tu moraliter nullo modo causas, sed justa necessitate urgente, & excusante vere, & licite permittis, quamvis ex lege charitatis in proposito casu tenearis magum admonere, facta petitione, & conventione, ut licito modo solvat, si spes sit illum obtemperaturum: cum hac ratione facile peccatum proximi impedire possis. Addit Sanchez, utroque loco *sup. cit.* quod quemadmodum petens mutuum ab usurario nolente dare, nisi cum usura, potest acceptare mutuum cum conditione usuræ secundum communem DD. ita petens solvi maleficium a mago, qui potest solvere, & tamen nolit solvere absque novo maleficio, possis illud acceptare permissive te habendo, quod utrobique pari prorsus ratione non sit cooperatio ad peccatum alterius, sed solum ob propriam necessitatem, & gravissimam causam permissio peccati alterius ex sola alterius malitia perpetrandi: nemo autem tenetur impedire peccatum alterius cum tam gravi suo incommodo.

Dices, qui petit a malefico dissolutionem maleficii etiam modo quantumvis licito, is sane consulit maleficum: at consulere maleficum est per se malum, & in sacris Litteris gravissime prohibitum: ergo, &c. Respondeo, tunc consuli maleficum non formaliter, ut talem, & malefice, & magice aliquid operaturum, ut in priori casu *n.* 42. sed solum consuli maleficos materialiter, ut homines in tali materia scientes, & expertos, & per se nihil nisi licitum acturos. Nec obstat, quod ipsi eam notitiam dissolvendi modo illicito comparaverint a dæmone, commercio illicito. Quia licet tunc peccaverint gravissime illo illicito commercio cum dæmone, communi hoste, non tamen peccant postea utendo illa scientia de se bona, & in materia licita, ut hic supponitur: alioquin non possem legitimum medicamentum, aut bonas, & utiles scientias addiscere ab eo, qui hæc a dæmone habuisset; cujus oppositum docent probatissimi DD. Theologi cum sup. cit. Suarez, Derl. Sanch. Quare etiamsi tumetipse a dæmone immediate didicisses modum solvendi maleficia, peccasti sane gravissime peccato illo, & commercio damnabili cum dæmone; at transacto illo pacto licite poteris uti ea scientia in tuum commodum ad maleficia in te, vel in aliis tollenda, dummodo denuo dæmon nec expresse, nec tacite invocetur. Quemadmodum ergo eadem ratione licite potes equo tuo, vel alia re tua perdita, & per artem magicam inventa uti, licite frueris sanitate per eandem artem nigram acquisita, immo & licite retines pecuniam a dæmone acceptam, modo constet eam ab alio non esse ablatam. Ratio semper est, quia licet graviter peccaris in illis a dæmone obtinendis, attamen postea seclusa omni dependentia, vel pacto cum dæmone, ejusve nova aliqua operatione, illis rebus ex se bonis utendo, peccatum non committis; sicut nec committit meretrix, dum retinet pecunias, & utitur iis, illicite ex suo peccato comparatis: De hoc iterum aliquid §. *seq.*

§. IV. *Resolutiones generales practicæ circa prædicta omnia.*

PRIMA.

Omnes divinationes, vanæ observationes, ac magiæ universæ super unum cumulum, per se sunt peccata ejusdem speciei formaliter, & differunt solum materialiter penes diversitatem mediorum adhibitorum, & effectuum causato- 44

fatorum, quæ proinde sigillatim in Confessione explicandæ non sunt, seclusa alia malitia diversa apostasiæ, hæresis, blasphemiæ, sacrilegii, aut injustitiæ in proximum. Communis DD. cum Suar. *lib.* 2. *de superstit. c.*14. Ratio est: quia per se in ratione superstitionis tota ratio formalis malitiæ eadem est in omnibus, scilicet cultus Deo debiti diabolo tributi: per divinationem enim quamcumque petitur a dæmone cognitio rei occultæ, ideoque cultus Deo debitus, ob cognitionem Deo propriam, tribuitur creaturæ, diabolo. Et per magiam, seu vanam observationem quamcumque petitur a diabolo operis alicujus effectio, ideoque cultus Deo debitus, ob potentiam Deo propriam, tribuitur eidem pessimæ creaturæ diabolo, utrobique eadem formalis malitia, & difformitas, utrobique admixta implicita idololatria, & apostasia a Deo, & expressum, vel tacitum pactum cum dæmone. Unde in S. Scriptura magi, & arioli, seu divinatores semper fere conjunctim prohibentur. Levit. 19. *Non declinetis ad magos, vel ab ariolis aliquid sciscitemini*. Ibid. 20. *Anima, quæ declinaverit ad magos, & ariolos, &c. interficiam illam*. Attamen in communi, & veriori sententia in confessione explicandum erit, an superstitio, vel divinatio, vel magia facta sit cum pacto expresso, vel implicito tantum: nam pactum explicitum, & expressa dæmonis invocatio nimium auget malitiam substantialem actus, ut mox patebit.

SECUNDA.

45 OMnis superstitiosa divinatio, & magia, quæ fit cum pacto expresso cum dæmone, seu cum expressa invocatione dæmonis, aut voce, vel signo, aut ipso facto adhibendo scilicet signa, quæ quis scit a dæmone esse instituta, ac ipsum per illa operari, sive deinde secum ipso, sive cum alio conventa sint, & maxime ad similes usus ipsum dæmonem asservando in vitris, annulis, animalculis, gravissimum, & semper est peccatum mortale, incomparabiliter gravius ea, quæ fit cum pacto implicito tantum. *Omnes unanimiter*. Ratio manifesta est: Quia malitia ejusmodi superstitionum in eo consistit, quod homo, relicto Deo, virtuali, seu interpretativa saltem apostasia, diabolum invocet pro notitia, vel effectu aliquo consequendo, atque ideo eo ipso illum divino honore afficiat, mixta, & implicita saltem idololatria, ut *Sect.* 1. §. 3. explicatum habes: quod bene penetrari debet. Utraque malitia ex se gravissima est, & incomparabiliter gravior, & evidentior, cum dæmon ita explicite invocatur, & cum eo expresse paciscitur, quam cum tacite tantum; ergo semper gravissimum mortale. Nulla hic fingi potest parvitas materiæ, cum in quavis etiam minima materia contineat semper formalem, vel virtualem saltem a Deo Bono infinito aversionem, & conversionem ad dæmonem Divinitatis æmulatorem, Deique juratum hostem; neque sane inter fideles ulla potest excusari ignorantia, cum malitia ipsa natura sit horribilis, & nihil sæpius doceantur fideles, quam vitare consortia dæmonis capitalis, & infestissimi Dei, hominumque hostis. Solum in casu particulari excusari posset imperfectio actus, indeliberatio, præcipitantia, utpote ex gravissima perturbatione, angustia, terrore, &c. dæmonem invocantis, sicut & in cæteris omnibus peccatis, etiam odio Dei, blasphemia &c.

46 Neque vero talis superstitio cum expresso pacto, & invocatione dæmonis de se solum est peccatum gravissimum cum implicita saltem apostasia a Deo, & idololatria dæmonis, verum etiam ordinarie secum conjunctas habet gravissimas peccatorum species. 1. Formalem apostasiam a Deo, Christo, Baptismo, Fide Sanctorum, & Ecclesiæ communione, eorumque omnium in perpetuum abjurationem, abnegationem cum gravissima blasphemia contra Deum, Sanctos, Sacramenta &c. 2. Formalem idololatriam, adorationes, sacrificia, aliasque cæremonias &c. Diabolo, tanquam Deo offerendas, & exhibendas. 3. Pactum perpetuum, & perpetuam traditionem sui cum corpore, & anima in perpetuum diaboli servitium, & proprietatem, certis conditionibus utrinque pactis: ut nimirum diabolus hæc, vel illa aut semel, aut toties quoties, præstet, quoad superstitiones, magias; homo vero hæc, vel illa obsequia, nescio, quæ horrenda, contra Deum, & proximum exhibeat. Quo spectat abusus infandissimus Sacramentorum, maxime Eucharistiæ, nocumento proximorum, in anima, & corpore, per veneficia, Baptismi nomine diaboli &c. 4. Diabolicum conjugium, & commixtiones carnales cum dæmonibus incubis, vel succubis &c. horribilissima, ex quibus omnibus nefandissimis sceleribus ordinarie compacti sunt magi, & sagæ nostræ in confessione, si casus ferat, de omnibus diligentissime examinandi. Quando ergo contingit pœnitentem in confessione se accusare de aliqua superstitione, divinatione, magia, incantatione, maleficio facto &c. quatuor a confessario examinanda sunt.

47 *Primo*, an id factum fuerit cum expressa invocatione, pacto, vel commercio Dæmonis, id enim gravissimam hujus peccati malitiam continet, ut dictum est. *Secundo*. An accesserint reliquæ malitiæ modo enumeratæ, aut aliqua ex illis: ut formalis apostasia, idololatria, seu adoratio dæmonis. *Tertio*. Si fateatur, se Deum, veram Fidem abnegasse, dæmonem pro Deo adorasse, ei se devovisse, accurate discendum erit, an ita fecerit sola voluntatis mala affectione, an etiam assensu intellectus. Quod si etiam intellectu simul, & voluntate Deum, veram Fidem, Sacramenta, aliosve Articulos Fidei abnegavit, sicque dæmonem pro Deo habuit, adoravit, erit formalis hæreticus, vel hæretica, comprehensus, vel comprehensa, sub excommunicatione Bullæ Cœnæ, ideoque absolvi non poterunt, nisi ab habente potestatem absolvendi ab hæresi: si vero non intellectu, & assensu interno, sed sola malitiosa voluntate, & exterius tantum Deum negarunt, adoraverunt dæmonem &c. prout communius fit, saltem inter Catholicos, non erunt formales hæretici, vel apostatæ, nec consequenter in excommunicatione Bullæ Cœnæ, sed tantum in excommunicatione Joan. XXII. non reservata, & in casu reservato communiter Ordinariis. Ut *sup. sect.* 1. §. 2. etiam innui.

Quarto. Denique si fateantur maleficia a se aliis ope dæmonis illata, examinandi erunt, an, quale, quantum damnum aliis intulerint; tunc enim cogendi sunt in primis ad ablationem maleficii, si absque novo maleficio possint. Deinde ad omnia damna temporalia resarcienda omni modo possibili, juxta regulas generales restitutionis ex damno dato. Omnia certa apud omnes. Si placet, lege latius DD. præsertim Sanch. Delr. & alios.

TERTIA.

OMnis superstitio, divinatio, magia cum pacto implicito tantum cum dæmone, seu cum implicita, & tantum tacita invocatione dæmonis ex genere suo peccatum mortale est: quippe, & ipsa repugnans virtuti Religionis, & cultus Deo debiti, contra primum Præceptum Decalogi. *Omnes*. Neque unquam potest excusari ex parvitate materiæ proprie loquendo, juxta communem DD. cum Sanch. *l.*2. *mor.cap.*44. *n.*13. Quia licet implicite, vere tamen cedit in injuriam Dei, cultumque dæmonis, eo ipso quo quis scienter utendo signis, vel mediis vanis, inutilibus, impertinentibus ad aliquam notitiam, vel effectum consequendum implicite dæmonem invocat, ut supra solide ostensum est: atqui in injuria Dei, & cultu dæmonis nulla potest dari parvitas materiæ: ergo. 1. Excusatur tamen hoc peccatum, & veniale redditur frequentissime ex ignorantia, seu errore etiam culpabili, levi, non tamen crassa, vel affectata: malitia enim ejusmodi superstitionem in divinationibus, vanis observationibus, & magiis, licet revera in se gravis sit, non tamen semper omnibus manifesta est in casibus particularibus, ut patuit per hactenus dicta; ideoq; facile subesse potest ignorantia, vel defectus inquisitionis debitæ, culpabilis quidem, non tamen mortalis culpæ arguendus. Experiuntur Confessarii, quantæ sæpe molis sit persuadere hominibus hoc, vel illud medium esse superstitiosum, vel magicum. 2. Excusat etiam levitas actus, ut si quis utatur ejusmodi signis solum ex levitate, risus, vel joci causa, prout facere solent in certis noctibus &c. Quia tunc non est superstitio, cum nulla fides adhibeatur, nec effectus expectetur, ut supponitur: ideoque diabolus nullo modo, nec tacite quidem, invocatur, sed potius eluditur, & est mera animi levitas. 3. Excusat etiam curiositas in re levi, ut si quis utatur signo, vel medio superstitioso habito ex sola curiositate experiendi causa, v. g. semel, vel iterum faciendo annulum moveri super filum, aut allidi ad latera vasis: atque in hoc dicto, & exemplo consentiunt DD. communiter. Differunt tamen in modo loquendi. Valentia enim vult, hæc, & similia esse venialia ex ipsa parvitate materiæ, quod ex solo tacito, tam parvo commercio cum dæmone non immineat notabile salutis damnum ita operanti. Sanch. proxime *cit.* etiam concedit esse veniale, sed non ex sola parvitate materiæ (quod rejicit nobiscum) sed ex eo, quod actus non fiat serio cum certa expectatione effectus, sed solum experiendi causa: ideoque non esse superstitionem, cum dæmon sic non invocetur, sed potius illudatur; & esse animi levitatem, ut supra in priori casu. 4. Excusat etiam sola cautela ad semel, vel iterum, ut si absque certa fide adhibita ex sola vana formidine in agendis, vel cavendis observes ejusmodi vana signa, vel nomina &c. cum non videatur gravis deordinatio aliquid operari, vel cavere ob metum vanum, maxime semel, vel iterum tantum, uti cum aliis notat Layman *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 3. *n.* 10. prout in superioribus sparsim, præsertim de divinatione ex astris, auguriis, & somniis notatum, & summarie congessi in materia de peccatis, cum de parvitate materiæ sub Regula 2. *Tract.* 1. *c.* 5. *sect.* 2. *num.* 22. 48

QUARTA.

QUidquid quis per superstitionem, divinationem, magiam acquirit, vel obtinet, aut per modum effectus de se non mali (de quo §. *præced.* in fine) aut per modum pretii ab aliis lucratus est, sciendo tamen, & recte utendo sua arte, & citra damnum tertii, licite retinet, nec tenetur deserere, vel restituere. *Communis apud cit. omnes*: Ex. gr. acquirit quis arte magica scientiam naturalem, & uti- 49

utilem, sanitatem corporis, utile matrimonium, divitias, vel pecunias veras citra damnum tertii &c. postea etiam pœnitens licite omnia retinet: nam arte bona, male licet acquisita, bene quis uti potest. Dico tamen: *pecunias veras*, *& citra damnum tertii*; solet enim diabolus suis præbere pecunias, vel falsas, & apparentes tantum, & illusorias, postea convertendas in carbones, stercora &c. quibus sine dubio uti non potest, nec licet; aut aliis subtractas, si veræ sint, quibus, si constaret, utique restituendæ forent, quod tamen rarissime constat, nisi cum ipsi magi arte magica furantur. Similiter divinator, vel magus operam suam locat alicui, pacta mercede, etsi peccet paciscendo, & opus superstitiosum exequendo, non peccat tamen retinendo mercedem datam, nec ullo Jure (quemadmodum & meretrices) restituere tenetur, etiamsi effectus non fuerit secutus, dummodo, ut supra dictum, artem sciverit, & diligentiam adhibuerit: quod si autem artem nescit, vel diligentiam non adhibuit, utique restituere tenebitur; quemadmodum Medicus, si artem suam callet, & diligentiam adhibet in curando, mercedem pactam licite recipit, & retinet, etiam effectu non secuto: secus si artem non calluit, vel diligentiam non adhibuit. Communis DD. cum Sanch. Laym. aliis *cit.* Intellige semper salvo jure tertii damnum passi.

§. Hactenus de superstitione, seu irreligiositate secundum excessum in objecto colendo, quo scilicet cultus Deo debitus tribuitur creaturæ: præsertim diabolo. Sequitur nunc superstitio, & irreligiositas secundum excessum in modo colendi, quo ipsi vero Deo quidam cultus, sed indebitus tribuitur. Sit ergo

CAPUT X.

De Irreligiositate secundum defectum contra I. Præceptum, ut affirmativum est.

IRreligiositas secundum defectum dicitur, qua aut cultus vero Deo debitus omittitur, aut ipsi Deo irreverentiam irrogamus contra primum præceptum, ut affirmativum est; *Dominum Deum tuum adorabis &c.* Contra quod quadruplicia peccata esse possunt. *Primum omissionis*, scilicet Deo debito tempore non exhibere debitum cultum; quomodo peccant Clerici omittentes Horas, & omnes fideles diebus Dominicis, & Festis omittentes alias res debitas; de quibus patet partim ex superioribus, partim patebit ex Tertio, & Quarto Præcepto. *Secundum cultus falsi*, cum quidem Deo vero exhibetur cultus, sed indebitus, superstitiosus, vanus. *Tertium* irreverentiæ ipsi Deo exhibitæ, ut tentatio Dei, blasphemia. Item perjuria, votifragia &c. *Quartum* irreverentiæ exhibitæ rebus sacris, & Deo dicatis nimirum sacrilegia. Nam sicut virtus Religionis duplices actus habet, quosdam primarios, quibus ipse Deus secundum se, & directe colitur, ut Oratio, Adoratio, Sacrificium, &c. Quosdam vero secundarios, quibus aliæ res sacræ, & Deo dicatæ ob ejus honorem coluntur, ut Sancti, Sacerdotes, sacræ Reliquiæ, sacra vasa, &c. ita irreligiositas secundum defectum duplicia peccata continet: aliqua, quibus ipse Deus secundum se inhonoratur, ut tentatio Dei, blasphemiæ: alia, quibus res sacræ inhonorantur, ut Sacrilegia: & inter hæc late patens Simonia. De his ordine.

SECTIO I.

Cultus Divinus indebitus.

SUMMARIUM.

1 *Cultus Divinus indebitus est duplex*, *alius* falsus, *alius* superfluus.
2 *Omnis cultus falsus per se semper est peccatum mortale.*
3 *Superfluus vero per se veniale tantum.*
4 *Fit tamen quandoque mortale per accidens.*
5 *Cultus Dei inordinatus.*

1 CUltus Divinus indebitus secundum D. Thom. 2. 2. *qu.* 93. *a.*1. & DD. communiter duplex est, *falsus*, & *superfluus*. Cultus falsus dicitur, quo colitur Deus per aliquod falsum significans. Isque rursus duplex: *unus est cultus falsus ex parte objecti significati*, qui varie potest contingere. 1. Si Deus etiamnum coleretur antiquæ Legis sacrificiis, cæremoniis, ut immolatione, & esu agni paschalis, circumcisione, &c. his enim omnibus olim ex divina institutione significabatur adventus, ac Passio Christi, ac gratia per ipsum conferenda, quæ postquam jam facta sunt, illa omnia de facto falsum significant, adeoque sunt cultus falsus. 2. Quando in Sacramentorum administratione, & usu hæreticæ falsitates permiscentur, ut fit maxime apud Calvinistas in Sacramentis Baptismi, & Cœnæ. 3. Quicumque falsa miracula, signa, revelationes proponunt; iisque res Fidei confirmare volunt; qui falsas Reliquias venerandas exhibent, quæ cum omnia divinæ Potentiæ protestativa sint, ad cultum Dei pertinent; cumque falsa sint, cultum Dei falsum constituunt, & quidem falsitate admodum perniciosa. Inde etiam fit, ut veris etiam miraculis, revelationibus, Reliquiis fides minor, vel nulla adhibeatur. 4. Qui falsas cæremonias, quasi sibi a Deo dictatas (somniatas, si non a dæmone suggestas) ad Deum colendum exhibent, aliisque ad utendum proponunt. Lege horrenda apud S. Bonavent. *Opusculo de modo confitendi*, *& de puritate conscientiæ c.* 14. *de fictionibus pseudo-spiritualium quorumdam*. Huc referendi sunt, qui inter Officia divina admiscent cantus turpes, & obscænos; hi enim præter peccatum scandali publici peccant mortaliter peccato superstitionis, seu cultus falsi: idque non tantum, quando per talia intendunt colere Deum cultu falso, immo falsissimo, sed etiamsi per hæc non intendant colere Deum, sed alium finem inhonestum, cultu falso adhuc, quia Officio Divino saltem admiscetur id, quo non colitur Deus, sed offenditur, & potius tolitur dæmon, ut singulariter notat Tambur. *cit. l.* 2. *c.* §. 2. Alius *cultus falsus ex parte cultus tantum*, ut si quis Deum colat tamquam publicus Ecclesiæ Minister ab ea institutus, cum tamen talis non sit, nec talem commissionem habeat: sicut enim falsarius censetur, qui aliqua exercet nomine alterius; a quo tamen commissionem non habet, ita falsitatis crimen incurrit, qui nomine Ecclesiæ cultum Deo exhibet absque ejus, vel contra ejus commissionem, voluntatem, vel formam constitutam. Hujusmodi falso cultu peccant. 1. Qui non Sacerdotes Sacrificium offerre præsumunt: ut olim Saul Reg. 13. modo autem est Sacrilegium gravissimum ratione Sacramenti annullati, sicut & absolutionis. 2. Cum Sacerdos excommunicatus, & ab Ecclesia præcisus nomine Ecclesiæ sacrificat, vel alia Sacramenta ministrat, quæ illi prohibita sunt. 3. Cum quilibet Sacerdos etiam non prohibitus in Sacrificiis, aliisque publicis officiis agit, vel orat aliquid contra voluntatem, ac ordinationem Ecclesiæ in re gravi: v. gr. immutando rationem Officii, publice orando pro excommunicatis non toleratis. Vide Suar. *cit. c.*2. *n.*11. *&* 12. Cultus *superfluus est*, quo Deus colitur, vel honoratur per aliquid superfluum, vel inane, aut inutile: similiter duplex est; *Unus*, quo Deus colitur eo modo, vel cæremonia, quæ de se prorsus inanis est, neque ad ipsius Dei gloriam, neque ad spiritus devotionem excitandam quidquam inservit, ut non nere die Sabbathi in honorem B. Virginis, cum tamen alias serviliter laborent, orare ante solis ortum, audire Missam a Sacerdote, qui vocetur Joannes, &c. Huc refer dicta *Sect. præced.* de vana observatione precum, candelarum, & similium cæremoniarum. *Alius* est cultus superfluus ex eo, quod fit contra, vel præter ordinationem Ecclesiæ: utpote in Officio, vel Sacrificio dicere plura *alleluja*, facere plures cruces quam præscriptæ sint, dicere *Credo*, cum omittendum esset: Altare osculando semper præsignare cruce: osculari pedem calicis, cum post Elevationem demittitur; addere superfluas Orationes in Missa, vel Officio, & similia sexcenta, quæ superflua, & inordinata devotio excogitat, & adinvenit contra, vel præter præscriptum, & consuetudinem Ecclesiæ, & piorum. Et licet ejusmodi secundum se spectata, non inania, sed idonea essent ad Dei gloriam, & spiritus devotionem; posito tamen Ecclesiæ contrario decreto, vel usu, inutilia sunt, superflua, & peccato obnoxia, ut notant Cajetan. Laym. Marchant. &c. circa utrumvis hunc cultum quoad rationem peccati pono breves has

Resolutiones.

PRima. Omnis cultus falsus (quem D. Th. *cit.* etiam perniciosum vocat) sive ex parte ipsius cultus, sive ex parte 2
colentis, de se est peccatum mortale semper: quia falsitas in re Religionis est res gravissima, perniciosa, immo sæpe sacrilega, ut in explicatione patuit. Communissima DD. cum D. August. *lib. de mendacio*. D. Th. *cit.* aliisque congestis Sanch. *lib.*2. *moral. c.*27. *n.* 5. Nisi ignorantia, & aliquando etiam parvitas materiæ excuset, aut veniale reddat.

Secunda. Cultus omnis superfluus (secluso tamen scanda- 3
lo, contemptu, transgressione notabili præcepti Ecclesiæ, aliave notabili deformitate) per se est tantum peccatum veniale; quia non est ibi gravis deformitas contra honorem, & cultum Dei, eaque si qua est, bona intentione, vel simplicitate ita colentis minuitur: adeoque nec habet rationem veræ superstitionis. Communissima DD. cum Navar. *c.* 1. *n.*24. Less. *lib.*2. *c.*35. *dub.*1. Suar. Sanch. Laym. *cit. alii passim*.

Tertia. Fiet autem talis cultus superfluus peccatum morta- 4
le. 1. Ratione scandali, inde oriundi, sicut in omnibus aliis peccatis. 2. Ratione contemptus Ecclesiasticæ ordinationis & disciplinæ. 3. Ratione notabilis transgressionis Præcepti Ecclesiastici; posset enim esse tanta perversio in cæremoniis, aut ordine Breviarii, ut esset culpa lethalis: cum omnis notabilis alteratio cultus Divini ab Ecclesia instituti sine dubio peccatum sit mortale; uti docent, ac monent DD. *cit.* aliique. 4. Ratione notabilis deformitatis, vel turpitudinis ipsius rei; ut si res furtiva Deo offeratur; si in Ecclesia inter Divina Officia admisceantur cantus profani, & turpes, aut vocum mutilationes, organorum, vel instrumentorum soni notabiliter lascivi, & ad impuritatem provocantes, certe minime posse excusari a mortali, recte monent DD. *cit.* vide Concil. Trid. *Sess.*22. *in Decreto de observand. & vitand. in Celebrat. Missæ*. Et D. Hieron. *lib.* 3. *comment. in*

c. 5.

cap. 5. *Ephes.* Utrumque hunc cultum falsum, & superfluum pulchre deducit Cajetan. *verb. superstitio cap.*1. ex verbis Christi Joan.4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate:* Cultus falsus est contra veritatem, cultus superfluus recedit a spiritu.

5 *Quarta*. Cultui superfluo a nostro Marchant. & aliis non male additur *cultus inordinatus*, sic dictus quod, etsi sit verus Dei cultus ab Ecclesia publica auctoritate institutus, & approbatus, ordinatur tamen ad finem, ad quem nec ex se, nec ex institutione divina ordinatus est: v. g. legere, vel curare legi Sacrum de B. V. singulis Sabbatis eo fine, & spe, ut B. Virgo ipsis ante mortem appareat, & alia hujusmodi innumera, quæ quidem venialem culpam non excedunt, dummodo absit superstitio vanæ observationis, nec in iis certa, & indubitata fides ponatur, juxta dicta *cap. præced. sect.*1.

SECTIO II.

Tentatio Dei.

SUMMARIUM.

6 *Tentatio Dei generatim, & proprie quid.*
7 *Alia est formalis, & expressa: alia interpretativa solum.*
8 *Formalis, & proprie dicta semper est peccatum mortale.*
9 *Interpretativa vero ex genere suo quidem etiam est peccatum mortale.*
10 *A quo tamen sæpe excusatur.*

6 TEntatio alia dicitur seductionis, seu inducens ad errorem, vel peccatum; qualis & activa, & passiva repugnant Deo: activa enim repugnat ejus infinitæ Bonitati, juxta illud Jac.1. *Ipse autem neminem tentat:* passiva vero repugnat ejus Sapientiæ, quæ seduci nequit. Alia dicitur tentatio probationis, seu experimenti capiendi de aliquo in altero latente, & talis activa convenit Deo, eique tribuitur in Scriptura Sacra, Deut. 13. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non &c.* Sic olim dicitur Deus tentasse Abraham, Tobiam, Job, &c. & suos Electos maxime. At vero passive, ita tentari Deum a creatura, peccatum est contra virtutem Religionis, ac Reverentiæ Deo debitæ, & prohibita in Scriptura, Exod. 17. *Tentaverunt Dominum, dicentes: est ne Deus in nobis, an non?* Duplex autem est tentatio Dei, una proprie dicta, eaque vel formalis, vel interpretativa, alia improprie dicta. Explico breviter, & addo resolutiones practicas.

I. Tentatio proprie dicta definitur irreligiositas quædam, per quam ex dubitatione de aliquo attributo Divino, vel perfectione Dei, verbis, aut factis petitur experimentum, an Deus illam perfectionem habeat, vel exerceat: v. gr. An Deus sit summe Bonus, omnipotens, Omniscius, ubique præsens; ideoque multiplicem malitiam involvit, & dubitationis contra Fidem, & præsumptionis contra Spem per excessum, & principaliter irreligiositatis, & irreverentiæ contra virtutem Religionis, seu contra honorem, ac cultum Deo debitum, ut bene docet ab omnibus receptus S. Thom. 2.2. *quæst.*97. *art.*3. sicut enim ad Religionis Virtutem spectat ex Fide, & Spe in Deum concepta, debitum ei cultum, & reverentiam exhibere divinæ Excellentiæ per adorationes, &c. ita e contra ad irreligiositatis vitium pertinet ex defectu Fidei, vel Spei, irreverenter explorare aliquam divinam ejus Excellentiam, & Perfectionem.

7 II. Tentatio hæc Dei alia est formalis, & expressa, qua quis re ipsa dubitando, vel diffidendo de Divina aliqua perfectione ex proposito, & expressa intentione, tentaret Deum, aliquid ab eo petendo, vel agendo, animo illam perfectionem experiendi. Exod. 17. *Tentaverunt Dominum, dicentes: est ne Deus in nobis, an non?* Psal.77. *Tentaverunt Deum in cordibus suis &c. Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Sicque tentaret Deum, qui se projiceret in puteum, animo experiendi, an Deus sit ita potens, vel bonus, ut eum velit, vel possit eripere. Rarior est hæc Dei tentatio.

III. Alia est tentatio Dei interpretativa, cum quis, etsi actu non dubitet de perfectione divina, neque expresse intendat de Deo experimentum sumere, re ipsa tamen id agit, vel petit, quod suapte natura refertur ad tentandum Deum, seu divinam perfectionem experiendam. Quod duobus modis fieri potest. Uno modo, cum prætermissis mediis ordinariis a Deo, & natura ordinatis, effectus a solo Deo expectatur, utpote, qui in morbo periculoso, vel lethali, respuit medicinam commode parabilem, a solo Deo miraculose salutem sperans, magna sane præsumptione, & tentatione Dei. Navar. Suar. Less. Sanch. alii. Qui absque prævio studio, nec justa causa coactus prædicare præsumit, confidens temere, Deum, seu Spiritum Sanctum inspiraturum; Navar. *cap.*11. *nu.*80. vult hoc esse mortale. Sanch. autem *citat. lib.*2. *cap.* 34. *num.*16. cum aliis recte censet, si non fiat animo tentandi, & cessante scandalo, aliove detrimento proximi, esse veniale tantum: & ita de similibus. Huc referuntur irreverenter orantes, tamen sperantes a Deo impetrare, quæ communiter orari, & impetrari solent. Juxta illud: *ante orationem, præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Tales enim censentur experiri velle Divinam Potentiam, & Bonitatem, an etiam male, & irreverenter oranti Deus subvenire possit, & velit; quod tamen communiter ob levitatem materiæ, solum veniale esse censent DD.

IV. Alio modo fit tentatio interpretativa Dei, cum quis se sponte periculo exponit, a quo liberari non possit, nisi a solo Deo: quomodo Deum tentant, & gravissime peccant, qui se temere, absque justa causa necessitatis, vel utilitatis ad Martyrium offerunt. Justa causa necessitatis est, quando professio Fidei est necessaria ad tuendam ipsam Fidem, Religionem, salutem aliorum, avertendas blasphemias, juxta dicta professionis Fidei, & dum Maryrium in præcepto est. Justa causa utilitatis est Dei Gloria, Fidei exaltatio, promulgatio, ædificatio proximi, & dum Martyrium est in consilio: extra casum talis necessitatis, vel utilitatis se Martyrio exponere, peccatum mortale est, non tam tentationis Dei contra Religionem, sed etiam scandali contra Charitatem, cum sic absque justa causa provocentur infideles ad peccandum mortaliter. Unde S. Thom. 2.2. *qu.*24. *art.*1. & 3. sapienter ait, non præbendam esse infidelibus occasionem injuste agendi, sed patienter sustinendum, ipsis injuste agentibus. Exempla Sanctorum in contrarium extraordinario fervori, & instinctui DEI adscribenda sunt. Navar. *cap.*11. *num.*40. aliisque *cit.* Sanch. *c.*24. *n.*25. Huc denique spectant omnes probationes innocentiæ cum miraculo, per ferrum candens, aquam ebullientem, duellum: item, per applicationem ad corpus occisum, si sanguinem emittat, necne, pro occisore indagando, quæ omnia prohibentur in Jure Canonico *cap. consuluisti, cap.*2. *qu.*4. Et *c. ex duarum de purg. canonica.* Et *c. finali de purg. vulgari.* Quia nimirum sic vere tentatur Deus absque necessitate, cum ad bonum commune tuendum, satis sit uti mediis humanis a jure constitutis ex quibus innocentia, vel delictum, probari possit. Vide Delr. *lib.*4. *disquis. mag. cap.*4. *qu.*4. Ubi bene ostendit, quod Deus quidem interdum per ejusmodi purgationes, innocentiam aliquorum miraculo ostenderit, sed factum ob simplicitatem innocentium, & quia ad tales purgationes compellebantur. Quod autem ipse Deus *num.*5. fœminam de adulterio suspectam, aquis purgandam jusserit, Dei lex fuit, non tentatio, sed lex cæremonialis vetus modo abolita.

Alia denique est tentatio Dei improprie dicta tantum, cum quis seclusa omni dubietate, vel diffidentia de aliqua perfectione Dei, ex sola præsumptione, vel nimia confidentia absque causa necessitatis, vel utilitatis, a Deo petit, voluntatis divinæ, aut alterius rei miraculosam manifestationem: differt maxime a tentatione Dei proprie dicta, quod hæc aut actu dubitet, aut saltem sine justa causa experimentum capere tentet de aliqua perfectione divina: numquam autem licet dubitare de aliqua perfectione Dei; alioquin vel illam explorare semper est iniqua tentatio Dei: hæc autem improprie dicta solum intendit explorare Voluntatem Dei, vel alterius rei, petendo per miraculum aliquod signum, de his autem sæpe dubitare contingit; ideoque non est semper vera tentatio Dei peccaminosa, ut mox dicam inferius. Ad dignoscenda ergo peccata ejusmodi tentationum Dei, iterum pono quatuor breviculas

Resolutiones.

PRima. Tentatio Dei proprie dicta, & formalis, semper est peccatum mortale, & quidem unum ex gravissimis contra Deum, nulla parvitate materiæ veniale, vel excusabile: Quia directe, & ex intentione dubitando, & tentando, lædit perfectionem aliquam Dei infinitam, in quo nihil parvi fingi potest, quin etiam, si dubium esset positivum, & pertinax, quo incertam, & dubiam judices aliquam perfectionem divinam, nisi experimento cognoveris, alias non paratus corrigi, eris hæreticus formalis, & id exterius manifestans, etiam excommunicationi Cœnæ obnoxius, secundum omnes. 8

Secunda. Tentatio Dei interpretativa tantum (atque etiam improprie dicta, qua citra casum necessitatis, vel utilitatis petitur signum a Deo manifestativum Divinæ Voluntatis, vel alterius rei) ex genere suo quidem peccatum mortale est, quia absque necessitate ulla, aut utilitate gravi miraculum, vel signum extraordinarium petere a Deo, est agere cum Deo, tamquam ludione, vel curiositatum fautore; prout quondam egit Herodes cum Christo, sperans ab eo signum videre, quæ gravis est irreverentia, & injuria contra divinam Sapientiam, & Majestatem. *Omnes*. Quare tentatio Dei, & peccatum grave esset petere a Deo miraculum, ad Fidem hæreticis confirmandam; quia non est causa necessitatis, cum non desint alia signa, & argumenta veritatis cognoscendæ, neque utilitatis, cum miracula passim excludant. Similiter sic tentaret Deum, qui coram gentibus peteret miraculum, si eorum conversio probabiliter non speretur, quia deficeret causa justæ utilitatis. Ut notat Tolet. *lib.*4. *cap.* 19. Qua ratione ipse Christus negavit signum petentibus Judæis, dæmoni in deserto, tentanti Herodi, &c. 9

Tertia. Eadem tamen interpretativa, vel improprie dicta tentatio Dei, sæpe excusatur a mortali, & fit venialis, non tantum ex imperfectione actus, in deliberatione, simplicitate, ignorantia, sed etiam ex levitate materiæ: ut si 10

quis in levi morbo respuat medicinam, confidens a Deo sanitatem consequi generali providentia, nullo petito miraculo. Tolet. *cit. nu.7.* Sanch. Less. *supr.* Laym. *cit. c.5. in fine.*

Quarta. Insuper ex speciali instinctu Divino, aut ex justa causa necessitatis, vel utilitatis gravis ad nostram, vel aliorum salutem, atque ad ipsam Voluntatem Dei implendam, a Deo signum, vel miraculum petere nullo modo erit peccatum tentationis Dei, sed actus Spei, & fiduciæ in Deum. Ita *Glossa in cap.6. Deuter.* D. Thom. *qu.97. art.1. & 2.* alii communiter. Vide circa hæc dicta supra *cap.4. Sect.4. de Spe Theologica, cum de præsumptione.*

SECTIO III.

Blasphemia.

SUMMARIUM.

11 *Blasphemia*, convicium, seu verbum contumeliosum adversus Deum, *tripliciter fieri potest.*
12 *Blasphemia alia est formalis, directa, & indirecta* ex parte voluntatis.
13 *Alia materialis tantum, & externa.*
14 *Blasphemiæ indirectæ contra Deum*
15 *Sunt maledicta in Sanctos,*
16 *In Sacramenta, & res Deo Sacras,*
17 *Ac etiam homines, aliasque res, ut Dei creaturas.*
18 *Maledicta in Sanctos, & res Deo Sacras, semper sunt blasphemiæ, non item maledicta in homines, vel alias creaturas.*
19 *Referuntur formulæ blasphemandi Germanis propriæ* contra Deum, & adjuncta.
20 *Per Sacramenta,* & adjuncta.
21 *Non tantum blasphemia quæcumque directa,*
22 *Sed etiam indirecta serio, & advertenter prolata, est peccatum mortale,*
23 *Quamvis blasphemiæ omnes sint ejusdem speciei in ratione blasphemiæ, sæpe tamen quoad circumstantias, & modum explicari debent in Confessionali.*
24 *Qualiter circa blasphemias examinandi sint pœnitentes a Confessario.*
25 *Maledicta, convicia, imprecationes in homines, jumenta, & alias creaturas, rationales, vel irrationales, quando, & qualia peccata.*

11 Blasphemia definitur *convicium, seu verbum contumeliosum adversus Deum.* Sicut enim laus Dei consistit in hoc quod dicatur aliquid ad honorandum, & glorificandum Deum; ita laudi Dei opposita, blasphemia consistit in hoc, quod dicatur aliquid in contumeliam, & inhonorationem Dei. Accuratius ex D. Thom. 2.2. *qu.13. art.1.* definiunt Valent. Sanch. alii: Blasphemia est peccatum, quo divinæ Bonitatis excellentiæ detrahitur, dicendo aliquid falsum Deo inesse, quod non inest, vel negando inesse, quod inest. Aut denique dic breviter: *blasphemia est falsa locutio de Deo, per modum convicii.* Essentia ergo, & malitia gravissima blasphemiæ consistit in hoc quod aliquid falso dicatur de Deo in ejus contumeliam, seu diminutionem Divinæ ejus Majestatis, Excellentiæ, & Bonitatis: nihil enim verum, ut verum potest dici de Deo, in ejus contumeliam. Et generaliter potest fieri tribus modis.

I. Per verba indicativi modi, aut falso aliquid tribuendo Deo: v. g. Deus est injustus, mendax, deceptor, &c. aut negando aliquam perfectionem Dei; v. gr. nulla est apud Deum Providentia, Misericordia, Justitia, vel etiam conditionate, ut DEUS non est justus, nisi hoc fiat, &c. Quia tunc derogatur Justitiæ divinæ, quasi pendenti ab aliquo contingente, aut denique aliquid Deo proprium, tribuendo creaturæ: v. gr. dicendo Cæsarem esse omnipotentem: hanc creaturam esse suum summum bonum. Ubi observa incidenter, omnem superstitionem, idololatriam, magiam, quatenus excellentiam aliquam, Deo propriam, ut Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, creaturæ, vel diabolo tribuit simul esse peccatum blasphemiæ.

II. Per verba imperativi, & optativi modi, seu per modum imprecandi: v. g. maledictus Deus, dispereat Deus, ad despectum Dei, tædeat, pudeat, pœniteat, Deum talia fieri, &c. Quo spectat ille impiissimus modus loquendi: velit, nolit Deus, hoc faciam, hoc fiet: Quia hæc verba important diminutionem divinæ Potentiæ, quasi Deus non possit impedire, quin hoc, vel illud facias, vel fiat.

III. Per verba facta absque affirmatione, vel negatione, vel imprecatione: utpote, cum per despectum, ac indignationem probrose nominantur, aut attributa Divina, ut, vah! Dei Potentiam! proh Dei Bonitas, Sapientia! Juxta illud: *vah! qui destruis templum Dei.* Aut Sacramenta, Sanguinem, Vulnera, Membra Christi: modus communissimus Germanis, de quo specialius infra. Aut creaturæ cum nomine Dei: *Gotts Chrysam Sacrament.* Aut denique horrendissime: (membra pudenda Christi, B. Virginis, immo ipsius Dei) aut alia horrenda ipsis repugnantia. Mos diabolicus Gallis, & Italis communis. Quo etiam spectat blasphema illa vox Juliani Apostatæ: *vicisti Galilæe, vicisti.* Item illa tyranni Japonensis sæpius dicentis: *O si haberem Deum Christianorum, his sævius tractarem eum.* Jam quoad rem ipsam, & malitiam. Hæc quidem quoad modum proferendi blasphemiam. In primis, blasphemia alia est formalis, quæ fit cum directa, vel saltem indirecta aliqua intentione inhonorandi Deum: alia materialis, quæ sine omni tali intentione, vel advertentia Dei inhonorandi, erumpit. Blasphemia formalis alia est directa, alia indirecta, idque dupliciter. 1. Ex parte voluntarii. 2. Ex parte objecti.

§. I. *Blasphemia formalis directa & indirecta ex parte voluntarii ac materialis tantum.*

Blasphemia formalis directa, seu interna, & externa simul, est, quæ fit cum directa intentione inhonorandi Deum, seu derogandi Divinæ Majestati. Eaque triplex: *simplex, & hæreticalis, & hæretica.* Blasphemia simplex est locutio contumeliosa de Deo, nullam tamen significans hæresim; & potest esse, vel enunciativa: v.g. in contemptu Dei volo hoc facere; vel despectiva, seu detestativa: ut pereat Deus, displiceat Deo, &c. ut supra. Vel irrisoria: *vah! qui destruis templum Dei,* &c. vel juratoria: ut pereat Deus, si non ita fit. Sed de hujusmodi blasphemiis, juramentis, *Tract.3.* in secundo Præcepto. Blasphemia hæreticalis dicitur verbum contumeliosum adversus Deum, hæresim significans, sed sine interno assensu erroneo contra Fidem, sed solum ex pravo voluntatis affectu: jam duplex, & quandoque triplex peccatum mortale, & blasphemiæ contra Religionem, & infidelitatis externæ, contra professionem Fidei, & alterius maligni affectus, ex quo profertur, v. gr. ex odio Dei, desperatione, aliave maligna affectione contra Charitatem Dei, vel Hominis. Hæreticalis autem blasphemia dicitur, quia ad similitudinem hæresis falsum Deum significat, & hominem ita blasphemantem, de hæresi suspectum reddit. Unde ubi Inquisitio viget, etiam taliter blasphemantes immediate absque prævia correctione denunciandi sunt Inquisitori, intra sex dies, a die notitiæ, ex Decreto Alexand. VII. *de suspectis de hæresi.* Blasphemia denique hæretica dicitur verbum contumeliosum adversus Deum, hæresim significans, & cum assensu interno erroneo; idque rursus ad minimum duplex peccatum mortale, & blasphemiæ, & infidelitatis internæ, ac externæ, seu hæresis formalis; immo & triplex, si accedat etiam aliquis malignus affectus erga Deum, vel hominem, juxta paulo ante dicta. Exemplum utriusque, si dicas: Deum esse injustum, non curare res nostras. O Deum injustum, insipientem! vellem sapientius hæc facere, quam Deus. Si solo malo affectu voluntatis in Deum proferantur, dicuntur blasphemiæ hæreticales; si vero etiam cum assensu erroneo interno, blasphemiæ hæreticæ. Hinc patet ejus differentia ab hæresi, & infidelitate, quod nimirum hæresis, vel infidelitas essentialiter consistat in assensu erroneo contra Fidem: blasphemia vero solum consistit in locutione mala contra Deum, ad quam etsi sæpe concurrat, non tamen necessario requiritur assensus erroneus contra fidem, sed potest stare cum vera fide: sicut etiam hominem per contemptum serio vocare possem furem, adulterum, &c. probe tamen sciens non ita esse. Uti optime explicat Val. *tom.3. disp.1. quæst.13. punct.2.* Et scite noster Alph. a Castro *lib.1.* de justa hæreticorum punitione, *cap.12.* dicens: *si quis dixerit aliquid, Divino honori contrarium credens ita esse, erit simul hæreticus, quatenus credit, & blasphemus, quatenus dicit: Si credit, & non dicit, erit hæreticus tantum: si vero dicit, & non credit: erit tantum blasphemus.* Sic ille. Non ergo omnis blasphemia contra Deum dicta, est hæresis, ac omnis hæresis contra Deum dicta, est blasphemia. Quin universaliter omnis enunciatio maligni erga Deum affectus, contra Virtutes Theologicas, Fidem, Spem, Charitatem: utpote, abnego Deo: despero de Deo: odi, detestor Deum, &c. formalis blasphemia est: Hoc enim actu derogatur divinæ perfectioni infinitæ, Veritati, & Fidelitati, & Bonitati, &c. 12

Blasphemia formalis indirecta dicitur, quæ fit cum indirecta solum, seu virtuali tantum intentione inhonorandi Deum: cum quis nimirum scienter, & serio loquitur verba, quæ ex propria significatione, modo proferendi, aliisque circumstantiis divinæ Majestatis contemptum, vel honoris divini diminutionem, significant, vel continent, etsi ea proferens id minime intendat, dummodo advertat, & tamen quocumque alio motu, serio proferat, eo ipso enim indirecte, & virtualiter inhonorationem Dei intendere convincitur: ideoque sic adhuc est vera formalis blasphemia, atque sic excluditur omnis sequens

§. II. *Blasphemia materialis tantum, & externa, &c.*

Dicitur, quia licet verba de se contumeliosa in Deum proferuntur, absque tamen omni directa, vel indirecta intentione, seu voluntate inhonorandi Deum; utpote 1. Si proferantur solum docendi gratia in scholis, in cathedra, &c. 2. Si proferantur solum recitative, seu referendo per modum historiæ, seu in comœdia. 3. Si proferantur omnino inadvertenter, & indeliberate, in ebrietate perfecta, in 13

amen-

amentia, somno, phrænesi, & tandem ex vehementissima passione, usum rationis perturbante, ex impetu naturali inveteratæ consuetudinis involuntariæ, & inculpabiliter remanentis. De qua expresse, & ex professo in materia de peccatis. 4. Universaliter si nullo modo advertatur ad injuriam, vel inhonorationem Dei; ut si quis ex ira, rixa, indignatione erga alterum, hominem, pecus, &c. enunciat verba maledicta, quæ tamen saltem non contineant falsitatem hæreticam: v. gr. Sacramenta, Vulnera, Crucem, Deum, &c. Si affectus indignationis nullo modo tendat in Deum, sed tantum contra hominem, vel jumentum, cui irascitur, non est proprie blasphemia, cum hic absit omnis motus malus erga Deum: est tamen peccatum irreligiositatis, & quasi sacrilegii, contra secundum Præceptum: *Non assumes nomen Domini Dei tui &c.* Sed de hoc specialius *inf. Resol. pract.* 4.

Blasphemiæ directæ, & indirectæ ex parte objecti.

14 BLasphemiæ, rursus, aliæ sunt directæ contra ipsum Deum, vel aliquid ipsius Dei, quales hactenus supposuimus: aliæ sunt blasphemiæ indirectæ tantum contra Deum, quatenus nimirum tendunt in aliquid Deo sacrum, vel ad Deum peculiariter relatum, adeo ut contumelia, vel injuria illis illata, peculiariter etiam redundet in ipsum Deum, utpote

15 I. Maledicta in Sanctos Dei, nam ut recte ait S. Thom. 2.2. *qu.* 13. *art.* 1. *ad* 2. *Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit, ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequente in Deum redundat*, adeo ut blasphemia in Deum, & Sanctos moraliter sint ejusdem speciei, quia eandem rationem malitiæ participant, videlicet divini honoris diminutionem. Quod tamen intelligendum de maledictis in Sanctos formaliter, quatenus Sancti sunt, adeoque cum habitudine ad Deum formali, vel virtuali, ut recte monet Sanch. *cit. nu.*27. Secus est si contumelia jactetur in Sanctos, non ut Sancti, sive beati sunt formaliter, sed ut quidam homines in terris fuerunt, quibus nunc excellentia Sanctitatis accidentalis est: v. gr. si quis dicat: Adamum, & Evam fuisse gulones, debuisse aliquid aliud comedisse: Petrum calvum, Crispinum, & Crispinianum sutores, Carolum Borromæum Nasonem, &c. Sic enim non est proprie blasphemia contra Religionem ad Deum, cum hic nullus subsit respectus ad Deum, sed est irreverentia contra virtutem Duliæ, & observantiam Sanctis debitam, eo magis, quo majorem a Deo excellentiam gratiæ, gloriæque consecuti sunt. Et quidem si ex odio, indignatione vel maligno affectu in aliquem Sanctum fiat, sine dubio erit mortale; si ex joco solum, vel levitate, veniale, recte censet cum *Sanch. cit. Laym. lib.* 4. *cap.* 6.

16 II. Maledicta in sacramenta, & res quascumque Deo sacras (Chrisma, Calices &c.) quatenus Deo sacræ sunt, quia sicut eorum cultus, & veneratio, ita & contumelia ipsis irrogata respective, est in Deum Auctorem Sacramentorum, omnisque Sanctitatis, redundans. *Omnes* cum Sanch. *cit. n.* 22. Eademque ratione dicendum est de contumelia illata imaginibus Dei, Christi, Crucifixi, & Sanctorum, verbo, signo, facto; res nota improbis.

17 III. Maledicta etiam in homines per quascumque creaturas, quatenus Dei creaturæ, vel aliquid Dei sunt, seu cum aliqua relatione ad Deum, ut apud Germanos videtur significari per additionem nominis DEI, *Gotts Element, Gotts Pestilenz*, aut per modum imprecationis: ut te elementa perdant, &c. Non enim creata sunt a Deo elementa, ut hominem perdant, sed ut homini serviant, in ordine ad ultimum finem: ideoque vera est blasphemia contra Deum, idque maxime verum est, quando ipsæ res sacræ ita proferuntur: *Das dich Gotts Sacrament Schendt*. Sed de his Germanorum blasphemandi formulis in gratiam Confessariorum, mox dabo aliquid speciale seorsim.

18 IV. Unde jam vides maledicta in Sanctos, & Res DEO sacras, semper esse blasphemias, non item maledicta in homines, vel alias creaturas, quia nimirum Sancti, & Res Deo sacræ semper referuntur, vel apprehenduntur referri ad Deum, ut Auctorem suum, &c. non item semper homines, vel aliæ creaturæ Dei, quare maledicta in homines, vel alias creaturas absolute, & absque relatione ad Deum, blasphemiæ non sunt, sed alia peccata esse possunt, v. g. qui maledicit parenti, impius erit contra virtutem pietatis, & reverentiam parentibus debitam, contra quartum Præceptum, at non blasphemus contra hoc primum Præceptum. Maledicta, vel imprecationes in homines, vel ejus res, non ad blasphemiæ, sed ad odii, vindictæ, iracundiæ peccata spectant. De quibus seorsim dabo appendicem.

§. III. *Formulæ blasphemandi communiores, Germanis propriæ, per Deum, & adjuncta.*

19 I. BEy Gott, beym Herr Gott (idemque) *beym Sacramentbeym Chrysam*: non est blasphemia, sed juramentum, prout expressius dicunt: *ist bey Gott Vvahr, ist baym Sacrament Vvahr*, attamen juramentum plerumque non necessarium, ideoque carens secunda conditione requisita ad juramentum licitum, scilicet *judicio*, & proinde peccatum ex se veniale, quamvis ratione scandali in homine religioso a mortali excusare merito nolint, ut notavit Gobat *cap.* 20. *num.* 734. Præsertim illud sæpius repetitum; *beym Sacrament*.

II. *Boz Herr Gott, boz Hundert Herr Gott*, illud *boz* ex se nihil significat, sed est tantum interjectio, & signum plerumque admirationis, ideoque *boz Herr Gott* dicere, non est blasphemia; est tamen venialis irreligiositas assumptionis Nominis Divini in vanum. At vero dicere *boz Hunderr Herr Gott*, certo est blasphemia eo sensu, quem verba grammaticaliter præseferunt, si quidem honori divino plurimum, & falso derogatur, si serio dicatur esse centum Domini Dei, aut cum solæcismo, centum Dominus Deus. At vero si proferantur, non attendendo ullatenus ad significationem illam grammaticalem, sed solum volendo tale signum admirationis, vel alterius passionis, rursus intercedere culpam venialem irreverentis nominationis Dei, censet Gobat *num.*737. Et constat, plerosque proferre hoc modo. Unde quidam, ut certius evitent periculum blasphemiæ, dicunt: *boz Hundert Herget*: mutando *o* in *e*. Igitur erit Confessarii quærere, quid cogitaverit pœnitens, dum ita loquebatur; & hortari, ut desistat saltem propter liberos, & hæreticos facile inde scandalizandos.

III. *Gotts Sacrament, Gotts Creuz, Gotts Vvuden, Hotts leyden, Gotts Marter, &c.* Hæc, & similia de se non sunt proprie blasphemiæ, sed irreligiositates contra reverentiam Divini Nominis, & contra secundum præceptum Decalogi; ideoque per se loquendo esse tantum veniale ita dicere, contra Suarez, & alios verius docent Cajetanus *verb. blasphemia*, aliis *cit.* Sanch. *cit. c.* 32. *nu.*33. Layman *lib.* 4. *tr.*4. *c.* 10. Quamvis hæc ob maximum periculum formaliter blasphemandi, vel ob scandalum, sæpe mortale fieri possint. Sane P. Busembaum Medull. *Theolog. hic c.* 1. §. 2. loquens de dicente; O Dei mors! Dei Vulnera, &c. ita concludit: *Propter periculum incidendi in blasphemias, & quia raro abest scandalum, & nihilominus apud audientes Deus, ejusque Sacra censentur inhonorari, raro excusarem*. Sic ille. Utique intelligens a mortali; nam de gravi veniali jam prius damnaverat post Cajetan., & alios.

IV. *Das dich Gotts Schend, Sacrament Schend; das dich Sacrament, Gotts Chrysam: Gotts Blut: Gotts Herr, Gott Schend, &c.* Blasphemia esset horribilissima, si talia proferrentur eo sensu (prout proferri censuit quidam apud Tanner. *t.* 3. *disp.* 5. *q.* 8. *dub.* 7.) imprecando scilicet, ut Deus, vel Sacramentum turpi, seu venereo modo corrumpat hunc, vel hanc, sed certe non est iste sensus communiter, teste eodem Tanner. Sed iste potius; Deus, Sacramenta, &c. te perdant, destruant, confundant, hoc enim vulgo significat germanicum illud *Schenden Zu Scanden machen*: eoque sensu respectu Dei, quidem non est blasphemia, cum nihil falsum Deo attribuatur, & Deo supremo Jure æque proprium sit perdere, & salvare, sed est solum imprecatio, & maledictio utique ex genere suo mortalis in hominem: respectu autem reliquorum, præter eandem malitiam mortalis imprecationis, mortalis est vera blasphemia indirecta: cum Dei Sacramenta, Sanguis, Passio, Chrisma, &c. non sint ordinata a Deo ad perdendum, sed ad salvandum hominem, ut merito Sanct. Gallenses apud Gobat. *num.* 741. censeant esse peccata mortalia satis gravia, quia graviter lædunt honorem divinum.

Per Sacramenta & adjuncta.

SOlemnis mos Germanorum est blasphemare Sacramenta, vel per Sacramenta, ut plurimis continua, quasi intercalaris vox sit, & quidem quandoque proferunt absolute, & solitarie, sed tunc per se loquendo non continet plus, quam irreverentem usurpationem sacri illius Nominis, juxta dicta supra *n.* 3. Longe autem frequentius pronunciant cum addita aliqua particula, vel ad initium, vel ad finem, præter jam audita: *beym Sacrament, Gotts Sacrament Schand*; adfero alia communiora. 20

I. *Hundert tausent Sacrament*, est omnino habenda pro vera blasphemia, propter hæreticam ex se, & cum vilipensione, & contemptu multiplicationem Sacramentorum. Ita Germani, Tanner. *cit. q.* 8. *dub.* 7. *nu.* 234. Layman *cit.* Gobat *citat.* Idque certissimum de illis patibulo, ligno, igne, & orco dignis ribaldis, qui consueverunt eructare tonnas, milliones, galeras Sacramentorum. De his lege Drexel Phaeton *cap.* 6. §. 5. Quorum linguæ proprie sunt vehicula Diaboli, prout indigitat D. Chrysostom. apud eundem *ibid. c.* 7. §. 2.

§. At quid de illa forma multis usitata: *Tauseunt, hundert tausent Safframent?* Ex se nihil mali continet, cum sit vox nihil significans, solita tamen usurpari a Germanis eo fine, ut ostendant, se serio loqui, præcipere, irasci, minari, & ob reverentiam Sacramenti non audentes integre pronunciare, ita corrumpunt vocem *Sacrament*. Neque aliquis inde scandalizatur, sed potius sæcularis habetur

tur pro conscientioso, qui sic loquitur, volens vitare blasphemiam; at Religiosus ita loquens merito pro irreligioso. Gobat *cit. num.* 745.

II. *Blut Sacrament:* Hæc ex se, vi verborum quidem nihil falsi, vel indecori significat; cum Sacramentum Eucharistiæ sit proprissime Sacramentum sanguinis, & omnia reliqua rectissime dicantur Sacramenta sanguinis: cum omnia suam vim, & energiam habeant ex Sacrosancto Christi Sanguine. Attamen certum est omnium piorum aures gravissime offendi eo dicterio, omniumque Germanorum sensu horrendum, & blasphemum quid significari, in gravem contemptum, vel despectum Sacramentorum, adeoque in ea connexione latere, aut blasphemiam proprie dictam, aut saltem sacrilegium, & Confessarium debere exquirere numerum ejusmodi caninorum, & stygiorum latratuum. In hac materia singularis Gobat *nu.* 736.

III. *Donner, Sacrament, Bliz, Strahl, Stern, Sacrament,* De hoc idem fere pronunciandum, quod de præcedenti ob eandem rationem, & specialiter ob aliquem contemptum, abominationem, vel execrationem Sacramentorum. Ultimum videtur importare vilipensam multiplicationem Sacramentorum, instar stellarum.

IV. *Du Sacraments, Huer du Sacramens, Schelm, du Sacraments, &c.* Hæ, & similes omnino censendæ sunt veræ blasphemiæ, ob nimis contemptibilem combinationem, & gravissimam irreverentiam Sacramentorum. Nec est verus Christianus, cui non moveatur bilis, & aures horreant ad ejusmodi voces, æternis suppliciis mulctandas: ideoque accensendum esse blasphemis, qui vel semel ita deliberate, & serio loquitur, merito censet Gobat *nu.* 742. Vide infra §. *seq. nu.* 4. Jam tandem quoad prædictas blasphemias omnes, ratione peccatorum sint sequentes.

S. IV. *Resolutiones practicæ.*

21 I. Blasphemia quæcumque directa, seu cum directa intentione inhonorandi Deum, semper est peccatum mortale gravissimum ineluctabiliter. *Omnes.* Legi enim Divinæ Naturali, ipsique rationi nihil magis repugnat quam Creatori maledici a creatura. Lege Divina positiva nihil severius prohibetur, quam blasphemia, ut Levit. 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur:* specialiter autem interdicta blasphemia repugnat primo Præcepto Decalogi, præcipienti Deo debitum cultum exhibendum, cujus e diametro oppositum facit blasphemia. Eminenter etiam prohibetur secundo Præcepto Decalogi: *Non assumes &c.* quo etiam communiter refertur: multo enim magis, & deterius nomen Domini in vanum assumit, qui ipsi Deo falsum injuriose attribuit, quam qui per Deum falso jurat, vel Deo promissum votum violat. Insuper in hoc horribili blasphemiæ directæ peccato excluditur non tantum omnis parvitas materiæ a mortali excusans: cum qualiscumque contumelia etiam minima, directa in Deum infinitæ Majestatis, revera sit gravissima, sed etiam omnis imperfectio actus: Quia supponitur facta ex directa, & perfecta, adeoque deliberata intentione inhonorandi Deum. Cæterum in ipsis verbis blasphemis contra Deum prolatis, posse excusare imperfectionem actus, indeliberationem, præcipitantiam, &c. jam supra concessum est, sed tunc eo ipso non erit blasphemia formalis, sed materialis tantum.

22 II. Blasphemia etiam indirecta serio, & advertenter prolata, sine dubio est peccatum mortale, etsi minus grave, quam prædicta directa ob ipsum minus perfectum, & indirectum tantum voluntarium. Juxta communem DD. cum S. Thom. & Sanch. *cit.* attamen omnino admittit imperfectionem actus a mortali excusantem: ut si fiat cum semiplena tantum advertentia, & deliberatione, ex subito vehementi impetu passionis, iracundiæ, terroris, consuetudinis inveteratæ, involuntarium reddente, & alia ejusmodi, quæ etiam blasphemiam materialem tantum efficere possunt, secundum communissimam DD. apud *cit.* Quamvis videatur negare noster Marchant. *Tribun. tom.* 2. *tract.* 2. *tit.* 4. *sect.* 1. *q.* 3. in appendice ob naturalem horrorem sceleris execrandi, tantum quidem, ut a Christiano Deum agnoscente, & mentis compote vix unquam possit dici blasphemia. Et sane teneretur creatura rationalis, saltem adeo attendere Creatori suo, & ultimo fini Deo, in omni sua actione, ut saltem horribile hoc scelus blasphemiæ percaveat. Verum ex his solum sequitur, raro admodum, & difficulter excusari a mortali, & multo rarius, quam in aliis peccatis, non vero, quod omnino nunquam: cum revera contingat in primis moribus iracundiæ, hominem sibi non esse præsentem, ita ut se semper ad regulas rectæ rationis reflectere possit tam cito, quin interim quandoque erumpat verbum blasphemiæ: in foro autem externo, non obstante allegatione cujusque motus, vel indeliberationis secundum leges puniri debet: quia ibi judicatur secundum externa. Unde ulterius sane fatendum est, omnem blasphemiam etiam joco prolatam deliberate, & advertenter ad inhonorationem Dei, ordinarie esse peccatum mortale; quia etiamsi joco prolata vergit in diminutionem Divini honoris, ut cum aliis docet Sanch. *lib.* 2. *c.* 32. *n.* 41. Dico tamen: *Ordinarie:* nisi nimirum, in raro casu, talis esset jocus, ut omnibus expensis, nulla appareret diminutio Divini honoris: tunc enim blasphemia vera non est: quippe cui deest essentia blasphemiæ, & de simili raro casu intelligendus Valent. *tom.* 3. *disp.* 1. *qu.* 13. cum aliis docens, Blasphemiam joco prolatam non esse blasphemiam, nec consequenter peccatum mortale.

III. Quamquam (sicut supra de superstitionibus, & magiis) 23
probabile sit, omnes blasphemias in ratione blasphemiæ esse ejusdem speciei infimæ, ob eandem semper malitiam formalem inhonorandi Deum; ideoque in confessione non esse necessario explicanda maledicta in specie, sed sufficere, si dicas: *Blasphemavi graviter toties.* Attamen in primis certum est, debere explicari circumstantias speciem mutantes: ut, si blasphemia fuit hæretica, procedens ex actuali assensu erroneo contra Fidem, aut si procedit ex actuali odio Dei, ex desperatione, ex gravi odio proximi, &c. tunc enim semper est duplex species, & quandoque triplex peccatum, ut jam supra indicatum fuit. Deinde etiam longe probabilius, & tutius est, intra genus blasphemiæ, etiam explicandum esse modum blasphemandi: utpote si blasphemia facta sit cum directa intentione inhonorandi Deum, vel indirecta tantum; si facta directe in ipsum Deum, vel indirecte tantum per Sacramenta, Sanctos, creaturas, &c. Hi enim modi maxime differunt in gravitate injuriæ, contumeliæ, & despectionis erga Deum, ut ex se patet. Addit Sanch. *cit.* etiam explicandum in blasphemiis indirectis, an blasphemaverit in B. Virginem, vel in alium Sanctum, quia illud verissima æstimatione longe gravior censetur injuria Dei, quam hoc.

IV. In praxi ergo, quando pœnitens absolute dicit; se 24
blasphemasse, Confessarius in examinando, sic procedet: 1. Querat quomodo, vel quibuscum blasphemaverit; nam homines plebeji solent confundere verba germanica: *Schelten, Fluchen, Scrurbbren:* Primum blasphemare, secundum imprecari, seu maledicere, tertium jurare proprie significat. Auditis verbis blasphemiam significantibus, 2. Quærat, qua intentione sic blasphemaverit, an vere intenderit ipsum Deum inhonorare, vel ex maligno affectu in Deum ita protulerit. Si ita fatetur (quod certe raro apud plebejos, & rusticos.) 3. Examinandus erit, qua ratione motus fuerit erga Deum, an ex odio, desperatione, an cum, vel sine assensu erroneo contra Fidem, juxta supra dicta. Et si fateatur blasphemiam hæreticam cum assensu erroneo, & pertinaci contra Fidem, scias esse hæreticum formalem, excommunicationi Bullæ Cœnæ obnoxium, ideoque remittendum ad habentem facultatem absolvendi, si ipse non habeas, sed hæc, ut dixi, rara sunt. 4. Si neget, se intendisse Deum inhonorare, adhuc quærendus erit, an saltem adverterit ejusmodi verba a se prolata, revera esse inhonorativa Dei, cedere in despectum, vel injuriam Dei, &c. & tamen sic scienter protulisse: si sic, adhuc censendus est peccasse mortaliter. Tandem si dicat, se nec intendisse, nec advertisse inhonorationem Dei, neque affectum indignationis suæ ullo modo erga Deum extendisse, sed solum erga hominem, vel jumentum, nihilominus attendendum erit ad verba, quibus homo usus fuit; si enim verba talia, vel tali modo prolata sunt, ut enormem contumeliam Dei, aut Sacramentorum exprimant: v. gr. atroces maledictiones in ipsum Deum: *Ganz Tonnen, Galleenvolt, Bliz, Blut, Strahl, Sacrament,* raro excusari poterit a mortali, certe severe, & acriter increpandi erunt, & non nisi firmo proposito concepto absolvendi. Quod si verba non contineant adeo enormem contumeliam Dei, vel Sacramentorum, nec falsitatem aliquam hæreticam v. gr. simpliciter nominando Sacramenta, Dei Sacramenta, Crucem Christi &c. omnino a peccato mortali excusari poterit. At iterum serio dehortandus ob periculum blasphemiæ formalis. Ita post alios Layman sæpe *cit. cap.* 6. *nu.* 8. ubi ponit casum, quo confessarius pœnitentem absolvere poterit, etsi tali consuetudine, utpote non mortaliter mala, abstinere nolit: ex. g. Dux, vel Officialis belli dicit in Confessione se milites suos ita male assuetos ad officium cogere non posse, nisi velut vehementer iratus verba sacra effundat, v. gr. Sacramenta, Chrisma (idem de verbis imprecatoriis intelligendum) quæ verba testatur se proferre non alia mente, nisi ut militibus metum tandem iratus incutiat. Hæc in Christiano homine laudanda non sunt; non tamen peccati mortalis condemnari semper possunt, qua proinde consuetudine dissimulata, minime tamen positive consulta, talem confessarius absolvere poterit. Sic Laym. Eadem prope ratio semper est de Heris, & Magistris respectu servorum, immo & parentibus respectu filiorum. Similiter Gobat *cit. casu* 20. *a num.* 704. late excusat Medicum ingeniosum, qui Canonicum quemdam morbo Hypocondriaco laborantem, & continuo mortem tento cum arcu sibi spiculo minitantem, imaginantem, metuentem &c. ut humores noxios depelleret, fingens se animo iratum, quod monitis parere nolint, subito invadens in hæc verba erupit: *Du Hundert tausent, Sacraments Pfaff, das dirs der Teuffel gesegne:* Quo audito primo attonitus, & exardescens Canonicus, deinde fraude cognita, in risum solutus, dissipatis malis humoribus, nihil amplius de morte cogita-

cogitavit, felici proinde successu. Excusat enim Gobat eum, eo quod ea verba non serio protulerit, nec formaliter, ut inhonorativa Sacramentorum, sicut nec ipsius Canonici, sed mere materialiter, ut signa fictæ iracundiæ: cui ego assentior. Tandem de malitia, & pœnis blasphemorum divinitus, & humanitus inflictis vide horrenda apud eumdem Gobat *citat. Alph. quadruplici part. 3. de blasphem. casu 21. per tot.*

APPENDIX.

De Maledictis in creaturas rationales, & irrationales.

25 Jam supra dictum est, maledicta, convicia, imprecationes in homines, vel jumenta, aliasque creaturas rationales, vel irrationales absolute absque ullo ordine, vel relatione ad Deum, non esse proprie blasphemias, sed alia peccata esse posse, circa quæ aliqua hic utiliter notanda sunt; cum ea in confessione plerumque cum blasphemiis exprimi soleant.

I. A peccato omnino excusantur, qui honesto fine, vel affectu bono cohonestant maledictiones lugubres rerum insensibilium, qua ratione David maledixit montibus Gelboe ob occisos ibi Saulem, ac Jonatam. Job, & Jeremias maledixerunt diei, ac nocti, in qua nati, & concepti sunt, nimirum ob peccatum originale tunc contractum, & initium tantarum miseriarum, ut cum Molina, & aliis communiter observat Laym. *loc. cit.* Sic & tu sancte maledliceres horæ illi, loco, occasioni &c. quibus in grave peccatum lapsus es. Eadem ratione maledicere diabolo raro peccatum est, secluso iracundiæ, impatientiæ, aliove vitio, quia semper solet maledici, ut auctor malorum, Dei, hominumque juratus hostis.

II. Quando maledicuntur homines, eisque mala imprecantur, vel optantur, ut v. g. pereant morte, fulmine, rota, furca &c. a dæmone possideantur, rapiantur, lacerentur &c. ordinarie tantum veniale est, præsertim respectu alias non inimicorum: nam ordinarie non maledicuntur homines, tamquam aliquid Dei, nec animo deliberato, & serio, ut eis talia eveniant, sed præcise ad manifestationem iracundiæ, vel indignationis suæ. Quod si tamen deliberate vere desiderarentur ejusmodi mala proximo, esset sane peccatum contra Charitatem, & utique mortale in exemplis positis; alioquin grave, vel leve, mortale, vel veniale, juxta gravitatem, vel levitatem materiæ, seu mali imprecati. Juxta communem DD. Et optime observat Escob. *in summa to.1. exam.3. cap.6. n.6.* Do ejus verba: Assoles interdum in amicos indignari, ut filios, famulos, vicinos, domesticos &c. interdum in inimicos; cum ex inimicitiæ affectu maledicta prodeunt, plerumque cum plena advertentia feruntur; cum autem in amicos, rarissime ex intentione oriuntur, sed solum ex perturbatione &c. Unde & alia peccata non erunt, si interrogeris mox post prolationem maledictionis; num intendas filium, vel famulum a diabolo abripi? Respondebis: minime plane.

III. Cum maledicuntur, & diris devoventur jumenta, aliæque res irrationales, siquidem res sint proximi, & ex odio in ipsum prodeant maledicta, & serio animo, ut vere pereant illa, erit sane peccatum odii contra proximum, pro ratione materiæ gravius, vel levius, quod tamen rarius accidit, alioquin non nisi veniale, sicut etiam quando res nostræ sunt, vel nullius, etiamsi ex animo deliberate desideretur eis malum, ut pereant &c. erit tantum veniale, actusque otiosus, vel ad summum iracundiæ, vel impatientiæ vitium.

IV. Maledicere vento, tempestati, pluviæ, igni, tali diei, horæ, vel cuilibet creaturæ, esset sane mortale blasphemiæ peccatum, si illa maledicerentur, quatenus aliquid Dei, seu quatenus a Deo, divinaque dispositione proveniunt, ut quatenus iis, ut mediis, utitur DEUS ad nos puniendos, aut denique periculum subsit, ne indignatio sit contra ipsum Deum. At quando nihil horum adest, rursus solum veniale erit, ut supra: quia sic maledictio, vel affectus maledicentis nullo modo redundat in Deum: quod si redundet in parentes, ut si maledicas diei, vel horæ, in qua te parentes genuerunt &c. erit peccatum contra Charitatem, & Pietatem parentibus debitam, & sane grave, si cum serio contemptu fiat, aut alias pietas in parentes graviter lædatur, ut si ita in faciem malediceres, si per hoc eos subsannes, confundas, irrideas. Alias iterum leve tantum, ut supra.

SECTIO IV.

Sacrilegia.

SUMMARIUM.

26 *Sacrilegium generatim* est rei Sacræ violatio.
27 *Sacrilegium personale quatuor modis committi solet.*
28 *Locale vero tribus.*
29 *Sacrilegii realis, seu rerum Sacrarum quatuor gradus.*
30 *Sacrilegium reale,* indigne *tractando res sacras, varie fieri potest.*
31 Injuste *vero usurpando, vel furando, tripliciter.*
32 *Etiam injusta occupatio, vel detentio bonorum Ecclesiæ, mobilium, & immobilium, piorum legatorum, & bonorum pauperum &c. aliqualiter Sacrilegium sapit.*
33 *Sacrilegium profanæ emptionis, & venditionis rei Sacræ, seu* Simonia, *quid.*
34 *Quæ sit res, seu materia Simoniæ.*
35 *Quale debeat esse pretium, &*
36 *Quale pactum, ad hoc ut committatur Simonia.*
37 *Quid sit Simonia Juris divini intrinsece mala.*
38 *Quid sit, vel quando fiat Simonia Jure positivo humano prohibita.*
39 *Quid sit Simonia* mentalis,
40 Conventionalis,
41 Realis, &
42 Confidentialis; *& quæ hujus pœna.*
43 *Quid sit simonia cum pretio, vel munere a manu,*
44 *a Lingua, &*
45 *Ab Obsequio.*
46 *An, & quando Simonia sit dare beneficium Ecclesiasticum pro obsequio.*
47 *Quando ex simonia accepta debeant restitui.*

Sacrilegium, definitione ab omnibus recepta, *Est rei sacræ violatio,* seu irreligiositas, qua res sacra, quatenus Deo sacra est, violatur; est enim peccatum contra Virtutem Religionis, quæ sicut primario inclinat ad debitum cultum, & reverentiam exhibendam ipsi Deo; ita ex consequenti, & secundario inclinat ad debitam reverentiam exhibendam rebus Deo sacratis: nam ut ait Div. Thom. 2.2. *quæst.99. art.1. Ex eo, quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur aliquo modo divinum, quamobrem ei reverentia debetur, quæ redundat in Deum: atqui etiam irreverentia, seu indigna tractatio rerum sacrarum redundat in injuriam Dei: consequenter erit speciale peccatum Religioni oppositum.* Sic S. Doctor. 26

Res ergo sacra dicitur omnis illa, quæ publica institutione, auctoritate, & ritu ad Dei cultum deputata est, uti ex Juris Consulto notavit Suar. *de Relig. lib.3. tract.3. cap.2.* adeoque non quælibet privato instituto, proposito, vel voto res sacra efficitur, sed necesse est, ut publicam deputationem, vel consecrationem habeat. Ejusmodi autem rerum sacrarum, atque publica auctoritate ad cultum Dei consecratarum triplex est genus, persona, locus, & res, indeque triplex species materialis Sacrilegii. Personale, locale, & reale. De his ordine.

§. I. *Sacrilegium personale.*

Dicitur, quo persona sacra, seu publica auctoritate, & solemnitate ad cultum Dei consecrata (videlicet per sacram ordinationem, vel statum Religionis, ejusque aliquam participationem) indigne violatur: idque contingit quatuor modis. 27

I. Inferendo manus violentas in Clericum, vel Religiosum: percussione, mutilatione, occisione, aut alia atroci injuria, utpote non solum in faciem, sed etiam in contemptum in terram spuendo, contra privilegium Canonis, *si quis suadente, & cap.17. quæst.4.* ex motivo Religionis personis Ecclesiasticis, atque Deo sacratis concessum, addita excommunicatione latæ sententiæ ipso facto incurrenda. De hoc in materia de Censuris.

II. Personas Ecclesiasticas subjiciendo fori sæcularis judicio, seu ad tribunalia sæcularia indebite trahendo, contra Privilegium Exemptionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ.

III. Ab iisdem personis Ecclesiasticis tributum exigendo contra eandem Immunitatem, & Exemptionem. Sed hoc extra casum publicæ necessitatis, ut in bello; tunc enim lex naturæ præponderat legi Ecclesiasticæ.

IV. Luxuriose violando corpus personæ Deo sacratæ per votum solemne continentiæ perpetuæ, idque quocumque concubitu, pollutione, tactibus ad hoc ordinatis. Ideoque sacrilegium committitur non tantum a persona, quæ contra proprium votum peccat, sed etiam ab alia, seu altera complice, etsi ipsa voto Deo sacrata non sit. Sed de hoc ex professo dictum est inter species Luxuriæ *part. 4. Theol. Sacram. de Matrim. cap. 3. sect. 4. & fors infra in 6. Præcepto,* neque res fœda hic repetenda. Id hic solum obiter nota ex Laym. *lib.4. tract.10. cap.7.* Quod Clericus, vel Religiosus fornicans contra continentiam, & sextum Præceptum præter peccatum luxuriæ duplicem, in rigore loquendo, aliam malitiam committet contra Virtutem Religionis, una est violatio voti Deo consecrati contra secundum Præceptum, altera est sacrilegii proprie dicti, nimirum personæ sacræ violatio, seu voto solemni publica auctoritate ad cultum Dei acceptatæ, contra hoc primum Decalogi Præceptum, quæ malitia gravior est priori, & omnino in confessione explicanda, sic ut non sufficeret absolute dicere peccavi contra votum castitatis carnaliter, sed necesse sit exprimere circumstantiam Ordinis sacri,

vel Professionis religiosæ. Ut contra Suarez, Sanch. & alios, ex communiori aliorum docet Laym. *cit. num.*4.

§. II. *Sacrilegium locale.*

28 DIcitur: Ecclesiæ, vel loci sacri publica auctoritate ad cultum Dei deputati indigna violatio.

§. Ecclesia proprie est locus publica auctoritate, aut consecratione Episcopi, aut Crucis erectione, vel alia ratione deputatus ad publice peragenda Officia divina, Missas celebrandas, & verbum Dei audiendum, Sacramenta administranda, & recipienda. Locus vero sacer latius patens, generatim dicitur omnis locus ad usum pium, & religiosum publice destinatus, & Deo dedicatus. Comprehendit & Ecclesias omnes, & insuper Sacella, Cæmeteria, Monasteria, & Xenodochia, quæ Episcopi auctoritate erecta sunt; nam sola sæculari auctoritate erecta absque auctoritate Episcopi non censentur religiosa. Sacrilega ergo violatio Ecclesiæ, vel loci sacri contingit generatim in tribus modis.

I. Violando immunitatem Ecclesiæ, & locorum sacrorum, fores effringendo, despoliando, & specialiter eo confugientes, atque legitimo refugio, seu asylo ibidem gaudentes violenter, & dolose extrahendo ad judicium, vel punitionem: id tamen extra casus, quibus id ipsa Jura permittunt: videlicet 1. si crimen grave in Ecclesia quis commisisset. *cap. ult. de immunit. Eccles.* cum in eo, in quo deliquit, puniri quis debeat, & frustra legis auxilium invocet, qui deliquit in legem. 2. Item si publicus latro fuit, aut nocturnus depopulator agrorum, *c. inter alia, eodem tit.* 3. Item, qui alium proditorie occidit ex insidiis, puta ex latibulo a tergo invadendo, veneno &c. *cap.*1. *de homicidio*, & fuit olim juris Divini; *Exod.*21.

II. Polluendo Ecclesiam, aut Cæmeterium, idque dupliciter: 1. Per injuriosam sanguinis effusionem, aut homicidium etiam sine sanguinis effusione factum; dummodo intra Ecclesiam factum, sive deinde ab existente intra Ecclesiam, sive extra; utroque enim modo æqualiter contra sanctitatem loci peccatur. 2. Per illicitam, & voluntariam humani seminis intra Ecclesiam effusionem, *cap. ult. de consecr. Eccles.* Copula tamen carnalis conjugalis excusatur a mortali, si fiat ob urgentem necessitatem, vel probabile periculum pollutionis, utpote si conjuges officii, vel refugii causa longo tempore intra Ecclesiam cohabitare cogantur. Communis DD. cum Sanch. *lib.9. de matrimon. disp.50. num.9.* Denique per sepulturam infidelis non baptizati, aut excommunicati non tolerati, *cap. consuluisti eod.* Atque ad peccatum mortale sacrilegii sufficit prædicta, vel aliquid eorum fieri etiam occulte: ad hoc autem, ut Ecclesia censeatur polluta in foro externo, requiritur, ut factum sit notorium de jure, vel de facto.

III. Exercendo actionem profanam, quæ vel ex natura sua, vel juris Canonici prohibitione loci Sanctitati repugnat, licet per eam Ecclesia non polluatur: uti sunt, omnis actio judicialis, & maxime criminalis, *cap. unic. de immunit. Eccles. in 6.* Peccaret ergo Judex sacrilege, & insuper invalide ageret, qui in Ecclesia sententiam ferret, etiam ad mulctam pecuniariam; si etiam ad mortem, excommunicandus foret. Altera actio in Ecclesia sacrilega, est negotiatio, mercatura, emptio, & venditio solemnis, *cit. cap. decet, eodem.* Hac ratione etiam Christus *Matth.* 21. *& Joann.* 2. ejecit omnes vendentes, & ementes ex Templo dicens: *auferte ista hinc*, &c. Peccaret ergo mortaliter sacrilegio, si quis per se, ex instituto templum deligeret tamquam locum mercaturæ, & nundinarum, in eo officinam erigendo, merces exponendo; quod si tamen solum fiat contractus emptionis in Ecclesia, merce alibi existente: aut per accidens tantum in transeundo, vel recedendo ob pluviam non nisi veniale aut nullum peccatum est. Ex communi Laym. *cap.7. n.9.* Tertia actio in Ecclesia sacrilega, sunt tripudia, clamores profani, *c. cum decorem, de vita, & honest. Cleric.* Quarta actio in Ecclesia prohibita est commessari, cap. non oportet 2.dist.24. *Non oportet in Basilicis, seu Ecclesiis Agapen facere, & intus manducare.* Extra ergo casum necessitatis, vel pietatis universim prohibitum est in Ecclesia comedere, vel bibere more solito pro refectione, quod tamen secluso scandalo, vel contemptu culpam venialem non excedere cum Cajetan. Sa, & aliis notat Laym. *cit.* Præter prædicta peccata in hac triplici classe, alia peccata in Ecclesia committere, v. gr. detrahere, nutu, vel verbis sollicitare ad inhonesta alibi patranda, secluso contemptu, omnique voluntate loci sacri inhonorandi, speciale peccatum sacrilegii non constituit, etsi gravem contra loci sanctitatem contineat, merito a timoratis explicandam in confessione irreverentiam, eoque graviorem, quo gravius peccatum committitur: idque etiam etsi naturalis turpitudinis quidpiam fiat.

§. III. *Sacrilegium reale.*

29 DIcitur rerum quarumvis publica auctoritate ad Cultum Divinum sacrarum, vel deputatarum indigna violatio. §. Rerum autem ejusmodi sacrarum, prout excludunt personas sacras, & loca sacra, quatuor veluti gradus assignat D. Th. *q.99. art.3. Primum, & summum locum inter res sacras obtinent Sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum præcipuum est Eucharistiæ Sacramentum, quod Christum ipsum continet: & ideo sacrilegium, quod contra hoc Sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia.* Secundum locum post Sacramenta tenent vasa consecrata ad ministerium, & usum Sacramentorum: deinde Ædes sacræ, Altaria, Crux, & Imagines Christi, ac Sanctorum, eorumque Reliquiæ, quia etiam hæ secundum usum Ecclesiæ æstimantur ut instrumenta Divini cultus, & ideo habentur sacræ, non tantum in ordine ad Sanctos, sed etiam in ordine ad Deum. Ita Suar. *l.3.c.6. nu.7.* Huc etiam spectant sacri liquores, Chrisma, oleum, aqua, & alia benedicta. Item Nomina Dei, Christi, & Sanctorum, SS. Evangelia, & omnis Scriptura Canonica. Ut notat Suar. *ibid. num.9.* Tertium locum retinent omnia, quæ pertinent ad ornatum Altarium, & ministrorum, & ordinata ad ministerium Divini cultus, & indigne violata ad sacrilegium spectant. Quartum locum, sed remotiorem cæteris in rebus sacris obtinent omnia bona mobilia, quæ deputata sunt ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, Templorum fabricam, &c. item deposita in Ecclesiis, pia legata ob pias causas, bona pauperum in xenodochiis, & his similia. Etiamsi enim hæc omnia non ita proprie sint Res sacræ, quæ vel speciatim ad Dei cultum consecratæ, & benedictæ, vel tamquam instrumenta Divini cultus specialiter institutæ sunt, tamen remote saltem ad Deum, & ejus cultum præ cæteris rebus profanis specialiter deputatæ, & eorum injusta usurpatio in Jure passim sacrilegium nuncupatur. Harum omnium rerum sacrarum indigna, & sacrilega violatio fit, & contingit generatim tribus modis; scilicet *indigne tractando; injuste usurpando; profane vendendo, vel emendo per simoniam.*

Sacrilegium indignæ tractationis rerum Sacrarum fit varie.

I. CIrca Sacramenta: ea ministrando, vel suscipiendo 30
1. *Invalide:* Sacrilegium omnium gravissimum: sacratissima illa signa, a Christo ad infallibiliter sanctificandum hominem instituta, invalide, & ficte applicando, falsa reddere, & annullare, scilicet defectu debitæ materiæ, formæ, intentionis, aut dispositionis necessariæ. 2. *Indigne* in cognito statu peccati mortalis celebrando, communicando, alia Sacramenta administrando, vel suscipiendo: aut alias notabiliter, irreverenter, vel negligenter circa illa se habendo. 3. Tangendo illicite, & irreverenter necessitate seclusa, SS. Eucharistiæ Sacramentum (hoc utique peccatum mortale) & omnia immediate ad ejus contactum consecrata, & benedicta: ut Calicem, Patenam, Ciborium, Lunulam Monstrantiæ, Purificatorium jam sæpe usurpatum, Corporale, &c. Item Chrisma benedictum, Sacras Reliquias, Agnos Dei, &c. non tamen horum vasa: quamquam secundum communem DD. præter tactum illicitum Eucharistiæ in cæteris omnibus secluso contemptu rerum sacrarum, vel præcepti Ecclesiæ, raro sit plus, quam veniale, excusatque omnis necessitas. De his in suis propriis materiis.

II. Circa Vasa sacra, & Paramenta, ea convertendo ad profanos usus propria auctoritate, sive transmutando in aliam formam, sive solum abutendo ad profanos usus (juxta *cap. ligna, de consecrat. dist.*1.) v. gr. sacris Vasis ad potationes, sacris Paramentis ad profana spectacula, &c. Quin etiam materiam rerum antea sacrarum, lapides, ligna, pannos, &c. profane usurpare, peccatum mortale est ex genere suo, nisi ignorantia excuset, aut necessitas publica belli, famis, &c. Quo casu, teste Ambrosio, etiam sacra Vasa alienare, vendere, conflare licet, ob majus præceptum Charitatis.

III. Circa sacram Scripturam, eam scienter pervertendo, vel ejus sententiis abutendo ad irrisiones, jocos, mendacia, alia peccata, & maxime lasciviam: uti impius Beza abusus est Canticis Canticorum horribili sacrilegio, voceque blasphemiæ in Spiritum Sanctum. Ut notat Suarez *citat. tract.3. lib.3. cap.6.* Et merito Gobat *de blasph. cap. 20. num.* 718. Fulmine dignas censet meretriculas illas, quæ sæpius alicui assuetæ, nescio a quo dæmonis mancipio edoctæ, dicunt: *Domine probasti me:* sicut, & illum, qui verbis illis, *bibite, & inebriamini Charissimi, &c.* abuteretur ad persuadendum alicui ebrietatem, vel potum excessivum, alias non: nam a mortali excusant DD. citati communiter, si honesti joci causa subinde fiat, ut si amico dicas: *sede a dextris meis*; aut in convivio diu nemine loquente dicas: *factum est silentium magnum, &c.* aut homini melancholico, moroso: *a facie frigoris ejus, &c.* vide Gobat. *citat. num.* 719. *& seq.* Dico tamen *subinde:* nam ordinarie, consuetudinarie, toties quoties, ita abutentes Divino Verbo ob ejus implicitum saltem contemptum, a mortali excusari non possunt, teste nostro P. March. *supra citat.*

IV. Quacumque irreverentia, despectu, vel abusu abjiciendo Res sacras Divino cultui destinatas, & supra enumeratas

meratas 1. 2. & 3. loco, quia enim illa omnia peculiari ratione ad Deum, ejusque cultum referuntur, & ideo cultum in Deum redundantem merentur; ita eorum inhonoratio, seu indigna tractatio in Dei inhonorationem redundat, & ad sacrilegii crimen pertinet, idque tanto gravius, quanto & res sacra major, & irreverentia illata major est.

Cæterum ad hoc peccatum sacrilegii committendum in indigna administratione, vel tractatione rerum sacrarum non est necesse, ut quis habeat semper directam intentionem inhonorandi, vel contemnendi Res sacras, quod proprium est infidelium, & hæreticorum, semperque mortale, nulla parvitate materiæ excusante; sed sufficit intentio indirecta, dum quis Res sacras scienter ob quemcumque alium finem, indigne tamen tractat, modis supra dictis, quamvis hoc excusari sæpissime possit ob parvitatem materiæ: cum sacrilegium natura sua magis, vel minus grave sit pro ratione materiæ.

Sacrilegium injustæ tractationis, seu usurpationis Rerum sacramentalium.

31 FUrtum Rei sacræ triplici membro exponitur cap. quisquis 17. qu.4. *Sacrilegium* (idest furtum sacrilegum) *committitur, aut auferendo de loco sacro sacrum, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro:* Furtum enim, seu injusta ablatio rei alienæ est de se peccatum injustitiæ contra septimum Præceptum: duobus modis secundum Canones qualificatur, ut fiat sacrilegium contra Virtutem Religionis: 1. Ratione ipsius rei sacræ, ut si fureris Calicem, Reliquias, &c. 2. Ratione loci sacri, cui specialis reverentia, & immunitas, adeoque securitas ab omni injuria debetur, & hinc illa tria membra.

I. Furari Rem sacram e loco sacro, v. gr. Calicem ex Templo, Ciborium ex Tabernaculo, utramque malitiam sacrilegii continet, scilicet violationem Rei sacræ, & violationem loci sacri, ideoque in communi, & nostra sententia, necessario exprimendam in confessione.

II. Furari rem sacram e loco non sacro, vel extra locum sacrum, v.g. Calicem ex privato Oratorio, cista domestica, præter furti, aliam unam simplicem malitiam, veri tamen sacrilegii dicit. Juxta communem DD. cum Layman *cit. num.* 16. *&* 17. Ubi recte monet, non esse audiendos Legistas ad sacrilegium utrumque requiri, & quod res sacras ablata sit, & e loco sacro.

III. Furari rem non sacram, nec ad Dei cultum ulla ratione pertinentem, tamen e loco sacro, Templo vel Ecclesia, similiter unam tantum, at veram habet malitiam sacrilegii, scilicet violationis loci sacri. Juxta communissimam DD. Sumitur ex Scriptura 2. *Malach.* 5. ubi Heliodorus horribiliter ab Angelo flagellatus legitur, quod voluisset spoliare ærarium Templi, in quo deposita viduarum, & pupillorum erant; quod proinde certum videtur quoad res in templo depositas, & in ejus fidem, atque immunitatem susceptas. Quoad alias vero res in Templo non sub custodia, sed per accidens, & casu existentes, ablatas, v. g. in Ecclesia, abscindere crumenam, an sit furtum simplex, vel qualificatum sacrilegii, adeoque in confessione exprimendum, etsi non ita certa, tamen communis, & probabilior est sententia affirmans. Angel. Sylvest. Armil. Sa *verb. sacrileg.* Navar. *cap.6. num.4.* Suar. Laym. *cit.* Ratio petenda est ex reverentia Ecclesiarum, quæ merito exigit omnem injuriæ immunitatem statuendam, eamque de facto statutam esse satis constare videtur ex *citat. cap. Quisquis, & cap. Sacrileg. de immunit. Eccles.* Et quia mercaturæ in Ecclesia prohibitæ sunt, eam maxime ob causam, quia in iis fraudes committi solent, sanctitatem loci valde dedecentes; tanto magis ipsa furta in Ecclesia decet esse specialiter prohibita.

32 IV Quoad bona Ecclesiastica mobilia, & immobilia. Item pia legata, bona pauperum, &c. etsi proprie res sacræ non sint, nihilominus quia bona illa ex sua institutione, ac fundatione, atque fundatorum, testatorum, ac offerentium expressa voluntate ad Dei, & Christi honorem oblata, & destinata sunt, sic, ut in nullum alium usum, nisi pium, converti possint, certum est, quod injusta eorum occupatio, detentio, defraudatio non sit simplex peccatum furti, vel injustitiæ, sed qualificatum, & circumstantiam ejus esse exprimendam in confessione, adeoque si non proprie sacrilegium, aliquam saltem rationem sacrilegii habet, certe passim in jure Canonico sacrilegium appellatur, specialiter *cap. nulli liceat*, 12. *qu.*2. *&* 17. *qu.*4. *Can.*4. dicitur: *sacrilegium, & contra leges est, si quis, quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studio suis tentaverit compendiis retinere.* Accedit, quod invasio, & spoliatio bonorum Ecclesiasticorum sit contra immunitatem Ecclesiæ, cujus violatio est sacrilegium, & *Concil. Trid. Sess.* 12. *can.* 11. in tales decernit excommunicationem Papæ reservatam, donec restituant.

Sacrilegium profanæ emptionis, ac venditionis rerum sacrarum spiritualium.

HOc, amisso generali nomine sacrilegii, ab insigni illo rerum spiritualium empturitore, Simone Mago, peculiari sibi nomine vindicato, *Simonia* appellata est. Esset res prolixissimæ, & intricatissimæ tractationis, præsertim quoad praxim nostrorum temporum; verum quia materia maxime est canonica, ideo sistendo in terminis Theologiæ moralis, breviter claro compendio delibabo communiter necessaria Confessario scitu in confessionali.

§. IV. *Simonia.*

DEfinitur in Jure: *studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* 33 Clarius exprimit Suar. to.1. de Relig. tr.3. lib.4. cap.1. Simonia est *sacrilegium quo per emptionem, & venditionem, vel similem contractum res spiritualis. ut talis pro temporali commutatur;* ideoque ad peccatum simoniæ necessario tria concurrunt, materia, pretium, pactum, in quibus explicatis patebit definitio, & essentia simoniæ.

I. Materia simoniæ debet esse res spiritualis, vel annexa spirituali: res autem spiritualis, & materia simoniæ sunt. 1. Omnis gratia gratum faciens, & gratis data. 2. Omnia Sacramenta, & sacramentalia, seu sacræ cæremoniæ in administratione Sacramentorum, & Sacrificio Missæ ex institutione Ecclesiæ exercenda. 3. Omnia Divina Officia, & Orationes publicæ, & privatæ. 4. Omnis actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut absolutio a peccatis, & censuris: collatio Indulgentiarum, collatio cujuscumque Beneficii, Officii, ac Dignitatis Ecclesiasticæ. 5. Omnia Beneficia Ecclesiastica, & ipsis annexa: ut jus Patronatus, redditus Beneficiorum, qui dantur propter spirituale Beneficium. 6. Denique omnia Vasa, & Paramenta sacra, qua talia, omnia benedicta ab Ecclesia: ut Agni Dei, sacræ Reliquiæ, &c. 34

II. Pretium simoniæ debet esse quid temporale, sive pecunia, sive quodcumque aliud per modum pretii æquiparatum ipsi rei spirituali, seu sacræ, ut talis est: unde non est simonia, dare rem spiritualem pro spirituali, Reliquias pro Reliquiis, Calicem pro Ciborio, unum Beneficium cum alio commutare, auctoritate tamen legitima. Item dare rem temporalem pro spirituali materialiter tantum, ut pecuniam pro Calice, quantum valet argentum, & ars. Item dare rem temporalem pro spirituali officio, Sacris, Orationibus, Sacramentis, &c. non pretium æquiparatum ipsi rei sacræ, sed solum in stipendium sustentationi Ministrorum. Sumitur, *ex cap.* 10. *Matth.* dicente Christo: *Dignus est operarius mercede sua.* Et 1. ad Corint.9. *Quis militat suis stipendiis umquam? si vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* 35

III. Pactum, seu contractus simoniæ debet esse pactum onerosum, & obligatorium per modum emptionis, & venditionis, vel cujusvis commutationis, seu retributionis onerosæ, obligatoriæ, quomodocumque exprimatur, v.g. Do tibi pecuniam, agrum, &c. ea conditione, ut data prima occasione Beneficium eo pacto, ut centum ducatos numeres, nec salvant, etiamsi addant, per modum gratitudinis tantum, dummodo intercedat verum pactum obligatorium: secluso autem hoc pacto, non erit simoniacum accipere, vel dare rem temporalem pro spirituali, & e contra: v. g. ei, qui contulit Beneficium spirituale, gratuito, & sponte rependere rem temporalem, v. gr. pecuniam vel aliam, aut e contra pro re temporali accepta, sponte ex gratitudine rependere rem spiritualem, Beneficia, Sacra, &c. Nec simoniacum erit alteri conferre rem spiritualem cum spe tamen ab illo recipiendi rem temporalem per modum gratitudinis tantum, secluso omni prævio pacto expresso, vel implicito. Quale pactum expressum, vel tacitum utique supponitur in Propos. damn. ab Innoc. XI. 45. *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando per temporale solum fit gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.* Et 46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.* 36

IV. Juxta hæc tria ad peccatum simoniæ essentialiter requisita, triplex est divisio simoniæ. 1. Ex parte materiæ in simoniam Juris Divini, & positivi. 2. Ex parte pacti, vel contractus in mentalem, conventionalem realem, & his immixtam confidentialem. 3. Ex parte pretii in simoniam, quæ fit cum munere *a manu, a lingua, & ab obsequio.* Explico breviter, ordine.

I. Simonia Juris divini, & positivi.

SImonia Juris divini intrinsece mala, atque prohibita propter malitiam suam intrinsecam est omnis illa, qua venditur, & emitur res proprie spiritualis, ut talis, ut Sacramentum, sacræ Reliquiæ, &c. cujus ratio, & malitia mortalis consistit in hoc, quod res sacra, vel spiritualis indigne, & irreligiose tractetur hoc ipso, quod emptione, vel venditione cum pretio, vel re temporali commutetur, perinde, ac si tam vilis sit, ut instar rerum, vel mercium temporalium pretio venalis exponi debeat. *Quis enim non* 37

vile

vile putat esse quod venditur? ait Hormisda Papa *ad Episcopos Hispaniæ in Epistola*. Deinde cum res spiritualis pro temporali commutatur impie præsumitur, ac si illa non minus quam res temporalis, libero hominum dominio, ac potestati subjecta sit, & non a solius Dei gratuita voluntate, & potestate dependens: quamobrem Petrus Simonem magum increpans ait Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri posse*. Est ergo simonia unum ex peccatis gravissimis sacrilegii contra Religionem, & valde perniciosum Ecclesiæ. Unde & in SS. Canonibus appellatur *execrabile flagitium, turpissimum lucrum*, &c. estque ex natura sua peccatum mortale, atque juxta Navar. Suar. cit. & alios, neque ex parvitate materiæ excusabile, cum sit gravissima in Deum irreverentia quodcumque donum gratiæ spiritualis ita tractare, ac si sit res vilis, & ab arbitrio, & potestate humana dependens, ut pretio æstimari, ac vendi possit; committiturque hoc peccatum simoniæ quoad malitiam sacrilegii tam ab emente, quam vendente rem sacram: uterque enim ipso facto inhonorat, & vilipendit rem sacram, & qui pro ea pretium temporale exhibet, & qui exigit pro ea: at vero ex parte vendentis præter malitiam sacrilegii, etiam accedit peccatum injustitiæ, quatenus pretium temporale pro re spirituali recipit sine ullo Jure accipiendi. Ut notat Suar. *cit. lib.4. cap.4. n.7.* Et Lessius *lib.2. cap.35. dub.28. num.162.*

Simonia juris positivi humani, & ideo mala, quia prohibita ob inconvenientiam extrinsecam.

38 Est omnis illa, qua venditur non quidem res aliqua proprie spiritualis, sed rei spirituali annexa, vel ad eam ordinata, utpote sunt: 1. Venditio Beneficiorum etiam secundum id, quod in ipsis temporale est: nimirum, quoad jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ. 2. Venditio Officiorum Ecclesiæ extrinsece tantum ordinatorum ad res sacras: ut Sacristæ, Oeconomi, Thesaurarii, advocati Ecclesiæ. 3. Oblatio pecuniæ alteri facta, ut suadeat alteri tertio, ut det tibi Beneficium. 4. Pactio de resignando Beneficio tibi, vel ex eo solvendo pensionem, si alter Beneficium tibi impetret. 5. Permutatio, & resignatio Beneficiorum: item reservatio pensionis ex Beneficio resignato, si absque Superiorum auctoritate fiat, hac autem accedente, licita erit. 6. Acceptio munerum etiam sponte oblatorum pro examine ad Parochiam. Est Trid. *Sess.24. can.18.* Item pro collatione Ordinum, pro prima tonsura, pro litteris dimissoriis ex eodem Trident. *sess.21. can.18.* Excipitur autem decima pars aurei pro Notario, si salarium non habeat, & consuetudo permittat. 7. Exactio pecuniæ pro admissione ad Religionem, non tantum pro ipso statu, (is enim spiritualis, & jure naturali invendibilis) sed etiam pro onere sustentationis: nisi Monasterii tenuitas, vel consuetudo contraria excuset apud Moniales plerasque, & multos alios Ordines. Vide Layman *tract.10. cap. ult.* Quare hoc tempore ob ingressum Religionis raro committitur peccatum simoniæ, nec consequenter incurruntur pœnæ in jure statutæ.

II. Simonia mentalis, conventionalis, realis, confidentialis.

39 Simonia mentalis est voluntas, seu propositum internum, quo quis, dum confert alteri rem spiritualem, intendit illum obligare ad reddendum aliquid temporale, aut e contra, dum confert aliquid temporale, intendit illum obligare ad reddendum aliquid spirituale, v. g. Beneficium bonum spirituale pro mutuo, vel alio beneficio præstito, sine ullo pacto externo, sed solum cum spe certa recipiendi aliquid temporale pro spirituali, vel e contra, tamquam ex debito ab altero præsumendo: ut si Prælatus conferat Beneficium Clerico, ut ideo in compensationem obligatus sit ei servire, aut Clericus serviat Episcopo ea intentione, ut ei in mercedem debitam conferat Beneficium, & tandem Beneficium conferatur, nulla tamen exterius verbis, vel signis facta conventione, vel pacto, erit simonia mentalis, & peccatum sine dubio: nullam tamen in quacumque materia inducens pœnam Canonicam: quia in foro externo probari non potest. Communis DD. cum Sanchez *consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub.10.* Less. Layman.

40 II. Simonia conventionalis dicitur, quæ fit cum externo pacto, vel conventione expressa, vel tacita dandi, vel recipiendi quidpiam spirituale pro temporali; aut temporale pro spirituali, qua conventione externa differt a simonia mentali: conventione tamen nondum impleta ex utraque parte, adeoque jam gravius peccatum, adhuc tamen nullam inducens pœnam Canonicam, non solum quando conventio ex neutra parte impleta est (secundum omnes) sed etiamsi ex una parte impleta sit: idque non solum, si quis rem temporalem, v. g. pecuniam dedisset, spirituale tamen, v. g. Beneficium, vel sacrum Ordinem nondum accepisset, quia jura imponentia pœnam simoniacis requirunt traditionem rei spiritualis: verum etiam si spirituale jam datum esset, sed temporale (saltem in totum) nondum receptum. Ut ex communi docet Sanch. *cit. cap.3. dub.10. num.106.* testans ita servare stylum Curiæ, quo merito vel correcta, vel abrogata censeri debent antiqua jura in contrarium sonantia.

III. Simonia realis tandem dicitur, quando conventio 41
ex utraque parte completa est, saltem inchoative, spirituali scilicet dato, & temporali saltem ex parte recepto, ut si collatio Beneficii facta jam sit, & pretii saltem pars soluta: & hæc realis, & completa simonia inducit pœnas gravissimas Canonicas; in triplici tamen solum casu: si simonia nimirum commissa sit in ingressu Religionis: in sacro Ordine, & Beneficio: quoad ingressum Religionis: jam supra mentio facta. Ob simoniacam collationem, & susceptionem sacrorum Ordinum, etiam primæ tonsuræ, incurritur excommunicatio, & suspensio Papalis, & ordinantis, & ordinati. *Extravag. cum detestabile, de Simonia*. Ob simoniam realem in Beneficio Ecclesiastico a conferente, & acquirente incurritur eadem excommunicatio Papalis Papæ reservata. *Eodem Extravag.* irrita est Electio, Confirmatio, Præsentatio, Institutio, nullumque jus tribuit: unde sic recipiens Beneficium non facit fructus *suos*, sed restituere tenetur, etiamsi crimen sit occultum, efficiturque inhabilis ad illud Beneficium, etiam ex dispensatione Episcopi obtinendum; aliis tamen Beneficiis rite obtentis, ipso jure non privatur, nec ad alia obtinenda fit inhabilis ante sententiam judicis. Omnia ex Navarro, Suarez, Sanchez, compendiose Layman *lib.4. tract.10. cap. ultim.*

IV. Simonia confidentialis specialiter dicitur, cum quis 42
alteri dat, vel confert, vel resignat, vel ad illud præsentat, eligit, instituit cum certa confidentia, & obligatione, ut tamquam ex debito illud sibimet, vel alteri in sui favorem, certo tempore resignet, aut ex eo pensionem, vel certam partem fructuum tribuat. Et rursus potest esse, aut *mentalis* tantum; cum quis ita dat, vel resignat alteri Beneficium cum intentione interna, ita alterum obligandi, sed ei hanc suam intentionem non manifestat conventione aliqua externa. Aut *conventionalis*, cum pactum, vel conventio initur de dando, vel resignando beneficio cum onere, ut sibi, vel alteri resignetur, vel pensio sibi, vel alteri solvatur. Aut *realis, & completa*, dum re ipsa Beneficium confertur, vel resignatur cum eodem pacto, ut sibi, vel alteri resignetur, vel ex eo pars fructuum rependatur. Et hæc tandem simonia confidentialis realis completa, dato scilicet, & accepto Beneficio cum tali pacto, etiamsi accipiens promissionem nondum impleverit, inducit pœnas Canonicas decretas in motibus propriis *Pii IV. & Pii V.* nimirum excommunicationem Papalem utrique parti contrahenti, annullationem collationis, & resignationis Beneficii illius ipso facto, adeo ut accipiens non faciat fructus *suos* (ut supra,) & inhabilitationem ad imposterum obtinendum illud ipso jure; insuper privat omnibus beneficiis, & pensionibus ante obtentis: sed hoc per, & non ante sententiam Judicis. Denique Beneficia sic simoniace collata, soli Pontifici reservantur. Hæc omnia compendio ex Navarro, Suarez, Sanchez, Layman certe solum curiositatis, & admirationis gratia.

III. Simonia cum pretio, vel munere a manu, a lingua, & ab obsequio.

I. Pretium, vel munus *a manu* dicitur pecunia, aurum, argentum, vestes, equus, & similia, emi, 43
& vendi solita, seu mobilia, seu immobilia. Item remissio debita, aut promissio remittendi illud. Item mutuatio pecuniæ, dilatio debiti hic, & nunc solvendi, aut e contra anticipata solutio debiti nondum finito termino, & his similia, si nimirum quis tribuat Beneficium, v. g. cum pacto, vel conditione, ut sibi debitum quis remittat, pecunias mutuet, &c. tamquam indebitum pretium pro Beneficio collato; secus si fiat ex spontanea oblatione, ex gratitudine. Item promissio rei nondum debitæ pro tempore, vel casu, quo sibi erit debita; ut si Canonicus eligendus a Capitulo in Parochum, promittat, se remissurum dimidiam partem præbendæ reliquis Canonicis electoribus.

Pretium, vel munus *a Lingua* dicitur omnis laus, com- 44
mendatio, patrocinium, advocatio, intercessio, &c. apud alium, v. gr. Principem ex pacto conventa, & facta in compensationem pro re spirituali, v. gr. Beneficio, ut si quis conferat Beneficium, vel ad illud præsentet aliquem cum pacto expresso, vel tacito, aut prævia prece, animo inducendi obligationem, ut pro se apud Principem intercedat, se commendet, laudet, causam suam promoveat, &c. veram committit simoniam, siquidem hi actus sunt aliquid temporale, & pretio æstimabile, ergo pro illis dare Beneficium, erit simonia, secus rursus si hæc secluso pacto, vel animo obligandi fiant, solum ex gratitudine. *Omnes* cum Sanch. *lib.2. concl. cap.3. dub.38.*

III. Pretium, vel munus *ab obsequio* in simonia dicitur 45
quodcumque ministerium temporale, uti est famuli, pecu-

niarii, scribæ ex pacto expresso, vel tacito, petitum, & datum pro re spirituali, maxime Beneficio, ita nimirum, ut beneficium detur, & acceptetur in compensationem ejusmodi obsequiorum; velut mercedem, & solutionem obligatoriam ex justitia, loco alterius mercedis temporalis solvendæ. Sic erit verissima simonia: quia vere datur temporale pro spirituali, vel e contra. Secus si detur tantum gratis, licet ex motivo obsequiorum, quia tunc nec beneficium datum habet rationem pretii, vel solutionis, sed tantum præmii gratuiti; neque obsequia præstita, vel præstanda habent rationem pretii, vel solutionis pro beneficio, sed precise rationem meriti de congruo, & æquo morali; quod verum est, etiamsi obsequia præstita fuissent turpia: nam licet beneficium ex hoc motivo conferre sit indignum, non tamen est simonia: cum non habeat rationem pretii, vel favoris, sed præmii gratuiti. Ut notat Suarez *citat.* & alii. Unde tali modo conferens Beneficium non se eximit ab obligatione Justitiæ compensandi præstita sibi obsequia, nisi aliter sponte, & libera gratitudine remittat.

46 IV. At quid si detur Beneficium Ecclesiasticum ob aliquod obsequium spirituale jam factum, vel faciendum, eritne simonia? Resp. quod sic, si detur pro obligatione præstandi tale obsequium spirituale, alias non: Ratio est; quia cum talis obligatio sit quid temporale, & pretio æstimabile, jam erit Beneficium dare pro munere *ab obsequio*, adeoque simonia: ut si Patronus det alicui Beneficium cum onere, & obligatione, ut pro se celebret tot Missas, &c. Suarez cit. Excipe, nisi tale onus Missarum antecedenter annexum fuerit tali Beneficio, vel præbendæ ab eo, qui talem annexionem efficere potest, juxta *cap. significatum de præbendis*. Et Trident. *Sess.* 14. *cap.* 10. *de Reformatione*.

IV. Simoniace acceptorum restitutio.

47 NIhil Spirituale simoniace acceptum pro pretio temporali restituendum est, neque Jure Divino, neque Ecclesiastico, præter sola Beneficia Jure Ecclesiastico dimittenda. Communissima DD. cit. omnes. Ratio est: Quia res Spirituales, aut restitui non possunt: ut Sacramenta, Ordines: aut certe non sunt restituendæ, nisi in pœnam delicti per sententiam Judicis, cum Jure Divino naturali valide translatæ sint in alium; nec Jus Ecclesiasticum, seu sacri Canones aliud statuerint de ullis rebus Spiritualibus; exceptis tantum Beneficiis Ecclesiasticis, quæ simoniace accepta, in conscientia ante omnem sententiam Judicis retineri non possunt, sed dimittenda sunt, una cum fructibus perceptis, cum nullo justo titulo percepti sint, eo quod adeptio Beneficii simoniaca, ipso facto sit irrita ex speciali constitutione Juris *Extravag. cum detestabile de Simonia*. Quare si quis simoniace pretio temporali comparavit Reliquias Sanctorum, numismata Indulgentiarum, grana benedicta, Jus Patronatus, licentiam eligendi Confessarium, &c. non tenetur talia dimittere, quia non peccavit contra Justitiam pro talibus, dando pretium temporale, sed solum peccavit contra Religionem indigne tractando Res sacras. *Communis apud cit.*

48 II. Pretium simoniace acceptum pro conferendo Beneficio (vel alia quacumque re spirituali) nondum secuta collatione, seu non impleta conditione, certum est, ipso Jure naturali restitui debere: quia deest titulus retinendi, cum non præstetur, nec licite præstari possit id, pro quo est datum; & quidem ipsi danti, quia nullibi est cautum, alteri restitutionem faciendam esse. At vero facta jam collatione Beneficii, & simonia utrinque completa, pretium acceptum pro hujusmodi Beneficii collatione, præsentatione, resignatione, &c. Jure Ecclesiastico statim in conscientia ante omnem Judicis sententiam restituendum est, non ipsi danti, quia Ecclesia intendit utrumque punire, & dantem, & accipientem, sed illi Ecclesiæ, in qua est Beneficium, ut constat ex *cap. de hoc, de Simonia*. Est communis DD. sententia cum S. Thom. 2.2. *qu.* 62. *art.* 5. Licet Sotus, Bannes, Sa, alii apud Layman *cit. cap. ult. nu.*48. probabiliter doceant ante Judicis sententiam restitui posse ipsi danti, eo quod nulla lex Ecclesiastica afferri possit, statuens ante Judicis sententiam Ecclesiæ restituendum esse. Vide Layman *loc. cit.* & alios apud ipsum. Ulterius quantum est de jure Ecclesiastico pro quacumque re spirituali, etiam sacris Ordinibus, etiam ingressu, vel Professione Religionis, excepto solo Beneficio Ecclesiastico, pretium temporale accipiens, restituere obligatur ante Judicis, ita in pœnam delicti juste condemnantis, sententiam; cum nullum adferri possit jus ita statuens, ut contra Sanchez cit. docent DD. communiter, Suarez, Lessius, Layman *lib.*1. Quantum vero est de Jure naturali, & Divino, pono duas resolutiones, & velut Regulas.

III. Qui simoniace vendit rem spiritualem, in qua ali- 49
quod temporale jus, vel commodum habet, nec alteri gratis conferre tenetur, is spectato jure Divino naturali, pretium acceptum retinere potest, nec restituere tenetur, si neque a jure positivo (ut supra in Beneficiis) neque jure Ecclesiastico ad id condemnetur. Ita Suarez, Lessius aliique cit. Layman *cit. cap. ult. num.*82. Ratio est, quia licet venditio ejusmodi rei spiritualis habentis annexum commodum temporale, ut Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum, vere sit simoniaca, & contra Virtutem Religionis, non tamen est injusta, si temporalis commoditas, quæ in alterius gratiam datur, vel dimittitur, justo pretio compensetur: obligatio autem naturalis restitutionis non oritur ex quolibet delicto, sed tantum ex delicto injustitiæ: ergo &c. *Contra* si quis resignet, vel renuntiet alteri Beneficium Ecclesiasticum, cui certe gratis renuntiare non tenetur, jure naturali pretium acceptum retinere potest, secus est de conferente: quippe qui ex proprii muneris obligatione, Ecclesiæ Officia, & Beneficia dignis gratis distribuere debet. Ut ex Soto, & Suar. notat Layman *ibid.* Ideoque si conferens, pretio illa vendat, vere peccat contra justitiam; quia vendit non suum, sed alteri gratis debitum: sicut si judex pro sententia justa pretium exigeret, ac proinde jure Divino naturali, ad restitutionem uterque obligaretur, & quidem ipsi danti, a quo accepit, nisi jus, vel judex aliud decerneret.

IV. Qui simoniace vendit, ac tradit rem mere spiri- 50
tualem, in qua nullum temporale jus, vel commodum habet, is pretium acceptum jure naturali, ac Divino restituere tenetur, nec retinere potest in conscientia ante omnem judicis sententiam D. Thom. 2.2. *qu.*32. *art.*7. & *quæst.*62. *art.*5. *ad* 1. & communis DD. Ratio est: quia vere peccat contra justitiam, cum ejusmodi res mere spirituales nullum commodum temporale annexum habentes; ut Sacrificium, Sacramentum, Sacri Ordines, Consecrationes, Benedictiones, &c. non sunt pretio æstimabiles, & vendibiles, & Ecclesiæ Ministri non sunt Domini ejusmodi rerum spiritualium, sed Ministri, & Dispensatores tantum. At cuinam tunc restitutio facienda erit? Communior sententia est, pretium simoniace acceptum restituendum esse Ecclesiæ, vel pauperibus (verbo) ad pias causas, sicut & accepta per usuram. Ita D. Thom. cit. Sylvester, Navarrus, Covarruvias, Lessius, alii apud Layman mox citandi. Rationem, & Regulam dat Navarrus *lib.*5. *consil.* 89. *de Simonia*: turpiter acceptum restituendum non est turpiter danti, cum sit in pari turpitudinis causa: quando enim turpitudo delicti tam dantem, quam accipientem afficit (ut in proposito) dans indignus esse videtur, ut restitutio ipsi fiat. En sententia omnino probabilis.

Attamen æque probabilis, & tuta videtur oppo- 51
sita sententia gravium, & multorum DD. cum Layman *citat. numer.* 79. & 81. ante condemnationem Judicis Ecclesiastici pretium restituendum esse ipsi danti, a quo acceptum est, nisi sponte remittat, vel condonet. Ratio est: quia ex una parte justitia commutativa læsa (ut est in proposito dans pecuniam) exigit restitutionem fieri ipsi parti læsæ tantum, quantum est de jure naturali. Ex altera autem parte, nulla lex Ecclesiastica adferri potest, quæ ante omnem Judicis sententiam obliget in conscientia, ut acceptum simoniace ad pios usus convertatur, sicut decernitur de acceptis per usuram: quamvis hoc ipsum in pœnam delicti, in proposito a Judice justissime decernatur. Quare recte generaliter dixit Emmanuel Sa, *verb. Simonia, numer.* 10. ante sententiam ei, a quo accepta est simoniace pecunia, restituenda est, post sententiam pauperibus, vel Ecclesiæ. Regula illa Navarri pro priori sententia allata, locum solum habet in foro externo, in quo Judex in pœna delicti turpiter dantem juste privat beneficio restitutionis, quæ ipsi alioquin naturali jure deberetur, cum titulus accipiendi in altero injustus, & irritus fuerit. Unde recte ipse Navarrus cit. in fine consilii dicti, addit (an consequenter suæ doctrinæ, nescio) si is, cui restitutio fieri deberet, eam liberaliter remittat, cessare omnem restituendi obligationem.

TRACTATUS III.

In II. III. & IV. Præceptum Decalogi.

De Observatione, & violatione Juramentorum, Votorum, ac Festorum, Pietate, & observantia Majorum.

TEXTUS II. PRÆCEPTI.

Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum. Exod. 20.

EXPLICATIO PRÆCEPTI.

I. SEcundum etiam Præceptum in terminis negativum, virtute, & implicite affirmativum est: in illo enim negativo; *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, virtualiter continetur hoc affirmativum: *assumes Nomen Domini Dei tui* in reverentia, & veritate. Dupliciter ergo generatim contingit assumi, vel proferri Nomen Dei; licite, & illicite, seu in vanum.

ASSUMPTIO LICITA.

II. IN *reverentia, & veritate*, adeoque licite, & sancte assumitur Nomen Dei, generaliter duobus modis in contestationem affectus nostri, & in testimonium veritatis. Assumptio Divini Nominis, in contestationem affectus nostri, erga Deum videlicet, contingit quadrupliciter, juxta quadruplicem virtutem erga Deum; nimirum. 1. In contestationem Fidei, confitendo ipsum tamquam Deum, & Dominum nostrum coram hominibus; & spectat ad virtutem Fidei. 2. In contestationem Spei, ac fiduciæ nostræ erga Deum, invocando, & petendo beneficia, & favores a Deo, & sic spectat ad virtutem Spei, & Orationis. 3. In contestationem amoris, & dilectionis nostræ erga Deum, qualis fuit assumptio S. P. N. Francisci: *Deus meus, & omnia!* & sic spectat ad virtutem charitatis. 4. In contestationem nostræ erga Deum devotionis, cultus, reverentiæ, honoris, gratitudinis, Deum honorando, laudando, prædicando, gratias agendo; & sic spectat ad virtutem Religionis, & Latriæ. Assumptio Divini Nominis in testimonium veritatis contingit etiam quadrupliciter. 1. In asserendo tantum; cum invocatur Nomen Dei præcise, in testimonium veritatis, seu verum esse, quod dicimus; & dicitur *juramentum assertorium*. 2. Promittendo; cum invocatur Nomen Dei ad confirmandam promissionem factam homini; & dicitur *juramentum promissorium*. 3. Vovendo: cum invocatur Nomen Dei, ipsi aliquid promittendo, aut ad confirmandam promissionem factam ipsi Deo, & dicitur *votum*. 4. adjurando; cum assumitur nomen Dei ad ipsum Deum, vel creaturam rationalem aliquam movendam, ad aliquid agendum, vel non agendum; & dicitur *adjuratio*. His continentur omnes fines boni, quibus Nomen Domini assumere, proferre, & nominare licitum, bonum, sanctum, & meritorium est, vel saltem esse potest, juxta dicenda.

ASSUMPTIO ILLICITA.

III. IN *vanum*, adeoque illicite nomen Dei assumere dicitur: 1. Qui aut nullo, aut 2. inutili, aut 3. indebito, aut 4. perverso fine Sacrosancta Nomina Dei, Christi JESU, vel Sanctorum profert, & nominat. 1. *Nullo fine*, utpote qui ex mera loquacitate, vel prava consuetudine absque omni advertentia, vel reflexione religiosa, omnique affectu reverentiæ, Nomina Dei, JESU, &c. proferunt. 2. *Inutili fine*, quando scilicet nulla prorsus est ratio necessitatis, utilitatis, vel congruitatis proferendi sacra Nomina extra, vel intra juramenta, verb. grat. qui ad singula fere verba, proferunt per *Deum: bey Gott VVis Gott, straffmich Gott.* 3. *Indebito fine*, quando absque justa causa necessitatis proferuntur Nomina Dei, & Christi; utpote in juramentis ad res futiles, promissiones leviculas confirmandas. 4. *Perverso fine*, idque dupliciter; ut supra, 1. ad contestationem pravi in Deum affectus: utpote vel perfidiæ contra Fidem, vel desperationis contra Spem, vel odii, & abominationis contra Charitatem Dei, vel cujusvis irreverentiæ, contemptus, ac despectus Dei, vel Divini honoris contra Religionem, & Cultum Dei. Omnis talis assumptio Divini Nominis, ex pravo affectu, spectat ad blasphemiam, contra Virtutem Religionis directe, & respective simul annexam habet malitiam, vel hæresis, vel desperationis, vel odii Dei. De quibus patet ex late dictis, Tract. 2. de primo Præcepto. 2. Ad confirmationem falsitatis in perjuriis assertoriis, & promissoriis, in votis falsis, vel violatis, &c.

RESOLUTIO.

IV. SUbstantia secundi præcepti Decalogi: *Non assumes*, &c. est ex Virtute Religionis, & cultus Deo debiti, non nisi rationabiliter, & religiose assumere Nomen Domini, maxime in juramentis, & votis. Quod præceptum Divinum naturale, & positivum, quatenus affirmativum, est solum conditionatum, videlicet si jurandum, & Nomen Dei assumendum sit, id fiat rationabiliter, & reverenter: & si quid nomine Dei assumpto, juratum, vel promissum est, religiose præstetur, juxta illud Jeremiæ 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia*. Absolute vero, & quoad exercitium actus, Nomen Domini assumere in juramento, vel voto, non solum non obligat pro semper, more aliorum præceptorum affirmativorum, verum etiam qua tale, nullum omnino tempus determinat. Determinatur autem per alia præcepta, vel Divina, Charitatis, vel Justitiæ, v. g. ad servandam vitam proximi, vel etiam humana Ecclesiastica, vel civilia, ut patet in praxi. Quatenus vero negativum est, obligat ad semper, & pro semper, prohibens, ne umquam irrationabiliter, & irreverenter assumatur Nomen Domini, & maxime in juramentis. *Res certa apud omnes*. Et hinc peccata contra secundum Præceptum Decalogi communiter ita enumerantur. 1. Assumptio Divini Nominis vana, inutilis, & indebita. 2. Omnis blasphemia in Deum, Sanctos, &c. 3. Omnia perjuria, vel juramenta illicita. 4. Omnis violatio cujuscumque voti. Quoad primum sit hæc brevis

REGULA.

V. QUisquis Nomen Dei, & Christi JESU, &c. non ad contestationem pii erga Deum affectus, neque ad debitam confirmationem veritatis, sed nullo, vano, inutili, vel indebito fine, absque ratione, & reverentia assumit, profert, nominat, &c. peccat ad minus venialiter contra Virtutem Religionis, & Cultus Deo debiti. Similiter vane assumens Nomina B. Virginis, Sanctorum, rerumque sacrarum, &c. peccat venialiter contra Virtutem Duliæ, aut Hyperduliæ, respective; est enim irreverens, & irreligiosa tractatio rei sacræ, per modum sacrilegii. *Dico autem ad minus veniale;* si enim deliberate continuo fiat, aut generali quodam proposito ita vane toties quoties, assumendi sacra Nomina, ob implicitum contemptum sacratissimorum Nominum, & facile oriundum inde scandalum, etiam mortale fieri posse, dubium non est. De quo recte noster March. *Tribun. tom. 2. tract. 3. tit. 1. quæst. 4. append.* 1. monet eos, qui ad singula verba, ad risus, jocos, & alia vana consueverunt proferre sanctissima Nomina Dei, Jesu Christi, Mariæ, sive ex levitate sive ex hypocritica, & ficta devotione, quod certissime peccent venialiter, & ratione circumstantiarum, periculo peccati mortalis se exponant: sanctum enim est, & dulce Nomen JESU sæpissime nominare, & invocare, sed religiose, devote non tantum ore, sed corde, amore, & pio affectu pleno, ut sit Jesu *mel in ore, in aure melos, in corde Jubilus*.

Quoad secundum, blasphemia directe militat contra primum Præceptum Decalogi, præcipiens, Deum Virtute Fidei, Spei, Charitatis, & Religionis in debito honore habendum, cui e diametro repugnat omnis blasphemia, ideoque ibi jam explicatum habes. Restant ergo pro secundo Præcepto explicanda juramenta, & vota cum peccatis oppositis per tria capita. 1. De juramentis, & perjuriis. 2. De votis, & peccatis oppositis. 3. De votorum, & juramentorum cessatione, irritatione, dispensatione, commutatione. 4. Addetur de observatione, & violatione dierum

Festo-

Festorum, circa Tertium Præceptum, & ob connexionem materiæ, forte etiam Jejuniorum. Ac tandem (pro majore horum opusculorum æqualitate:) Quartum Præceptum etiam in hoc statim Tractatu explicabunt Caput 5. de obligatione Pietatis, & observantiæ erga Majores: Et 6. de obligatione Charitatis, & Misericordiæ erga proximum.

CAPUT I.

De Juramentis, & Perjuriis.

SECTIO I.

Juramentum quid, & quotuplex.

SUMMARIUM.

1 *Juramenti definitio.*
2 *Essentialiter tria requirit, I. ut fiat per Deum verum tantum;*
3 *II. Cum voluntate invocandi Deum in testem:*
4 *III. Petitione testimonii divini.*
5 *Juramenta explicita, quæ.*
6 *Eorum formulæ ambiguæ, præsertim Germanis usitatæ.*
7 *Juramenta implicita, &*
8 *Quæ eorum formulæ ambiguæ Germanis usitatissimæ.*
9 *In quovis juramento per quæcumque verba expresso, in foro conscientiæ, semper attendenda est intentio jurantis.*
10 *Juramentum* assertorium *quid.*
11 *Quid, & quotuplex Juramentum* promissorium.
12 *Quæ dicantur Juramenta* simplicia, &
13 *Quæ* execratoria.
14 *Item quæ dicantur Juramenta* solemnia; &
15 *Quæ* judicialia.
16 *Juramentum suppletorium aliud* necessarium, *aliud* voluntarium.

ASSERTIO I.

JUramentum recte definitur: *Invocatio Divini Nominis in testimonium veritatis:* adeoque tria essentialiter requirit: *ut fiat per Deum verum tantum, cum vera voluntate invocandi Deum in Testem, & petitione testimonii Divini.* Certum apud Omnes. Explico breviter.

§. I. *Invocatio Divini Nominis.*

1 DEfinitio tradita a D. Augustin. *lib. de serm. Domini in monte c.*17. optime explicata a D. Th. 2.2. *qu.*89. *art.* 1. ab omnibus recepta. Unde dictum est juramentum a *jure*, quod scilicet id, quod juramento, & testimonio ipsius Dei invocato asseritur, vel promittitur, omni jure pro vero, aut instar firmissimi juris, vel decreti haberi debeat: quare & jusjurandum dici solet. De quo Cicero lib. 3. de officiis ait: *Nullum vinculum ad stringendam fidem jurejurando arctius, Majores esse voluerunt.* Etiam vocatur Sacramentum, quod sit sacra quædam, & religiosa affirmatio, vel testimonium ipsius Dei, vel sacræ rei. Unde explicatius ex *Cov. & Azorio* definit Filluc. hic tract. 25. cap. 2. *Juramentum est affirmatio, vel negatio rei sacræ, attestatione firmata, ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam:* per rem sacram, scilicet intelligendo, & ipsum Deum, & alias res Deo sacras, vel quatenus in eis relucet Deus, seu quatenus sunt aliquid Dei, ut mox patebit amplius. Nunc conditiones requisitæ explicandæ sunt.

§. II. *Per Deum verum tantum.*

2 AD veram essentialem rationem juramenti, ante omnia requiritur, ut fiat per Deum verum tantum, directe scilicet, vel indirecte, cum sit invocatio divini Testimonii, idque indicatur Deuteronom. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.* Ratio est: quia juramentum inventum est ad confirmandam veritatem, quatenus fieri potest testimonio firmissimo, & infallibili: atqui solius Dei testimonium potest esse, & est firmissimum, & infallibile; ergo &c. Cum enim omnis juramenti finis, & effectus sit confirmatio rei dubiæ, & controversæ, teste Apostol. Hebr. 6. *Omnis controversiæ finis, ad confirmationem, est juramentum*: actiones vero, & pacta hominum sæpe sint incertæ veritatis, nec per necessariam rationem probari possint, ideo necesse fuit recurrere ad testes. Humanum porro testimonium, cum non sit simpliciter sufficiens ad indubitatam, certamque confirmationem, tum defectu cognitionis, quia decipi, & falli homines possunt; tum defectu fidelitatis, & veritatis, quia mentiri, & fallere possunt: Quare necessarium fuit, & est ad certam, & indubitatam confirmationem rei dubiæ, vel controversæ, recurrere ad testimonium ipsius Dei, qui nec fallere nec falli potest; cum nihil eum lateat, ut recte discurrit *D. Thom. cit.* Quare blasphemum, & idololatricum omnino est jurare, aut aperte per falsos Deos, utpote per Jovem, Mahometem &c. aut per ullam creaturam absolute, & absque relatione ad Deum. At quid si quis jurasset per hæc Sancta Evangelia, postea deprehendisset non esse librum Evangeliorum, sed forte vanum aut omnino ligneum? Resp. Hunc vere jurasse, quia intendit per vera Evangelia jurare, ideoque Deum verum in testem invocare, & error ille tantum materialis fuit.

§. III. *Cum vera voluntate invocandi Deum in testem.*

AD veram essentialem rationem juramenti, secundo requiritur animus, seu voluntas jurandi, seu verum Deum in Testem invocandi, non sufficit verba, juramentum significantia, solum materialiter exterius proferre, tunc enim nisi doctrinæ, vel joci causa, aut solum materialiter fiat, erit perjurium, seu juramentum fictum, quod etsi nullam ex virtute Religionis obligationem contineat, interdum tamen ratione scandali, vel damni inde causati, obligare potest: & sic jurans servare compellitur in foro externo, ubi judicatur secundum exteriora. E contra vero si animus, & voluntas jurandi, verumque Deum in Testem invocandi adsit, etsi absque omni verborum, vel signorum expressione, jam coram Deo verum juramentum est, non secus ac votum, sola mente conceptum, atque in foro conscientiæ vere obligat, etsi in foro externo utique nulla de hoc possit dari actio. Communis DD. cum Sanchez cit. *lib.*3. *cap.*1. *num.*2. Layman *lib.*4. *tr.*3. *cap.*1. Unde infertur, eum vere jurare, qui voluntatem, & animum habens Deum invocandi in Testem, adhibet verba, vel signa alias juramenti vim minime habentia, v. gr. dicens: *in veritate sic est, hoc faciam:* vel si Christianus cum infideli coram lapide jurans, intentionem non ad lapidem, sed ad Deum referat, quem casum videtur velle D. August. *serm. cap.*28. 12. *de verb. Apost.* ut notant *Sanch. Layman supra cit.* 3

§. IV. *Et petitione Testimonii Divini.*

AD veram rationem juramenti tertio requiritur vera, formalis, vel virtualis petitio, vel invocatio divini testimonii, non quidem absolute, & determinate, ut nimirum Deus veritatem tui dicti jurati actuali aliquo signo hic statim contestetur: hoc enim esset peccatum tentationis Dei, nisi ex urgentissima causa, vel speciali motione Spiritus sancti fieret, exemplo nonnullorum etiam Sanctorum; sed indifferenter, ut nimirum testetur Deum, quomodo, & quando voluerit, saltem tunc, quando *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, 1. *ad Corinth.* 4. Non autem sufficit ad juramentum nuda assertio divini testimonii, vel scientiæ, v. gr. *coram Deo hoc dico; Deus scit, me verum dicere: Deus videt, ita esse: Deus mihi testis est:* per modum simplicis assertionis, ut sensus solum sit, quod Deus sit cognitor eorum, quæ dicuntur, non est juramentum: & si falsum dicatur, non erit perjurium, sed mendacium, & blasphemia contra Divinæ scientiæ infallibilitatem. *Communis cum Sanch. cit. cap.* 2. *numer.* 21. Quamvis hi modi loquendi sæpe etiam accipiantur per modum invocationis, & juramenti. Cæterum potest ejusmodi invocatio Divini testimonii fieri verbo, nutu, facto, mente tantum. Verbo, ut cum quis ore profert: *Juro per Deum.* Nutu, ut si tibi dicatur: *Juras per Deum?* & tu capite, vel alio modo annuas. Facto, ut si tibi offeratur juramentum per Crucem, librum Evangeliorum, sceptrum &c. & tu illa tangas, eo ipso, etsi nihil proferas, vere jurare censeris, idemque evenit, si subscribas scripturæ jurameti formam continenti; tunc enim propria subscriptio ipsissimum est juramentum, at vix nisi in causis gravissimis in usu. Mente, ut si quis intra animum suum juret aliquid facere, vel omittere, modo paulo ante supradicto, §. 3. *in fine.* 4

ASSERTIO II.

JUramenta varie dividuntur. 1. *In explicita, & implicita.* 2. *In assertoria, & promissoria.* 3. *In simplicia, & execratoria.* 4. *In simplicia, & solemnia: Judicialia & extrajudicialia.* Nimis certa; indiget solum explicatione terminorum.

§. I. *Juramenta explicita*

DIcuntur, quæ fiunt cum directa, & expressa invocatione Dei, quando nimirum ad ipsum Deum Testem immediate recurritur, quod quidem principaliter pendet ab intentione jurantis: deinde etiam ex formula jurandi dignoscitur. Expressæ formulæ jurandi citra controversiam sunt hæ, & similes: *Juro per Deum: Deum testem invoco: Deus mihi testis esto: In Deo, in Christo Jesu,* 5

Jesu, &c. Roman. 9. *Veritatem dico in Christo Jesu* &c. Expressa etiam satis formula jurandi est, quoties veritas aliqua Fidei adducitur ad confirmandam veritatem nostri dicti illi comparatam. *Quam vere Deus vivit, Justus, Misericors*, &c. Et usitatissimum illud veterum: *vivit Dominus*: & modo usitatum: *So VVahr Gott lett: So VVahr Gott in Himnel ist: So VVahr Gott Kein laid thut: So VVenig Gott nicht luegen kan: So VVahr Gott mensch VVorden*, &c. Ubi notandum, comparationem fieri inter veritatem Divinam, & nostram, non quantitative comparando tantam quantitatem cum tanta, ut sensus esset, tantam esse veritatem, & certitudinem nostri dicti, quanta est certitudo veritatis Divinæ, quod est falsissimum, & blasphemum foret; sed similitudinarie, & absolute solum comparando verum cum vero, ut sensus sit: sicut verum est Deum vivere, justum esse, &c. ita suo modo verum est, quod dico: unde tutior est modus dicendi: *vivit Deus*; vel *sicut vivit Deus*; quam *vere Deus vivit*, &c. Tales formulæ magis ambiguæ jurandi explicandæ sunt.

6 In primis ambiguæ sunt illæ formulæ jurandi supra positæ: *Coram Deo dico: Deus scit, vel videt, hoc verum esse: Deus mihi testis est*, &c. Quod si enim ejusmodi proferantur solum per modum enunciationis, ut sensus sit, Deum nosse ea, quæ dicuntur, non erunt juramenta, ut jam supra dixi. Quod si tamen proferantur per modum invocationis Divinæ scientiæ, & testimonii, quod clarius patet, si proferantur in modo optativo, vel imperativo, *Coram Deo dictum esto: Deus mihi testis esto: Deus sciat hoc*, vulgo: *VVeis Gott: Gott Sey mein zeug*: sine dubio erunt juramenta, & si male fiant, perjuria. Verum in his primis spectanda est intentio proferentis, an ejusmodi dictis intenderit Deum invocare in testem, si hæc non constet, judicandum erit ex moribus proferentis, si enim raro, vel fere numquam jurare soleat; aut e contra sæpe, & ordinarie, censebitur respective jurare, vel non jurare talia proferendo, aut ex communi loquendi consuetudine. Et revera prædicti modi per modum juramenti, & invocationis Divini testimonii communi consuetudine usurpantur etiam in S. Scriptura. 2. ad Timoth. 2. *Testificor coram Deo, & Christo Jesu*. Gal. 1. *Ecce coram Deo dico, quia non mentior*. Rom. 1. *Testis est mihi Deus*. Et alibi. Audi D. Aug. serm. 28. de verb. Apost. *Quantum ad me pertinet, juro: sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsus*, &c. *cum magno timore dico: coram Deo, aut testis est mihi Deus, aut scit Christus, sic esse in animo meo*. Unde prædictos modos absolute inter juramenta ponunt D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 1. *ad* 3. *Azor, Navarr. alii*. Verum allatum nostrum discrimen inter modum enunciationis, & invocationis observandum esse, recte docent, *Cajet. Sotus, Ledesm. Suar. Valent. Less.* alii communiter *cum Sanch. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 30. Denique ipsum verbum *juro* absolute prolatum, cum non exprimat per quem, vel quid juretur, juramentum non est, nisi proferatur cum animo, & voluntate Deum in testem invocandi, aut ex circumstantiis ea intentio colligatur: ut si cui dicenti: *Jura mihi per Deum vivum*: respondeas, *Juro*, optime vere jurare censeris. Vide *Tamb. lib.* 3. *Decal.*

II. Jurare per vitam Dei, & Sanctorum absolute blasphemum esse, multis allegatis, docet, *Sanch. lib.* 2. *moral. cap.* 32. *num.* 25. Et sine dubio est, si sensus sit execratorius, ut nimirum Deus, vel Sanctus talis vitam perdat, vel amittat, *si hoc non ita sit*; neque salvat, si dicatur, sensum mediatum esse: quam chara Deo, vel Sanctis vita sua est, *tam verum est, quod dico*. Hoc enim ipso supponit Deum, vel Sanctos posse amittere vitam suam, vel caput suum; quod ipsum blasphemum est. Contra tamen non esse blasphemium absolute cum aliis docet *Tamb.* apud Gob. *cit. num.* 489. eo quod (saltem semper) non sit ille sensus execratorius, sed invocatorius, similis illi, sine dubio, legitimo juramento: *Vivit Deus, vivit Dominus*. Id est, *sicut vere Deus vivit, sic verum est, quod dico*. Quemadmodum etiam si jures per vitam patris tui, te aliquid facturum, eum sensum habes sicut pater meus vivit, ejusque vita mihi chara est, seu eum vivere volo, & gaudeo, *ita certo hoc facere promitto*. Denique per Deum jurare secundum omnes licitum est, & cur non etiam per vitam Dei? aut quæ differentia inter hæc, *quam vere Deus est*, & : *quam vere Deus vivit?*

III. Jurare per caput, cor, aliave membra honesta Christi, B. Virginis, Sanctorum; per vulnera, per Sanguinem Christi, per ubera B. Virginis, per ejus Virginitatem, &c. Item per Sacramenta, alias res sacras, si reverenter fiat, & non in sensu execratorio (quod scilicet illa pereant, vel non sint, nisi verum dicas) sed in sensu assertorio, & invocatorio in testimonium veritatis, ut modo supra, quod nimirum, quam vera illa sunt, tam verum dicas, blasphemum, & illicitum per se non est, ut contra alios diversa sentientes recte docet *Sanch. cit. num.* 29. Sed dixi *per membra honesta*. Damnatissima enim, & diabolica est blasphemia jurare per inhonesta membra Christi, vel attributa B. Virginis, vel Sanctorum, more Italorum, & Gallorum, ut pudeat scribere. Item si quis per ejusmodi juret irrisorie vel per modum spernentis, qua ratione illa gravissime prohibentur utroque Jure Canonico *cap.* 10. 22. *quæst.* 1. *Si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in Ordine Ecclesiastico est, deponatur: si laicus, anathematizetur*, Et Civili authentica, ut non luxurientur homines. Collat. 6. *Nemo juret per membra Dei, aut alio modo Deum blasphemet: His enim delictis, & fames, & terræmotus, & pestilentiæ fiunt: præcipimus ergo tales comprehendi, atque ultimis subdi suppliciis*. Hæc ibi. Liceat modo exclamare: *O tempora! O mores!*

IV. Denique quid sentiendum de illis jurandi formulis? *non credo Deum, abnego Deum, Deus est injustus, Deus non sit Deus, nisi hoc verum sit, vel nisi hoc fecero*. Sanch. *eod. cap.* 32. *num.* 24. cum aliis absolute eas censet blasphemas, eo quod sensus videatur esse quod fides mea in Deum, aut de Justitia, aut existentia Dei dependeat a veritate hujus mei dicti, seu rei, prout ego assero, quod utique blasphemum esset. Gobat *hic cas.* 15. *n.* 485. censet esse blasphemiam in ima tartara detrudendam. Contra tamen *Salazar, aliique cum Tamb. cit. ibid.* censent non esse blasphemias: Non est enim ille sensus allatus, sed potius iste: *Sicut est mihi certum ex Dei gratia, me non recessurum a fide vera, ita certum est, quod assero*. Et *sicut certum mihi est Deum non posse esse injustum, aut non esse Deum, ita certo statuo hoc facere*; non ergo talis offert se ad negandam Fidem, si res non ita sit; sed potius certitudinem suæ fidei astruit hac ratione; *Nego fidem, si non ita sit*: atqui per gratiam Dei certum habeo, me Fidem non negaturum: & hoc ergo certum esto.

§. III. *Juramenta implicita*.

Seu cum indirecta solum invocatione Dei in testem, sunt cum juratur per creaturas, non quidem absolute secundum se spectatas, sed respective, & in Deum relatas, quatenus nimirum in eis divinum Numen, divina Majestas, Potentia, Sapientia specialiter elucet, & verbo, quatenus sunt aliquid Dei, sic enim jurando, & in testimonium invocando creaturas Dei, implicite, & indirecte, ac virtualiter invocatur ipse Deus, ut manifestum est: Cujusmodi sunt juramenta. 1. Per beatos Angelos, & Sanctos Dei, quatenus Beati, gratia, & gloria Deo uniti sunt, tamquam amici, & domestici Dei, in quibus divina Majestas perfectissime elucet, & sic vere juramentum erit ad virtutem Religionis pertinens. Quod si quis juret per Angelos, Sanctos, B. Virginem absolute secundum suam creatam perfectionem, & excellentiam gratiæ, & gloriæ, non referendo ad Deum; non esset verum juramentum virtutis Religionis, esset tamen sacra contestatio virtutis Duliæ: neque adducerentur illi ut infallibiles testes ex se, sed aliunde nempe a Deo, quem intuitive vident, & in eo omnia ad se pertinentia: consequenter etiam obligatio orta ex tali juramento, & perjurium factum, non ad virtutem Religionis, sed Duliæ pertineret, ut recte notat Sanch. *cit. lib.* 3. *c.* 2. *n.* 9. 2. Juramentum per quasvis res sacras Deo specialiter consecratas, ut per Crucem Christi, per Sacramenta, per sacram Scripturam, per Evangelia, *c. quoties cordis* 1. *q.* 7. Quippe in quibus infallibilis Dei veritas nobis manifestata continetur. Item per sacras Reliquias Sanctorum, sepulchra tacta, quatenus ad ipsum Deum referuntur, juxta paulo ante dicta. 3. Juramentum etiam per creaturas irrationales, specialiter tamen excellentes, & in quibus divinum numen specialiter eluceat, vel resideat: ut per cœlum, & terram, per Elementa Dei. Sicut juravit Moyses Deut. 3. & 4. *Testes invoco cœlum, & terram*. Et Christus apud Matth. c. 5. prohibens supervacanea juramenta dicit: non jurandum *per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Hierosolymam, quia est civitas magni Regis*. Et Matth. 25. *Quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum*, videlicet potentiam suam clarius demonstrando. Quod si quis juret per creaturas ignobiles, & viles in testimonium inductas, censebitur juramentum jocosum, seu illusorium: ut *juro per has paleas*: teste Navarr. *c.* 12. *nu.* 5. Nisi alia esset jurantis intentio, vel expresse addatur relatio ad Deum, ut *Juro per hunc ignem Dei*: Quia sic Deus invocatur conditor ejus, ait Sylv. V. *Juramentum* 1. *q.* 4. Sanch. *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 10. 4. Juratur etiam per creaturas Dei per execrationes invocando scilicet Deum, ut judicium suum, vel vindictam in nos ipsos, vel alias creaturas ad nos pertinentes specialiter exerceat, nisi verum sit, quod dicimus; ut *Deus me puniat*, &c. De his vero infra. Non ergo juramentum, sed blasphemia est, & idololatria jurare per ullas creaturas, absolute tamquam infallibiles testes veritatis, & constituendo in eis finem juramenti: blasphemia quidem ex parte intellectus perfectionem Dei propriam, scilicet infallibilem veritatem tribuendo creaturæ; idololatria vero ex parte voluntatis, hoc ipso facto Divinum quendam cultum creaturæ deferendo; 7

rendo: idque multo maxime verum est de juramentis per ipsos falsos deos, vel idola: atque hac ratione in jure Canonico diversis locis etiam sub excommunicatione prohibetur fidelibus jurare per creaturas, nimirum (ut recte explicant *Suar. Sanch. alii*) tamquam Deos more gentium. Unde tale juramentum ex virtute Religionis nullam prorsus obligationem parit per se loquendo, sed tantum per accidens ob erroneam conscientiam, quod putent se jurare per aliquem verum Deum: quo errore deposito, cessabit obligatio juramenti ex virtute Religionis, etsi in ejusmodi pactis juratis alias honestis, & licitis possit manere obligatio Justitiæ, & veritatis, ut ex communi docent *Laym. Sanch.* alii contra Innocent. Abbat. & alios Canonistas *in cap. Et si Christus de jurejurando*, ubi ajunt, etiam Christianum per falsos deos jurantem juramento obligari: falsum est, nisi accedat conscientia erronea juris, vel facti. Cæterum rursus hic explicandæ sunt aliquot

Juramenti formulæ ambiguæ.

8 §. I. QUid censendum de usitatissima Germanorum formula jurandi: *Auff mein Ayd, bey meinem Ayd*, quasi dicant, *per meum juramentum*, aut *volo dictum meum Juramentum esse*. Tractat solus, quem sciam, Germanus Doctor Layman. *Lib. 4. tr. 3. cap. 2.* Et post ipsum Gob. *cit. cas. 25. n. 488.* atque ita resolvunt I. ea verba sine dubio esse juramenta, si quis ea proferat animo, & intentione per illa jurandi; quia ad verum Juramentum, si animus, & intentio jurandi adsit, sufficit solum verbum *juro*, ut supra dictum: plus autem est dicere, *Auff mein Ayd*. II. Etiam sine dubio erit verum juramentum, quando ea verba exiguntur, & proferuntur in foro judiciali: ut quando Judex dicit; *Schvvere, Sag, oder gelobe an auff dein ayd*, id est, *jura, dicas, vel promittas juratus*: si alter annuat, & dicat, omnino censebitur jurare: Quia hæc est judicis intentio verum juramentum exigentis; juxta regulam traditam a Sanchez *lib. de Juram. cap. 2. num. 4.* III. Ea verba etiam in vulgari sermone extra Judicium, si deliberate, & serio proferantur, plerumque juramentum continent, quia juxta aliam regulam traditam a *Sanch. cit. n. 1.* ad juramentum sufficit, velle usurpare verba eo sensu, quo communi aliorum jurantium consuetudine usurpari solent: atqui communis apud Germanos consuetudo est, maxime in judiciis, ut illa formula verborum pro juramento usurpetur; ergo deliberate, & serio ea proferens vere jurasse, & falso perjurasse, præsumendus est, nisi de alia usurpantis intentione constet. Nam IV. Sensus eorum verborum: *Auff mein Ayd*, potest esse, *tam certo esto dictum, & promissum, ac si juratum sit*, adeo ut non adsit intentio actu jurandi; sed habendi dictum, vel promissum instar juramenti, quo sensu etiam quandoque exigi solet: *Gelobe an an Ayd Statt*, & tunc non est juramentum; sicut secretum extra confessionem commissum, & acceptatum instar sigilli sacramentalis, re ipsa non est sigillum sacramentale, ac proinde talia juramenta non inducunt obligationem Virtutis Religionis, sed solum fidelitatis, & justitiæ. Ita fere *Layman cit.*

II. Formula jurandi per interpositionem fidei, & honoris, non sunt juramentum, secundum *communem DD. apud Sanch. contra Canonistas*. Ratio est: Quia hic non intelligitur Fides divina, per quam sine dubio vere juratur, sed intelligitur fides, vel fidelitas humana, quæ ex vi verborum, vel loquendi consuetudine, nec ad Deum refertur, nec invocationem divini testimonii continet, nisi talis esset proferentis expressa intentio, prout explicat Cajet. citat. dicens: *Qui enim dicit, per fidem meam hoc faciam, non de fide Theologica sed morali loquitur, hoc est, fidelitate, & perinde est, ac si diceret: ita hoc faciam, sicut fidelis sum, aut haberi volo; se ipsum ergo offert in testem, non Deum: Sicut Reges promittentes in fide regia non jurant, sed propriam excellentem dignitatem adferunt ad confirmationem*. Hæc Cajetanus. Similiter ergo neque juramentum erit dicere per fidem suam, cum quocumque addito excellentiæ humanæ: ut apud Nobiles: *Bey unsern Adelichen Eheren und Treu*: Apud milites: *bey Cavaliers glauben*. Apud Magnates: *bey unsem Konigl. chen, Furstclichen, Graffichen Treven*: Quia licet ejusmodi juramenta non sint, nec ex virtute Religionis obligent, obligant tamen ex virtute Fidelitatis, aut justitiæ, & eo gravius, quo major excellentiæ fides interponitur; & quoad personam Principes, ac illustres in foro externo tamquam juramenta accipiuntur. Idem dicendum de juramento in fide, vel per fidem boni Christiani, Religiosi, Sacerdotis: Quia nec ibi intelligitur similiter Fides divina Christiana, quam Christianus, Religiosus, Sacerdos profitetur; sed fides moralis, ac fidelitas, quæ maxime deceat Christianum, Religiosum, Sacerdotem, ut cum aliis docet Sanch. *cit. c. 2. num. 32.* Idemque dicendum de omnibus similibus per fidem jurandi formulis, sive per modum attestationis: ut, quam vere sum honestus, fidelis, nobilis, Christianus, Religiosus, Sacerdos, &c. Sive per modum execrationis: ut, non sim honestus, nobilis, Christianus, Sacerdos: sim, vel habear perfidus, hæreticus, &c. Non enim est vera execratio, vel invocatio divini judicii ad hæc, sed est solum permissio: quasi dicatur, Habeas me pro tali, nisi verum sit, quod dico. Sicut non esset juramentum, si dicas alteri: Occide me, nasum, ambas aures detrunca, nisi verum dicam.

III. Formula jurandi per interpositionem Fidei Sacerdotalis, seu per fidem, dignitatem, consecrationem sacerdotalem, &c. magis ambigua est. Et si quidem per illa juretur, ut ad Deum relata, quatenus scilicet ad Dei ministerium specialiter spectant, absque dubio erit verum juramentum; quod si vero juretur per illa absolute, quatenus talem dignitatem creatam humanam constituunt, absolute dicendum, non esse vera juramenta cum Theologis: quin ipsum Jus Canonicum expresse a juramento distinguit, prohibens Episcopos, & Presbyteros passim more laicorum jurare: *c. si quis Presbyter 2. q. 4. Laicus* (quocum Presbyter controversiam habet) *per Juramentum, si necesse, se purget: Presbyter vero vice Juramenti per sanctam consecrationem interrogetur: quia Sacerdotes ex levi causa jurare non debent. Manus enim, per quam Corpus, & Sanguis Christi conficitur, Juramento polluatur; absit.* Ubi expresse dicitur, interrogationem per consecrationem non esse exactionem juramenti proprie dicti. Est ergo exactio fidei præstandæ, vel veritatis dicendæ, sicut Sacerdotem consecratum decet, *Bey ihren Geistlichen VVurden unde Ehren*. Nihilominus tamen utrinque vim aliquam Religionis, aut saltem majoris obligationis tribuit, quam sit fidei mere humanæ, ut *cap. ad aures, de his, quæ fiunt*, ubi decernitur, ut electio ob laicorum terrorem facta irrita censeatur, nisi juramento, vel fide interposita confirmata sit, vide *Layman cit.*

IV. Formula illa jurandi: *In veritate sic est*, non est juramentum, secundum *communem DD. cit.* Est enim simplex assertio, seu protestatio hominis vera loquentis, sicuti si dicas: Vere res ita se habet, uti narro. Aliud, & maxime juramentum esset, si vel expresse addatur, vel intelligatur veritas divina; ut in veritate Dei, in veritate Christi. Aut si ex conscientia erronea aliquis ea verba, vel alia æque, vera juramenta continere crederet. Similiter nec juramentum continet per se illa formula: In conscientia mea, per conscientiam meam &c. si sensus solum sit, hoc, quod dico, sentio in conscientia mea, dictat mihi mea conscientia. *Sot. Ledes. Less. Sanch. cit.* At vero jurare per animam, vel in animam, vulgo: *Auff mein Seel, bey meiner Seel*, vi verborum ordinarie est verum juramentum, aut enim juratur per modus attestationis per animam, quatenus est perfecta creatura Dei, in qua specialissime divinum Numen, atque imago Sanctissimæ Trinitatis elucet, & sic est verum juramentum cum indirecta invocatione divini testimonii, aut juratur per modum execrationis per animam, ut sensus sit: pereat anima mea, nisi verum sit, & sic iterum est juramentum execratorium, & implicita invocatio divini judicii in testimonium veritatis. Ita post *Baaldum, & alios* Sanch. *c. 32. n. 29.* Jurare autem in animam, vel super animam specialem modum execrationis exprimit, nimirum, nisi hoc verum sit, sit super animam meam, anima mea Deo respondeat, satisfaciat, luat, & rursus est eadem ratio juramenti, & invocationis divini judicii in testimonium veritatis. In quibus tamen omnibus requiritur deliberatio, & voluntas jurandi juxta dicta a principio; his enim formulis passim utuntur homines ex mala consuetudine, joco, levitate, mera loquacitate, absque ulla cogitatione juramenti. Insuper quia in praxi sæpe difficile est discernere, an tales formulæ verum juramentum contineant, ipsæ formulæ cum innumeræ, & diversissimæ sint, ideo pro Confessariis statuuntur utiliter aliquot universales, & claræ

REGULÆ.

I. PEr quæcumque verba etiam expressum juramentum continentia juretur, in foro conscientiæ omnino 9
semper attendenda est mens, & intentio jurandi ad dignoscendum, an vere juraverit, nec ne. Aut enim positive quis intendit invocare Deum in testem, aut positive noluit invocare Deum, aut negative se habens, vel ignorans præscindit ab invocatione Dei. Si *primum*: certum semper est juramentum. Si *secundum*: certo non est juramentum in foro conscientiæ, sed tantum mendacium, si falsum sic asseruit. Si *tertium*: iterum non est juramentum, quia eo ipso Deus non invocatur, ut testis, alioquin semper jurarent, & sæpissime perjurarent, qui ad singula fere verba effutiunt illud suum. *Per Deum: per Sacramentum* &c. Unde Confessarius audiens pœnitentem falso jurasse se accusante, non statim perjurasse censere debet, sed interrogare, an intenderit Deum invocare in testem, & quidem falsitatis; & longe sæpissime deprehendet, non fuisse perjuria, sed tantum mendacia ex materia sua dijudicanda, aliquando officiosa, aliquando jocosa, & sic venialia; aliquando perniciosa in nocumentum tertii, eaque ex genere suo mortalia. Loquimur in foro conscientiæ; nam in foro externo judicantur secundum allegata, & probata.

II. Qui verba verum juramentum non significantia, v. gr. *vere, in veritate, per fidem meam &c.* profert, attamen per illa intenderet vere jurare, & verum juramentum facere, utique verum juramentum faciet in foro conscientiæ, dummodo is sciat, quid sit jurare, nimirum ipsum Deum in testem sui dicti,

dicti, vel promissi invocare, si enim id sciens intendat vere jurare, implicite saltem jam vult jurare, & de facto invocat Deum in testem, etsi id verba expresse non significent; at vero si talis nesciat, quid sit jurare, prout sæpissime nesciunt rudiores, rustici, pueri &c. non efficitur juramentum. Ratio manifesta est, quia essentia juramenti non potest consistere sine aliqua invocatione Divini Numinis in testem: Atqui hic nulla est invocatio Divini Numinis in testem; non ex vi verborum, ut supponitur, neque ex intentione proferentis, qui enim ignorat, jurando invocari Deum in testem, quomodo potest velle Deum invocare, cum nihil sit volitum, nisi cognitum.

III. Qui jurat per creaturas, aut sistit in creaturis tamquam testibus infallibilibus, sic blasphemia est, non juramentum, ut dictum: aut sistit in creatura tamquam teste veritatis, sed fallibili, & sic testimonium tantum est, non Juramentum, quia sic nullo modo, nec implicite invocatur Deus: aut non sistit in creatura, sed ulterius tendit in Deum, atque illas, ut aliquid Dei, in quo majestas Dei specialiter elucet, in testes veritatis invocat, & jam verum juramentum est, ut ex prædictis constat. Ad hoc autem discernendum, alia traditur *Regula*.

IV. Quoties juratur per aliquam creaturam, quæ aliquam insignem habet dignitatem, & excellentiam a Deo, & in qua peculiari quodam modo in nobis excitatur memoria Dei, vel attributorum ejus, tunc fit relatio ad Deum, adeoque verum est juramentum, secus si non ita. Vides jam hac regula universali regulari omnia exempla allata hoc toto §. Si enim jures per Evangelia, Sanctos, Templa, Altaria &c. per cœlos, elementa &c. vere juras. Secus, si jures per tuam barbam, annulum, equum &c. Similiter si Clericus habitu clericali indutus jurat per hunc habitum, juramentum est, quia specialiter fit relatio ad Deum, ejusque memoria excitatur; secus, si laicus juret per suam vestem. Et sic de cæteris.

§. III. *Juramenta assertoria, & promissoria.*

10 I. JUramentum *assertorium* est invocatio Divini Nominis ad faciendam fidem de veritate sui dicti, de actione præsenti, & præterita contingenti, quod dupliciter: primo de veritate ipsius actionis præsentis, vel præteritæ propriæ ipsius jurantis, ut juro me credere in Deum: juro me interfuisse Sacro. Secundo solum de notitia actionis præsentis, vel præteritæ, ut dum quis jurat de actione alterius facta, ut juro, quod Petrus non occiderit Paulum, sensus est: juro me scire, vel certo credere non fecisse. Unde in judicio reus juramento se purgans, debet jurare de veritate ipsius actionis, se scilicet tale crimen non commisisse, testes vero ad ejus innocentiam probandam producti (vel e contra ad ejus crimen demonstrandum) solum jurant de veritate suæ notitiæ, vel credulitatis, se nimirum nosse, vel certo existimare, ipsum esse innocentem, vel e contra criminosum. Et hac ratione juramentum assertorium etiam extendit se ad actionem alterius futuram: v. g. juro Cæsarem in bellum profecturum, sensus est, se certam, vel probabilem notitiam habere de profectione Cæsaris. Unde si præter jurantis intentionem profectio illa non sequatur, non erit perjurus, quia non juravit immediate de veritate istius actionis, sed de sua credulitate, vel notitia, quam tunc vere habuit.

11 II. Juramentum *promissorium* est invocatio Divini Nominis ad faciendam fidem de actione propria futura, ut, juro me Religionem ingressurum, non amplius lusurum &c. hoc juramentum promissorium semper includit etiam assertorium de veritate præsenti, se nimirum in præsenti vere habere voluntatem tale opus faciendi, & insuper re ipsa facturum. Dupliciter talis Deum invocat. 1. Ut testem veritatis præsentis, se nimirum habere voluntatem tale opus faciendi. 2. Ut fidejussorem veritatis futuræ, quod illud opus re ipsa ab eo faciendum sit. Quare perjurium promissorium carens utraque veritate, duplo gravius est peccatum, quam assertorium solum, quantum est contra virtutem Religionis, ut notat Suar. *l.* 1. *de juram. c.* 8. Unde ulterius, si quis solum intenderet jurare, se nunc habere voluntatem, seu propositum tale opus faciendi, hac v. g. forma: Juro me nunc velle hoc facere, esset solum juramentum assertorium præsentis propositi, ad cujus veritatem sufficeret veritas præsentis propositi, etiamsi illud postea mutaret, prout etiam mutare liceret. Verum id rarius contingit, & vix præsumendum est in praxi, præsertim in confessionali, sic enim quodvis juramentum promissorium, ejusque obligatio facile eludi posset, dicendo, se solum jurasse de præsenti voluntate, vel proposito aliquid faciendi, non autem re ipsa facturum esse.

III. Duplex autem est juramentum promissorium: unum *absolutum*, simplex per se stans, quo quis absolute jurat, se aliquid facturum, vel omissurum, sine ulla promissione, vel pacto erga alterum: v. g. juro me Religionem ingressurum, talem pecuniam pauperibus daturum, non bibiturum vinum, &c. Quo etiam spectant juramenta comminatoria, quibus alteri pœna commerita comminatur: non enim ibi fit promissio, vel pactum, saltem non acceptatur, & hoc juramentum continet unam simplicem obligationem verum faciendi aliquando suum dictum, vel propositum ex virtute Religionis tantum, ob reverentiam scilicet Divini Nominis in testimonium invocati, juxta Præceptum Dei. *Non assumes &c.* Levit. 19. *Non perjurabis in Nomine meo, nec pollues Nomen Dei tui.* Nulla autem est hic annexa obligatio ex virtute Fidelitatis, & Justitiæ. Unde patet, in juramentis separari posse obligationem ex virtute Religionis, & obligationem ex virtute Fidelitatis, & Justitiæ.

IV. *Alterum* est juramentum *confirmatorium* promissionis factæ alteri determinate: Idque tripliciter. 1. Juramentum confirmatorium promissionis factæ ipsi Deo tantum, & dicitur *votum juratum*, & duplicem obligationem habet ex virtute Religionis: unam ex vi promissionis factæ Deo, seu voti fideliter reddendi; alteram ex vi Divini Nominis in testimonium, & confirmationem illius promissionis invocati, seu juramenti; consequenter talis juramenti prævaricatio duplicem quoque malitiam habet contra virtutem Religionis, unam infidelitatis erga Deum, alteram perjurii, & nominis Dei in vanum assumpti. 2. Juramentum confirmatorium promissionis factæ homini tantum, dicitur *pactum juratum*, & duplicem obligationem habet; unam ex virtute Religionis, ex vi juramenti, seu Divini Nominis in testimonium invocati; alteram ex virtute Fidelitatis, & Justitiæ erga alterum promissarium, quia promissio cadit in debitum, consequenter ejus prævaricatio duplicem similiter malitiam continet, & perjurii contra Religionem, & infidelitatis, ac injustitiæ. 3. Juramentum confirmatorium promissionis factæ Deo, & homini determinate simul, dicitur *votum cum pacto juratum*: ut, cum quis cum juramento vovet, & promittit Deo se tali determinato pauperi id scienti, & acceptanti talem eleemosynam daturum, alimenta præbiturum &c. & continet triplicem obligationem, duas ex virtute Religionis, scilicet ex vi voti, & juramenti, ut in primo casu; tertiam ex virtute Fidelitatis, & Justitiæ erga illum pauperem, ut in secundo casu: consequenter talis juramenti prævaricatio triplicem quoque continet malitiam oppositam infidelitatis, & perjurii erga Deum, & infidelitatis, ac injustitiæ erga alterum pauperem. Ubi nota obiter infidelitatem, & injustitiam erga proximum censeri pro una moraliter malitia, etsi speculative, & reipsa distinctæ sint: infidelitas enim dicitur, quatenus promissum violat, injustitia autem, quatenus alteri debitum non reddit, ejusque jus lædit, quia utraque necessario, & inseparabiliter connexa est. Atque hæ divisiones in praxi valde notandæ.

§. IV. *Juramenta simplicia, & execratoria.*

JUramenta alia dicuntur simplicia, seu simpliciter conte- 12
statoria, quæ fiunt per simplicem Divini Nominis invocationem, vel contestationem in confirmationem rei assertæ, vel promissæ, prout fit in omnibus fere hactenus allatis modis, & formulis. Alia dicuntur juramenta

Execratoria.

ET sunt illa, quibus jurans ad fidem faciendam de re ali- 13
qua malum imprecatur sibi ipsi, aut aliis ad ipsum specialiter pertinentibus, vel dilectis a Deo veritatis teste, & vindice falsitatis per se, vel per creaturam inferendum, ni verum sit, quod dicit. Differt a juramento simplici assertorio, vel promissorio solum accidentaliter, & secundum amplius, ut scilicet per juramentum execratorium invocetur Deus, non tantum ut prima Veritas, & omnis veritatis testis infallibilis, sed etiam ut vindex falsitatis in ipso jurante, vel rebus suis, si falsum dicat, vel fidem violet: potestque fieri triplici formula.

I. Expresse imprecando sibi malum ab ipso Deo: Deus me puniat, perdat, damnet, numquam mihi Deus parcat, Deus in me partem non habeat, maledictus sim a Deo &c. olim usitatissima forma fuit: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat;* modo in jure Canonico consueta forma est. *Ita me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia*: Subintelligitur execratio gravissima, scilicet: Deus me non adjuvet, si falsum juro. Sic juravit Apostol. 2. *Corinth.* 2. *Testem Deum invoco in animam meam.* Aliæ vulgares formæ sunt obviæ.

II. Imprecando sibi malum inferendum a Creatura, subintelligendo tamen, ac intendendo permissionem Dei vindicis, ut diabolus me rapiat, in mille partes laceret, fulmine peream, sacer ignis me invadat. Sic juravit David Psalm. 7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Ubi eleganter D. August. *Jurare videtur per execrationem, quod est gravissimum jurisjurandi genus: cum homo dicit, si illud feci, illud patiar.*

III. Imprecando sibi malum absolute, semper tamen intelligendo, ac intendendo permissionem Dei (quod si enim homo solum intendat permissionem suam, dicendo: v. gr. suspendar, ambas manus abscinde, &c. si verum non dico, non esse juramentum, jam supra innui) ut male peream, non bona morte, vel subitanea moriar, non digne amplius communicem, non videam usque in crastinum, non movear hinc, non hinc abibo vivus, ardeam in inferno &c.

IV. Huc spectat modus jurandi, per vitam, per manus, per barbam suam, aut alterius ad ipsum specialiter pertinentis: v. g. Patris, Principis, Cæsaris &c. sensus enim est execrato-

cratorius, pereat vita, salus, anima mea, Parentis, Cæsaris, si hoc non ita sit. Sic Juravit Joseph per salutem Pharaonis, *Gen.* 43. Et olim Christiani per salutem Cæsaris jurare solebant: ut refert Tertullian. Sic quoque juravit Apost. 2. *Corinth.* 1. Eademque ratione Christus monuit *Matth.* 5. non temere jurandum per proprium caput dicens: *neque per caput tuum juraveris: quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.* Universaliter neque juramento execratorio debet quis malum imprecari, aut sibi ipsi juranti, aut personis, vel rebus ad ipsum specialiter pertinentibus, aut saltem valde dilectis, & talis mali capacibus. Non est ergo juramentum, sed maledictum jurando alteri ad se non pertinenti malum imprecari: ut si adversario dicas: Diabolus te rapiat, nisi verum dicam. Nec juramentum, sed blasphemia est imprecari malum ipsi Deo, Angelis, vel Sanctis, qui talis mali incapaces sunt, ut supra jam notatum est. Nec juramentum est malum imprecari dæmoni, quia non specialiter *noster*, sed hostis, & adversarius est. Denique ipso juramento execratorio imprecando nobis, vel aliis mala, implicite, & consecutive intendimus nos, vel alios honorare, ut intuenti patet.

Solemnia.

14 JUramenta iterum alia sunt simplicia, vel communia, quæ fiunt forma communi, & placita jurandi; alia sunt juramenta solemnia, quæ fiunt forma aliqua, & ritu solemni ex præscripto juris. In veteri lege fuere varii: manus levatio, *Gen.* 14. Transitus per duas partes divisæ victimæ *Jerem.* 34. Positio manus sub fœmore exigentis juramentum *Gen.* 24. *&* 47. ad significandum juramentum fieri in fide Messiæ, qui in lumbis Patriarcharum continebatur. Modo vero ritus jurandi solemnes sunt in foro Ecclesiastico tactus Sacrosancti Evangelii; & in causis gravissimis etiam Sacrosanctæ Eucharistiæ cum forma consueta: *Sic me Deus adjuvet.* In foro vero civili ritus jurandi est: aut tangere sceptrum, ut signum potestatis a Deo traditæ cum forma: *Ich gelobe an auff mein Ayd.* Aut erectio priorum digitorum cum forma. *Ich Schvvere zu Gott ein Ayd.* Et hinc DD. communiter cum Sylvest. *verb. jurament. q.* 1. Triplex distinguunt juramentum: *verbale tantum, reale tantum, & mixtum ex utroque.*

Juramentum verbale tantum est, quod fit solum per verba divini Numinis contestationem significantia, de quibus late §. 1. *Juramentum reale tantum*, quod fit sola actione, vel ritu aliquo juramentum significante, v. g. ad alterius juramentum exigentis intentionem, digitos elevando, Evangelium, vel Crucem tangendo; qua ratione non solum muti necessario jurant, sed etiam alii vere jurare censentur. *Juramentum mixtum*, seu verbale, & reale simul, quod in jure vocatur corporale, est, quod præter verba etiam actionem corporalem juramentum exprimentem adhibet, ut in exemplis allatis. Requiritur autem præter verba juramentum sufficienter significantia ejusmodi actio corporalis, ut majori cum deliberatione, reverentia, & timore juramentum præstetur. Unde & obligatio juramenti sic præstiti crescit, & violatio multum aggravatur, majoremque pœnam meretur, uti notavit S. Aug. *Ep.*154. dicens: *quanto id, per quod juratur, magis sanctum est, tanto magis est pœnale perjurium.* Et S. Th. *cit.* 2. 2. *qu.*89. *a.* 3. *ad* 2. *Gravius est, si quis juret solemniter per Evangelium, quam si per Deum in communi sermone, tum propter scandalum, tum propter majorem deliberationem.*

Judicialia.

15 JUramenta dicuntur, quæ in judiciis præstantur, & sunt triplicis generis. I. *Juramentum calumniæ*, quod in principio litis alterutri partis Judex referre debet actori, ut juret, non calumniandi animo litem se movisse, sed existimando se bonam causam habere: reo vero, ut juret, quod petente bona instantia ad resistendum actori suo jus habere, *lib.* 2. *C. de jurejur. propter calumniam:* ubi utrinque juratur assertorie de credulitate, & opinione sua tantum, non de ipsa actione controversa, quippe primum per Judicem excutienda. II. *Juramentum in litem:* idque triplex. 1. Juramentum veritatis, seu veræ æstimationis rei, quo scilicet juratur de vera quantitate, vel valore rei amissæ, vel dolo alterius. 2. Juramentum affectionis, quo juratur de pretio rei amissæ per alterum, sibi valde charæ, vel utilis quoad suam privatam affectionem, se scilicet tanti æstimasse, tanti nulli daturum fuisse &c. 3. Juramentum super interesse singulare, quo jurat quis de damno emergente, vel lucro cessante ex injusta detentione rei suæ, per alterum causata. III. Tertium est *Juramentum litis decisivum*, quo, deficiente probatione, vel testimonio, juratur de innocentia alterius partis, idque in causis criminalibus dicitur juramentum purgatorium: in causis autem civilibus vocatur juramentum suppletorium probationis: idque rursus duplex, necessarium, & voluntarium.

Necessaria, & voluntaria.

GEneraliter *necessarium* est, quod a jure, vel superiore defertur, puta ad fidei professionem, ad subjectionem, & obedientiam præstandam, vel in judicio ad criminis probationes, litis decisionem, &c. *Voluntarium* vero, quod in, vel extra judicium, sponte suscipitur, adeoque minus obligat, quam illud per se loquendo, cæteris paribus. Sed specialius: judiciale juramentum necessarium dicitur, quod in causa dubia, ob inopiam plenæ probationis, a judice defertur, sive ex officio, sive ad instantiam partis, & dicitur necessarium, tum quia Judex quandoque deferre cogitur ex officio, cum aliter lis dirimi, & partes componi nequeunt; tum quia delatum recusari non potest absque justa causa, qualis est præcedens sufficiens probatio, ignorantia, vel oblivio probabilis allegata. Hoc juramentum necessarium ad probandam innocentiam, ordinarie Judex deferre debet reo, non actori, quia nimirum promptiora sunt jura ad absolvendum, quam ad condemnandum; alioquin si actori passim permittatur jurare contra alterius innocentiam, grave esset periculum subversionis, cum homines callidi, & malitiosi eadem facilitate, qua calumniantur, etiam perjurare possent: numquam autem licet utrique parti deferre juramentum decisivum litis; tum quia una pars induceretur ad perjurium, & eo ipso, quo utraque pars juraret, æquales manerent partes, & sic lis non decideretur. Juramentum judiciale *voluntarium* dicitur, quod in judicio Judice nec deferente, nec approbante, fit, & sic delatum ab altera parte, simpliciter recusari potest æque ac si fieret extra judicium; si tamen sponte suscipiatur, reo juramenti exceptionem, actori vero jurandi actionem tribuit, prout juribus allegatis, videre potes apud Laym. *cit. c.* 5. Quod si autem in judicio, juramentum a parte parti deferatur, Judice approbante, tunc fit quasi necessarium, & is, cui delatum est, necessario jurare debet, aut juramentum delatori referre, alioquin lis contra ipsum, velut devictum, decisa erit. Nam ut dicitur *l.* 38. *ff.* de jurejur. *manifestæ turpitudinis, & confessionis est, nolle jurare, nec jusjurandum referre.* Is autem dicitur juramentum deferre, qui primus alteri offert, ut juret: hic si nolit jurare, sed offerat adversario, qui prius obtulit, dicitur referre. 16

SECTIO II.

Juramenti validi conditiones, materia, & obligatio.

SUMMARIUM.

17 *Juramentum promissorium, ut sit validum, & obligatorium, essentialiter debet esse*, I. libere *perfecte*. II. *cum intentione Deum invocandi, & se obligandi. III. non item implendi*, usque ad 20. *Unde*

20 *Juramentum ex errore, vel dolo, sive antecedente, sive concomitante, circa ipsam rei substantiam, invalidum est.*

21 *Secus si error, vel dolus solum sit circa qualitatem, vel circumstantiam accidentalem*, & 22.

23 *Juramentum quovis metu, etiam gravi, & injusto extortum, validum est, & obligatorium.*

24 *Juramentum etiam ob injuriam alterius factum obligat.*

25 *Non tantum captivus ad tempus, ex carcere sub Juramento reversionis dimissus*, usque ad 28.

28 *Sed probabilius etiam, qui Tyranno jurat redire in injustum carcerem, cum præviso mortis periculo, redire obligatur*, usque ad 31.

31 *Juramentum, ut valeat, debet esse de re honesta, & licita.*

32 *Unde materia Juramenti Deo facti, necessario debet esse moraliter bona, majoris boni non impeditiva.*

33 *Ideoque nullum est Juramentum de re omnino indifferenti, ut tali.*

34 *Sicut etiam irrita sunt Juramenta absoluta, vel soli Deo facta de re minus bona, actu excludente majus bonum; nisi rationabilis causa subsit.*

35 *Ea tamen Juramenta, si actu non excludant majus bonum obligant quidem, tamen pro arbitrio Jurantis mutari possunt in melius.*

36 *Juramentum semel irritum factum, non convalescit.*

37 *Juramentum promissorium homini acceptanti, in utilitatem Ecclesiæ, vel communitatis factum in quavis materia licita, etiam indifferenti, obligat*, & 38.

39 *Juramenta Parentum, Dominorum, ac Dominarum in filios, servos, & ancillas, &c. sæpissime non sunt Juramenta, nec obligant*, & 40.

41 *Sicut nec Juramenta urbanitatis gratia facta, aut mercatorum, ementium, & vendentium passim fieri consueta.*

42 *De Juramentis non propalandi aliquam specialem artem, distinguendum est.*

43 *Juramentum non ludendi, quando obliget, quando non.*

44 *Resolvuntur varia dubia*, usque ad 48.

48 *Juramentum promissorium de re illicita, vel actione prohibita lege aliqua, sub culpa obligante, nullum est.*

49 *Quæ, vel quando leges aliquam actionem sub culpa prohibeant, vel infirment*, & 50. *ideoque*,
51 *Universaliter Juramentum contra leges aliquid prohibentes, non valet; valet vero Juramentum contra leges permittentes tantum.*
52 *Quando Juramentum additum contractui irrito valeat, quando non*, & 53.
54 *Juramentum promissorium, etsi ex parte actus illicite, & peccaminose factum, si tamen sit de re alias licita, valet: unde*
55 *Resolvuntur varii casus*, usque *ad* 59.
59 *Juramentum promissorium obligat sub mortali ex genere suo.*
60 *Cujuscumque juramenti obligatio unde, quæ, & quotuplex.*
61 *Quando obliget in foro externo, quando non*, usque ad 65.
65 *Juramenti promissorii obligatio principalis ex virtute Religionis personalis, non transit ad hæredes, bene autem obligatio ex virtute justitiæ.*
66 *Resolvuntur varii casus*, usque ad 70.
70 *Juramenta in dubio, qualiter interpretanda.*
71 *Exempla, & casus varii*, usque ad 74.
74 *Juramentum sortitur conditiones, & qualitates actus cui adjicitur*, & 75.
76 *Juramenti promissorii conditiones subintellectæ sunt.* I. si potuero, & 77.
78 II. Salvo jure, & auctoritate Superioris.
79 III. Si is, in cujus gratiam juratum est, voluerit acceptare, aut nisi remittat, *usque ad* 81.
81 IV. Si res in eodem statu permanserit, seu notabiliter mutata non fuerit, &
82 V. Si alter quoque promissis steterit.
83 *Casus.*

JAm supra patuit Juramenti assertorii materiam esse actionem præteritam, vel præsentem propriam, aut alienæ notitiam, seu credulitatem, adeoque nullum alium valorem, vel obligationem habet, præter veritatem; de qua late *sect. seq.* juramenti autem promissorii materia est actio, vel omissio futura jurantis, ideoque valorem requirit, & obligationem inducit; ad quam varia requiruntur, tam ex parte jurantis, quam ex parte materiæ. Quoad requisita ex parte jurantis esto

ASSERTIO III.

JUramentum promissorium, ad hoc ut validum, & obligatorium sit, essentialiter debet esse voluntarium, ac liberum projecte cum intentione, & Deum invocandi, & sese obligandi: non item implendi promissum, nisi solum, ut licitum sit. Omnes.

§. I. *Essentialiter debet esse liberum perfecte &c.*

17 I. LIbertate nimirum perfecta, qualis sufficeret ad peccatum mortale, cum enim juramenti obligatio gravissimas sit, & sub mortali, consequens est, ad ejus valorem, & obligationem requiri tantam deliberationem, & libertatem, qualis sufficit, & requiritur ad peccatum mortale. Qualiter autem hæc libertas stet, vel non stet cum errore, metu, injuria, &c. latius explicandum erit mox §§. *sequentib.*

Hoc ipso tamen jam resoluta manet alia quæstio, quisnam possit valide jurare; nam jure naturæ, jurare potest omnis adultus ratione utens, deliberationis capax, propria, vel alterius libera potestate legitime utens, ut sunt procuratores, &c. Excluduntur solum pueri ante usum rationis, amentes, simplices instar amentium, & plene ebrii, quorum, quia deliberationis capaces non sunt, ipso naturali jure invalida sunt quæcumque juramenta: jure autem positivo, etiam excluduntur impuberes omnes, & notorii perjurii.

18 II. *Cum intentione, & Deum invocandi*, (hoc enim essentialiter inesse omni juramento, jam constat ex *sect.* 5.) & *sese obligandi*. Etiamsi enim quis juret cum intentione Deum in testem invocandi, absque tamen intentione se se obligandi ad aliquid præstandum, nimirum positive nolens se eo juramento obligare ad implendum promissum, juramentum nullum est. Cum enim hæc obligatio necessario sequatur naturam juramenti promissorii, eo ipso, quo quis jurat, ita tamen, ut inde non maneat obligatus, destruit naturam juramenti: nec consequenter inde per se obligatur: sicut quia naturam matrimonii necessario sequitur obligatio cohabitandi, debitum reddendi, vel fidem servandi, eo ipso, quo quis contrahit matrimonium, exclusa obligatione debitum reddendi, vel fidem servandi, destrueret naturam, & essentiam Matrimonii, nec consequenter ligaretur in foro conscientiæ, ut dicitur suo loco.

19 III. *Non item intentio implendi promissum* requiritur ad valorem juramenti, sed tantum, ut licitum sit. Unde si quis juret, cum intentione jurandi, & se se obligandi, absque sola intentione implendi promissum, juramentum validum esset, & obligatorium, etsi graviter illicitum, de quo infra. *Ratio*, quia de essentia juramenti est solum obligatio implendi, non autem actu implere, sicut de essentia Matrimonii solum est obligatio reddendi debitum, non autem actu reddere; consequenter sicut verum est Matrimonium contractum cum intentione se obligandi, ac reddendi, etsi intendat actu non reddere: ita verum est juramentum cum intentione se obligandi ad aliquid præstandum, etsi quis intenderet actu non præstare; quamvis per hoc gravissime peccaret peccato perjurii contra veritatem juramenti. Vide Suar. *l.* 2. *de juramento.*

IV. His tribus conditionibus ex parte jurantis positis, validum jam, & obligatorium erit omne juramentum promissorium absolutum, ac per se stans, ac etiam confirmatorium promissionis factæ ipsi Deo: at vero juramentum confirmatorium promissionis factæ homini, ut valeat, & obligatorium sit, requiritur ulterius, ut ea promissio a persona, cui fit, acceptetur. Omne enim juramentum promissorium, omnisque promissio tacita includit illam conditionem, *juro, promitto, obligo me*, si promissionem acceptet alter: si secus, cessat obligatio; Unde qui secum jurat aliquid dare certæ personæ absenti, nullo ejus nomine promissionem acceptante, antequam ea resciat, & promissionem acceptet, juramentum non obligat, sed revocari libere potest, non tantum, quantum est ex virtute Justitiæ, ut per se patet, sed etiam, quantum est ex virtute Religionis, quia tali juramento invocatur Deus in testimonium promissionis homini faciendæ: atque induit conditionem promissionis factæ homini, cui accedit: videlicet si ab altero acceptetur. *Excipe*: nisi promissio jurata facta esset Deo, & homini simul; tunc enim esset simul votum statim a Deo acceptatum, quod proinde revocare amplius nefas esset: *Communis DD. cum Sanch. cit.*

§. II. *Juramentum ex errore, vel dolo.*

JUramentum præstitum, vel ex errore proprio jurantis, vel ex dolo juramentum exigentis, an valeat, & obliget, ita resolutorie distinguendum est.

I. Juramentum promissorium, ut ex errore, vel dolo, sive antecedenter, sive concomitanter, versante circa ipsam substantiam rei juramento promissæ, invalidum est, nullius roboris, ac obligationis. *Communissima*. Ratio est, quia ad valorem juramentorum, ac promissionum quarumvis, requiritur essentialiter consensus voluntarius positivus circa rem juratam, vel promissam: atqui error, vel dolus, non tantum antecedens, sed etiam concomitans tollit consensum voluntarium positivum, circa rem juratam, vel promissam, quatenus talem: error quidem, & dolus antecedens omnino reddit involuntarium juramentum, quia aliquis non juraret, nisi erraret, vel dolo induceretur; error autem, vel dolus concomitans, etsi non reddat involuntarium positive, quia quis adhuc juraret, vel promitteret, etsi non esset error, vel dolus, reddit tamen non voluntarium, seu involuntarium negative, quia sicut de facto non scit rem esse talem, v. g. annulum aureum; ita de facto non potest velle promittere, vel jurare talem rem dare, cum nihil possit esse volitum, nisi cognitum; quare nullum esset juramentum, si jurares alicui donare nummum, vel annulum, aut proprio errore putans, aut alterius dolo persuasus credens esse æneum, cum revera sit aureus, cum enim non cognoveris esse aureum, non potuisti velle dare aureum, sed tantum æneum, quia error, vel dolus versatur circa substantiam rei. Idem est de similibus. 20

Juramentum vero promissorium ex errore, vel dolo, sive antecedenter, sive concomitanter, versante solum circa accidentalem circumstantiam, vel qualitatem rei juramento promissæ, validum est, & obligat, nisi relaxetur auctoritate Episcopi, vel consensu ejus, cui juratur. Communis DD. Molina *t.* 1. *t.* 2. *d.* 149. Suar. *cit. l.* 2. *c.* 11. *n.* 11. Sanch. & Lugo *cit.* Ratio est, quia hic adest consensus substantialis, in rem, quem irritare non debet error, vel dolus accidentalis tantum. Sic Israelitæ *Jos.* 9. valide jurarunt, & servare debuerunt Gabaonitis pacem, non obstante dolo accidentali vel simulatione, quasi de valde remotis venissent. Excipiendum tamen, nisi accidentalis illa qualitas, vel circumstantia, rei quidem ipsi accidentalis, & extrinseca, tamen a jurante per se principaliter intenta sit, atque secundum intentionem jurantis, ita fiat intrinseca objectio, ut nullo modo intendat jurare, vel promittere talem rem, nisi cum tali qualitate, vel circumstantia: v. gr. jurat quis ducere Virginem, quam putat esse Nobilem, sicut simpliciter nolit ducere, nisi Nobilem, postea comperit esse plebejam: item jurat quis alere Studiosum, dotare puellam, putans esse cognatum, vel cognatam; postea comperit non esse; non tenetur juramento. *Ratio est*, quia generaliter actus agentium non se extendunt ultra eorum intentionem: & specialiter juramentum non extenditur ultra ea, de quibus jurans cogitavit. Glossa *in c. veniens de jurejur.* DD. citati communiter. Vide de his dicta generatim in materia de actibus humanis, & specialia exempla in materia de Contractibus, & Matrimonio, ac fusius infra in Votis. 21 22

§. III. *Juramentum ex metu*

ETiam gravi, & injusto extortum validum est, & obligat. Exemplum vulgare: Latroni mortem minitanti jurasti, te daturum pecuniam, v. gr. centum florenos suppo- 23

sita

sita vera intentione jurandi, & promittendi, nullaque adhibita (hic maxime licita) amphibologia, seu restrictione mentali licita: v. gr. dabo, si quid debeo, vel dabo, nisi mihi hoc juramentum relaxetur, &c. per se teneris juramento, secundum communissimam, & receptissima sententiam DD. apud meos *cit.* omnes. *Ratio est*, quia omne juramentum voluntarium non vergens in interitum salutis, sed licite, & honeste servabile, validum est, & licitum: atqui tale juramentum in primis simpliciter est voluntarium, cum metus non tollat voluntarium simpliciter, sed tantum reddat involuntarium secundum quid, ut suo loco dictum: deinde etiam non vergit in interitum salutis, sed licite, & honeste servari potest: ergo &c. Ita expresse habetur *c. si vero de jurejur. c. ad audientiam, de his, quæ vi, metusque causa*. Nec obstat, quod *c. 2. de jurejur.* Pontifex respondeat, Episcopum Laodicensem, ab Arnulpho Comite rebus suis spoliatum, & jurare compulsum, quod ablata non repeteret, nullius juramenti vinculis posse constringi. Respondit enim Glossa ibidem, juramentum præstitum fuisse de rebus Ecclesiæ non repetendis, quod sine peccato servare non poterat, quia de re illicita, ideoque nullum. Addit rectissime *Suar. cit.* Etiamsi Episcopus jurasset de rebus suis propriis ablatis non repetendis, juramentum tamen non obstitisset, quominus ad Pontificem pro paterno subsidio, & relaxatione recurreret. Unde hic bene notandum, juramentum, maxime vi injusta extortum, strictissime esse interpretandum quoad obligationem. Unde. I. si jurasti latroni pecuniam dare, solvere teneris, ut dictum est, nisi tibi relaxetur juramentum. At quia hæc ipsa conditio, *nisi relaxetur*, in omni juramento subintelligitur, poteris a Superiore dispensationem petere, & sic nihil dare. II. Si relaxationem non petiisti, solvere quidem rursus debes, attamen satisfacis momentanea solutione, ad servandum Deo, & juramento reverentiam, solutumque statim judicio repetere poteris, ut habetur *cit. c. ad audientiam, &c.* Et docet communis DD. cum S. Th. *q. 94. nu. 7.* Ratio, quia ex una parte non jurasti non repetere; ex altera autem parte ipse injuste, & invalide recipit, cum nullum jus exigendi, & recipiendi habeat, non enim aliquo ipsius jure, sed sola juramenti tui religione dare debeas, & datione illa momentanea jam satisfecisti: immo prius petita relaxatione superioris, nil dare poteras. III. Quid si etiam jurasti, te non repetiturum? teneberis rursus juramento, & civilem actionem instituere non potes; potes tamen instituere actionem criminalem accusando de crimine, ad justam publicam vindictam. Si etiam non accusaturum de crimine jurasses, poteris tamen denunciare, ut ex officio Judex procedat, ut observat Glossa in *cit. c. ad audientiam*. IV. Quid si denique etiam jurasses, te non denunciaturum omnino, sed plane taciturum? tunc juramento non obligaberis in casu, quo Judici denunciare necessarium videtur, & judicatur, ut aut publicam aliisque perniciosam latronis injuriam avertendam; aut si ultro in judicio interrogeris, aut denique denunciatione charitativa ad criminis emendationem. Sed hæc ex communi sententia, ob reverentiam divini Nominis, & Sacramenti. Quamvis sciam, RR. quosdam non improbabiliter docere oppositum, & sic jurantem omnino liberare.

§. IV. *Juramentum ob injuriam alterius.*

24 ETiam valide obligat juramentum ob alterius injuriam præstitum: v. gr. Usurario nolenti alteri pecuniam mutuare, nisi cum usura iniqua, decem pro centum florenis, jurasti has usuras solvere; teneris juramento, secundum Omnes. Habetur expresse in Jure canon. *in cap. 1. & c. debitores de jurejur.* ubi dicitur: *debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent; si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum.* Ubi Abbas *nu. 3.* hanc Regulam dat: Juramentum obligat, etsi turpitudinem contineat ex parte recipientis, non autem jurantis, se tenentem; quamvis autem ex tali juramento promissorio usurario, non oriatur obligatio justitiæ erga usurarium, siquidem nullum jus, vel titulum accipiendi usuras habet: unde nec dominium usurarum acceptarum acquirit, *c. duas de usur.* oritur tamen obligatio Religionis erga Deum, ut, quod juratum est, re ipsa verum efficiatur, ne nomen Dei in testimonium falsum adductum fuerit, uti optime explicat S. Th. *q. 89. art. 7. ad 3.* Neque id solum verum est, quando turpitudo est ex parte solius usurarii, non vero jurantis, quippe qui justam causam necessitatis habet consentiendi, ac etiam jurandi in usuras, sed etiam cum turpitudo aliqua se teneret ex parte ipsius jurantis, utpote, qui sine causa necessitatis, ad luxum tantum consentit, & jurat usuras, aut ipsa promissione usurarum, alterum ad mutuandum induxit; etsi enim tunc juramentum fuerit illicitum, non tamen fuit de re illicita; usuras enim alteri reddere, vi juramenti, non est illicitum, & sine peccato fieri potest, ipsique promittenti est laudabile, ut cognoscatur quantum suorum dictorum, ac juramenti fidem habeat. Ita alii cum Suar. *c. 9. n. 7.* Sanch. *l. 3. c. 11. nu. 5.* Laym. *cit. cap. 7.* quamvis contrarium non improbabiliter doceant *Abbas cit. Cajet. Val. alii apud Sanch. cit.*

Ex dictis resolvendum est de captivo, qui dimissus ad tempus ex carcere, vel captivitate, juravit, se iterum rediturum, an obligetur juramento ad redeundum etiam cum certo mortis periculo prævisο. Pono distinctas resolutiunculas.

I. Certum est, teneri ob juramentum sub mortali, ad redeundum, si carcer justus, vel captivitas justa sit, ac etiam mors juste inferenda. Ita omnes Theologi, teste *Suar. de jur. l. 2. cap. 10.* Ratio est quia juramentum sortitur naturam, & conditionem actus, cui adjunctum est: atqui promissio talis juste exacta, certo valida, & licita est; & cum sit de re gravi, ac plurimum concernente bonum publicum, de se obligat graviter: ergo etiam juramentum illi additum, graviter obligabit sub peccato mortali irreligiositatis erga Deum, in testem invocatum, esto ex reditu immineat mors justa, & prius promerita. *Confirm.* a fortiori ex dicendis *num. 4.* 25

II. Certum est, obligari speciali titulo justitiæ, si juramentum præstitum sit custodi innocenti; alias si jurans non rediret, grave damnum, vel forte etiam talionem inde passuro; hunc enim indemnem servare Justitiæ, & fidelitatis opus est, & debitum gravissimum. 26

III. Universaliter, seu justus, seu injustus sit carcer, maxime obligabit juramentum illud, si promissus juramento reditus, serviat pro bono communi, v. g. Religionis Catholicæ, ad avertendum publicum scandalum, vel Fidei Catholicæ, contemptum, cum bono communi postponendum sit bonum privatum: idque maxime interveniente juramento. Atque his casibus omnino obligat juramentum, ut neque relaxatio ei concedi debeat: ut cum aliis docent Sanch. *cit. c. 11. a n. 25.* Laym. *cit. c. 7. nu. 5.* 27

Insuper, probabilius est, etiam eum, qui Tyranno jurat redire in injustum carcerem, cum prævisο periculo mortis, vel alterius gravissimi mali, ab eo injuste inferendi, obligari juramento ad redeundum, dummodo illud periculum, dum jurat, sciat, vel prævideat (secus esset, si postea primum comperiat, tunc enim ob mutatam circumstantiam gravissimam, cessaret juramentum.) Ita communis DD. *Tolet. Suar. cit.* aliisque congestis Sanch. Laym. *lib. 4. tr. 3. cap. 7.* Ratio est, quia & ipsum juramentum validum, & licitum est, quippe ob urgentem causam, & justam rationem necessitatis emissum, ut nimirum captivus iniqua detentione, ac vexatione ad tempus liberetur, & est de re licita, & honesta, cum talis reditus sit actus virtutis, nimirum fortitudinis, patientiæ, magnæ quoque veritatis, ac fidelitatis, ob præcedentem promissionem juratam: ergo est materia capax obligationis ex juramento. *Dein*, qui jurat se ex carcere injusto non fugiturum, obligatur ex juramento, etiam cum periculo mortis, dummodo jurans id prævideat, ut ex communi notat *Suar. cit.* ergo similiter obligatur, si se rediturum juravit, siquidem redeundo, restituere se in statum, in quo antea fuit. 28

Contrariam tamen negativam docent graves DD. Glossa, *Abb. D. Anton. Nav. Silv. Sa alii apud Laym. cit.* eo quod absque causa necessitatis, vel publici boni, se ad mortem iniquam offerre, sit opus temeritatis, & repugnet legi Charitatis, tum erga se ipsum, tum erga Tyrannum, cui quantumvis parato, materiam peccati, sine urgente causa, de novo adferre non licet; ergo juramentum fuit de re illicita, ideoque irritum: idque etiam mihi, vel hac ratione probabile videtur, quia licet quis jurans præviderit mortem, vix tamen contingere potest, ut qui jurat rediro, abiens concipiat mortem, ejusque periculum eo horrore, quo concipiet, quando redibit: quare jam ratione ipsius, mutatur notabilis circumstantia, consequenter cessabit obligare Juramentum. 29

Respondetur tamen, reditum ad carcerem, & mortem non esse intrinsece malum, quin justa causa, qualis certe est impletio juramenti, & testimonii divini invocati, cohonestari posset. *Deinde* ob id ipsum juramentum exactum est, ut ille major metus, & horror redeuntis excludatur: secus autem esset, si quis Tyranno non exigenti, sponte jurasset rediturum, tunc enim juramentum nullum esset: quia esset de re illicita, scilicet temeraria accessio ad mortem, & vera causa novi peccati Tyranni, ut habet opposita ratio. Et hactenus de requisitis ad validum juramentum ex parte jurantis. Nunc quoad requisita ex parte materiæ, seu rei juramento promissæ, sequitur 30

ASSERTIO IV.

JUramentum promissorium, ut validum, & obligatorium sit, debet esse de re honesta, & licita, saltem non mala moraliter, atque adeo omne juramentum promissorium de opere malo mortaliter, vel venialiter, irritum est, & nullum, immo peccaminosum, juxta dicenda. Omnes. 31

Assertio habetur sæpius in Jure Canon. c. quando, de jurejur. ubi: *Juramentum institutum non fuit, ut esset vinculum iniquitatis*, & regul. 50. in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.* Et c. si vero cap. quamvis de pactis in 6. dicitur: *Juramenta observanda esse, nisi eorum observatio fuerit in interitum salutis æternæ.* Quod non tantum verum est de opere malo mortaliter, sed etiam de peccato veniali, quod etiam salutem æternam impe-

impedit, & ad mortale disponit, ut notarunt *Sanch. Suar. cit.* Ratio est, quia contradictio est aliquem obligari ad rem illicitam faciendam, quae, quia illicita est, facienda non est. Insuper gravissima injuria Dei est, Deum invocare in testem, & velut Patronum suae iniquitatis, sive mortalis, sive venialis, ut non immerito concludat noster March. *Trib. t. 2. c. 3. tit. 3. q. 2. dub. 1. regul.* 2. Juramentum promissorium de re illicita, non tantum in materia peccati mortalis, uti v. gr. fornicandi, &c. sed etiam in materia peccati venialis, v. gr. mentiendi, &c. esse peccatum mortale, dummodo deliberate fiat. Sed de ratione peccati agemus *sect. seq.* Nunc sermo solum est de valore, pro quo discernendo, & innumeris casibus resolvendis, tradendae sunt aliquae generales regulae; idque potissimum quoad materiam indifferentem, nam nimis manifeste invalida sunt juramenta in materia illicita, v. gr. adulterandi, occidendi, vindictam injustam sumendi, numquam inimico ignoscendi, abominandi, eum numquam salutandi, ad conspectum, vel colloquium admittendi, & hujusmodi innumera: immo etiam non raro juramentum non accedendi ad nuptias consanguinei, vel vicini, factum propter offensam acceptam, nullum est; tunc enim est species vindictae illicitae Christianis, ut notat Gobat. *Alph. quadruplici casu* 17. *n.* 520. secus si ex alia causa justa factum fuisset.

REGULA PRIMA.

32 *Materia juramenti absoluti, ut per se stantis, aut confirmatorii promissionis factae ipsi Deo, necessario debet esse res honesta, ac bona moraliter, atque etiam majoris boni non impeditiva.* Omnes. Ratio est quia juramentum absolutum, aut ipsi Deo factum, aequivalet voto: ideoque easdem conditiones habere debet, quas habet votum: votum autem essentialiter, ut suo loco videbimus, debet esse de meliori bono: ergo & tale juramentum. Et hinc

33 I. Irritum, & nullum est omne tale juramentum de re omnino indifferenti, quatenus talis est: ut si jures talem certam vestem comparare, vel usurpare etiam: talem domum non intrare, &c. Navar. Tolet. Suar. Sanch. Laym. *cit.* Ratio, quia talis actio omnino indifferens est, inutilis, & otiosa: at divini Nominis invocatio non potest esse vinculum rei inutilis, & otiosae, quin & injuriam facit divinae Veritati, qui eam in testem vanitatis invocat super re vana, & otiosa.

Dixi autem *quatenus talis*: nam si actio ex se, & objecto suo indifferens, referatur ad bonum finem alicujus virtutis, fiet actus virtutis, ideoque capax obligationis, juramenti, & voti: v. gr. si jures te aedes alicujus non ingressurum, cum aliquo non locuturum, causa vitandi peccati: Item si jures, non alterius, sed hujus certi egentioris officinam aditurum ex motivo honesto, misericordiae, & charitatis: si jures, certum genus vestis non gestaturum ex motivo modestiae, & humilitatis: si jures, non amplius lusurum, vel ob mortificationem, vel ob vitanda pericula peccati jam experta. Similiter invalida sunt juramenta, vel soli Deo facta die certo non nendi, non suendi, non laborandi, non navigandi tali die, non comedendi haec, vel illa, donec v. g. maritus redeat: si fiunt ob solos fines temporales, puta ob malum eventum formidatum, tali die, in tali negotio, ob avaritiam, ob maestitiam mariti absentis, nulla, inquam, juramenta sunt talia, nec obligant. At vero si fuissent emissa ob bonum finem, v. g. ut tali die, vel tempore Deo melius serviatur, vel peccatum aliquod evitetur: v. gr. abstinebo a vino, ut felix reditus mariti, vel filii a Deo impetretur, valida erunt, & obligabunt, quia sunt de re bona, ex bono fine praefixo.

34 II. Irrita etiam sunt juramenta absoluta, vel soli Deo facta de re minus bona, actu excludente majus bonum, utpote quando opus oppositum simpliciter est melius, & praestantius, ut universaliter, si jures omissionem operis, cujus oppositum est in consilio: ut si jures absolute, te uxorem ducturum, non daturum eleemosynam tali pauperi, non patrinum fore: etiam amice invitatum non accedere ad convivium vicini &c. haec enim facere, sunt in consilio charitatis, & absque omni rationabili causa omittere, charitati repugnat. Secus dicendum, si rationabilis causa, ita jurandi subesset, ut in simili modo supra notatum. Unde Gobat *nu.* 521. merito excusat eum, qui ex fidejussionibus gravissima damna passus juraret, se amplius non fidejussurum, dummodo exciperet, nisi clare exigeret debitum Charitatis Christianae: idemque est in similibus &c. non tutelam suscipiendi &c.

Huc spectat, si jures multas orationes, jejunia, peregrinationes cum detrimento obedientiae, officii, honoris Dei, salutis animarum. D. Thom. *quaest.* 99. *art.* 7. Navarr. *c.* 12. *n.* 16. Sanch. Laym. *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 5. Ratio omnium data est in regula; & specialis ratio est, quia non pertinet ad divini Nominis reverentiam, ut fiat opus minus bonum, omisso opere meliori, & Deo gratiori: consequenter ad id vi juramenti nemo obligari potest.

35 III. Juramenta tamen ejusmodi absoluta, vel soli Deo facta de opere minus bono; actu tamen excludente majus bonum, obligant quidem, sed pro arbitrio jurantis commutari possunt in aliud melius, Deoque gratius bonum opus pro tempore, vel occasione occurrens, v. gr. jurasti, vel vovisti quotidie certa hora orationi, vel meditationi vacare, occurrat autem tali hora occasio, ut aegroto assistas, confessiones excipias, idque intelligas Deo gratius fore, non ligaris amplius juramento, sed licite commutatur, hoc ipso, quod Deo gratius esse intelligas, non enim violas juramentum, sed opere meliore compensas, Deo semper acceptante, quod melius est: ut ex communi notat March. *cit. dub.* 1. *regul.* 5. Et latius in simili dicetur de voto.

IV. Juramentum ejusmodi de re indifferenti minus bona, aut etiam mala, semel irritum, aut invalidum factum, licet illud opus postmodum, mutata circumstantia, bonum, honestum, ac utile fiat, non ideo convalescet, seu validum fiet juramentum: juxta regul. juris 18. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, v. g. aliquis contra fidem primorum sponsaliorum, aut voto castitatis adstrictus, cum juramento contrahit sponsalia cum alia, is mortua priori sponsa, conjuge, aut impetrata postea dispensatione, vi juramenti praecedentis non obligatur ad secunda sponsalia, quippe quae a principio nulla, & illicita fuerunt. Sanch. *l.* 1. *de matrim. disp.* 50. & *l.* 3. *moral. c.* 9. *num.* 26. Item si conjux invito, vel ignorante altero conjuge Religionem intravit, vovit, vel jam professus est, & ideo e Religione reductus, postea mortuo altero conjuge, non est cogendus regredi ad Religionem professam, quippe quae ab initio irrita fuit, ut habetur *c. quidem*, & *c. placet*, de conv. conjug. Ubi Abbas pulchram tradit regulam: *Votum emissum tempore inhabili non obligat tempore habili.* Eadem est ratio juramenti. Similiter jurasti sine omni prorsus causa honesta, te aliquas aedes non aditurum, juramentum nullum fuit: postea supervenit justa causa tales aedes non ingrediendi quia ibi habitat persona, quae peccandi causam praebere solet: non obligaris abstinere ab ingressu, vi prioris juramenti, quia ab initio vanum, & irritum fuit. Ita contra Navarr. *cap.* 12. *num.* 10. recte docent Suar. *hic lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 17. Laym. *lib.* 4. *tr.* 3. *cap.* 6. *num.* 4. 36

REGULA II.

Juramentum promissorium factum homini acceptanti, aut absolute emissum in utilitatem, & commodum certi hominis, Ecclesiae, Communitatis, valet, & obligat in quacumque materia licita, & non mala moraliter (quae nimirum sine peccato mortali vel veniali impleri possit) etiamsi minus bona, vel omnino indifferenti: neque in aliud opus, quantumvis melius, Deoque gratius, arbitrio jurantis commutari potest: juxta communissimam DD. & *cit.* omnes. Est enim receptissima Juris regula: *Juramentum homini praestitum servandum esse, quotiescumque sine peccato, seu salutis dispendio, servari potest.* Ratio disparitatis hujus, & prioris Regulae est: quia juramentum Dei dumtaxat intuitu emissum, in qualecumque opus melius, Deoque gratius commutari potest; quia semper praesumitur Deus esse contentus, & remittere obligationem prioris juramenti, ut opus illi acceptius fiat. At vero juramentum in hominis utilitatem editum, non potest mutari in aliud opus, etsi absolute melius, illi tamen, cui juratum est, minus, vel omnino non utile, quia de hoc contentus esse haud praesumitur. Unde qui juravit Titio daturum decem florenos, etsi postea advertat longe melius fore, si erogaret inter pauperes, obligatur tamen juramento, nisi Titius sponte remitteret, siquidem omne juramentum hac tacita conditione fiat, *nisi is, in cujus gratiam juretur, remittat, aut aliud opus acceptet.* Unde recte resolvit Navar. *l.* 3. *consil.* 4. *de Regul.* Alumnos Collegii Anglicani Romae, qui jurant, se, absolutis Studiis, in Angliam ituros Fidei propagandae gratia, non posse sine dispensatione Religionem ingredi, quia juramentum editum fuit in utilitatem Ecclesiae Anglicanae. 37

Male tamen idem ibidem *num.* 17. resolvit: illum, qui juravit se ducturum hanc puellam, non posse juste Religionem ingredi, nisi prius eam ducat: contra communem sententiam apud Sanch. *lib.* 1. *Matr. disput.* 43. *qu.* 1. Nam juramentum sortitur rationem actus, cui apponitur, *cap. quemadmodum de jurejurand.* contractus autem, & promissio Matrimonii semper tacitam hanc conditionem includit: *duco vel ducam te, nisi Religionem ingrediar*: ergo etiam juramentum additum ita, & cum tali conditione intelligendum est. 38

Nec obstat casus *c. commissum de jure jurand.* Nam vir ille juravit intra biennium se nuptias contracturum cum tali, & appropinquante termino, cum de Religione mox ingredienda nil certi statuisset, recte respondit Pontifex: *tutius ei est, religione juramenti servata, prius contrahere, & postea, si elegerit, ad Religionem migrare.* Sic Pontifex, quia nimirum id etiam facere potest, matrimonio contracto ante consummationem, saltem intra duos primos menses.

Hic incidenter nota duo: I. Eum, qui juravit puellae acceptanti matrimonium, adhuc posse Religionem ingredi, si promissio liberalis fuit: non item si alio titulo debita, utpote quia puellam defloravit, aut etiam impraegnavit cum gravi ejus infamia, aut damno, nisi ipsam ducat: tunc enim non poterit ingredi Religionem, quia injustum esset, & malum. II. Talem etiam liberaliter promittentem matrimonium, praesertim

sertim cum juramento, non posse suscipere sacros Ordines, quia de solo Religionis ingressu id a Jure est statutum, & nullibi de sacrorum Ordinum susceptione. Et hinc rursus resolves, & explicabis varia juramenta ad praxim.

39 I. Juramenta Parentum, ac Dominorum, quibus jurant, se filium, vel servum tali, vel tali modo punituros, verberaturos, domo ejecturos: &c. sæpissime non sunt juramenta, nec obligant: utpote 1. quia sæpissime non adest intentio jurandi, sed tantum terrendi. 2. Sæpe fiunt ex ira, passione, vel vindicta, & sic sunt de re saltem venialiter mala, ideoque nulla. 3. quia sæpe supervenit causa excusans, utpote, quia filius, vel servus se emendavit, veniam deprecatus est, alii pro eo intercessere (præsertim matres, quarum lamentis domus implenda est, si filius albæ gallinæ ejiciatur) aut quia aliunde Pater, vel Dominus videt postea melius esse abstinere a verberibus, alia ratione filium, vel servum commodius castigandum, corrigendum, vel emendandum. His seclusis, etsi vera juramenta sint, & obligent, materia tamen levis est, ideoque & levis obligatio, juxta dicenda *sect. seq.* ex communi Sanch. Laym. *cit.*

40 Idemque sentiendum de juramentis Herarum, &c. quibus jurant, se dimissuras, diutius non servaturas hanc, vel illam ancillam: plerumque enim jurant non ex motivo virtutis, vel animo jurandi, sed ex iracundia, impatientia &c. ideoque non obligantur, nec peccant postea retinendo, ut singulariter observat Gobat. *cit. n.*528. & ita sæpius in confessionali respondent. Idem dic de fratre, vel condiscipulo jurante, se apud Patrem, vel Magistrum accusaturum fratrem, vel condiscipulum: vel enim ex sola æmulatione, vel vindicta sic jurat, vel postea advertit occasionem criminis alia ratione emendabilis fore sibi inutilem, damnosam, vel probrosam, ut passim audiat delator, vulpinator &c. is ibidem.

Eademque ratione generaliter explicanda sunt juramenta de accusando, vel non accusando altero, nam generatim, juramentum de nunquam accusando, vel passim quemvis accusando, irritum est, & de re mala: nunquam enim accusare, est contra bonum communem, cum sæpe accusare necessarium, vel utile sit bono communi; semper autem accusare quemvis, est contra Charitatem, & Prudentiam. In particulari autem accusare, & non accusare hunc, vel illum, valebit, vel non valebit juramentum, prout ipsa accusatio licita, honesta, vel illicita, & inhonesta erit, si nimirum accusatio necessaria, vel valde utilis foret bono communi, aut ipsius rei, aut tertii, valebit juramentum accusandi, si secus, valebit juramentum non accusandi.

41 II. Juramenta urbanitatis gratia facta, quibus Viri Nobiles, ac alii honorati jurant, se nolle præcedere in sedendo, egrediendo, ingrediendo &c. plerumque non obligant; quia tacitam includunt conditionem, *quantum ad me attinet, non præcedam*. Deinde juramentum cedens in alterius honorem, aut favorem, potest ab ipso remitti: ergo & revera remitti præsumitur, quando alter jure suo cedere contendit, ut alter, qui juraverat, præcedat. Cajet. aliique cum Sanch. Laym. *cit.*

Similiter, & juramenta mercatorum, ementium, & vendentium: non vendendi minoris, aut non emendi pluris, ordinarie non sunt juramenta, nec obligant, quia neque in honorem Dei, neque in proximi utilitatem cedunt: quod si cedant in utilitatem propriam jurantis, jam ille sibi ipsi potest remittere. Quod si tamen in raro casu ita jurares in utilitatem tertii, vel ad bonum commune, v. gr. ne pretium frumenti nimium crescat, ne merces nimis vilescant, certe obligareris.

Adverte autem hic, etsi prædicta, & similia non sint juramenta, plerumque tamen non carere gravi culpa irreverentiæ divini Nominis in vanum assumpti, immo essent vera peccata mortalia perjurii, si ita serio jurantes non haberent intentionem faciendi, quod facere, vel non velle facere jurant: de qua proin intentione, præsertim mercatores circumforaneos examinare se solitum, merito testatur Gobat. *num.*529.

Denique iidem mercatores dum assertorie jurant tanti, vel pluris sibi mercem constare, sæpe non pejerant, cum possit habere bonum sensum, nimirum tanti, vel pluris sibi constare, non solo pretio mercis, sed æstimato simul labore, cura, periculo, expensis &c. de quo subintelligendo instruendi sunt quandoque a confessario, si eam consuetudinem deponere nequeant. Alioquin si absolute ita falso jurent serio, perjuros esse mortaliter, nimis certum est.

42 III. Juramenta non propalandi artem (v.g. speciale medicamentum contra febrim, podagram, calculum &c. quæ discit ab alio Titius sub juramento non communicandi ulli alteri) absolute non obligare, docent alii cum S.Thom. *sup. qu.*19. eo quod esset contra charitatem, & revera est communiter. At distinguendum censeo cum Suar. Fagund. Tamb. *l.*3.*cap.*3. §.5. *n.*65. Gobat. *nu.*555. siquidem bono publico, vel tertio tali morbo laboranti non satis provideretur, nisi communicata illa arte, utique juramentum non obligat, utpote de re mala, & contra charitatem. Quod si vero bono publico, vel tertio tali morbo laboranti aliunde satis provideretur, sive per alia medicamenta, sive per illum unum talis artis conscium, omnino obligavit juramentum: quia tunc ex una parte non est contra charitatem, & ex altera parte esset contra justitiam, & jus illius Magistri, lucrum ex sua privata scientia reportandi, quo absque justa causa privari non potest. Unde cum *Busembao* credo obligare juramentum servandi secretum pillularum Francofurtensium, quia ex illa una officina toti Patriæ, immo toti Europæ, & ultra, sufficienter providetur.

IV. Juramentum non ludendi quocumque lusu, etiam honesto & moderato, validum est, & obligat, juxta *communem* DD. etsi enim lusus honestus, & moderatus licitus sit, ac bonus moraliter ad virtutem Eutrapeliæ spectans, vulgo (*Freindselig feit:*) attamen melius, & perfectius est eo abstinere mortificationis gratia, ut in aliis licitis, adeoque materia sufficiens juramenti, sicut & voti. De his late Sanch. *lib. mor. c.*18. Certe tamen non valeret juramentum non ludendi ullo unquam casu cujuscumque rationabilissimæ causæ; cum sine dubio possit contingere casus, in quo melius, & Deo gratius esset ludere lusu quopiam honesto, quam non ludere, ut vero exemplo S. Francisci Xaverii patet. Cæterum ex fine a jurante intento resolvi debent hic varia dubia. 43

I. An jurans, solum lusum immoderatum excluserit, an vero omnem lusum. Resp. Si solum intendit vitare jurgia, jacturam bonorum, similiaque mala, solum usum immoderatum exclusit: sin vero voluit se cohibere ab illa delectatione, jactura temporis &c. omnem etiam moderatum lusum exclusisse censendus est. 44

II. Quantitas, vel parvitas materiæ, & peccati, si talis contra juramentum ludat, unde desumenda? Resp. Si dejurasti lusum, ne pecuniam, vel rem familiarem prodige perderes, ab ipso damno magno, vel parvo, quod ex tali lusu pateris, vel cujus periculo te scienter exponis, gravis, aut levis metienda est culpa, & non a mora temporis. Certe Gobat. *n.*526. non damnat te peccati mortalis, si sine periculo amittendi magnam summam, integrum diem lusu alearum consumas: damnat autem te lethalis culpæ, si contra tale juramentum, vel unam horulam insumas ludendo aleis cum periculo amittendi notabilem quantitatem, statui tuo nocivam respective, v. g. viginti, vel triginta florenorum necessariorum conservationi familiæ, debitis solvendis &c. Si autem dejurasti lusum, ne tempus inutiliter consumeres, a tempore insumpto notabili (certe duarum horarum) vel non notabili (horulæ, vel dimidiæ) culpa pensanda erit. Denique si solum dejurasti ob mortificationem illius delectationis, venialem vix excedes culpam, semper enim manet materia levis. 45

III. An tale juramentum non ludendi includat etiam non ludere per personam intermediam, ut si des alteri pecuniam, ut pro te assidente, & condelectante ludat; Resp. Non includit, nisi finis fuisset evitare jacturam pecuniæ, seu prodigalitatem, aut ita manifeste expressisses, non enim tu ludis, sed alius: juramenta autem stricte interpretanda sunt in favorem jurantis. 46

IV. An tale juramentum includat etiam non ludere nomine alieno. Resp. Includit, si jurando habuisti rationem jacturæ temporis, discordiarum, & similium. Non includit, si habuisti rationem, vel jacturam rei familiaris tantum. Quod si finis fuit, ne in blasphemias, rixas, perjuria, vel illicita juramenta erumperes, rixose cum collusore ageres &c. attendendum erit, an, quando nomine alieno ludis, & tuam pecuniam non perdis, hæc tamen soleas committere, nec ne: si sic, includit; si secus, non includit. Ita cum *Castro-Pal. Tamb. cit.* §.5. *num.*63. Ubi hunc subdit casum: Titius profecturus Romam, recipit juramentum a Filio, se non lusurum aleis, donec Pater redierit, is Romæ peste mortuus, redire non poterit. Quærit filius, an deinceps ludere possit. Resp. Bonac. nunquam posse: Tamb. rectius resolvit, posse. *Ratio*, quia juramentum est ex animo, & intentione jurantis interpretandum: atqui omnino videtur mens, & intentio filii jurantis non fuisse, nisi abstinere a lusu per aliquod tempus, illud nimirum, quo esset sub potestate Patris absentis, & non in perpetuum; atque ita sine dubio respondisset, si tunc, quando juravit, interrogatus de hoc fuisset; ergo, mortuo Patre, juramento amplius obligandus non est. Quod clarius patet, si filius jurasset non ducere uxorem, nisi Pater Roma rediisset, aut non exire domum, donec Pater a foro rediisset, & is Romæ, vel in foro subito extinctus fuisset. 47

REGULA III.

JUramentum promissorium de re illicita, actione prohibita, vel infirmata lege humana, civili, vel Ecclesiastica; siquidem illa lex obliget sub culpa, irritum est, & nullum: juxta Regulam Canonicam: *non obligat juramentum præstitum contra bonos mores*, quo scilicet juratur opus turpe, vel peccaminosum: si vero illa lex non obliget sub culpa, juramentum valebit, & saltem ex virtute Religionis obligabit. Regula certissima est, & communissima Theolog. & Canonistar. Ut autem possis universim discernere, quandonam leges positivæ humanæ obligent in conscientia, & sub culpa, vel non obligent, sane hoc opus, hic labor est. Ex communi Sanch. *l.*3. *cap.*9. *nu.*31. Has duas tradit Regulas. 48

I. Le-

49 I. Leges prohibentes aliquam pactionem, vel quamvis actionem, quarum finis proximus est commune bonum Reipublicæ, v.gr. quibus Clericorum immunitas, publicorum judiciorum integritas, rerum ad communem victum necessariarum pretia statuuntur, aut in favorem tertii: ut, quod liberis certa portio debeatur; ne libri ab alio quam certo Typographo imprimantur, &c. obligant sub culpa, ita ut eis, nec accedente juramento, contraveniri possit, *Ratio*, quia tale juramentum vere est de re injusta, & illicita, adeoque irritum, ac nullum. Ex. gr. juravit Clericus propria auctoritate renunciare privilegio fori, immunitatis Ecclesiæ, aut alienare bona Ecclesiastica. Item jurasti crimen aliquod non manifestatum Judici legitime interroganti, aut alterum de crimine Reipubl. pernicioso non accusaturum: uxorem, & liberos domo ejecturum. Item juravit Mercator, frumenta extra provinciam distracturum contra legem inhibentem, aut Typographus librum impressurum, cujus privilegium habet alter &c. juramenta nulla sunt, & irrita, quia de re illicita, ac prohibita per leges latas in bonum Reipubl. & favorem tertii, adeoque sub culpa obligantes.

50 II. Leges prohibentes, vel infirmantes aliquam pactionem, vel actionem quamcumque in favorem ipsius paciscentis, vel promittentis, ne scilicet is gravetur, vel detrimentum patiatur: ut non esse solvendas pecunias lusu vetito perditas, usuras non reddendas &c. non solent obligare sub culpa, adeoque accedente juramento eis contraveniri non potest; idque ex ipsa juris communis dispositione, juxta communem regulam, *c. si vero & c.* cum contingat, de jure jurand. *Omne juramentum editum in alterius utilitatem servandum est, si sine salutis dispendio* (id est sine peccato) *servari potest:* atqui si lex contraria in conscientia sub culpa non obliget, jam juramentum de tali re prohibita sine salutis dispendio servari potest: ergo debebit. Exempla plurima sunt in Jure utroque. Lex civilis rescindit obligationem solvendi pecunias lusu alearum perditas, ac reddendi usuras in favorem utique ipsorum ludentium, vel mutuantium: at si quis juret se soluturum, tenetur juramento vi Religionis, quia Deum in testem invocavit: & est de re licita, quæ sine salutis dispendio servari potest: Item alienatio fundi dotalis secundum leges civiles irrita est, si tamen eam mulier sine vi, aut dolo juramento confirmet, valida evadet, *cap. Cum contingat*. Item pactum renunciationis de non succedendo in paterna hæreditate, secundum leges irritum est: at accedente juramento observandum, *cap. quamvis pactum, de pact. in 6.* Item contractus Minoris sine Curatoris auctoritate in alienatione rerum immobilium, jure Civili inefficax est, & rescindi potest: at accedente juramento inviolabiliter observari debet: *Authentica: Sacramenta puberum*. Idemque est de filio-familias mutuum accipiente sine consensu patris. Item si mulier pro alio fidejubeat, non obligatur efficaciter ob privilegium *Senatus Consulti Vellejani*, adhibito tamen juramento obligatur, *argumentum c. ex præscripto, de jurejurand.* Plurima alia exempla congerit ex Sanch. Laym. *cit. c. 6. n. 7.* Ratio omnium est, quia illæ leges latæ in favorem promittentis, non obligant sub culpa, cum quilibet possit renunciare suo favori, adeoque relinquunt actionem licitam, & consequenter capacem obligationis juramenti, quantum est ex virtute Religionis, etsi non ex virtute Justitiæ, cum enim eæ pactiones ex se sint jure rescissæ, non potest oriri obligatio Justitiæ, nec alter jus acquirit, juxta communiorem sententiam DD. Omnia quidem verissima sunt; at quia in praxi adhuc manet difficile discernere semper in particulari, utrum hæc, aut illa lex in particulari respiciat bonum commune, vel privatum, talis hominis, cum certe omnis lex tendat ad bonum publicum, ideo

51 III. Clarior, & expeditior Regula traditur a Castro-Palao apud Tamb. *sæpe cit. l. 3. c. 3. §. 5. nu. 42.* Juramentum contra leges prohibentes aliquid non valet, nec obligat: at vero juramentum contra leges permittentes tantum validum est, & obligatorium. *Ratio est:* quia non valet juramentum contra bonum publicum: atqui jurare rem prohibitam lege humana justa, seu civili, seu Ecclesiastica, semper est contra bonum publicum, omni lege justa prohibente principaliter intentum, non item jurare aliquid contra legem permittentem tantum, etsi ultimate quoque ob bonum publicum, tamen immediate regulariter in favorem operantis, quo nemo uti tenetur: ergo. Vides hac Regula clarius regulari exempla utriusque regulæ præcedentis: quia enim in exemplis primæ regulæ juratur contra leges prohibentes, nullum est juramentum: at quia in exemplis secundæ regulæ juratur contra leges permittentes tantum (non enim prohibent, sed permittunt tantum leges usuras, vel per lusum perditas pecunias non solvere, vel solutas repetere, non solvi a filiofamilias mutuum, inscio Patre, acceptum &c.) ideo valide, ac obligatorie juras tale mutuum reddere, usuras vel tales pecunias lusu perditas solvere, ac solutas non repetere, non enim facis contra legem prohibentem, sed permittentem tantum. Similiter in alio exemplo, prohibent quidem leges fundum dotalem alienari: at non prohibent, sed permittunt tantum, si fundus de facto alienatus sit, rescissionem petere. Hinc si jurasti, te fundum talem venditurum, nullum esset juramentum, quia contra legem prohibentem: at si de facto vendis, valide juras, te non petiturum rescissionem, quia hoc est tantum contra legem permittentem.

IV. Juramentum additum contractui irrito per leges positivas tantum, valet, & obligat ex virtute Religionis ad implendum, nisi lex illa contractum etiam juratum, seu cum juramento factum irritet: quemadmodum Conc. Trid. *sess. 25. c. 16. de Reg.* irritavit renunciationem etiam juratam Novitii, nisi certis conditionibus assignatis; & matrimonium gravi injusto metu extortum, accedente etiam juramento, invalidum decernitur, *c. 2. de eo, qui duxit*. Ratio: Quia tunc Ecclesia velut antecedenter propter Bonum commune, sive irritavit, sive relaxavit illud juramentum. *Ratio* hujus ex dictis patet, quia irritatio contractuum semper fit in favorem contrahentis, ideoque in conscientia non obligat, & consequenter accedente juramento confirmatur. Exempla habes mox supra *nu. 50.* 52

At hic quæstio valde Juridica, & intricata est, an contractus jure positivo humano invalidus addito juramento ita confirmetur, ut non tantum ex Religione, sed etiam ex justitia obliget, seu jus Justitiæ tribuat illi, in cujus favorem juratur: v.g. alienavit uxor fundum dotalem: contractus jure positivo invalidus est: si addatur juramentum, servandus erit ex virtute Religionis, ut jura clare decernunt. Quæritur jam, an etiam servandus ex justitia, ut alter jus justitiæ habeat ad fundum retinendum, etiamsi juramentum relaxaretur. Affirmat sane communior sententia DD. cum Sanch. *l. 3. mor. c. 12. nu. 5. & 11.* late Lugo *de just. t. 2. disp. 22. sect. 8. a n. 202. & 206.* non contemnendis fundamentis. Quos videre potes. Sed revera probabilis, & in conscientia tuta est sententia negativa, apud Tamb. *cit. c. 3. §. 6. n. 6.* Ratio solida est; quia quod juramentum addat vim justitiæ, non habetur ex vi juramenti, quia juramentum est accessorium contractui, & relinquit illum sicuti est, nec quidquam addit firmitatis, nisi quantum ex se habet, nimirum vim religionis: neque id habetur ex jure positivo, nulla enim jura dicunt, ita confirmari contractus juramento, ut novum jus justitiæ inducant, sed solum dicunt, debere servari inviolabiliter, & quandoque diserte addunt, in reverentiam juramenti, vel quid simile: ergo solum Religionis obligationem agnoscunt jura, justitiæ autem jus addere, non Juris, sed Juristarum commentum est. Denique sermo tantum fuit de actibus, vel contractibus jure tantum positivo prohibitis, vel irritis; nimis enim certum est, non valere juramenta de actibus, vel contractibus facta contra jus naturale, vel divinum, utpote usurariis, simoniacis, &c. 53

REGULA IV.

Juramentum promissorium etiamsi ex parte actus illicite seu peccaminose emissum, dummodo sit de re licita, quæque absque peccato, vel injuria Reipublicæ, vel tertii adimpleri possit, validum est, & obligat ad sui impletionem, v.g. si jurasti cum magna irreverentia, vel blasphemia, adeoque non sine mortali culpa, alteri justo pretio vendere equum, aliudve, licitum est præstare: jurasti absque necessitate, vel rationabili causa usurario usuras solvere &c. peccasti jurando, sed juramento teneris, quia de re licita, quæ sine peccato impleri potest, juxta regulas canonicas sane repetitas, Exemp. particularia adferamus. 54

I. Juramentum factum ad finem malum: v. gr. Adolescens jurat puellæ, tot ducatos dare, si corporis copiam faciat: jurasti alteri certam summam dare, si inimicum tuum occidat, mutilet, maleficio inficiat &c. juramenta in actu mortaliter mala sunt ex malitia finis, & ante opus turpe impletum omnino rescindenda: attamen post opus turpe impletum ad solvendum promissum omnino convalescunt, & obligant: secundum communem, & receptam sententiam DD. cum Sanch. *cit. lib. 3. cap. 9. nu. 22.* Laym. *cap. 6. n. 2.* Ratio est, quia juramentum, seu divini Nominis invocatio non applicatur super ipsum contractum, vel promissionem operis inhonesti, vel peccaminosi ipsius (quod sacrilegum, blasphemum, & utique irritum esset) sed cadit solum super promissionem solvendæ mercedis sub conditione operis turpis promissi: atqui solutio talis mercedis de se est licita, & absque peccato, vel injuria Reipublicæ, vel tertii impleri potest; ergo valet illud juramentum juxta receptam Juris Regulam: *omne juramentum editum in utilitatem alterius servandum est, si sine salutis dispendio servari potest*. Improprie ergo loquuntur quidam DD. præsertim Canonistæ, dum dicunt: juramentum illicitum servandum non esse, cum dicere deberent: juramentum de re illicita servari non debere, ut recte notat Laym. *cap. 6. num. 2.* 55

II. Juramentum contra legem, vel præceptum superioris, v.g. donandi aliquid, seu obsequium aliquod præstandi, distinguendum est: quod si enim lex, vel præceptum Superioris (idemque est de voto proprio non jurandi) solum prohibeat ipsa juramenta fieri, non autem ipsam rem promissam, juramentum contra factum, etsi illicitum, validum tamen erit, & obligabit; quia manet de re licita juxta rationem datam superius: at vero si lex, vel præceptum Superioris non sit tantum de non jurando, sed etiam ipsam 56

ipsam rem promissam prohibeat, vel excludat, v. g. non donare, vel tale obsequium non præstare, &c. jam juramentum contra factum erit nullum; quia non solum ipsum est illicitum, sed etiam est de re illicita, utpote justo præcepto prohibita, seu voto exclusa factum. Atque eadem ratione

57 III. Juramentum contra aliud juramentum, vel votum, v. g. jurasti, vel vovisti castitatem, postea cum juramento promittis ducere hanc puellam &c. sine dubio irritum est, & non obligat; quia non solum ipsum juramentum in actu illicitum est, & peccatum, sed est etiam de re mala, & illicita facta per prius juramentum, vel votum. Audi casum: Petrus juravit ducere Annam, postea contra hoc juramentum jurat ducere Catharinam, juramento pro nunc irrito, ob dictam causam, interim Anna prior sponsa sponte remittit promissionem Petro, teneturne postea Petrus vi juramenti ducere Catharinam? Resp. non teneri, quia *quod ab initio invalidum fuit, tractu temporis non firmatur, aut convalescit*: at posterius juramentum cum Catharina ab initio invalidum fuit, quia fuit de re illicita facta per prius juramentum cum Anna: ergo postea convalescere non potest. Interim tamen valent contractus, & dispositiones actuales de præsenti factæ contra prius juramentum promissorium tantum de futuro, ut in casu posito: jurasti ducere Annam, & postea cum, vel sine juramento Catharinam de facto ducis, jurasti non vendere tuum equum, aut vendere Petro, postea tamen vendis Paulo, posterius matrimonium, ac venditio posterior valida sunt: quia per prius juramentum non tollitur potestas a jurante valide agendi, quod alias valide posset, sed solum, ut non possit amplius licite. Sed de hoc plura alibi.

58 IV. Juramentum nimis prodigum, ut si absque ulla ratione, adeoque non absque prodigalitatis vitio jurasti, alteri donare grandem summam, v. gr. mille florenos, utique illicitum fuit. At obligatne? affirmat cum aliis Sanch. quia licet promittendo peccaris prodige jurans, non tamen peccabis exequendo, ac solvendo debitum contractum juramento. Negat cum aliis Tamb. *cit.* §.5. *n.*20. Quia quando promissio est prodiga, etiam ipsa datio, seu donatio erit prodiga; ideoque juramentum est de re venialiter mala, eoque ipso nullum. Alii distinguunt: Juramentum nimirum valere quoad partem, qua promissio prodiga non est, non item quoad excessum. *Ratio* quia juramentum ob reverentiam divini Nominis assumpti alteri servari debet, quando, & quantum potest sine peccato servari: at hic sine peccato servari potest quoad partem non prodigam, quoad excessum vero non potest servari sine peccato veniali saltem prodigalitatis, ideoque pro hac parte non valebit. Nec obstat, quod promissio mille florenorum fuerit facta per modum unius summæ, vel quantitatis, hanc enim conditionem videntur includere promissiones illæ factæ ad certam quantitatem, vel numerum: *tantum dabo, si tantum potero: secus, dabo quantum potero*. Certe qui mille florenos vovisset Deo, & non posset, nisi quinquaginta florenos dare, ab omnibus obligatus manet. Simile videtur in proposito. Sed tu elige sententiam, quæ magis placet.

ASSERTIO V.

59 JUramentum promissorium obligat ad promissionem juratam sub mortali aliquem, saltem ex genere suo, omnium DD. consensu: quia res est gravissimi momenti, reddere verum invocatum Divinum Testimonium, & fidejussionem adimplendo rem juramento promissam. *Ita omnes*. Excepta controversia, an ex parvitate materiæ possit fieri venialis juramenti promissorii violatio; de quo, & tota ratione peccati ex professo §. seq. Hic solum ad naturam hujus obligationis discernendam tradendæ iterum sunt aliquot regulæ.

REGULA PRIMA.

60 J*Uramenti cujuscumque obligatio principaliter est ex virtute Religionis, & secundi præcepti Decalogi, de non assumendo Nomen Dei in vanum, multo minus in falsum, sed rationabiliter cum reverentia, & veritate*: & quidem juramentum promissorium absolutum per se stans, aut confirmatorium promissionis factæ ipsi Deo, solam habet obligationem ex virtute Religionis, ut *sect.*1. §. 4. explicatum est: At vero juramentum promissorium factum homini, seu confirmatorium promissionis factæ homini, eam promissionem acceptanti, duplicem habet obligationem, & ex virtute Religionis ratione juramenti, & ex virtute Fidelitatis, & Justitiæ reddendi alteri, quod suum est; cum promissum cadat in debitum: *Deinde* prorsus omne juramentum valide factum juxta Regulas *Assert. præced.* obligat semper in foro conscientiæ: at non semper etiam in foro externo, ita ut de eo in judicio actio institui possit. Quando ergo, & quando non, late videre potes apud Mol. Laym. Sanch. *aliosque cit.* Tu accipe compendio.

61 I. Juramenta absoluta per se stantia, & solum ipsi Deo, facta, ut si jurasti absolute te Ecclesiam ædificaturum, Eleemosynam daturum, &c. nemine promissionem acceptante, non obligant in foro externo, neque actionem in judicio pariunt. *Omnes*. Ratio clara est: quia actio est jus prosequendi in judicio, quod sibi debetur: sed in tali juramento per se stante, aut solum ipsi Deo facto, nulla obligatio, seu debitum justitiæ erga hominem (nullo enim homine acceptante, nullum jus oriri potest in foro, aut judicio externo) sed solum adest obligatio Religionis erga Deum: ergo hic non est locus obligationi civili, & proprie dictæ actioni: Nihilominus tamen in foro externo Ecclesiæ Judex tanquam curam gerens divini Honoris, & Religionis, ex officio talem compellere debet ad servandum juramentum: quod judicis officium, is, in cujus gratiam juratum est, implorare poterit, ut ex communi notat Laym.

II. Omne juramentum confirmatorium promissionis factæ 62
homini legitime factum, in materia scilicet honesta, & licita, atque acceptatum, obligat in foro externo, ut de eo actio concedatur in judicio. *Omnes*: Ratio est: quia hoc juramentum non tantum inducit obligationem Religionis erga Deum, sed etiam confirmat naturalem obligationem fidelitatis, & justitiæ erga hominem, quam jus tam civile, quam Ecclesiasticum acceptat, & ad ejus impletionem compellit, maxime ob reverentiam juramenti.

III. Juramenta confirmatoria promissionis factæ homini 63
& acceptatæ, de re prohibita, aut infirmata Lege humana, non tamen obligante in conscientia, sed permittente tantum (juxta dicta *Assert. præced.* Regula III. N. III. & IV.) etsi alioquin valida sint, & in foro conscientiæ obligent, ut etiam super iis observandis officium Judicis implorari possit; non tamen obligant in foro externo, neque de eis actio conceditur: quia nimirum in nostra sententia illis contractibus juramentum nullum addit jus justitiæ, sed solam obligationem Religionis. Oppositum dicetur in sententia opposita. Idque certissimum est, quando juramentum continet turpitudinem ex parte exigentis: ut si jurasti usuras solvere, & negligas, non poteris compelli in foro externo ad solvendum. Idemque universaliter dicendum de omni juramento per injuriam, dolo, vel metu injuste extorto.

IV. In neutro, neque interno conscientiæ, neque ex- 64
terno judicii foro obligant juramenta facta de re alioquin licita, sed prohibita, aut infirmata Lege humana prohibente, seu sub culpa obligante, juxta dicta supra loco cit. Hæc compendio.

REGULA II.

JUramenti promissorii obligatio propria, & principalis vir- 65
tute Religionis in utroque foro omnino personalis est, neque ad hæredes, vel successores jurantis transit; secus est de obligatione ex virtute Justitiæ. Communissima cum Sanch. *lib.*3. *mor. n.*13. *init.* Castro-Pal. Tambur. *cit.* §.6. *n.*1. *alii*. Ratio generalis est: quia nullus potest contrahere obligationem ex vi juramenti, nisi habeat intentionem jurandi: atqui solus ipse jurans, non autem ejus hæres, vel successor jurantis unquam habuit intentionem jurandi, etsi subinde habeat, & habere debeat intentionem contrahendi debitum justitiæ; ergo &c. Hinc resolves.

I. Si juramentum sit absolutum, & per se stans, v.g. te 66
Ecclesiam ædificaturum, puellam aliquam dotaturum, pauperem aliquem aliturum, absque promissione Deo, aut homini determinate facta, &c. nulla omnino obligatio oritur ad hæredes, jurante defuncto; quia ibi sola est obligatio virtutis Religionis, quæ una cum jurante extinguitur. *Communissima*. Quamvis Abbas *in c. cum contingat, n.*8. pie probabiliter doceat, si juramentum tale in gratiam alterius editum sit, hæredem posse conveniri, non actione aliqua proprie dicta contra eum ex obligatione Justitiæ, sed obligatione Charitatis, ad exonerandam defuncti conscientiam, dicens: *licet juramentum non transeat ad hæredes, servare tamen tenentur, ne lædant defuncti conscientiam*. Est sane sic consulendum a confessario; at non urget, sicque nec vix urgebit.

II. Juramentum confirmatorium promissionis factæ Deo, 67
seu votum juratum, personale quidem de actione ab ipso jurante exercenda: ut ingrediendi Religionem, talem puellam ducendi, &c. manet personale, neque ad hæredem transit ob eandem rationem. At vero tale juramentum reale de aliqua re præstanda, quæ per alterum præstari potest, v. g. tantam eleemosynam erogandi, vel talem pauperem alendi, &c. omnino transit ad hæredes jurantis, non quidem vi juramenti ex virtute Religionis, sed vi contractus alicujus: vel quia Deus ipse tale juramentum, seu votum juratum ad utilitatem Ecclesiæ, vel pauperis, pro ipsis acceptavit, ut pie vult Sanch. *cit. n.*5. Vel potius, quia Jus Canonicum, & Civile statuit non adiri hæreditatem, nisi sub conditione exequendi omnia onera realia, adeoque etiam juramenta, & vota realia decedentis: dummodo hæc non sint per injuriam extorta: ut vult, & bene probat *Castro-Palaus* apud Tambur. *cit. lib.*3. *cap.*3. §.7. *nu.*5.

III. Juramentum promissorium, & confirmatorium pro- 68
missionis factæ homini acceptanti, omnino transit ad hæredes jurantis; sed iterum non quoad obligationem datam,

sed

sed solum ex virtute justitiæ, vi pacti, aut contractus impliciti, quo hæres debet in se suscipere omnia onera realia, seu reales obligationes decedentis, secundum vires hæreditatis aditæ, sicut succedit in omnia commoda, & jura. Quod insuper verum est, quando præcessit a jurante specialis contractus: ut si tu cum juramento equum vendidisti Petro acceptanti, eoque nondum tradito, defungeris, utique tuus hæres tenetur equum extradere Petro, non vi juramenti, sed vi contractus, ut dictum est. Quin etiam, si quis expresse jurasset (ut sæpe fit) pro se, & suis hæredibus, adhuc tamen obligatio non transit ad hæredes vi juramenti, & ex virtute Religionis, sed tantum ex vi pacti, vel contractus prædicti ex virtute Justitiæ. Unde hæredes non implentes juramenta promissoria realia defunctorum non peccant perjurio contra Virtutem Religionis, sed tantum injustitiæ peccato contra virtutem justitiæ.

69 IV. Insuper juramenti promissorii facti homini acceptanti, obligatio etiam transit ad hæredes hominis illius, cui juratum est, non tantum in interno conscientiæ, sed etiam in externo judicii foro, ut ii actionem instituere possint, juxta communem DD. apud Lay. *cit. lib.4. tr.3. c.10. nu.5.* & similiter ex leg. *si passum, ff. de prob.* ubi habetur: pactum tibi factum, ad hæredem quoque tuum extendi, licet expressum non fuerit; juramentum autem suscipit naturam, & conditiones pacti, seu promissionis, cui apponitur; ergo &c. Et *c. veritatis, de jurejur.* dicitur: Vassallum, qui juravit suo Prælato fidelitatem, aut obedientiam, etiam eandem sine novo juramento debere successoribus, quamvis eorum expressa mentio facta non fuerit. Unde qui tibi juramento promisit equum, & non præstitit ante mortem tuam, tenebitur vi ipsius juramenti præstare hæredibus tuis. Denique in his omnibus semper excipiendum est, nisi juramentum per injuriam extortum sit; nam universaliter ex juramento turpitudinem continente, ex parte exigentis juramentum, vel acceptantis rem juratam; ut si juramentum metu gravi, vel injusto extortum sit, v.g. si jurasti usuras solvere, pecuniam dare latroni, datas non repetere, &c. nulla omnino oritur obligatio ad hæredes jurantis defuncti (multo minus ad hæredes illius, cui juratum est.) Ratio ex dictis patet: quia ibi fuit sola obligatio Religionis ex juramento, nulla autem obligatio justitiæ erga alterum. Communis DD. cum Sanch. Lay. *aliis cit.*

REGULA III.

70 JUramenta in dubio stricte interpretanda sunt, seu in favorem jurantis, ut servata proprietate verborum, quanto minor potest, obligatio inducatur. Communissima DD. cum Suar. *l.2. de juram. c.32. n.7.* Sanch. Laym. *cit. c.9. n.1.* alii passim. Est enim notissima Regula Juris in 6. *odia restringi, favores convenit ampliari:* juramenti autem obligatio pertinet ad materiam odiosam, seu onerosam, ideoque restringi debet in favorem ipsius jurantis, cumque gravissima sit obligatio juramenti, merito stricte interpretari debet ob periculum perjurii. Nec obstat, quod juramentum videatur cedere in favorem Religionis, sicut votum, ideoque late interpretandum. Negatur enim consequentia: Nam Religio non promovetur interpretando juramenta, vel vota latius, quam intendat jurans, vel vovens, aut quam ejus verba cogunt interpretari; immo quo fuerit magis benigna interpretatio, eo frequentius observabuntur; tanto autem infrequentius, quanto durior fuerit interpretatio; ut sapienter observat, *Suar. l.c.* Accipe exempla, & insuper pro nimis variis casibus aliquot regulas speciaiores.

71 I. Qui jurat se ingressurum Religionem indefinite quamlibet, etiam minus strictam ingredi potest. Qui jurat Ecclesiæ dare calicem, postea dubitans, an aureum, vel argenteum, satisfacit dando argenteum. Juramentum de servandis Statutis alicujus Communitatis, debet interpretari de Statutis jam factis, non faciendis, nisi id exprimatur, vel aliunde constet, tam amplam esse juramenti obligationem. Communis apud Laym. *c.9. n.1.* Qui jurat se alicui obtemperaturum in omnibus, interpretandum est, nisi illicita, vel nimis ardua, vel statui suo non convenientia imperet. Item qui jurat se staturum prudentum virorum judicio, interpretandum est, nisi manifeste inique judicent: ut habetur *c.quintavallis de jurejur.* Quo spectant communiter axiomata DD. *Juramentum bona fide præstitum, non est extendendum ultra intentionem jurantis verosimiliter præsumendam. Juramentum non est extendendum ad incognita, seu de quibus jurans non cogitavit. In generali promissione vel juramento non veniunt ea, quæ quis verosimiliter non promisisset, si in mentem venissent, aut promittere non potuisset.*

72 II. Juramentum præstitum circa materiam juris interpretandum est secundum limites Juris: v.g. Si juret Clericus residentiam absolute, potest tamen non residere in casibus a Jure concessis. Qui jurat servare Statuta Collegii, Universitatis, &c. potest non servare ea, quæ legitima desuetudine abrogata sunt. Et universaliter juramentum de servandis statutis alicujus Comunitatis interpretandum est secundum differentiam statutorum ex intentione Legislatoris, & loci consuetudine, communique interpretatione obligationis: utpote si statuta obligant sub mortali, vel veniali, obligatio quoque juramenti, ejusque transgressio mortalis, vel venialis erit; si sub nulla culpa, sed sub pœna tantum obligent, obligatio quoque juramenti, ejusque transgressio nullius culpæ erit, dummodo paratus sis pænam solvere. Item juramentum de servando secreto actorum in Concilio, Capitulo, &c. interpretandum est, quatenus materia secretum postulat: ita ut circa materiam magni momenti, quam multum intersit non evulgari, obliget sub mortali juramentum, circa materiam levem, sub veniali, circa materiam nullius momenti, cujus evulgatio nullum omnino incommodum adferre queat, sub nulla culpa. Gloss. & Abb. *in c. Ego de jurejur.* Communis DD. apud Sanch. & Laym. *cit.* Item qui jurat se staturum sententiæ Ecclesiæ, vel judicis alicujus, non obstante hoc juramento, vel sententia lata, appellare potest, sicut ei jura concedunt. Item juramentum Episcopi de non alienandis bonis Ecclesiæ, interpretandum est de alienatione illicita tantum, utpote sine causa necessitatis, vel utilitatis, & sine requisita juris solemnitate. Innoc. *in c. cum omnes, de constit.*

III. Juramentum nunquam censetur factum in præjudicium tertii: quia fuisset illicitum. Habetur *in Jure tit. de jurejur.* Hinc qui juravit secretum servare alicujus, si ex secreto immineret alteri tertio malum, potest ei revelare: quia hunc juvare, & alteri non obesse potest. Qui juravit solvere creditorem posteriorem, potest & tenetur solvere creditorem priorem, posthabito altero, si utrique non sufficiat. Qui juravit non discedere ab hoc loco, aut longam peregrinationem instituere, potest, & tenetur secus facere, si legitimus Superior secus jubeat, quia alias esset in præjudicium Superioris secus jubentis, ideoque de re illicita, & nullum. 73

IV. Principalis, & semper præ oculis habenda regula sit, *juramentum promissorium sortitur conditiones, & qualitates actus, cui adjicitur.* Communissima DD. apud Gob. *cit. Cas. 16. n.504.* & late Suar. *cit. lib.2. de juram. c.32.* ac Sanch. *lib. 1.de matr.disp.52.* Et Barbos. *in axiom.* merito axiomatibus juridicis accenset has duas propositiones. I. *Juramentum regulatur secundum naturam actus, cui additur.* Et II. *Juramentum non auget obligationem, sed ei intra suos limites manenti addit Religionis vinculum:* nimirum juramentum non auget obligationem actus extensive, quia promissionem non solet extendere ad plures casus, quam ea extenderetur, si non vestiretur juramento: sed auget tamen semper intensive, quia efficit, ut promissio, cui additum est juramentum, obliget arctius, & severius, quia juramentum superadditum vinculo solius fidelitatis, vel justitiæ, superaddit vinculum Religionis. Unde juramentum eodem modo interpretandum erit, quo interpretatur, & explicatur ipsa promissio per se, secluso juramento. 74

Excipe tamen cum Lessio *l.2. de justit. c.42. dubitat.6. n.32.* casum, quo exigitur juramentum ea ipsa intentione, ut excludantur conditiones, quæ inerant, aut non inerant nudæ promissioni: Ut si Medicus promisit servire Communitati, vi nudæ promissionis, non tenebitur servire tempore pestis, si juramento exacto promissionem ad eum casum extendat, jam obligabitur, & ita in similibus. 75

REGULA IV. GENERALIS.

JUramentum promissorium quantumvis absolute, & in terminis generalissimis conceptum, tacite tamen semper includit, & subintellectas habet conditiones, seu limitationes aliquas, quas exprimunt partim Gloss. in c. *quemadmodum, de jure jurand.* partim DD. citati, & citandi. 76

Prima conditio: *si potuero:* Quia impossibilium nulla est obligatio: quod intelligendum est, non solum de potentia, vel impotentia naturali, & physica, sed etiam de potentia morali; eaque duplici: I. *ex jure:* videlicet si potuero sine peccato: moraliter enim dicitur esse impossibile, quod facere non possumus sine peccato: & id solum posse dicimur, quod de jure, & honeste facere possumus. L. *Nepos, ff. de verb. signif.* Et *juramentum non debet esse vinculum iniquitatis.* c. cum contingat de jurejurand. II. *Ex facto:* Ut nimirum possimus sine grandi difficultate, & incommodo, etenim universim censentur impossibilia moraliter, quæ impleta pietatem, existimationem, aut verecundiam nostram lædunt, inquit Paulus, *L.Generaliter, ff. de verb. obligat.* si tamen ejusmodi difficultas, seu impossibilitas moralis de facto tibi erat perspecta, quando jurasti, v. gr. inire militiam, servire infirmis, &c. censeris te obligasse etiam ad illam exantlandam, secus si tunc non fuit prævisa, ut bene notat Gobat. *n.496.* Quod si una pars rei promissæ, & juratæ sit impossibilis, vel illicita, altera vero possibilis, vel licita, & una sine dependentia ab altera promissa est, & servari possit, tunc pars possibilis, & licita servanda erit: quia *utile per inutile non vitiatur*, juxta regul. Juris: si nimirum utile ab inutili separari possit, & sine dependentia ab illo promissum fuerat. DD. communiter *in regulam Juris 37. in 6.* v.gr. peregrinationem ad Ædem Lauretanam, & simul oblationem centum florenorum, si hanc non potes, potes autem illam, teneris. 77

Secunda conditio: *Salvo jure, & auctoritate Superioris*, si nimirum is juramentum sibi præjudicans irritare, aut 78

alias

alias ob justam causam relaxare, vel in eo dispensare, aut quomodolibet ex justa auctoritate aliter disponere voluerit, *cap. veniente*, *c. ad nostram* 3. *de jure jurand. Et c. non est de voto: ibid.* ubi dicitur: *Non est dicendus transgressor voti, qui, quod vovit, auctoritate Sedis Apostolicæ distulit adimplere*. Idem est de juramento.

79 Tertia conditio. *Si is, in cujus gratiam, & utilitatem juratum est, voluerit acceptare: aut nisi is obligationem expresse, vel tacite remittat*. Ubi nota, juramentum promissorium posse fieri homini, aut in gratiam hominis dupliciter; 1. non directe in ejus utilitatem, sed solum ad honorem Dei, ac salutem propriam jurantis: ut si quis juret confessario, se tale opus bonum facturum, Religionem ingressurum, tali peccato imposterum abstinere velle, &c. Et hoc casu recte inquit S. Thom. 2. 2. *qu.*89. *art.*9. ille, cui promittitur, non potest absolvere promittentem, quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo. 2. Directe in ejus utilitatem, ut si jures, te non aliam ducturum, nisi Titiam: Titio centum aureos daturum, &c. & tunc omnium consensu, altero remittente obligationem, cessat obligatio juramenti. 3. Denique juramentum promissorium potest fieri principaliter Deo per modum voti jurati in ejus honorem, simul tamen in utilitatem alicujus certi hominis, utpote de præstando aliquo opere Charitatis, aut misericordiæ erga certum hominem, v.gr. te puellæ pauperi dotem daturum, tali Ecclesiæ, aut Monasterio tantam summam daturum, &c. & tunc rursus certum est, cessare obligationem juramenti, si altera persona, in cujus utilitatem Deo jurasti, beneficium respuat, vel acceptare nolit.

80 At dubium valde est, si illa persona beneficium quidem non respuat, ut sibi non acceptum, nolit tamen te jurantem ad id obligare, sed in tui gratiam obligationem remittat, & liberum relinquat: an id sufficiat ad relaxationem juramenti: Affirmant Navarr. Henriq. alii cum Sanch. *l.*1. *de Matrim. disp.*52. *num.*6. quia Deus acceptat ejusmodi votum, vel juramentum in ordine ad hominem, in cujus utilitatem fit; quare si ipsius hominis voluntati satisfactum sit, etiam voluntati Dei, & obligationi erga Deum satisfactum censetur. Non improbabiliter, & in conscientia tutum censent Tambur. *lib.* 3. *cap.*7. §.2. Gobat. *nu.* 499. pulchrum resolvens casum. Probabilius tamen & tutius negant Abb. Angelus, Sylvester, Azor. Suar. aliosque citans Laym. *cap.*9. *nu.*5. quia Deus talem promissionem acceptavit, sicut facta est principaliter ad suum honorem, & secundario solum ad utilitatem hujus hominis, adeoque etsi homo non obliget, acceptet tamen, servanda erit; secus, si nollet acceptare.

81 Quarta conditio: *Si res in eodem statu permanserit, seu notabiliter mutata non fuerit*. Ex *c. veniens*. Et *c. quemadmodum, de jurejurand.* §. *quoad*. Ratio: quia jurans censetur jurare de rebus in eo statu, quo sunt, dum jurat; notabilis autem mutatio quasi aliud objectum facit, ad quod non præsumitur, se jurantis intentio extendisse: v. gr. si sponsus cum juramento promittat matrimonium Margaritæ, si illa postea fornicetur, si in lepram, vel in morbum incurabilem, si in paupertatem notabilem, &c. incidat, si inveniatur non habere competentem dotem, aut, ut exemplificat Pontifex l.c. si Sponsa post sponsalia amittat oculos, vel nasum, &c. non tenetur juramento. Item promissio gratuita, etiam jurata, revocari potest ob supervenientem ingratitudinem promissarii. Item qui cum inimico juratus pacem init, non obligatur juramento, si novam ille offendendi causam præbeat, vel publice proscribatur. Item jurasti donare alteri mille: si in paupertatem incidas, non teneris amplius. Jurasti non loqui, vel conversari cum tali persona, quia tibi causa certi peccati existit, v.gr. fornicationis; si mutentur ejus mores, ut non sit amplius ejusdem peccati periculum, non teneris amplius evitare; quia mutatio notabilis facta est. Quia rebus notabiliter mutatis, sicut non obligat promissio, ita neque juramentum promissioni accessorium.

82 Denique huc spectat alia specialis conditio in contractibus mutuis onerosis, & consequenter etiam juramentis additis semper subintelligenda est, *si alter quoque promissis suis steterit*, *c. pervenit primo de jure jurando*. *Quia frangenti fidem, fides frangatur eidem*. Quoad mutuas promissiones etiam disparatim, etsi non per modum contractus factas, extendit Sanch. cit. v.g. Petrus mihi heri juravit donare equum gratuito: ego hodie juro ei donare siclum, vel scyphum argenteum; si ille promisso suo non stet, & ego me juramento meo liberum censere possum. Denique, ut supra innui, juramentum fidejussoris semper includit exceptionem, ut prius principalis debitor conveniatur, & excutiatur, & juramentum non expellendi conductorem, tacitam conditionem habet: *nisi is biennio pensionem solvere intermiserit*. Communis DD. apud Sanch. late *lib.*3. *cap.* 17. *n.* 14. Laym. *cit. cap.*9. *num.*6.

83 Pro pleniori intellectu dictorum, accipe casum. Cajus jurejurando promisit, se ad honorem Dei, certo Monasterio donaturum quingenta scuta, vel taleres imperiales, sed postmodum promissi pœnitens, efficit per intercessionem cujusdam alterius Prælati, ut Abbas cum Conventu remittat promissum, reddatque chyrographum, quo se obstrinxerat. Quæritur, an Cajus in conscientia sit tutus, & secure stare possit illa condonatione. Negat sane probabilius Suar. *lib.*2. *de jurament. cap.*39. *n.*8. ob rationem supra allatam. Sed certe probabiliter affirmat Sanch. *loc. cit. num.* 7. atque in conscientia tutum censent Tambur. *lib.*3. *Decalog. cap.*7. §.2. Gobat. *num.*499. Ratio: quia licet juramentum principaliter factum sit ad honorem Dei, tamen necessarium habuit respectum ad Monasterium, ejusque utilitatem, ac voluntatem: ergo si Monasterium sine vi, aut dolo juri suo cedat, cessat essentialis dependentia a Monasterio, & consequenter cessat & ipsa obligatio ad jus divinum: certe qui ita vovit, non intendit se obligare Deo in casu, quo Monachi recusabunt donationem, aut remittent non inviti ad instantiam mediatam, aut immediatam promittentis. Eadem omnino est ratio de tali juramento. Secus esset, si illa quingenta scuta essent Deo promissa, & Monasterio in aliquem certum pium usum, v.g. ad erigendam Aram cultui alicujus Sancti, tunc enim Monasterium non posset valide remittere juramentum, sibi non præjudiciosum: quippe, cujus remissio cederet in diminutionem cultus illius Sancti. Secus quoque esset, si jurasset Deo in honorem ejus daturum quingentos aureos pauperibus indeterminatis, etsi enim tunc aliqui, & multi quidem pauperes tibi remitterent obligationem, non esses ideo liber; quia hi non repræsentant moraliter alios pauperes, qui sine dubio acceptabunt. Vide plura in hanc rem apud Sanch. *lib.*5. *cap.*20.

SECTIO III.

Juramenti liciti conditiones.

SUMMARIUM.

84 *Licita sunt juramenta debito modo facta*.
86 *Christus solum prohibuit juramentum sine rationabili causa factum* usque ad 89.
89 *Juramenti liciti conditiones sunt. I. ut fiat in veritate. II. in justitia, & III. in judicio. Et in his conditionibus*. usque ad 93.
93 *Est actus virtutis Religionis*.
94 Usque ad num.97. *Quæ veritas, & certitudo requiratur in juramentis, tam ex parte rei juratæ quam ex parte jurantis*.
97 *Præsertim, cum quis jurat de facto alterius: aut*
98 *Indiciis facti ejus*.
99 *Tres propositiones damnatæ, circa usum amphibologiæ*.
100 Usque ad 104. *Amphibologiæ triplex species, seu gradus*.
104 *Amphibologiæ prima, & secunda species semper vera, & sine mendacio esse asseritur, & probatur usque ad num.*107. *ideoque*
107 *Juramentum taliter amphibologicum non est perjurium*.
108 *Illicitum tamen, nisi justa, & rationabilis causa subsit*.
110 *Tertia species, vel gradus amphibologiæ semper est cum mendacio, ideoque & juramentum additum semper est perjurium*.
112 *Et in hoc tertio sensu intelligendæ sunt* propositiones damnatæ.
113 Juridice, & legitime *interrogatus in judicio amphibologice jurans probabilius semper peccat, mortaliter tamen*.
115 *Adhuc probabiliter in causis saltem capitalibus, citra mortale saltem, uti licet amphibologia primæ, vel secundæ speciei* usque ad 117. *Pariter*
117 *Quoties quis* illegitime *interrogatus, intra, vel extra Judicium, graviter urgetur ad jurandum, uti potest amphibologia primæ, vel secundæ speciei*.
118 *Quando censeatur quis* illegitime *interrogari, & urgeri*.
120 Usque ad num.125. *resolvuntur varii casus*.

ASSERTIO VI.

L*icita sunt juramenta debito modo facta, servatis nimirum conditionibus, ipso Jure divino requisitis: in veritate, & justitia, & judicio*. Ita omnes Orthodoxi.

§. I. *Licita sunt Juramenta, &c.*

Sic loquitur ipsa S. Scriptura variis locis. Deut.6. *Illi soli servies, & per Nomen illius jurabis*, Jeremiæ 4. *& jurabis: vivit Dominus in veritate, & judicio, & justitia*. 84
Psal.62. *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo, &c.* In novo Testamento passim juravit Apostolus, ad Rom.1. *Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo*. 2. Corinth. 1. *Testem invoco Deum in animam meam, &c.* Gal.1. *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*. Quin ipse Christus in Evangelio, sæpissime dicta sua confirmavit geminato verbo: *Amen, Amen*: quod ore Hebræorum affectum jurantis, ac sub juramento aliquid affirmantis exprimit.

Nec obstant seria verba Christi, Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis: non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per Cœlum, quia Thronus Dei est: neque per Terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam, quia civitas est*

est magni Regis: neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum: sit autem sermo vester, est, est, non, non; quod autem, his abundantius est, a malo est. Sic Salvator. Cui consonat Jacob. cap.5. *Ante omnia autem fratres mei, nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum: sit autem sermo vester, est, est, non, non; ut non sub judicio decidatis.*

85 Respondent, & explicant SS. PP. & Expositores varii.

I. Christus Dominus præcipiens *non jurare omnino*, id est, nullo jurandi modo, vel forma, nempe neque per cœlum, &c. In primis perstringit Pharisæos, qui se jurare non arbitrabantur, si per cœlum, per terram, per templum, per Jerosolymam jurarent, ostendens eos, qui per ejusmodi nobiles Dei creaturas jurant, etiam respective, & consequenter jurare per ipsum Deum Creatorem illarum, ut rursus exemplificat Matth.23. dicens: *qui jurat in Altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt: & quicumque jurat in templo, jurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso: & qui jurat in cœlo, jurat in Throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.*

86 II. Non simpliciter prohibuit Christus omne juramentum justum, & bene circumstantionatum, sed tantum juramentum, absque omni rationabili causa necessitatis, vel utilitatis factum. Ita D. Aug. *Epest.*89. & *l.*1. *de serm. Domini in monte, cap.*17. D. Bern. *serm.*65. *in Cant.* D. Th. *quæst.*89. *art.* 2. Innoc. III. *in cap. Et si Christus*, & communis DD. Ratio, quia absque justa, & rationabili causa frustra, & levi de causa, divinum Numen in testimonium assumere, magnam divini Numinis irreverentiam, & abusum sacri juramenti continet. Dein, quia frequenter, & sine causa jurando, in perjurii peccati periculum, quasi infallibiliter incidimus, juxta illud Eccl.23. *Jurationi non assuescas os tuum, multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo: & nominibus Sanctorum non admisceaeris. Quoniam non eris immunis ab eis. Sic omnis jurans, & nominans in toto, a peccato non purgabitur.* Hæc ille. Lege D. Aug. serm.30. de verb. Apost. de hoc late, & optime disserentem, ubi concludit. *Duo sunt, quæ damnabo nunquam; veram jurationem, & nullam jurationem, damno autem falsam jurationem: falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est.*

87 III. Voluit Christus, christianos maxime elongari a perjurio, & insuper ad simplicitatis humanæ primævam sinceritatem reducere, significans, melius omnino esse, si nullum juramentum fieret, aut nullo juramento opus esset: quandoquidem jurandi usus, solum ex naturæ nostræ infirmitate, atque ad mentiendum, & fallendum promptitudine per peccatum inducta, originem traxit: cum ex una parte homines sæpe fallant, & hinc ex altera parte homines difficulter dictis credant: ideoque confirmatione juramenti opus sit. Quod si autem inter homines uti deberet, & veritatis simplicitas in dicendo, & fidei sinceritas in credendo constaret, nullo omnino juramento opus esset, sed simplex affirmatio ejus, quod est, & simplex negatio ejus, quod non est, sufficeret. Et hoc voluit Christus consulere, dicendo: *sit autem sermo vester: est, est: non, non: quod his abundantius est* (id est, quod amplius in confirmationem dicti, jurando additur,) *a malo est.* Nota: non dixit Christus: malum est, sed *a malo est*, scilicet a malo jurantis, ob defectum veritatis; vel a malo non credentis, ob defectum fidei sinceritatis.

88 IV. Addit Theophylactus hic *in cap.*4. *Matth.* Christum Discipulos suos hortari voluisse, ut vitam suam ita instituant, ut eorum simplici assertioni *est, est: non, non*, non minus credatur, quam aliorum juramentis; nam nulli minus creditur, quam ei, qui frequenter jurat; e contra ei facile fides habetur, qui bona vita præditus, semper verum dicere, & nunquam jurare consuevit. Quamobrem etiam D. Basil. in Psalm.14. dicit: *Turpe sane omnino, & stultum est, seipsum accusare, ut indignum fide, & firmitatem ex juramentis adferre.*

§. II. *In veritate, & justitia, & judicio.*

89 JUramenti liciti conditiones, ipso jure divino cit. c. 4. Jeremiæ sunt tres. *Jurabis: vivit Dominus in Veritate, & Justitia, & judicio.* Ubi D. Hieron. cap. 4. *advertendum est, quod Juramentum, hos habeat comites, Veritatem, Justitiam, & Judicium.*

90 I. Veritas juramenti in eo consistit, ut veracissimi divini Numinis, & Nominis testimonium non adducatur in confirmationem falsi, aut mendacii; adeoque in veritate jurat, qui in juramento assertorio rem, quam certo scit, vel omnino credit esse veram, veram affirmat, vel similiter falsam negat. In juramento autem promissorio, nunc, & in præsenti habet veram voluntatem, & propositum adimplendi, quod promittit, & credit etiam in futuro, se adimpleturum: hic enim duplex est veritas, & de præsenti implenda voluntate, & de futura adimpletione promissio. Ut latius patebit infra de perjuriis.

91 II. Justitia, seu æquitas juramenti consistit in hoc, ut justissimi, & santissimi Numinis, & Nominis divini testimonium non adducatur in confirmationem dicti, vel facti injusti, iniqui, & peccaminosi: adeoque jurare in justitia dicitur, qui rem licitam, justam, & honestam jurat. Si enim jures, ac promittas rem injustam, ac prohibitam, sicut non licet tibi illam implere, ita injuste, & impie censeris jurare, cum juramentum non sit vinculum iniquitatis.

III. Judicium, seu discretio juramenti consistit in hoc ut 92
divini Numinis, & Nominis testimonium non adducatur temere, & irreverenter sine justa causa, & reverentia: adeoque jurare in judicio dicitur, qui non nisi cum prudenti intellectus consideratione, juxta regulas Christianæ prudentiæ, ac cum pia, & reverenti voluntatis affectione, non sine necessitate, vel magna utilitate jurat, utpote cum alicujus dicti, vel promissi veritas aliis non manifesta, vel dubia est, quam tamen certam habere, & exploratam esse, publice, vel privatim multum interest. De quo eleganter D. Aug. cit. ser.28. de verb. Apost. c.9. *Quantum ad me attinet, juro: sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsus, cum video mihi non credi, nisi faciam, & ei, qui mihi non credit, non expedire, quod non credit: hac perpensa ratione, & consideratione liberata, cum magno timore dico: coram Deo: aut testis est mihi Deus: aut, scit Christus, sic esse in animo meo, &c. Sed tamen aliud habet humana pessima consuetudo, & cum tibi creditur, juras, & cum nemo exigit, juras, & horrentibus hominibus, juras, non taces jurando; vix es sanus non perjurando.* Hæc S. Doctor. His conditionibus positis,

IV. Juramentum licitum est, & actus bonus virtutis Religionis, Deo debitum cultum, & reverentiam exhibentis; 93
pertinet enim ad cultum, & venerationem Dei, ejus primævam infallibilem veritatem agnoscere, prædicare, protestari, quod maxime fit juramento, ejus testimonium in confirmationem veritatis invocando, ac allegando cum certis, & debitis conditionibus. Unde nota: juramentum esse actum virtutis Religionis: & insuper sub præcepto secundo Decalogi, *non assumes, &c.* solum quantum ad modum conditionatum actus: utpote si jurandum sit, fiat debito modo, in veritate, justitia, & judicio, scilicet ratione infallibiliter, ac reverenter; at vero juramentum quoad exercitium actus, quod nimirum hic, & nunc jurandum sit absolute, non est sub præcepto Religionis, nec unquam ulla per se obligatio, sed solum potest esse sub virtute, & præcepto, aut Charitatis, si nimirum gravis necessitas, aut utilitas propria, aut proximi exigat, aut justitiæ, ut si Magistratus exigat juramentum. Harum autem trium conditionum una, aut altera, vel omnibus deficientibus, nascetur perjurium, aut saltem juramentum illicitum, de quibus mox sect. seq.

§. III. *Veritas, & certitudo requisita in juramentis.*

IN juramento assertorio, non tam requiritur veritas objectiva, scilicet conformitas dicti ad objectum, prout opponitur falsitati; quam veritas formalis, nimirum conformitas dicti ad mentem jurantis, prout excludit mendacium. Contingit enim sæpe, rem juratam non ita se habere, sicut juratur, attamen ita se habere in mente, & opinione, seu credulitate jurantis: quo jam absque perjurii culpa juramentum licitum manet. Solum hic quæritur, quænam veritatis certitudo requiratur ad licitum juramentum assertorium. Dico ergo breviter. 94

I. Ex parte rei juratæ veritas sufficiens ad juramentum licitum habetur, si res secundum modum, & sensum humanum sumpta, ita se habet, sicut juratur v.g. juras hodie laute comedisse, Petrum esse iracundum, Joannem Sacerdotem quotidie celebrare, &c. non est opus ad veritatem juramenti, ut convivium fuerit lautissimum, ut Petrus quovis momento irascatur, ut Sacerdos integro mense, vel anno nunquam omittat Sacrum, sed sufficit convivium secundum patriæ morem fuisse lautum, Petrum facile, & sepe irasci, Sacerdotem quasi quotidie celebrare. Non ergo condemnandus est Parochus, qui jurat suum Sacellanum, per totum annum Ecclesiæ interfuisse, primam Missam celebrasse, Concionem habuisse, &c. etiamsi aliquoties intermiserit, quia parum pro nihilo reputatur, & humano sensu totus annus æstimatur, etiamsi modicum quid abfuerit. Vide Tambur. *cit. lib.*3. *Decalog. cap.*2. §.1. 95

II. Ex parte jurantis, ut quis licite juret, nec perjurus sit, certissimum est, eum debere esse certum moraliter de veritate rei, quam jurat. Quare qui dubitat, vel non adhibita, ad veritatem indagandam sufficienti diligentia, tamen rem talem, ut certam jurat, omnino censetur jurare falsum, practice loquendo, peccato mortali perjurii: secundum omnes. Etiamsi alioquin res speculative vera esset. Quia, ut in initio dixi, attenditur hic conformitas potius ad mentem jurantis, quam ad rem juratam. Verum difficile explicatu est, qualis debeat esse illa moralis certitudo. Omnes consentiunt, majorem requiri certitudinem, & plerumque evidentiam facti, cum quis jurat de facto proprio, quam si juret de facto alterius. Dico igitur 96

III. Cum quis jurat de facto alterius, de quo certa notitia haberi possit, & inquiritur; requiritur notitia certa, &c. experimentalis, qualis habetur per visum, *c. Testes, caus.*9. Non ergo sufficit sola opinio probabilis, vel fides, seu credulitas ex auditu ad tale juramentum, etiamsi sufficeret ad simplicem assertionem; v.g. Probabile est, Sacerdotem Religiosum alias solitum celebrare quotidie tali hora, etiam hoc mane ea 97

hora

hora celebrasse; possum quidem sine culpa mendacii prudenter judicare, ac affirmare, eum hoc mane, seu hora Sacrificium obtulisse; at non possum id ipsum jurare. *Ratio est*: quia ad prudenter agendum, loquendum, &c. satis est certitudo, quam humana prudentia requirere solet: ad jurandum vero requiritur ea certitudo, quæ digna sit reverenti invocatione Dei in testem, quod aliquid plus exigit, quam probabilitatem quamlibet. Quod si accedat dictum alicujus viri fide digni, qui v.g. mihi testetur, illum Sacerdotem hodie mane celebrasse, possem quidem jurare extra Judicium, quia tale testimonium facit rem moraliter, & suo modo certam; at nondum possem jurare idipsum in Judicio, ex solo auditu cujuscumque, etiam fide dignissimi viri, quia in Judiciis non petitur fides ex auditu, sed certa scientia: hæc enim, non illa, facit semiplenam probationem. Audi casum. Quidam pro certo credito aliquot centum aureorum a debitore negato, rogat duos amicos fidissimos, ut sibi de illo credito, apud Judicem testentur, & testati sunt cum juramento, debito postea facile impetrato. Licitene jurarunt ob solam fidem certissimam habitam fide dignissimo illi creditori? Resp. Minime; sed perjurasse: quia ut dictum est, in Judicio non petitur, an quis aliquid noverit quacumque certitudine morali, sed certitudine sua propria, qualis habetur ex visu: idque ad bonum publicum, cui ex Justitia legali cedere debet quæcumque particularis utilitas: atqui illam certitudinem non habuerunt illi testes; ergo; &c. At tenebantur ne illi postea ad restitutionem? Resp. Minime, quia non peccarunt contra Justitiam commutativam, cum debitum reipsa verum fuerit, sed contra Justitiam legalem foro, bonoque publico debitam peccavere: illius tantum, & non hujus, violatio inducit obligationem restitutionis.

98 IV. Quando non de ipso facto, de quo nimirum certa notitia haberi nequit, sed solum de indiciis facti, infamatione personæ, vitæ, famæ, &c. jurandum est; sufficit notitia certa moraliter, etiam ex auditu, fama, relatione aliorum, indiciis antecedentibus, consequentibus, & similibus. In his enim a Judice non intenditur, nec potest intendi scientia ex visu: ergo debet sufficere certitudo moralis ex auditu, vel opinione probabili, ut infra iterum de fure occulto ostendam.

§. IV. *Juramentum amphibologicum.*

99 Hic candide fateor, bone Lector, libentius omnino sisterem, aut tecum bonum saltum facerem, si sequi velles, hanc materiam (esto in praxi frequentem, & scitu necessariam) totam transiliendo, quam periculose, per particularia incedendo: terret enim novissimum fulmen, quo S. D. N. INNOCENTIUS Papa XI. inter alias propositiones prohibuit, & damnavit etiam has tres sequentes, amphibologiæ usum admittentes.

Prima, quæ inter alias damnata, est 26. dicit: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.*

Secunda, quæ est 27. dicit: *causa justa utendi his amphibologiis est, quoties necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.*

Tertia, quæ est 28. dicit: *qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

100 Hæc, inquam, terrent; quia licet excommunicationis pœna imposita affirmantibus, tanquam licitos casus nominatos in dictis propositionibus damnatis, non sit extendenda ad casus non nominatos, quia odia non sunt ampliandi, prout jura clamant, tamen casus nominati se habent ut exemplum demonstrans, non licere alios casus similes, quoad forum animæ, unde dici solet, quod exempla non excludant similia §. *hactenus*, *Instit. de gradib.*

Nihilominus in re maxime practica, & Confessariis scitu summe necessaria (salva reverentia S. Sedis) audeo tibi, quod audet Joann. de Cardenas in Crisi Theol. hic Disser. 19. & alii moderni Doctores, & Professores, præfatas, & alias damnatas propositiones, prout jacent, nimis laxas explicantes, & sensum, ac mentem Summorum Pontificum interpretantes. Quoad præsens ergo prænotandum:

101 Amphibologiam tripliciter fieri, vel sumi posse. I. Cum æquivocatione in verbis ex ipsa institutione, & usurpatione sua æquivocis, ac diversum sensum generare aptis, usurpando illa in significatione rariori, quæ ab audientibus minime intenta, ut si jures, te non occidisse gallum, intelligendo *gallinaceum*, cum tamen esset quæstio de homine gallo, seu nato in Gallia: aut vulgari lusu, si jures, te millies vidisse Cæsarem, intelligendo, *non ipsum Cæsarem*, sed ejus *statuam vel imaginem*. Sive quando verba habent duplicem, vel multiplicem significationem externam, ab ipsis verbis importatam, unde secundum unam significationem proferuntur a loquente, sed secundum aliam intelliguntur ab audiente, qui tamen posset etiam illa intelligere in ea significatione, secundum quam loquens, illa dicit.

II. Alio modo verba sunt ambigua, scilicet ex circumstantiis, quatenus verbum unam tantum significationem falsam importat, veram tamen ex circumstantia. Ut si jam hic, & nunc Patrem tuum indagans, dicam tibi, *ubi est, vidistine Patrem tuum?* tu respondeas, *non vidi*, & hanc responsionem firmes juramento. In tali casu verba *non vidi*; sunt falsa in se, nam ut supponitur, quotidie vidisti Patrem tuum: nihilominus in illa circumstantia sunt vera illa tua verba, *non vidi*, quia quæro, an eum videris visione valente hic, & nunc mihi demonstrare, ubi reperiatur Pater; si ergo eum hic, & nunc tali visione non vidisti, prout in illa circumstantia interrogaris, tua responsio, *non vidi*, est vera, ratione circumstantiæ, licet verba in se absolute essent falsa: esto enim verba ex se sint determinata ad unum tantum sensum, ex modo tamen loquentis, vel interrogantis, vel ex adjunctis circumstantiis, determinantur ad faciendum alium sensum: ubi verba sic solum vera propter circumstantias, illam suam veritatem important externe in se ipsis; ideoque hæc veritas intelligi potest ab audiente, ad quem, secundum importatam veritatem, verba vadunt. Hæc autem veritas ob circumstantias a verbis importatas, interdum explicite intelligi potest ab audiente, interdum vero tantum confuse, si prudens sit, & perspicax, quod si talis non sit, sibi imputet, quod non intelligat. 102

III. Fit amphibologia cum restrictione, vel reservatione mentali in verbis, vel sententiis, ex institutione, vel usurpatione sua, quidem determinatis ad unum sensum, univoca significatione, tamen restrictione, vel reservatione mentali aliqua, ad alium omnino diversum sensum detortis, ita ut jurans non intendat suo juramento confirmare sensum verborum proprium, & usitatum, quem alius intendit, vel supponit, sed alium sensum a se dolose subintellectum sua restrictione mentali; ita ut verba, nec ex se, nec ex circumstantiis, exterius ullam importent veritatem, seu cum quis utitur verbis, nullum alium sensum in se externe importantibus, nisi illum, secundum quem ab audiente percipiuntur; at per mentem loquentis secundum alium sensum proferuntur, ad quem nec ex se, nec a circumstantiis, sed a sola loquentis intentione mentaliter restringuntur, & trahuntur, quem proinde audiens non valet percipere; ut si dicas, vel jures sine causa, non ursus, &c. te non habere pecunias, vel librum, &c. subintelligendo: *ad tibi dandum*. Et in hoc modo loquendi, consistit vera essentia amphibologiæ, de qua stant propositiones damnatæ: nam juxta Moralistas, *Amphibologia proprie est locutio, quæ sua significatione generat in audiente conceptum diversum ab eo, quem loquens retinet in mente.* His tribus modis suppositis pro re difficili, & nimis frequenti in praxi, pono sequentes resolutiones. 103

RESOLUTIO I.

Prima, & *secunda species æquivocationis, vel amphibologiæ, semper vera est, sine mendacio: ideoque & juramentum taliter amphibologicum non est perjurium; nisi tamen justa subsit causa celandi, vel dissimulandi veritatem, semper illicitum est, perversum, & quasi perjurium.* Communis DD. Navarr. *c. humanæ aures*, 22. *q.* 5. *in q.* 3. *nu.* 9. & 16. Pereira *in c.* 27. *Gen. disp.* 5. *n.* 57. Sotus *de secret. memb.* 3. *q.* 3. *fin.* Valent. 2. 2. *disp.* 5. *p.* 11. *pu.* 2. *in solut. ad* 2. Less. *de Just. lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 9. *n.* 48. Sayr. *in clav. reg. lib.* 12. *c.* 17. *n.* 26. Azor. *instit. mor. par.* 1. *lib.* 11. *c.* 4. *qu.* 5. *reg.* 2. Bannes. 2. 2. *qu.* 69. *ar.* 2. *dub. penult.* Suar. *t.* 2. *de Relig. lib.* 3. *c.* 11. *fin.* aliique plures in hanc materiam scribentes, cum quibus resolutionem breviter probo, & explico. 104

I. *Prima species æquivocationis est semper vera.* Ratio est: quia verba juxta hanc speciem prolata, important in se, & externe omnem sensum, quem loquens intendit exprimere; ergo talis locutio non est contra mentem, & consequenter non mentitur, cum mentiri sit contra mentem ire. Conf. prob. qui enim verbis utitur, secundum aliquam veram significationem externam, quamvis non utatur secundum omnem eorum significationem, tamen vere externam significationem menti internæ conformat: ergo sic loquens, non mentitur, nec est perjurus, si juramentum adhibeat. *Tum quia*: de facto in Scriptura Sacra extant plures locutiones ambiguæ, & obscuræ, quæ ab Ecclesia debuerunt declarari, quo sensu sint intelligendæ, quia ab Hæreticis intelligebantur in sensu erroneo inducente: ergo hic modus per se non est illicitus, nec consequenter sub damnatione comprehensus. 105

II. *Etiam secundus modus, vel species amphibologiæ, est vera, carens mendacio, & perjurio*, ideoque ex causa justa, non solum ab hominibus licite usurpari potest, sed etiam ipse Christus usus est illa, Joan. c. 7. dicens: *Non ascendam ad diem Festum*, cum tamen statim ascenderit occulte. Nec in hoc mendacium fuit, quia verba illa seorsim, a restrictione mentis veritatem habebant, ex circumstantia mentis eorum, cum quibus loquebatur; nam juxta mentem ipsorum dixit Christus, se non ascensurum ad diem festum, nimirum palam, & cum manifestatione sui ipsius per signa, & per publi- 106

blicam prædicationem prout cognati eum rogabant. Similiter Marc.13. Discipulis de die judicii interrogantibus respondit: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius hominis;* cum tamen omnia sciebat. Quæ responsio vera fuit per externam significationem veram seorsim, ratione circumstantiarum: nam vere Christus ignorabat diem illum, ut Legatus Patris, & Doctor hominum, cujus muneri notitia illa demandata non fuerat, & diem illum ignorabat ad publicam notitiam, quam Discipulorum interrogatio requirebat: ergo idem dicendum est in aliis locutionibus ambiguis, cum verba ex circumstantiis accipiunt externam significationem veram, licet illa significatio sit rara. Sic Jo: Baptista dicitur Elias: & imago Cæsaris Cæsar. Nec refert, quod verba non sint vera in sensu magis communi, si non teneris in alio sensu ea accipere, aut proferre, sed cum adest vera, & justa causa, nec alia urget obligatio, sufficit uti verbis in aliquo sensu vero; sive dein illa verba veritatem illam important externe ex se, sive ex circumstantia aliqua loquentis, sive interrogantis, ut si Confessarius dicat pœnitenti, *fecistine furtum?* pœnitens illud jam ante confessus dicendo *non feci*, subintelligendo, quod nunc debebam confiteri, prout in me interrogas, verum dicit: nam, esto verba *non feci*, ex se sint falsa, sunt tamen vera ex circumstantia, quia Confessarii interrogatio communiter intelligitur de furto non confesso. Alios casus difficiliores in praxi, lege apud famosum P. Jo: de Cardenas, Societatis Jesu, in Crisi Theologica, Coloniæ impressa 1690. Diss. 19. cap.6. hic satis liberalem, & dictas Propos. fuse explicantem.

107 Ideoque *Juramentum taliter amphibologicum, non est perjurium.* DD. citati. Ratio clara est. Quia perjurium proprie dictum necessario includit voluntatem invocandi Deum, in testem, in confirmationem falsi: sed ita jurans amphibologice non intendit Deum invocare in testem propositionis falsæ, seu ex ea parte, qua falsa est, sed qua vera est, seu alterius propositionis veræ animo retentæ, exterius tamen saltem hic, & nunc ob has circumstantias veræ, v.g. se non habere pecunias tales, quia tibi latroni, vel hosti velit, aut teneatur dare. Ergo non est perjurium proprie. Eadem ratione evincitur non esse mendacium; Quia ratio essentialis mendacii consistit in difformitate judicii a verbis: atqui tali amphibologia utens, non habet judicium difforme a verbis, quibus utitur, sed revera habet in mente id, quod ejus verba æquivoce ipsi sonant, & exterius, vel ex circumstantiis, vel ex se veritatem illam important, ut patet in exemplis allatis; qui enim jurat se vidisse Cæsarem, intelligendo per Cæsarem ejus statuam, vel effigiem, quam revera vidit, dicit ipsissimam veritatem, & nihil contra mentem, nec obligatur semper adhibere verba secundum omnem sensum, & veritatem, quam habere possunt: ergo, ut sic non mentitur.

Dices: At alii inde decipiuntur, putantes ipsum jurare, vel asserere revera Cæsarem in persona vidisse. Verum est: at certe non necessario intendit formaliter, ut alii decipiantur (quod sane numquam posset esse licitum) sed solum prævidet, quod alii inde decipiantur, seu dat occasionem deceptionis, & falsi judicii aliorum, quam deceptionem ob justam causam permittere possumus, ut patebit. Sed certe communiter dare non licet; quia inde everteretur commercium societatis humanæ, aliaque gravia mala orirentur: quare apud omnes in confesso est, nefas esse, passim uti ejusmodi amphibologicis æquivocationibus, quæ communiter ab aliis intelliguntur in alio sensu, quam habet proferens, idque maxime in juramentis. Unde

108 IV. *Juramentum tale amphibologicum, nisi justa subsit causa celandi, vel dissimulandi veritatem, illicitum est, perversum, & quasi perjurium:* Ita DD. *in Resolut. citat.* Ratio est: qui amphibologice jurans, v. gr. se non habere pecunias, nimirum, *quas tibi velit dare*, in primis etsi speculative, & abstracte loquendo, necessario non mentiatur, nec intendat directe alterum decipere, sed solum occasionem det, & permittat alterius deceptionem, tamen hæc ipsa prævisa, & permissa alterius deceptio, absque omni justa causa, omnium consensu illicita est, & contra bonum societatis humanæ, æque, ac mendacium: ut supra dictum. Attamen moraliter, & practice loquendo talis revera dupliciter quasi mentitur, & decipit. 1. Quia ad aliorum sensum, & intellectum enuntiat aliter, quam ipse in animo sentiat. 2. Quia simulat se suo juramento confirmare ipsum sensum communem ab aliis intellectum, quem tamen animo suo non confirmat, sed alium diversum mente dolose reservatum. Nonne enim tu sine justa causa, jurans te non habere pecunias cum tua restrictione mentali, optas id alterum credere in tuo sensu restricto? (*quas tibi vellem dare*) hoc enim parum tibi prodesset: atqui utrumque hoc perniciosum est bono communi societatis humanæ, cum enim juramentorum finis sit confirmatio veritatis actorum, ac promissionum inter homines; hinc illorum vim omnino deperdunt, & destruunt, qui is abutuntur ad simulandam falsitatem, vel ad veritatem sine justa causa celandam. Deinde graviter talis peccat contra virtutem Religionis, quia nimirum juramento, seu divini testimonii, ac Numinis invocatione abutitur pro instrumento alterum decipiendi, & falsa apprehensione sensus communes verborum confirmandi, adeoque si id fiat in re alicujus momenti, maxime accedente gravi damno proximi, aut gravi aliorum scandalo, peccatum mortale est: idque multiplex, & contra Religionem propter prædictum abusum juramenti, & contra sinceritatem societatis humanæ, contra justitiam, & Charitatem: & denique quasi perjurium in foro externo, non immerito punitur. Et generaliter vere dixit D. Isidorus *lib.2. sent. cap.31.* Quod talis dupliciter reus sit, & quia Nomen Dei in vanum assumit; & quia proximum dolo capit. Unde recte notat, *Laym. cit. cap.14. num.8.* Eum, qui ita amphibologico, ac doloso juramento alteri promisit quidpiam absque animo præstandi, in proprio sensu ab alio intellecto, etsi nullam contrahat obligationem adimplendi promissionem in illo proprio sensu ab alio intellecto ex vi juramenti, & virtute Justitiæ per se, posse tamen obligari per accidens ad implendam rem exterius promissam, partim ratione scandali, ne ab aliis perjurus censeatur, vel ut talis puniatur; partim ratione nocumenti alteri personæ proventuri; ut si quis simulato juramento promissorio nuptiarum puellam decepisset, v. g. jurasti puellæ te eam ducturum ad Ecclesiam, & intelligas de vulgari manuductione, non de Matrimonio contrahendo, ut vulgo intelligi solet; si simili fraude jurasti solvere debitum creditori ad Pascha, intelligens non Pascha proximum, sed ad alios annos, &c. teneberis juramentum implere in proprio sensu, solvere debitum ad proximum Pascha, vere ducere puellam in Matrimonium, si alioquin eis grave nocumentum oriatur, utpote si creditori ex dilatione solutionis lucrum cesset, vel aliud grave damnum emergat: si puella deflorata, infamata, & vilis facta, nisi eam ducas, aliud honestum Matrimonium inire nequeat, aut si grave scandalum oriturum sit, &c.

Quænam vero sit causa justa utendi amphibologiis, di- 109
stinguendum, & bene notandum est. Si loquamur de amphibologiis veritate carentibus in sua externa significatione, licet veritatem habeant per mentis restrictionem, nulla datur causa pro eorum licito usu. *Ratio est:* quia ejusmodi amphibologiæ sunt semper mendacia, & juramentum illis additum semper est perjurium, ut statim *res. seq.* videbimus. Si vero loquamur de amphibologiis per verba vera in se, vel ex circumstantiis, primæ scilicet, vel secundæ speciei; tunc causa justa pro licito earum usu, quantum est præcise, ut sint licitæ ratione causæ exactæ, dici poterit justa causa quælibet ex enumeratis in supra allata propositione 27. Videtur autem tunc talis justa causa adesse, quando attento eo motivo loquendi sic ambigue, melium est amphibologiam adhibere, quam omittere: & hæc regula est certissima. In dubio autem, an melius sit, nec ne, ob tale motivum uti amphibologia, deposito dubio, motivum illud erit, vel non erit causa justa, quod judicabitur potiori jure amplectendum, vel rejiciendum, ita DD. citati.

RESOLUTIO II.

I. Tertius modus, *seu species amphibologiæ semper est* 110
cum mendacio, ideoque & Juramentum ei additum semper perjurium. Ita Cajet. 2.2. qu.89. art.7. Sanchez lib.3. Decal. cap.6. nu.12. Azor. Lopez. Coninch. & alii plures. Ratio illius est: 1. Quia locutio constituitur externa verborum significatione, quam non possunt tollere, vel destruere verba interna, quæ neque sunt voces, nec cum verbis externis componunt unam locutionem, vel significationem: in hoc enim consistit essentia amphibologiæ proprie dictæ, & tertiæ speciei: ergo verba externa vadunt ad audientem secundum significationem, quam tantum in se, & externe habent, & quin sic vadant ad audientem, impediri non possunt ab addito pure mentali, & consequenter, si externa verborum significatio est falsa, etiam ipsa locutio in genere locutionis est falsa: ideoque sic loquens mentitur & est perjurus, si juramentum suo dicto addat. 2. Tunc quis mentitur, quando dicit verba non consonantia menti: sed hujusmodi sunt verba hujus tertiæ speciei æquivocationis: ergo per eam mentitur, & est perjurus, si juramento dicta firmentur. Major est certa. Min. probatur: illa verba, quæ non connectuntur cum internis, eo ipso, quod in se sint falsa, non possunt habere verum sensum ex se, ut supponimus: nec ex intentione dicentis, seu ex oratione mere interna, quam loquens subintelligit dictis verbis externis: ergo verba externa vadunt, nec mutari possunt, quin vadant ad audientem secundum solam, & præcisam eorum significationem falsam, cum verba interna nullatenus externe exprimantur, nec saltem confuse insinuetur, uti fieri supponimus in hac tertia amphibologiæ specie: ergo ea verba non sunt consonantia menti, ideoque sic loquens semper mentitur, & est perjurus, si juret. Nequit enim persona privata imponere verbis aliam significationem, nec eorum significatio ab intentione dicentis pendet; unde quidquid verba ex communi acceptione significant, hoc semper significant, quacumque intentione proferantur, ideoque non interna, sed sola externa locutio proprie aliquid significat, cum enim interior non possit esse alteri signum rei ignotæ, nihil ei significare potest; nam significare aliquid alicui, est ei esse, vel dare alicujus rei signum; quod juxta Philosophos, & D. August. *lib. de Doct. Christ. c.1. præter sui speciem, quam ingerit sensibus, facit*

aliquid

aliquid aliud in mentem venire, id est, conceptum internum: ergo si eum verba nullo modo exterius, nec ex se, nec ex circumstantiis manifestent, sed solummodo aliquid aliud, erunt menti dissentanea, sicque mendosa, & cum perjurio, si sub juramento proferantur; ideoque meritissime damnata est quævis talis amphibologica locutio hujus tertiæ speciei. 3. Tunc quis mentitur, quando verba externe profert cum certa scientia interna, quod ab audiente accipiantur secundum sensum falsum, quia alium sensum exterius non important, qui ab audiente possit percipi, saltem in confuso, seu in genere, licet non in specie: at hoc totum contingit in hac tertia specie amphibologiæ, ut patet: ergo &c. M. Prob. nam eo ipso, quod locutio non est externe vera, sed tantum in mente dicentis, est falsa, & contra internam scientiam proferentis illam: ergo proferens loquitur contra mentem ex parte verborum, quæ dicit alteri, quamvis loquatur juxta mentem intra se: ergo mentitur, cum mentiri sit contra mentem ire, ut fit in proposito. Et certe si hic tertius modus non rejiceretur, nunquam posset humanum commercium esse cum certitudine, quia ignoratur mens alterius, & verba externa sunt falsa: ergo &c. *Tum quia* juxta communem, intentio mente retenta nihil operatur in humanis contractibus; sed verba falsa in se, & vera in sola intentione, ita retinent in mente veritatem, ut nihil de ipsa externe importent: ergo ratione internæ veritatis non perdunt externam falsitatem, secundum quam limitate vadunt ad audientem. *Tum quia*, nemo per verba interna potest loqui nisi sibi, vel Deo internas cogitationes cognoscenti, nullo autem modo homini, qui verba non videt: ergo per illa nihil dico, vel affirmo, & consequenter, si alteri dicam verba habentia unum tantum sensum falsum, hæc vadunt, ut sonant externe, non interne, ad ipsum audientem. *Tum quia*: locutio est significativa præcise, quatenus exterius profertur, quia cum hac ratione possit ab alio cognosci, etiam hac præcise ratione potest alteri esse signum rei alicujus, nihil enim potest alicui esse signum, nisi quatenus potest ab eo cognosci: ergo locutio mere interna non potest complere significationem locutionis externæ, efficiendo, ut hæc plus, aut aliud significet, quam sine illa significaret. Prob. concl. cum enim verborum significatio non pendeat ab intentione loquentis, nec ab ejusdem intentione potest immutari, nisi externum aliquod signum addatur; si enim locutio illa mere interna nullam habeat rationem signi, nec quidquam aliqua ratione significabit: ideoque externa locutio in se falsa nullam recipit veritatem in se a mentis restrictione facta ab ipso dicente, ac proinde sic amphibologice loquens semper mentitur, estque perjurus, si jurat. 4. Tunc quis vere mentitur, quando per externam locutionem alium taliter decipit, ut deceptus sibi ab ipsa deceptione cavere, vel subtrahere se non possit: at per amphibologicam locutionem hujus tertiæ speciei audiens ita decipitur: ergo sic loquens mentitur: & si juret, est perjurus. M. patet, nam qui verba dicit unum solum sensum habentia, qui sensus est falsus, taliter decipit, ut deceptus vitare nequeat, aliter intelligendo verba habentia unicum sensum. Min. constat, quia hæc tertia species amphibologiæ consistit in ejusmodi verbis falsis in se, quidquid sit de mente nullatenus externe expressa: ergo si audiens omnimode deceptus remaneat, sine sua culpa, sed ex defectu solius locutionis, optime arguitur sic loquens mentiri, & jurando esse perjurus.

111 II. *Dices* I. Loquens non tenetur suam mentem aperire, sed potest unam solam partem declarare, & alteram intus per mentis restrictionem silere: sed hoc non est mendacium, cum non sit contra, sed juxta mentem: ergo, &c. 2. Mentiri ita est contra mentem ire, ut verba ad rationem mendacii se solum materialiter habeant, nihilque referat, sive in se vera, sive falsa sint, tantumque attendenda sit ipsa mens proferentis taliter, quod in deformitate verborum per ordinem ad mentem ratio mendacii dicatur consistere: sed in hac tertia specie locutionis amphibologicæ mens non intendit aliud alteri dicere, nisi secundum quod ipsa concipit: ergo verba non erunt menti contraria, ideoque nec erit mendacium. Resp. *ad* 1. *missa majore*, quæ universaliter vera non est, cum interdum quis teneatur totam mentem aperire, *dist. min.* Si verba externe prolata importent in se duplicem significationem, quarum altera mente retinetur, & secundum aliam fit locutio, hoc non est mendacium, nec contra, sed juxta mentem, *conc. min.* Si verba externe prolata unam tantum significationem falsam importent, licet loquens aliud verum in mente habeat &c. hoc non est mendacium, & contra mentem, *N. min. cum conseq.* Ad 2. in quo est potissimum fundamentum opinionis oppositæ, dicendum est, taliter æquivoce juxta hanc tertiam speciem loquenti non deficere intentionem significandi alteri objectum, quod verba per se significant, sicut neque deficit formalis locutio de illo objecto, etiamsi intentio illud significandi reperiatur in mente positive contrariare. *Ratio est*: quia vocibus exterius prolatis competit objectum illud significare independenter, & seorsim a voluntate proferentis, ideoque eas proferre minime potest sine voluntate manifestandi alteri earum significationem, simulque notitiam objecti earum significationi necessario connexam, supposito, quod velit ea verba proferre, quæ unam tantum significationem important; neque ad formalem locutionem alia voluntas necessaria est: hinc sicut sine dubio mentiretur, qui vellet verba proferre sine mentali restrictione, cum dicta verba habeant unam solum significationem falsam; ita eodem modo mentiretur, qui ea diceret cum mentis restrictione, nam sive restrictio apponatur per mentem, sive non, in utroque eventu adest eadem significatio vocum, & voluntas formalis significandi. Et hac responsione evertuntur omnia alia fundamenta contraria, quæ hic opponi solent.

III. Atque ex hactenus dictis jam clare patet, quam merito damnandæ fuerint supra allatæ propositiones, ut *jacent*, quia nimis generaliter, & universaliter loquuntur. Prima quidem, quatenus licitum facit promiscuum usum amphibologiæ in omni specie, etiam tertia hactenus rejecta, dum generaliter loquitur, in qua ampla generalitate utique scandalosa est, eo quod tertia species amphibologiæ semper fit cum mendacio, unde qui ea utitur, est vere mendax, &, si juramentum addat, perjurus, contra dictæ propositionis doctrinam. Et ideo etiam *secunda seu* 27. merito est damnata tanquam scandalosa, quia cum priori connexa, facit licitum uti amphibologiis etiam tertiæ speciei, si aliqua habeatur causa ex enumeratis in eadem propositione: si enim amphibologia tertiæ speciei semper est cum mendacio, ut ostensum, utique perjurium erit eam jurare, etiam ex quacumque causa, malum enim intrinsece talem non habet causam, ob quam cesset esse malum; quare cum mendacium, & perjurium sint intrinsece peccaminosa, consequenter scandalosa est illa propositio, quæ assignat causas, ob quas licitum dicit esse uti amphibologiis sic promiscue, & universaliter, ut docebat propositio prior, pro cujus usu causas assignat. Hinc merito etiam *tertia seu* 28. propositio fuit damnata; nam & ipsa non loquitur cum debita distinctione, sed aliqua docet in nimia generalitate; sic comprehendit promiscuum usum restrictionis mentalis, cum nunquam tamen liceat saltem restrictio tertiæ speciei. Item non distinguit de juramento legitime, vel illegitime exacto. Item nimium generaliter ponit illam rationem, *quia non tenetur fateri crimen occultum*: quod universaliter falsum est. 112

Adeoque cum usus amphibologiæ non sit absolute, & simpliciter omnis prohibitus, & damnatus, sed solummodo usus ejus promiscuus, & tertiæ speciei, ut in arbitrio cujusque esset amphibologice loqui toties quoties causa occurreret, sequitur adhuc esse licitum uti discrete, ac virtuose ex rationabili causa amphibologiis primæ, & secundæ speciei. Nunc ergo in specie videndum, quando liceant, aut non liceant ejusmodi amphibologica juramenta primæ, & secundæ speciei.

RESOLUTIO III.

I. *In Judicio Juridice, & legitime interrogatus juxta communiorem semper peccat mortaliter amphibologice jurans in re gravi; tum contra virtutem Religionis publice, & solemniter assumendo Nomen Dei dolose, tum contra virtutem Justitiæ, licet verba amphibologica, quibus utitur, habeant in se veritatem, sicque non sit perjurus*. Ratio est. Quia qui juridice interrogatur sub juramento, jam perdidit jus celandi suos conceptus, & ea, quæ putabat secreta, cum jam ad forum externum perducta sint, ut de iis ad juramentum cogi possit; ideoque talis ad mentem juridice interrogantis tenetur respondere, & jurare ea lege, qua tenetur in his, quæ ad forum contentiosum pervenerunt, legitimæ potestati obedire; idque maxime verum est in materia Fidei ex speciali præcepto Fidei externæ confitendæ; de quo jam supra *Tract. II. in II. Præcept. c.* 2. *sect.* 4. Et propter hanc obligationem sincere respondendi, & propter alias rationes adductas, fuit damnatus promiscuus usus amphibologiæ: si enim liceret amphibologice semper loqui in judicio, nunquam certo fieret a parte rei recta justitia, unde & innumera sequerentur inconvenientia. 113

Idque etiam verum esse volunt de eo, qui juridice, & legitime (utpote post infamiam, vel indicia contra ipsum probata, saltem per semiplenam probationem, quam facit unus testis idoneus ex visu) de crimine a Judice interrogatur, non obstante periculo vitæ, vel certi exilii. Ita DD. maxime Antiquiores. D. Thom. Navarr. Sotus, aliisque congestis, Sanch. *tom.* 2. *Conf. moral. l.* 6. *c.* 4. Ratio est: quia inter partes Justitiæ potissima est obedientia, qua tenetur quis obedire Superiori, juste, & legitime præcipienti: sed hic supponitur, Judicem, ut superiorem juste, & legitime præcipere, idque agnoscere reum: ergo obligabitur ad parendum, & respondendum sincere. Addunt non vulgare Reipublicæ detrimentum fore, si talis obligatio fatendi crimina negaretur, aut facultas negandi permitteretur, passim enim hac immunitatis spe grassarentur vitia, & scelera. Admittunt tamen DD. hujus sententiæ, reum, qui crimen suum Judici occultavit, non teneri coram Judice retractare, seu absolvendus, seu condemnandus sit, seu lite pendente suspensus maneat. Hanc quidem sententiam, utpote communiorem, eoque tutiorem, ego antehac, & docendo, & practicando secutus sum. 114

II. Cæterum pro nunc eam limitant, & uti posse reum amphi- 115

amphibologia primæ, vel secundæ speciei in judicio sine peccato saltem mortali, ubi agitur de causis capitalibus, & gravioribus, si sit spes evadendi, & nullum grave damnum reipublicæ timeatur, probabiliter docent RR. plerique, Card. de Lugo *t. 2. de Justit. disp. 4. sect. 1. n. 15.* Joan. Sanch. *in select. d. 43. n. 23.* Tambur. *lib. 3. c. 4. §. 3. n. 5.* cum aliis viginti duobus. Busembaum *l. 4. c. 3. dub. 7.* & alii etiam post damnatas propositiones scribentes, Cardenas Dissert. 19. *a n. 81.* Ratio satis solida est: quia nemo obligandus est concurrere ad seipsum occidendum, cum sit de jure naturæ, non solum vitam suam tueri, verum etiam ad mortem suam, quantum potest, non concurrere, ergo ad id potestate humana obligari non potest. *Confirmatur;* ex communi omnium Doctrina, res multum difficilis reputatur moraliter impossibilis, ad quam proinde præcipiendam, per se loquendo, & secluso pacto, nulla potestas humana se extendere potest: At in proposito veritatem fateri cum tanto incommodo, est res multum sane difficillima; ideoque moraliter censenda impossibilis; ergo ad illam præcipiendam non potest se extendere præceptum humanum Judicis interrogantis, quantumvis juridice, & legitime. Dixi *in causis capitalibus;* nam aliud est in causis, ubi agitur de pœna Ecclesiastica. Dixi etiam, *si sit spes evadendi*, quia sine tali spe cessat ratio allata. Jam ergo vides ruere rationem oppositæ sententiæ: negatur enim Judicem esse Superiorem legitimum ad rem tam arduam præcipiendam; negatur etiam id requiri magnopere ad bonum commune Reipub. (fuit enim alia via, utpote inquirendo testes, aut torturæ horrore reum ad fatendum, veritatem compellendo) cui sane sufficienter potest provideri, & melius omnino, quam per obligationem peccati mortalis. Nam quotusquisque maleficus hactenus ob peccati timorem crimen suum fassus est? At plerique fatentur timore tormentorum.

116 Ulterius sententia omnino probabilis a periculo vitæ extenditur ab iisdem DD. ad quodcumque grave malum, utpote exilium, triremes, bonorum amissionem, gravem infamiam &c. ad hæc enim tam gravia mala, proin ac ipsam mortem, avertenda, jus naturæ nos armat. Sed quid de malo levi? Ut si Superior præcipiat cum, vel sine juramento ut fatear aliquod crimen, sive leve, ut mendacium, temulentiam, furtum alicujus esculenti, vel poculenti: sive per se grave, ut percussionem, fornicationem, adulterium &c. ex cujus tamen confessione certus sum leve tantum malum secuturum, v. gr. aliquot dierum custodiam, disciplinam, vel similem pœnam monasticam: licebitne negare etiam jurando cum æquivocatione? Rectissime negat Lugo *citat. n. 6.* ob rationem datam *Resol.* 2. Quia hic nulla est legitima causa excusans malitiam hujus amphibologiæ. Attamen a mortali excusari posse videtur, saltem sine juramento negans, vel quia jus naturæ habere videtur, ut ne leve quidem malum mihi ipsi infligam, vel quia quando agitur de pœna levi infligenda, videtur leve, nec tam rigorosum superioris præceptum, vel quia non oritur grave malum Reipub. vel Communitati, si solum levis pœna subterfugiatur. Intellige autem semper de æquivocatione primæ, vel secundæ speciei, qua negatio possit verum sensum habere, &c. juxta exempla mox inferenda. Nam rotunde mentiri negando, nunquam licere cujuscumque evitandi mali gratia, certum est apud Omnes, & nimis est certum in juramentis.

RESOLUTIO IV.

117 *Quoties quis illegitime, & absque sufficienti, & legitima causa cogitur, vel graviter urgetur ad jurandum intra, vel extra judicium, toties potest quis uti amphibologia primæ, vel secundæ speciei, ita scilicet ut sensus verborum talis sit, qualem habet, vel habere posset, aut deberet interrogans, idque semper animo solum veritatem dissimulandi, non autem falsum simulandi* (quod nunquam licet absque periculo perjurii, & peccati) ita DD. communiter Sylv. Sotus, Navarr. Busembaum, & alii infra citandi: *Ratio est*, quia nemo debet expectare responsionem, nisi a subjecto legitime interrogato: ergo si Judex non legitime, & juridice interrogat, interrogato liberum est interrogata congrua æquivocatione primæ, vel secundæ speciei declinare: in his enim circumstantiis homo adhuc possidet jus suum naturale celandi suos mentis conceptus, & quodvis suum secretum servandi, & se, vel proximum contra omnem injuriam, vel injustas inquisitiones tuendi, cum nullus per injuriam jure suo privari possit; adeoque talis habet justam causam celandi veritatem, & responsio est de subjecto non supponente, hoc est, non obligato ad respondendum. Pro quo est

REGULA GENERALIS.

118 Illegitime censeris urgeri ad respondendum, vel jurandum, *In judicio quidem:* 1. quando Judex non est legitimus. 2. si a seipso litis processum inchoet, sine prævia accusatione, saltem virtuali. 3. Si non præcessit semiplena probatio, nec infamia, nec manifesta criminis indicia extent, seu quando de aliquo crimine non es vere infamatus, aut res ad semiplenam probationem non pervenit. Item 4. quando reus extractus fuit ab Ecclesia, nam Judex tunc non habet jus interrogandi, & procedendi. Sotus *cit. c. 5.* Idem est ob eandem rationem, quando Judicis jurisdictio est suspensa per appellationem: ita Sanchez *c. 10. n. 4.* Item 6. quando Judex interrogans est excommunicatus denunciatus, aut notorius percussor Clerici, quia in his casibus est suspensa Judicis Jurisdictio. Ita Doctores passim.

Extra judicium vero, vel privatim, quando juramentum, aut responsio cederet in damnum jurantis, vel tertiæ personæ, aut non expedit, ut is, qui juramentum exigit, de rei veritate informetur; tunc enim semper jurans habet justam causam celandi veritatem, & si juramentum, vel responsum omnino detrectare non possit, licite utitur amphibologia primæ, vel secundæ speciei, ut post alios recte explicat noster Marchant. *to. 2. trib. tr. 3. tit. 2. q. 4. conclus. ult.* Et notissimus est casus de Confessario in materia de sigillo; qui eo usque adactus de auditis in Confessione, ut aliter subterfugere non possit, non solum simpliciter negare, sed etiam jurare licite potest, & debet: se nihil scire, subintelligendo, scientia utili in conversatione externa, seu qua scientia extra forum internum uti liceat. Hinc resolves 119

I. In judicio reus (& a fortiori extra judicium quis) etiam cum juramento, sed cum æquivocatione primæ, vel secundæ speciei negare potest, se crimen aliquod commisisse, si id crimen omnino occultum sit, aut si ob aliquam circumstantiam ab omni culpa immunis: v. g. si per inculpabilem ignorantiam hominem pro fera occidisti, vel injustam compensationem debiti, vel damni illati rem alienam subtraxisti, jurando negare potes, te id fecisse, subintelligendo eo modo, ac fine, quo a Judice interrogaris, nimirum culpabiliter, vel criminose: nam de hoc Judex interrogat, & sic amphibologica responsio est vera ex circumstantia, nempe quia est ad mentem interrogantis. Ex communi Less. *de justit. lib. 2. c. 31. dub. 3. n. 14.* Sanch. *cit. n. 14.* Item negare potes verum crimen commisisse, si Judex contra leges procedat, ut si semiplena probatio contra te non adsit, si Judicis potestas suspensa sit ob excommunicationem, aliamve causam. Item negare potes indicium criminis, quod tamen crimen ipsum non commisisti, etsi indicium verum sit; si interrogeris, an per illam viam transieris; an illam domum ingressus sis, ubi aliquis occisus est, vel furtum commissum; etiamsi transieris, vel ingressus sis, negare tamen potes cum juramento, subintelligendo ea ratione, qua a me interrogaris, nimirum ut occisor, vel fur, vel quatenus illa circumstantia est indicium delicti. Et his similia sexcenta. 120

II. Eadem ratione in judicio testes, vel alii etiam cum juramento adhibita simili æquivocatione negare possunt, quotiescumque legitime non interrogantur, ut si interrogeris de crimine alterius occulto omnino, tibi soli cognito, vel de crimine, de quo non teneris testificari, quia alioquin tibi notabile damnum sequeretur, potes jurare, te nescire, subintelligendo, ita ut tenearis Judici aperire &c. Sic, si quis aliquid subtraxerit a fisco, vel tributis, aut gabellis ex vera necessitate non solum ipse pro se, sed & alii pro ipso jurare possunt, nihil subtraxisse, subintelligendo, quod teneretur dare. Sic Religiosus Clericus portans, vel vehens aliquid, unde tamen solvere gabellam non tenetur, vel ratione immunitatis, vel quia injusta est gabella, interrogatus ab exactore, jurare potes, te nihil portare, vel vehere, mente intelligendo, nihil porto, vel veho mecum, ex quo tibi gabellam solvere debeam. Ita *Ledes. apud Gobat. n. 601.* Sic Clericus coram sæculari Judice conventus non solum ipse pro se, sed etiam alii pro ipso jurare possunt, eum nihil deliquisse: subintelligendo, ita ut coram tali Judice deponi debeat. Ita citati passim. 121

III. Intra, vel extra judicium etiam cum juramento negare potes, te aliquid promisisse, etiamsi promiseris, si promissio v. g. sponsalia aliunde irrita fuerunt. Qui pecuniam sibi mutuo datam fideliter solvit, is, postea si judicio conveniatur, & aliæ probationes solutionis factæ desint, jurando negare potest se talem pecuniam mutuasse, subintelligendo: *cum tali obligatione, ut bis solvere debeat.* Covarr. Azor. Navarr. alii cum Suar. *c. 9. n. 6.* Sanch. Laym. *cit.* Item qui gravi metu coactus, vel sine ulla intentione se obligandi contraxit matrimonium, dicendo mulieri: accipio te in meam: postea a Judice sub juramento interrogatus, negare potest, se talia verba dixisse subintelligendo: *eo sensu, quo putatur eam in matrimonium libere accepisse*, uti resolvit Navarr. *in cap. humanæ aures 22. q. 5. in q. sua* 1. Tol. *l. 4. c. 21.* Laym. *cit. c. 14. n. 8.* Item qui juramento interrogatur, an veniat ex tali loco, qui falso existimatur peste infectus, jurare potest, se inde non venire, subintelligendo: *eo loco, qualis existimatur, nimirum peste infecto.* Navarr. Tolet. Rodriq. Suar. alii cum Sanc. *cit. lib. 3. cap. 6. n. 35.* Immo addunt plerique *Toletus*, *Lessius*, tametsi talis locus infectus esset, si tamen celeriter transiens, certo crederes, te nihil inde luis contraxisse, jurare potes, non transiisse, eadem restrictione, scilicet: *ut ab ipso periculum timeri debeat.* 122

IV. Licita potest esse ejusmodi equivocatio in juramentis ob justam causam evitandi damni proprii: absque damno injusto alterius, v. g. ad justam compensationem. Audi casum, discurre ad similia. Joannes equum generosum 123

centum

centum aureis credito vendidit Petro consobrino: is solutionem spontaneam extorquere non volens, & per Judicem urgere ob consanguinitatis reverentiam nolens, hanc excogitavit artem; facta occasione, ut filiam nuptui daret, e Petro centum aureos mutuo petiit ad sumptus, cum juramento asseverans intra tres menses se soluturum, cum hac reservatione mentali: *si & tu æquivalens equi pretium solveris;* elapsis tribus mensibus Petrus mutuum repetit, juramenti religionem obtendit, hominis alioquin religiosissimi fidem implorat, sed Joannes jus compensationis in suo juramento subintellectum reponit, & ea compensatione se uti velle, ac posse respondet. Quæritur, an recte, licite? Resp. quod sic: ita Juristæ, & Theologi plures cum *Sanch. Mol. Azor. Suar. Bonac.* eosque citans Tamb. *l.3.c.3.§.5.n.34.* Ratio, quia: ut recte tradit Bartolus in *L. amplius, ff. rem ratam habere*. Non est censendus perjurus, qui juste impeditur a promissis implendis: at juste impedior solvere centum aureos tibi, a quo alia centum mihi debita extorquere commode non possum: quæ enim, per fidem tuam, æquitas postulat, ut te non solvente debitum mihi, ego ad tuum debitum solvendum compellar? atque hæc ratio æque convincit, sive debitum tuum contractum sit ante juramenti obligationem, ut in nostro casu posito, sive postea primo: ut consideranti patebit.

125 Ratio autem generalis dictarum, & similium resolutionum probabilium est: quia consuetum, & debitum inter homines est, ut responsio non expectetur in similibus; nisi a legitime interrogato, & eadem conformetur intentioni interrogantis, quam habet, vel rationabiliter habere debet, atqui in dictis, & similibus omnibus casibus, quis non legitime interrogatur, ut semper supponitur, & ideo responsio restricta conformatur intentioni interrogantis, quam vel de facto habet, vel habere deberet, ut attente consideranti patet: ergo &c. Quod si vero Judex, vel alius interrogans suam intentionem, vel interrogationem manifeste ulterius extenderet, & tuam restrictionem mentalem quamcumque omnino excluderet: v.g. in ultimo casu: an omnino, & nullo obstante velis solvere intra tres menses: tunc dictis modis æquivocando eludere, non amplius amphibologia licita, sed mendacium erit, & perjurium. Non ergo amphibologia, sed aptum mendacium, si cui a te pecuniam mutuo petenti, vel librum commodato, juramento negas, te non habere, subintelligendo: *quod tibi dare velim:* quia tunc verba per manifestam intentionem petentis, & ex ipsis circumstantiis determinantur ad significandum, te simpliciter non habere pecunias, vel librum, quem mutuares.

SECTIO IV.

Perjuria, & Juramenta illicita.

SUMMARIUM.

126 *Perjurium quid, & quotuplex*, & 127.
128 *Perjurium, seu Juramentum carens veritate semper est mortale in quavis materia*, & 129. *sicut*
130 *Etiam ordinarie Juramentum temerarium rei dubiæ, & incertæ*.
131 *Juramentum incautum ex genere suo mortale est*. & 132.
133 *Juramentum promissorium omnino fictum, absque omni animo jurandi, & promittendi &c. semper est peccatum, saltem veniale*.
134 *Juramentum factum cum intentione quidem jurandi, sed non promittendi, & obligandi, non est verum Juramentum, nec peccatum mortale*.
135 *Si vero fiat cum animo, & jurandi, & promittendi, seu obligandi, non tamen implendi, semper mortale est*.
136 *Juramentum promissorium carens veritate futura, scilicet non implendo, quod prius serio promissum est, ex genere suo quidem mortale;*
137 *Probabilius tamen sæpe ex levitate materiæ veniale evadit*, & 138.
139 Usque ad n. 146. *Juramentum carens* justitia, *seu de re, vel actione mala, & illicita, quando, & quale peccatum*.
146 *Juramentum alias verum, & de re licita, sine tamen judicio, discretione, & causa rationabili factum, per se veniale est*. & 147.
148 *Consuetudo culpabilis jurandi sine causa, verum tamen, & cum advertentia veritatis, veniale est*.
149 *Consuetudo vero culpabilis jurandi indiscrete, & inadvertenter, sive verum, sive falsum, mortale est*. & 150.
151 Usque ad n. 57. *An, & quando consuetudo culpabiliter retenta jurandi sit peccatum distinctum ab ipso peccato actuali perjurii*.
157 *An, & quando liceat, vel non liceat exigere, vel inducere alium ad jurandum*. Usque ad n. 162.
162 *Adjuratio quid, & quotuplex*. & 163.
164 *Adjuratio deprecativa ad Deum, Sanctos, & homines, quando licita*. & 165.
166 *Adjuratio imperativa, vel coactiva, quibus, & quando licita*.
167 *Adjuratio imperativa dæmonum licita, & sancta est*.
168 *Adjuratio vero creaturarum irrationabilium vana, superstitiosa*.

PErjurium apud Juristas est Juramentum falsum, seu mendacium juratum, & communissime jusjurandum violatum, seu juramentum promissorium, non servatum; apud Theologos vero perjurium sumitur, & stricte, & large. 126

Perjurium stricte sumptum definitur, *mendacium Juramento confirmatum*. Sic D.Th. *q.89. art.* 1. & significat D. Hier. *in c.4.* Jerem. *Mentiendo jurare nihil aliud est, quam pejerare:* nam perjurium proprie dictum, directe, & contrarie opponitur juramento vero; juramentum autem verum est invocatio divini testimonii in confirmationem alicujus veritatis; ergo perjurium proprie dictum est invocatio divini testimonii in confirmationem falsitatis, & mendacii, seu, quod idem est, mendacium juramento confirmatum.

Juramentum late sumptum accipitur pro omni juramento illicito, & perverso, videlicet destitutio una, vel altera illarum trium conditionum ad omne juramentum licitum requisitarum, quæ sunt *Veritas, Justitia, & Judicium:* si enim ista defuerint, nequaquam juramentum erit, sed perjurium, ait *D. Hieron. l.c.* Unde triplex distinguitur perjurium. 1. Perjurium contra veritatem, quod est proprie, & stricte sumptum perjurium, quod veritate caret. 2. Juramentum carens Justitia; si quis rem prohibitam, vel illicitam jurat. 3. Juramentum carens judicio, si quis sine justa causa temere jurat: hæc duo posteriora improprie perjuria sunt, quatenus aliquam falsitatem, & divini Nominis in vanum assumpti irreverentiam continent. Sed qui rem injustam, seu illicitam jurat, tenetur dictum suum falsum efficere, non faciendo quod juraverat: qui absque judicio indiscrete jurat, is se exponit periculo falsitatis. Sit ergo

ASSERTIO VI.

PErjurium proprie dictum, seu Juramentum assertorium carens veritate, quo nimirum deliberate juratur falsum (sicut & Juramentum promissorium carens veritate præsenti) semper est peccatum mortale in quavis materia: non ita semper Juramentum promissorium carens veritate futura tantum: neque semper Juramentum carens Justitia: raro Juramentum carens Judicio tantum, sed plerumque veniale. Communis DD. ut patebit explicando singula. 127

§. I. *Perjurium assertorium.*

SCilicet juramentum assertorium carens veritate, quo deliberate juratur falsum, semper est peccatum mortale in quacumque materia, nec ex levitate materiæ unquam potest fieri parvum, seu veniale. D.Th. *cit. art.2. Cajet. Navar. Tolet. Suar. Sanch. Laym.* aliique. Ex quibus hæc infallibilis statuitur regula. *Quotiescumque id, quod asseritur, vel rogatur, mendacium est, Juramentum additum peccatum mortale perjurii est*. Ratio, quia veracissimi Divini Numinis, & Nominis, atque ipsius primæ Veritatis testimonium scienter adducere ad falsitatem confirmandam, ipsumque Deum testem falsitatis invocare, & allegare, gravissima semper est irreverentia contra Deum, primam, sanctissimam, & infinitam veritatem, neque ulla potest hic excusare materiæ levitas, cum directe peccetur contra perfectionem infinitam Dei: etsi enim in mendacio jocoso, aut officioso, aut rei futilis, ut si dicas, esse viginti nuces, cum scias esse tantum novendecim, secundum se sit materiæ levitas; at si juramento confirmes Deum in testem invocando, fit materia gravissima, & perfecta ratio perjurii. Et bene addit D. Th. *cit. art.3.* in mendaciis istis jocosis, & levibus juramento confirmatis majorem includi malitiam, & irreverentiam contra Deum, cum absque ulla ratione, vel causa rationabili Dei Nomen adducatur in testimonium falsitatis, quam in rebus magni momenti. Atque inter propositiones damnatas ab INNOCENTIO XI. merito numeratur & hæc 24. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem*, Deus, subaudi. Intellige autem semper, *si deliberate fiat;* sola ergo ignorantia invincibilis, aut inadvertentia inculpabilis, nimirum falsum esse, quod juratur, excusat ab omni peccato perjurii, si reliquæ duæ conditiones justitiæ, & judicii adsint: ignorantia autem, vel inadvertentia culpabilis, si exigua, vel non crassa, vel non affectata, potest aliquando excusare, & veniale reddere hoc peccatum perjurii: Pro quo nota tres esse gradus, & velut species perjurii culpabilis, quantum est ex hoc capite, nimirum *perversum, temerarium, & incautum*. 128

I. Perjurium, seu juramentum perversum dicitur, quo juratur falsum cognitum ut tale, & hoc semper inexcusabiliter in quacumque materia mortale est peccatum, ut jam dictum, neque hic aliquid est addendum. 129

II. Juramentum temerarium dicitur, quo juratur de re dubia, & incerta juranti, dum quis scilicet actu dubitans, & pro incerto habens, sitne res juranda vera, vel falsa, nihilominus temerarie jurat in unam partem tamquam veram, & certam, & hoc item semper est peccatum mortale, non solum eo ipso, quo ita dubitans, & jurans proximo se exponit periculo, verum etiam, quia vere jurando mentitur; jurans rem, ut certam, & veram, cum tamen in mente habeat incertam, & dubiam. Secus esset, si quis inclinans in 130

unam partem, allegatis certis motivis solum juraret de probabilitate alterius partis, v. g. Joannes requisitus de furto Petri, potest jurare, se Petrum vidisse intrantem domum, in qua factum est furtum, suspecto tempore, & inde probabiliter conjicere, & opinari, illum furti esse reum, & si hoc indubium, & certum sit, non est perjurus, quia non jurat de facto dubio pro certo, sed de sua credulitate, vel opinione probabili ex motivo allegato.

131 III. Juramentum incautum, quo juratur sine debita consideratione, & examine verumne sit, an falsum, quod juratur, cum quis scilicet, etsi actu non dubitet, tamen non reflectit, vel considerat, & examinat, an omnino verum sit ac certum, nec ne, quod juratum est, & tamen simpliciter jurat, & hoc etiam ex genere suo mortale est: licet enim tali juramento veritas subesset, tamen re non examinata, vel considerata, jurans certus esse non potest, quin falsitas subsit, sicut revera subesse potest, & consequenter proximo se exponit perjurii periculo, gravi Deum afficiens irreverentia, ejus primam, & infallibilem veritatem in testem vocans rei revera fallibilis, cujus veritatem sufficienter non examinavit, consequenter ex genere suo peccatum mortale erit, si nimirum negligentia, & defectus examinis notabilis sit, si levis sit defectus, excusatur a mortali, & veniale erit. Secundum communem DD. cum *Sanch. Suar. cit.* Et adde in foro conscientiæ nihil referre, quod jurans postea comperiat, se falsum jurasse, vel verum: dummodo, quando juravit, adverterit periculum falsitatis ob considerationis, vel cognitionis suæ defectum.

132 Cæterum posito (quod contra communem DD. probabiliter docet Vasq. 1. 2. *disp.* 127. *cap.* 3.) perjurium temerarium, vel incautum formaliter non continere malitiam perjurii, quia perversum formaliter definitur *mendacium juratum, confirmatum*: at qui jurat asserens id, quod dubitat, vel non sufficienter examinat, an verum, vel falsum sit, non mentitur, quia nihil asserit contra mentem directe, nisi rem dubiam talem directa intentione juret tamquam certam: ergo &c.

Certum est tamen continere malitiam perjurii reductive, & virtualiter, quatenus nimirum ita temerarie, vel incaute jurans se exponit periculo perjurii, quod prævidet, vel prævidere deberet. Unde recte inferunt idem Vasq. & Laym. *cap.* 14. *n.* 4. Nec ebrios posse pejerare formaliter, quia non possunt formaliter mentiri defectu deliberationis: neque eos pejerare formaliter, qui ex consuetudine culpabili falso jurandi sine rationis advertentia; etsi enim hi peccent jurando, cum illa perjuria materialia sint illis voluntaria in sua causa, scilicet mala consuetudine culpabiliter retenta, non tamen formaliter, & actu pejerant, quia non mentiuntur, cum nihil asserant contra mentem, quia revera non advertunt, rem juratam esse falsam, nec ne. Sed de hoc iterum.

§. II. *Perjurium promissorium.*

133 Seu juramentum promissorium potest carere duplici veritate, præsenti, & futura. De utrisque distincte, ac breviter dicendum, & resolvendum.

I. Juramentum promissorium omnino fictum, cum sola verba juramentum significantia exterius proferuntur absque omni animo jurandi, seu Deum in testem invocandi, & promittendi, ac se obligandi, (quemadmodum etiam juramentum amphibologicum cum verbis æquivocis, & restrictionibus mentalibus.) 1. Si ex justa causa necessitatis, vel utilitatis gravis fiat, mihi ante hac licitum videbatur, sed erronee: nam & hanc propositionem damnatam comperio ab Innocentio XI. 25. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit gravis, sive levis.* 2. Si sine omni causa fiat ex levitate tantum, joci, vel officii causa, veniale est: quia levis abusus divini Nominis, juxta regulam datam in principio hujus Præcepti. 3. Si serio fiat in re alicujus momenti, cum damno alterius, vel scandalo, peccatum mortale est, & quidem multiplex, cum tunc evadat mendacium perniciosum, juxta dicta *Assert.* 5. §. 4. *de juram. amphibologico n.* 109. certum apud omnes, & satis liquidum ex dictis.

134 II. Juramentum promissorium fictum, & factum quidem cum intentione jurandi, ac Deum in testem invocandi, attamen cum expressa intentione non promittendi, nec sese obligandi, neque juramentum verum est, neque peccatum mortale est, sed vel veniale, vel omnino nullum 1. Non juramentum verum est; neque enim esse, vel concipi potest juramentum promissorium absque promissione, & intentione sese obligandi, seu ut inductivum est obligationis: si ergo promissionem, seu obligationem positive excludas, expresse convinceris, nolle promissorie jurare. Vide de hoc dicta supra *in definitione juramenti promissorii* 2. Secus est, si animum jurandi habens, & sciens, quid sit jurare, verba juramentum promissorium significantia proferas, positive non excludens animum promittendi; tunc enim semper censeberis velle promittere, & te obligare, etsi expressum animum, vel promittendi intentionem, & te obligandi non habeas. Neque peccatum mortale est, cum non sit verum perjurium. 3. Sed vel veniale, si nimirum absque omni animo ita aliquid faciendi fieret, sic enim esset mendacium simplex. 4. Vel omnino nullum: si nimirum ita jurans sine animo promittendi juramento tuo solum velles confirmare propositum, seu voluntatem tuam præsentem efficiendi aliquid, tamen sine obligatione: tunc enim evaderet purum juramentum assertorium, vel de præsenti voluntate, vel proposito, absque obligatione in futurum, quod licitum esse potest.

III. Perjurium assertorium, seu juramentum promissorium factum cum animo & jurandi, & promittendi, seu se obligandi, sed carens veritate præsenti, seu intentione adimplendi rem promissam, cum scilicet aliquid juramento promittis, hic & nunc non habens animum, seu voluntatem adimplendi, vel præstandi id, quod jurans promisisti, est verum perjurium promissorium, semper in quacumque materia peccatum mortale, neque unquam ex materiæ parvitate veniale fieri potest; secundum *omnes*. Quia sic juramentum promissorium respectu præsentis veritatis, seu voluntatis adimplendi rem promissam, habet rationem juramenti assertorii, ideoque in proposito est proprie verissime perjurium: atqui in perjurio assertorio nulla datur parvitas materiæ excusans ob rationem datam §. *præced.* ergo neque in hoc perjurio promissorio. Si ergo serio mihi jures, te velle cras me comitari ad venationem, non habens animum id præstandi, vere pejeras, & mortaliter peccas. 135

IV. Juramentum promissorium carens veritate futura tantum, cum scilicet quis libere, deliberate, & culpabiliter non adimplet id, quod antea serio juramento promiserat, vel contrarium agit, etiam sine dubio est peccatum mortale ex genere suo, & perjurium minus proprie dictum, cum sine dubio sit gravis irreverentia erga Deum propositum, ac promissionem divini Numinis, & Nominis auctoritate, & velut fidejussione firmatam, absque causa immutare, ac violare; nam homo per promissionem talem velut sibi legem fert sua libera voluntate, quam juramento, seu divini Numinis auctoritate velut sigillo firmat, ac corroborat: est autem gravis irreverentia Dei auctoritate abuti ad instabilitatem animi, & infidelitatem: consequenter peccatum mortale, saltem ex genere suo, & quidem ob hanc ipsam rationem gravissimi DD. *Cajet. Med. Gabriel. Less. Valent. Sanch. & alii* apud citandos, probabiliter volunt, ita semper esse peccatum mortale, ut nunquam ob materiæ levitatem veniale fieri possit, eo quod allata ratio irreverentiæ videatur urgere in quacumque materia: adeoque etiam pater, qui juravit filium ita meritum virgis cæsurum, & postea sine causa id, quod juravit, omittit, peccet mortaliter. Sed contra 136

Dico: *Longe probabilius, & in praxi omnino tutum est, perjurium promissorium ex materiæ levitate excusari a mortali, & reddi veniale.* Sic communior DD. S. Anton. Sylv. Sot. Nav. Rodriq. Suar. alii cum Sanch. *lib.* 3. *mor. c.* 4. *n.* 23. Lay. *l.* 4. *tr.* 3. *c.* 14. *n.* 6. Ratio est, quia quandocumque peccatum ratione materiæ augeri, vel minui potest, tunc in eo genere etiam venialiter peccari potest: atqui communis hominum etiam prudentum persuasio est, tanto minorem, vel majorem irreverentiam Deo irrogari, quanto major, vel minor promissio Deo jurata violatur: nam in juramento promissorio alicujus operis exequendi, Deus non adducitur proprie, ut testis veritatis, quantum ad ipsam adimpletionem operis, sed solum ut sponsor, vel auctoritatem præbens obligationi ad eum modum, quo si sponsalia in præsentia Principis quasi auctoritatem interponentis celebrentur, certum autem est tanto majorem, vel minorem irreverentiam committi, quanto major, vel minor res est, ad quam confirmandam quis alterius etiam ipsius Dei auctoritate usus est, si postea non impleat, quod promiserat: ergo tali perjurio etiam venialiter peccari poterit contra virtutem Religionis, si nimirum valde levis promissio jurata violetur, v. g. si jurando amico promisisti ad convivium accedere, & sine causa maneas. Ut etiam vides in exemplo allato. 137

Confirmatur efficaciter: major est obligatio voti, seu promissionis factæ ipsi Deo, quam juramenti promissorii, seu promissionis factæ homini: in illo enim fides immediate datur ipsi Deo, in hoc autem fides datur solum homini interposito Nomine, & auctoritate Dei: longe autem major est irreverentia erga ipsum Deum infidelem esse, quam erga hominem fidem violando abuti auctoritate Dei, atqui violatio voti in materia levi non nisi venialem irreverentiam erga Deum continet, ut ex communi DD. videbimus *cap. seq.* ergo similiter violatio juramenti promissorii in materia levi venialem tantum erga Deum irreverentiam continet, adeoque culpam venialem non excedet.

Dices: Non datur parvitas materiæ excusans in juramento assertorio, cur ego detur in promissorio? *Resp.* Disparitas grandis est; quia in juramento assertorio invocatur Deus in testem veritatis, aut falsitatis, veritas autem, & falsitas consistunt in indivisibili, quod enim verum non est, necessario falsum est, nec datur magis, vel minus falsum: ideoque Deum invocare in testem falsitatis cujuscumque, semper est peccatum mortale: at vero in juramento promissorio, quoad veritatem futuram non invocatur Deus in testem ipsius veritatis, vel falsitatis, sed solum quasi in sponsorem obligationis adimplendi rem promissam cum juramento, adeo ut objectum juramenti promissorii non sit veri- 138

tas,

tas, vel falsitas, sed obligatio juramenti ad rem promissam adimplendam: atqui obligatio ad rem promissam adimplendam non consistit in indivisibili, sed major, vel minor est, juxta rationem materiæ majoris, vel minoris momenti; consequenter etiam violatio talis juramenti promissorii non consistit in indivisibili, sed majoris, vel minoris culpæ erit pro ratione materiæ, ergo non semper peccatum mortale, sed ex parvitate materiæ etiam veniale esse poterit.

§. III. *Juramentum carens justitia.*

139 NOn est semper mortale, seu assertorium, seu promissorium sit, veritate constans, & sola justitia carens, scilicet factum de re mala, inhonesta, injusta; non enim proprie, & specifice hic accipitur justitia pro speciali virtute reddente unicuique, quod suum est, sed late pro quavis honestate, juxta illud Christi: *Oportet me implere omnem justitiam.* Et Matth. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum &c.* Ideoque & opposita injustitia accipitur pro quavis re, vel actione illicita, vel inhonesta in quacumque specie peccati. Ita resolves breviter.

140 I. Juramentum assertorium de actione mala, vel iniqua propria, vel aliena (ut diversa sentientes clare concilientur) ita distinguendum est: 1. Si juramentum assumatur non ut medium ad peccandum, sed præcise ad veritatem rei malæ propriæ, vel alienæ confirmandam, tunc quantum est ex virtute Religionis, solum est peccatum veniale, esto aliunde ex objecto mortale sit, aut veniale pro ratione materiæ: sic intelligendi Suar. aliique communiter cum Sanch. *c.* 4. *n.* 33. Laym. *c.* 14. *n.* 9. absolute ita docentes. V. g. Juras te heri egregie fuisse ebrium, aut fornicatum cum tali &c. aut juras te velle occidere hominem, fornicari, adulterium &c. committere (casus non rarus Maritis uxore negante debitum) hic ratione malæ jactantiæ, vel complacentiæ de peccato, vel voluntatis peccandi, peccasti mortaliter pro ratione materiæ, & virtutis oppositæ: at ratione juramenti, & quantum est contra virtutem Religionis, peccas tantum venialiter. *Ratio est*, quia eo casu juramentum non assumitur, nec Deus invocatur ad testimonium peccati, sed præcise in testimonium, seu confirmationem veritatis talis rei malæ, vel voluntatis malæ: atque ad fidem faciendam audientibus de tali re, vel voluntate tua mala: veritas autem, ac fides rei malæ per se mala non est: ergo quantum est ex virtute Religionis, non continet gravem, aut plus quam venialem irreverentiam contra Deum.

141 Quod si vero juramentum assumatur, ut medium ad peccatum vel gravius peccandum in se, vel in alio, certum omnino esse debet, esse peccatum mortale ex genere suo: v. g. Si cum juramento proximum injuste infames: jures hunc commisisse homicidium &c. etiamsi verum, sed occultum sit, (nam si falsum, etiam perjurium erit gravissimum) si cum juramento, etsi verissime contesteris amorem tuum, vel promissiones tuas, ut aliam, vel alias in peccatum inducas &c. peccas utique mortaliter etiam contra virtutem Religionis, & præter peccatum injustitiæ, infamationis, vel luxuriæ, in confessione aperire teneris. Et hoc cum aliis docet Tamb. *l.* 3. *Decal. c.* 1. §. 4. Et fatetur Laym. *cit.* Ratio manifesta est: quia licet vere jurent, tamen injuste, & inique jurant, Deum in testem inducendo suæ iniquæ narrationis, ad proximum graviter, & injuste infamandum, aut alios in grave peccatum inducendum, quæ sane gravissimam in Deum irreverentiam continet. Dixi autem, *esse peccatum mortale ex genere suo*: nimirum in materia gravi, nam si fieret in materia levi, v. g. si jures, Petrum heri habuisse strepitum; aut si jures alicui quidpiam, aut alium inducas ad mendacium: probabiliter solum peccatum veniale erit, juxta mox dicenda N. III. sicut etiam gravis est irreverentia testimonium Dei adducere tamquam medium ad grave peccatum, ita si ad leve tantum, levis censeri debet irreverentia.

142 II. Juramentum promissorium de re mortaliter mala, ac injusta facienda, præter peccatum pravæ voluntatis juxta speciem suam, speciale peccatum mortale est injusti juramenti contra virtutem Religionis, & secundum præceptum Decalogi. *Omnes*. Ratio patet: quia taliter jurans primam Veritatem Deum constituit testem, sponsorem, & fidejussorem, & ideo velut complicem iniquitatis suæ, gravissima erga Deum, ejusque infinitam sanctitatem irreverentia. Quomodo sine dubio peccant mortaliter speciali peccato contra virtutem Religionis in confessione necessario explicando, qui promissione jurant se fornicaturos: etiam conditionate v. g. si uxor debitum non reddat &c. occisuros, duellum injustum ituros, offensam non condonaturos proximo, etiam simpliciter veniam petenti, & satisfactionem offerenti, & his similia.

143 III. Probabilius est juramentum promissorium de re, vel actione solum venialiter mala, v. g. te in gratiam mei officiose mentiturum, filium, famulum, uxorem non ita meritos verberaturum, solum esse peccatum veniale. Ita contra nostrum March. *Sect. præced.* allatum communis DD. Sylv. Cajet. Navar. Less. Suar. aliisque congestis Sanch. *cit. c.* 4. *n.* 26. Laym. *cit. c.* 14. *n.* 9. *assert.* 6. Ratio est, quia tanto major, vel minor irreverentia Deo irrogatur contra virtutem Religionis, quanto majus, vel minus peccatum est, quod quis juramento committere proponit, promittit, ac confirmat; ergo sicut juramento promittere peccatum mortale, est peccatum mortale distinctum contra virtutem Religionis; ita juramento promittere solum veniale, solum veniale peccatum erit, distinctum contra virtutem Religionis. Ubi insuper observandum, quod si quis rem mortaliter, vel venialiter malam juramento confirmet, vel postea juramentum adimplet, quasi quid Deo debitum, gratum, & acceptum, erit speciale peccatum blasphemiæ, & si rem malam antea juratam, postea opere complet, quasi ad id teneatur ex vi juramenti, & virtute Religionis, velut quid spectans ad cultum, & obsequium Dei, erit speciale peccatum superstitionis, ceu cultus indebiti, ac falsi: utrumque ex genere suo mortale est, nisi ignorantia, error, & simplicitas, ita persuadens a mortali excuset, & venialem, vel etiam nullam culpam efficiat. Cæterum absque illa intentione blasphema, vel superstitiosa rem malam juratam simpliciter implere, erit peccatum mortale, vel veniale pro ratione materiæ, quia in his non intercedit, nisi continuatio ejusdem voluntatis, quæ habita fuit, quando factum est juramentum, ut patet consideranti.

IV. Juramentum promissorium de opere, vel omissione indifferenti, vel opposito consiliis Evangelicis per se solum veniale est ob justitiæ defectum. Cajet. Navar. Azor. Suar. Less. *alii* cum Sanch. *c.* 4. *n.* 30. apud Laym. *c.* 14. *n.* 10. Etsi enim aliqua, non tamen gravis est irreverentia, jurare rem non malam, tamen incapacem obligationis juramenti, scilicet indifferentem, aut oppositam consiliis Evangelicis: ut si jures, hodie non jejunare, hodie non bibere aquam, non fore Religiosum &c. juramenta invalida sunt; non tamen mortaliter, sed venialiter tantum sunt illicita. Quamvis oppositum sentiant. Sylv. Angelus, *verb. juramentum*. Rursus tamen hic recte monet Sanch. *cit. n.* 32. minus malum esse jurare rem venialem, indifferentem, vel oppositam consiliis Evangelicis animo illam adimplendi, sic enim solum peccatum veniale esset duplex, vel simplex tantum, quam jurare talem rem sine animo adimplendi, sic enim esset peccatum mortale perjurii contra veritatem juramenti. E contra vero majus malum est jurare rem mortaliter malam v. g. adulterium, animo eam adimplendi, quia sic duplex est peccatum mortale juramenti scilicet injusti, & adulterii propositi, quam jurare talem rem sine animo eam adimplendi, quia sic est unum simplex peccatum mortale perjurii. Unde vides in confessione explicandum esse, si peccatum mortale jurasti *cum animo implendi*; tunc enim peccatum mortale duplex est. Non item, si jurasti *sine animo adimplendi*, tunc enim est simplex perjurium, & sufficiet dicere; semel perjuravi, vel juravi falsum, ut notat Tambur. *cit. c.* 3. §. 3. *n.* 9. 144

Petes: Quod si quis promittat rem physice, vel moraliter impossibilem, serio tamen, & animo jurandi, v. g. se cras volaturum, vel centum daturum, aliudve debitum soluturum, cum tamen sibi constet, non fore possibile moraliter: casus debitoribus frequens. 145

Resp. Peccare sine dubio mortaliter peccato perjurii contra veritatem juramenti: talis enim non potest habere voluntatem adimplendi illud, quod moraliter impossibile judicat: eademque esset ratio, si jures temere non advertendo an res sit possibilis, nec ne, quia sic virtualiter falsum juras, quod si tamen adsit intentio adimplendi promissum, *si possibile sit*, veniale tantum recte censet cum aliis *Tamb. cit.* Tunc enim non contra veritatem, vel justitiam, sed tantum contra judicium juramenti delinquitur: de quo mox.

§. IV. *Juramentum carens judicio ex consuetudine jurandi.*

JUramentum sive assertorium, sive promissorium veritate, ac justitia constans, solo carens judicio, seu discretione, utpote quia sine causa rationabili necessitatis, vel utilitatis propriæ, vel alienæ profertur, per se est solum peccatum veniale plerumque: *Communis*. Etenim rem veram, ac justam, seu licitam juramento, etsi non necessario confirmare, non adeo gravis irreverentia est contra Deum ex virtute Religionis, sed est solum venialis abusus divini Nominis assumpti in vanum: qua ratione plerumque excusantur juramenta Mercatorum, quando jurare solent tanti, vel pluris sibi mercem constare, etsi enim jurent absque Judicio, & ratione necessitatis, adeoque venialiter delinquant: non tamen pejerant, cum possit habere bonum sensum: videlicet æstimato simul labore, periculo, sumptu &c. tanti, vel pluris sibi constare, ut jam supra etiam est explicatum. 146

Dixi autem, *per se esse plerumque veniale*: per accidens etiam enim mortale fieri posse certum est: utpote 1. si juramentum eo etiam judicio, & discretione careat, ut non attendatur, an verum, vel falsum juretur, an bonum, vel malum promittatur, eo ipso enim carebit veritate, & justitia, juxta dicta superius. 2. Ratione contemptus Dei, vel Religionis formalis, aut virtualis; utpote si res adeo vilis, vel absurda esset, ut sine gravi injuria Dei non possit Nomen Domini assumi, maxime accedente scandalo, ut post Sanch. *cit.* notat March. *cit. q.* 3. *regul.* 3. 3. Si quis ita absque judicio 147

ad quodvis verbum jurare solitus advertat se poni in probabili periculo etiam falsorum juramentorum, & perjuriorum, quod sane plerumque fit, quo sensu dixit *Isidorus l. 2. sent. c. 32. dum usum jurandi facimus, perjurii crimen incurrimus*: consentiunt SS. PP. passim. 4. Cum quis advertit ita absque judicio, ratione, & discretione jurando ingenerari sibi habitum, & consuetudinem vitiose jurandi, eo ipso enim censetur velle secutura vitiosa juramenta, seu mortalia, seu venialia: ideoque peccare mortaliter; ut generaliter de peccatis ex consuetudine explicatum habes *Tract.* 1. *c.* 6. *n.* 52. de peccatis. Sed specialiter hic quoad consuetudinem jurandi explicandum est,

Quæ, & qualis consuetudo jurandi constituat hominem in statu peccati mortalis: ideoque specialiter explicanda in confessione.

RESOLUTIONES.

148 I. Consuetudo culpabiliter retenta jurandi sine causa, attamen verum, & cum debita advertentia, & consideratione ad veritatem rei jurandæ, non constituit hominem in statu peccati mortalis, sed venialis tantum. *Communis*. Ratio est, quia (ut optime docet Scot. 3. *d.* 39. *q. unica n.* 1.) cum habitus totam suam malitiam desumant ex actibus, ex quibus generantur, & ad quos inclinant, non possunt habere majorem malitiam, quam ipsi illi actus habent: atqui actus ipsi jurandi sine causa rationabili, cum debita tamen advertentia ad veritatem rei jurandæ, sunt solum peccata venialia, ut dictum est: ergo etiam habitus, & consuetudo ita jurandi ex illis actibus generata, atque ad illos inclinans solum constituit hominem in statu peccati venialis, non mortalis, quamdiu non advertitur periculum pejerandi mortaliter: ac proin non erit materia necessaria confessionis.

149 II. Consuetudo culpabiliter retenta jurandi, indiscrete, & inadvertenter sive verum, sive falsum, constituit hominem in statu peccati mortalis, itaut homo voluntarie eam extirpare, vel emendare omittens, sit in continuo statu peccati mortalis omissionis; & insuper omnia ejus juramenta vi talis consuetudinis culpabiliter retentæ ita indiscrete, & inadvertenter ad veritatem, vel falsitatem facta (sive reipsa vera, sive falsa sint) sunt peccata mortalia. Ita communis DD. *Ledesm. Suar. Val. alii cum Sanch. & Laym. lib.* 1. *tr.* 2. *cap.* 3. *n.* 6. Et Ratio est, quia omnis voluntarie se constituens, aut relinquens in periculo proximo peccati mortalis, peccat mortaliter: sed talis culpabiliter retinens, vel omittens extirpare consuetudinem talem, ac vi illius ita indiscrete verum, vel falsum jurans, is voluntarie se relinquit, & semper constituit in proximo periculo peccati mortalis, scilicet perjuriorum, ac juramentorum falsorum, ut per se manifestum est, quæ omnia ipsi in illa consuetudine voluntarie, & culpabiliter retenta, tanquam in causa indirecte saltem voluntaria, adeoque ut peccata mortalia imputantur, juxta communem doctrinam in materia de voluntario indirecto; ergo est in statu peccati mortalis.

150 Verum hic gravis difficultas est, an ejusmodi consuetudo culpabiliter retenta jurandi falsum, seu pejerandi constituat peccatum distinctum ab ipsis falsis juramentis, seu perjuriis factis, specialiter in confessione aperiendum; seu, quod in idem recidit, an is, qui ita ex consuetudine pejeravit, eademque ratione blasphemavit, detraxit, &c. teneatur explicare eam circumstantiam pravæ consuetudinis, se nimirum ex mala consuetudine ita fecisse. Et certum videtur, quod sic, si consuetudo illa prava pejerandi, blasphemandi &c. esset directe voluntaria, seu actu positivo volita, vel intenta ad majorem habendam facilitatem in peccando, quæ certe nimia esset perversitas, & sine omni dubio, distinctum numero peccatum ab ipso peccato actualis perjurii, blasphemiæ &c. Sed hoc rarius. Quæstio ergo solum est, quando consuetudo prava jurandi culpabiliter retenta, tantum est indirecte, seu permissive voluntaria, quatenus nimirum quis non curat talem consuetudinem impedire, vel extirpare receptam. Dico igitur

151 III. Consuetudo culpabiliter retenta jurandi falsum deliberate, seu indifferenter verum, vel falsum, probabilius non est peccatum distinctum aperiendum in confessione ab ipso peccato actuali perjurii, sed sufficit confiteri ipsum actum perjurii, *pejeravi, aut falsum juravi toties*. Ita post *Vasq. Joan. Sanch.* alios Tamb. *l.* 3. *c.* 1. §. 5. Ratio, quia licet sit obligatio extirpandi illum habitum pravum consuetudinis ex eo, quia est causa facilitans ad peccata sequentia, & si negligas, sis in statu peccati mortalis omissionis, ut dictum est: attamen illa obligatio extirpandi consuetudinem est imbibita in ipsa obligatione non amplius pejerandi, & cum illa moraliter confunditur (neque enim in moralibus ita subtilizandum est, ut numero distincta physice, semper censeantur distincta moraliter, ut alibi vidimus) ergo etiam illud peccatum omissionis extirpandi consuetudinem pejerandi moraliter imbibitur, & confunditur cum ipso peccato novo perjurii; neque ut distinctum ab eo in confessione aperiendum est. Certe peccatum esse factum ex consuetudine, non est circumstantia speciem mutans, *secundum omnes*; sed neque notabiliter aggravans; quinimo, si attente consideretur, potius diminuens; moraliter enim minus deliquisse censendus est, qui consuetudinis contractæ impetu pejeravit, quamvis deliberate, quam qui recenti, & spontanea mente, ac libertate.

Dices: Habens occasionem proximam peccandi (v.g. concubinam domi, malam societatem &c.) teneris illam tollere obligatione distincta, & sub peccato distincto ab obligatione evitandi ipsum peccatum, adeo ut si sciens, & volens non cures tollere talem occasionem proximam peccandi, eo ipso pecces peccato distincto sive aliud peccatum sequatur, sive non, & distincte aperiendo in confessione, *secundum omnes*: atqui ipsa consuetudo pejerandi, vel aliter peccandi, maxime est occasio proxima peccandi: ergo teneris illam tollere sub peccato distincto ab ipso actuali peccato perjurii. Sic doctis. *Castro-Palaus apud Tamb. cit.* concludens, peccas mortaliter, quoties illius pravæ consuetudinis recordaris, illamque extirpare non procuras, sicut, si domi concubinam haberes, & advertens ad periculum peccandi, illam non removeres, cum posses &c. *Hæc ille*. 152

Cæterum Resp. *negando min. rotunde*: multum enim per omnem modum differunt occasio, & consuetudo peccandi; nam occasio peccandi est quid extrinsecum homini sensus movens, atque directe, & velut active ad peccatum alliciens, inducens, vel ejus periculo exponens; ut concubina domi retenta, mala societas, pecunia furari exposita &c. ideoque per se vitanda est; & non vitare voluntarie, peccatum distinctum est a peccato occasionato. At vero consuetudo, seu habitus peccandi est quid intrinsecum homini, semper de se quiescens, nec unquam hominem ad peccatum se sola inducens, sed tantum excitans occasione extrinseca per sensus, & phantasiam solummodo inclinans, & facilitans ad actum, promptius, seu liberius peccandi. Unde quamvis adsit obligatio eum habitum omnino extirpandi pro posse, a Confessariis omnimodis urgenda, eam tamen non extirpare, sed puræ negligentiæ permittere, non est novum distinctum moraliter peccatum ab ipsis perjuriis causatis, ut dictum est. Hanc doctrinam insinuat Joan. Sanchez apud Tamb. *cit. n.* 3. dicens: *Igitur impertienda est pœnitenti absolutio, volenti, & proponenti cessationem peccati, & nullam externam habenti occasionem, quantumcumque consuetudini peccati addicto*: Sic ille. 153

Intellige tamen, dummodo actu positivo illam pravam consuetudinem non acceptet, vel approbet, sed solum negative se habens eam vincere negligat, vel desperet; quod sane non rarum, & valde notandum Confessario, ne nimium vexet conscientias afflictas: & ideo hic accuratius explicare libuit. 154

IV. Consuetudo culpabiliter retenta, indeliberate falsum jurandi, &c. ex naturali quasi impetu vitiosi habitus præcipitantis, & deliberationem prævenientis, omnino peccatum distinctum est per se aperiendum in confessione, quamvis sæpissime excusetur pœnitens. *Communis*. Ratio est, quia tunc non ipsa perjuria actualia vi illius consuetudinis omnino indeliberate facta, & consequenter in se minime voluntaria, peccata sunt, sed ipsa sola consuetudo culpabiliter retenta, & extirpari neglecta, quatenus est causa illorum materialium perjuriorum, peccatum est, & quamdiu ea consuetudo culpabiliter retinetur, ipsa etiam perjuria facta imputantur ad peccatum, tamquam indirecte volita in sua causa, scilicet consuetudine illa: qui etiam culpabiliter retinet, seu extirpare voluntarie negligit pravam consuetudinem pejerandi, censetur indirecte velle etiam ipsa perjuria (idemque est etiam in aliis peccatis) ergo tenetur illam consuetudinem in confessione aperire, tamquam per se peccatum; & omnino sufficit dicere; contraxi, ac habeo consuetudinem talem malam pejerandi &c. nec est opus explicare ipsa peccata v. g. perjuria; quia ut dixi, in se directe peccata non sunt, sed solum indirecte in illa consuetudine retenta; quamquam consultum sit illa explicare, præsertim si valde frequentia sint, saltem ut Confessarius intelligat, quanta sit vis illius malæ consuetudinis.

Dixi autem, *sæpissime excusari*; quia revera communiter non advertunt homines ad obligationem, quam habent, illam extirpandi consuetudinem, ne sit causa proxima illorum malorum, seu perjuriorum materialium; & consequenter cum excusantur a peccato, etiam excusabuntur a confessione. 155

Dices: Si ipsa perjuria v.g. vi consuetudinis indeliberate facta non sunt peccata formaliter, sed tantum materialiter juxta *Communem*, quare consuetudo, ita indeliberate jurandi sit peccatum formaliter, & in confessione aperiendum? aut unde major malitia consuetudinis, quam ipsorum actuum? Resp. hinc est: quia causa excusans ipsa perjuria, & a peccato formaliter, nimirum ipsa indeliberatio, non reperitur etiam in ipsa consuetudine pejerandi, quæ semper supponitur culpabiliter, ideo scienter, voluntarie, deliberate retenta. Res in moralibus millies inculcanda, & mox iterum in corollariis. 156

Audisti, semper sermonem esse de consuetudine pejerandi (vel aliter peccandi) *culpabiliter retenta*: nam consuetudo inculpabiliter retenta quomodocumque jurandi, vel

peje-

pejerandi, vel aliter peccandi, videlicet jam revocata per pœnam, & efficax propositum emendationis, ac conatus adhibendi ad eam extirpandam, non constituit amplius hominem in statu peccati ullius, quia simpliciter non est amplius voluntaria, & quæcumque juramenta, perjuria, aliave peccata vi, & naturali impetu talis consuetudinis absque omni inadvertentia, vel deliberatione facta, peccata non sunt, quia simpliciter quoque non sunt voluntaria, neque in se directe, ut supponitur, neque indirecte in sua causa, scilicet consuetudine, quippe jam revocata, & involuntaria facta.

COROLLARIUM NOTABILE.

Quid dicendum de Inductione aliorum ad jurandum?

RESOLUTIO.

157 I. Nullo casu licitum est alterum inducere ad jurandum, vel ab altero juramentum exigere, nisi quando alter licite potest jurare, juxta tres regulas positas scilicet *in veritate*, *in justitia*, *& judicio*: adeoque inducens alterum ad jurandum illicite, scilicet aut in re falsa, aut illicita, aut sine necessitate, cum positive cooperetur alteri ad malum, peccabit mortaliter, vel venialiter, juxta rationem perjurii, vel juramenti illiciti, ad quod alium induxit: in quo sane Magistratus indiscreti sæpe graviter peccant, absque omni causa, vel necessitate, juramenta, præsertim a rudibus exigendo, ac multorum perjuriorum causa fiunt.

158 II. Etiam nunquam licet alterum inducere ad jurandum, vel ab eo juramentum, seu assertorium, seu promissorium exigere, seu parato, seu imparato, quem scis, vel probabiliter credis pejeraturum, vel falsum juraturum, seu promissis juratis non staturum, etsi alioquin licite jurare possit, absque justa, & urgente causa: sic enim vere proximus inducitur in peccatum: at vero, si justa, & proportionata causa adsit, licet: quia ex justa causa licite petimus ab alio opus, quod is sine peccato præstare potest, etsi prævideatur non sine peccato præstiturus, nimirum justa causa excusante solum permittendo peccatum alterius. Communis DD. cum S. Th. 2.2. *q.*89. *a.* 4. Suar. Sanch. Laym. *cit.* Tamb. *cit.* 1. §. *6. n.* 1. Sic *in primis* in judicio, quando aut lex in particulari decernit, ut aliqua controversia juramento finiatur, aut una pars juramentum juste poscit ab altera parte, tenetur Judex (ne se suspectum reddat) exigere juramentum ab illa altera parte, etiamsi privatim sciret, vel probabiliter crederet, illam pejeraturam: nullo tamen casu licet exigere juramentum ab utraque parte de re inter ipsas mutuo controversa, quia necessario altera pars deberet pejerare. Sic 2. etiam extra judicium, etiam privatus ratione sui juris tuendi licite exigit juramentum ab eo, quem probabiliter credit pejeraturum; v. g. cum quis in gravi necessitate suam innocentiam contra alterius injuriam aliter probare non potest: ut si injuste, & graviter infameris ab alio, pro veraci, & fideli habito apud alios, ut ostendas ejus perfidiam, potes ab eo exigere, ut juret in re, quam alii sciunt esse falsam, etsi scias ipsum prompte pejeraturum, quia uteris jure tuo tuendi tuum jus, vel innocentiam contra alterius injuriam. Sic *denique* Imperator, vel Princeps ratione fœderis firmandi juste juramenta exigit, & recipit, nimis sæpe a pejeraturis. Denique si solum dubitetur, an alter pejeraturus sit, etiam sine gravi causa juramentum peti poterit, omnium consensu: cum in dubio nemo præsumendus sit pejeraturus.

159 III. Etiam non licet alterum inducere ad jurandum falsum, quod tamen ipse alter omnino credit esse verum, citra peccatum mortale inducentis. Ita communissima DD. cum Suar. *li.* 3. *de juram. c.* 14. *n.*8. Ratio est, quia talis sciens, & volens facit, ut Deus revera in testem falsi adducatur, quamvis jurans propter bonum finem excusetur a peccato. Accipe exemplum unicum, & applica ad similia sane non rara. Titius scit, se esse illegitime natum, alii communiter putant esse legitimum pro certo (hic enim non datur certitudo scientiæ ex visu) is ergo promovendus ad Ordines, aliudve officium, vel dignitatem, inquirit de Natalibus, inducit amicos, ut pro se jurent: jurant ii bona fide, & ille obtinet intentum. Omnino peccavit mortaliter Titius inducendo alios ad jurandum falsum, vel perjurium, etsi materiale tantum. Qua ratione? inquis; ipse non jurat: jurantes non peccant; quare ergo inducens peccat? Omnino peccat: quia causa excusans jurantes a peccato perjurii formalis, nempe error invincibilis, & bona fides, non reperitur in ipso inducente, ac suam illegitimam nativitatem probe sciente, ideoque perjurium respectu inducentis perjurium formale est, quia & cognitum, & volitum, immo per se intentum. Accipe similia. Tu sobrius induc ebrium, vel stultum ad blasphemandum, vel alterum occidendum; induc, & doce puerum blasphemare Deum, vel maledicere Patri; die festo servum ignarum compelle laborare, negligere Sacrum &c. peccas tu, utique: non isti. Quare? quia causa excusans reperitur in istis, non in te. An capis hæc? capio, inquis; at durus est hic sermo, quis potest eum audire in praxi? audi ergo loquentes molliora, sed an probabiliter, tu videris.

IV. Contra tamen ejusmodi inductionem probabiliter esse licitam, docuit Petrus Hurtado, quem sequitur Diana *part.* 5. *tract.* 7. *de scandalo resolut.* 14. & Tancred. apud Tambur. *cit. n.* 6. Ratio jam indicata est: quia talis inductio non habet malitiam scandali, cum nulla detur juranti occasio peccandi, licite enim sine peccato juratur, neque etiam habet malitiam contra Religionem, cum potius Deus colatur a jurante, id quod credit esse verum, nec aliunde potest ostendi malitia: ergo non est illicita. Sed hæc ratio jam soluta est *n. præc.* Nam negatur minor pro altera parte: non enim licet inducere alterum ad rem etiam materialiter tantum malam, quam inducens scit esse malam, ut patet irrefragabiliter in exemplis allatis. Nihilominus tamen Tamb. quoque tandem probabilem censet eam sententiam, conaturque dare disparitatem inter nostrum casum, & exempla allata: nam inducens ebrium ad percutiendum, puerum ad blasphemandum, servum ad laborandum die festo, scit res esse materialiter malas, & factas nullam inducere bonitatem, quare ad eas alium inducere non possumus. At in nostro casu inducens alterum ad jurandum falsum, quod tamen is optima fide putat esse verum, inducit ad actum, etsi materialiter malum, tamen formaliter bonum, & verum actum Religionis, quod bonum formale proportionata saltem causa licite intendere poterimus. Sic ille summarie. Sed non acquiesco. Quæso, ob gravissimam causam morbi v. g. vel pestis animalium, induc servum ignarum ad applicandum medium certo superstitiosum, specie tenus tamen valde religiosum, quo simplex servus, vel maxime putet se colere Deum, & revera colat ob bonam fidem: an ideo licite induces? certe non. Idem sit in proposito. 160

Tandem subtiliori modo, & magis apparenter hanc sententiam defendi posse, censet ipse Lugo *cit. t.* 2. *de just. disp.* 39. *sect.* 3. *n.* 21. ex eo quod taliter inductus non juret de ipso facto, sed tantum de notitia facti, quam ipse revera habet, ideoque inducitur ad actum nec formaliter, nec materialiter malum. Accipe verba Lugonis; *Ego non video cur in prædicto casu non liceret petere a teste, ut non juret rem ita esse, sed solum se existimare, rem ita esse, tunc enim procul dubio nec formale, nec materiale perjurium consuleretur, sed verissimum testimonium nempe de existimatione actuali, quam revera habet. Hæc tamen ad praxim non facile applicari possent, quia eo ipso, quod testi cum illa reflexione juramentum consuleres, inciperet fortasse formidare de falsitate suæ existimationis.* Sic more suo acute Lugo: Tu considera. Ego persisto in communi sententia, simpliciter non licere: etsi in casu difficili aliquando conniverim. Tandem in praxi iterum nota, homines simplices, & rusticanos vulgari idiomate, confundere plane juramenta, blasphemias, & maledictiones, vulgo *sceltem*, *fluchen*, *schwveren*, cum tamen maxime differant, ut ex dictis constat: ad hæc ergo dignoscenda in confessionali, cum pœnitens absolute dicit: *ich hab gescholten*, *gefiucht*, *geschvvoren*, Confessarius in primis petere debet, quibus verbis usus sit; dein comperto, quod sint verba juramentum significantia, quærendum est, an sciat, quid sit jurare, an habuerit veram intantionem jurandi, vel Deum in testem invocandi? (ex decem vix reperies unum) & hoc comperto, denique interrogandus erit, an verum, vel falsum juraverit? si dicat, verum jurasse, raro condemnandus erit peccati gravis, juxta dicta hactenus: si autem fateatur, se falsum jurasse sive scienter, & deliberate, sive in dubio, vel incaute, plerumque censendus erit peccasse mortaliter, juxta late dicta hucusque. Pœnæ civiles, & canonicæ in perjuros nullæ sunt sententiæ latæ, sed tantum per Judicem inferendæ, ideoque nihil ad nos. 161

APPENDIX.

De Adjuratione juramento affini.

Adjuratio definitur: *Invocatio Dei, vel alicujus sacræ rei ad alterum petendo, vel jubendo inducendum, vel cogendum ad aliquid agendum, vel omittendum:* juxta illud Apostoli ad Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei.* Adeoque duplex est adjuratio: *deprecativa*, qua solum petendo, & *imperativa*, qua jubendo nitimur aliquem inducere ad aliquid agendum, vel omittendum invocatione Dei vel rei sacræ. Jam vides differentiam adjurationis a juramento, & simul affinitatem: quia sicut juramento divinum Numen, vel res sacra invocatur ad veritatis assertæ, vel promissionis factæ confirmationem, ac majorem firmitatem: ita adjuratione divinum Numen, vel res sacra invocatur ad majorem confirmationem, & efficaciam nostræ petitionis, vel jussionis. In omni ergo adjuratione tria omnino necessario concurrunt, *adjurans*, *adjuratus*, & *id per quod juratur*. 1. *Adjurans* est ipse homo (de humana enim adjuratione loquimur) quamquam universaliter omnis natura intellectualis adjurare possit, utpote ipse Deus, Sancti, Angeli, quin & dæmones, ut Marci 5. dæmon Christum adjuravit: *Adjuro te per Deum vivum, ne me torqueas.* 2. *Adjuratus* 162

juratur similiter debet esse res intellectualis, Deus, Angeli, Sancti, Homo, dæmon. *Ratio est clara*: quia is tantum potest adjurari, qui potest moveri adjuratione: nullus autem potest moveri, nisi percipiat adjurantem, & id, per quod, & ad quod adjuratur, quod proprium est naturæ intelligentis. 3. *id, per quod adjuratur*, est aut ipse Deus, ejusque Nomina, Attributa, Perfectiones, aut Angeli, & Sancti, aut justi viatores, quatenus apud Deum plurimum valent, veluti Amici Dei, aut quæcumque res sacræ, in quibus Deus specialiter adoratur, ut Sacramenta, Altaria, Templa &c. Quod si alium adjures per suam vitam, honorem, uxorem, liberos &c. non erit adjuratio sacra, sed politica, & civilis. De hoc sit

ASSERTIO VII.

163 *Adjuratio tam deprecativa Dei, ac Sanctorum; quam imperativa, vel coactiva respectu subditorum, etiam dæmonum, etiam suo sensu creaturarum irrationalium, licita est, & sancta, si debitæ conditiones serventur*. Sic omnes Catholici.

§. I. *Adjuratio deprecativa*.

164 Adjuratio deprecativa ad Deum, Sanctos, Angelos, & quosvis homines, licita est, & actus virtutis Religionis, quando nimirum adjuratio fit per Deum ipsum, vel explicite, ut per nomen, Attributa, Perfectiones, Opera Dei, vel Christi, aut implicite, ut per Sanctos, & res Sacras ad Deum relatas, & quatenus in eis Deus relucet. Omnes cum D. Thom. 2. 2. *a.1.q.* 90. Ratio est: Quia ejusmodi adjuratione tribuitur Deo honor, & cultus debitus, dum ejus Auctoritas, quæ & apud ipsum Deum, & apud omnes plurimum valet, assumitur, & interponitur ad aliquid obtinendum sive ab ipso Deo, sive a creatura rationali, Angelo, Sancto, homine quovis. Quoad ipsum Deum est perpetua praxis Ecclesiæ omnes Orationes concludentis adjuratione, *per Dominum nostrum JESUM Christum*, & frequentissimas adjurationes repetentis in Litaniis, Benedictionibus &c. Quoad Sanctos, & homines, per se honestum est ad eos inducendos ad aliquod bonum, uti Auctoritate, & reverentia divini Nominis.

165 Cæterum ut licita, & sancta sit adjuratio, easdem suo modo conditiones requirit, quas juramentum, scilicet *veritatem, justitiam, & judicium*. *Veritas* adjurationis consistit in hoc, quod homo vere intendat assequi, quod adjurando petit, & vera sit causa, ob quam petit: quod si autem quis non habet intentionem impetrandi, aut fictam allegat causam, v. g. fingens paupertatem, vel morbum, & per Deum petens eleemosynam peccat: raro tamen erit plus quam veniale, ut bene docet Sanch. *cit. lib.* 2. *Decal. c.* 42. *n.* 5. quia in adjuratione non assumitur Auctoritas divina ad confirmandam talem fictionem, (sicut in juramento, quod sane mortale esset, & verum perjurium) sed solum ad inducendos alios ad præbendam eleemosynam, utique actum bonum ex parte dantium; adeoque non committitur gravis irreverentia erga Deum. *Justitia* adjurationis in eo consistit, ut adjurando petatur, vel exigatur res justa, & licita: quare sicut de juramento dictum, si adjurando petatur res illicita mortaliter, ut concubitus, furtum &c. sane mortale erit, si vero petatur res illicita venialiter ut mendacium officiosum, compotatio non tamen excessiva &c. erit solum veniale: irreverentia enim, & injuria Dei est, Dei auctoritate velle uti ad inducendum alterum ad malum: gravis quidem: si ad malum mortale: non autem tam gravis omnium æstimatione, si ad veniale tantum. *Judicium* denique adjurationis consistit in hoc, ut adjuratio, sicut & juramentum fiat rationabiliter, reverenter, & non temere passim absque causa, & reverentia: ubi tamen, sicut in juramento, defectus per se solum est venialis, scilicet sine necessitate, vel reverentia aliquid adjurando a Deo vel homine petere, ut ex communi docent Sanch. *cit. l.* 2. *Decal. c.* 42. *n.* 5. *ad finem*. Tamb. *l.* 3. *c.* 8.

§. II. *Adjuratio imperativa*.

166 Adjuratio imperativa, vel coactiva licita est solis Superioribus contra subditos suos, in quibus illi subduntur, & si causa justa sic adjurandi adsit. Utpote in re gravi pertinente ad bonum commune, vel salutem animæ. *Omnes cum* Div. Th. *cit. a.* 1. Ratio clara est, quia adjuratione imperativa imponitur obligatio ad præstandum id, ad quod quis adjuratur: soli autem Superiores respectu suorum subditorum in iis, in quibus subduntur, habent potestatem obligandi, & consequenter etiam adjurandi imperative, ut divini Nominis interposita reverentia inducatur magis ad præceptum exequendum; vi autem solius adjurationis per se non imponitur obligatio, sed solum motivum, ut quis Dei reverentia, amore, vel honore moveatur ad aliquid agendum, vel omittendum; unde subditus transgrediens præceptum Superioris cum adjuratione impositum, solum peccat pro ratione materiæ contra obedientiam, non autem contra virtutem Religionis, quia, ut modo dictum, per adjurationem nulla specialis obligatio imponitur, sed solum motivum, ut quis Dei reverentia, amore, vel honore moveatur ad obsequendum, ut contra D. Anton. Armill. *alios ex communi recte docet* Sanch. *cit.*

§. III. *Dæmonum*.

Adjuratio imperativa, seu coactiva dæmonum, arcendo illos tanquam hostes, ne hominibus corporaliter, vel spiritualiter noceant, licita est, & sancta &c. quippe Ecclesia habet specialem potestatem a Christo collatam in dæmones ad eos imperandos, arcendos, expellendos &c. ex illo Marci ult. *In nomine meo dæmonia ejicient &c.* & Luc. 10. *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis &c.* & constat ex Exorcismis ad hoc ab Ecclesia institutis. Ubi tria nota. Dæmones adjurari non deprecative, ut divini Nominis amore, & reverentia, vel ad Dei honorem aliquid faciant, vel omittant, hoc enim frustra peteretur ab eis abjuratis Dei hostibus, sed tantum imperative, ut nimirum Dei timore, & in virtute, ac potestate Nominis divini aliquid facere, vel recedere cogantur. 2. Potestas hæc adjurandi, & ejiciendi dæmones non omni homini, sed solum Ministris ad hoc ordinatis, nimirum Exorcistis est tradita, sumitur ex *Act. c.* 19. ubi filiis Scevæ talem potestatem exercentibus objecit dæmon, *Jesum novi, & Paulum scio, vos autem, qui estis?* 3. effectus ejus potestatis adjurandi, vel ejiciendi dæmones non innititur per se sanctitati, vel meritis Ministri, etsi plurimum conferat ex opere operantis, sed invocationi divini Nominis, Fidei, & sanctitati Ecclesiæ tales adjurationes, vel Exorcismos instituentis, & usurpantis Ministros tanquam ex opere operato. De quo late vide Sanch. *cit. l.* 2. *c.* 42. *num.* 16. ubi mirabilia leges. 167

§. IV. *Creaturarum irrationabilium*.

Adjurare res irrationales nocivas, ut lupos, locustas, nubes, tempestates &c. directe, tanquam moventes sese, vanum est, & superstitiosum, cum tales res aut omnino se ipsas movere non possint, aut saltem non ex intentione ad nocendum: nec consequenter ad adjurationem a suo motu possint desistere. At vero licitum, & sanctum est, easdem res irrationabiles adjurare indirecte, tanquam motas ab alio, utpote Deo, Angelo, dæmone: ita ut directe adjuretur, aut deprecative ipse Deus, vel Angelus, ut tale malum avertat, aut tale bonum conferat per talem creaturam aut imperative dæmon, ne per tales res malum inferat. Atque ita sane intelligendi sunt Exorcismi Ecclesiæ directe ad res irrationales, salem, aquam, herbas, tempestates &c. Vide Sanch. *cit. l.* 2. *c.* 24. *a n.* 37. & Tamb. *l.* 3. *Decal. ca.* 8. 168

CAPUT II.

De Voti natura, materia, obligatione, & transgressione.

Votum varie accipitur: 1. Apud Grammaticos accipitur pro quovis bono desiderio, ut Prov. 31. *quid, dilecte, votorum meorum?* idest, desideriorum. Et in Canone Missæ. *Tibique reddunt vota sua*: idest, pia desideria, preces. 2. Apud Juristas votum significat suffragium, vel calculum in electionibus, vel consiliis. 3. Apud Theologos proprie, & stricte votum significat promissionem Deo factam. Ecc. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio.* Psal. 49. *Redde Altissimo vota tua*, & alibi passim. Et hoc modo votum est actus specialis virtutis Religionis Deo debitum cultum exhibentis: etenim maxime spectat ad cultum Dei, hominem speciali promissione, & velut lege privata se alligare Deo suo, ad aliquid bonum in ejus obsequium præstandum: Idque intuitu, & vi promissionis Deo factæ exequi reipsa. Itaque emissio voti quidem, seu aliquid vovere, est solum in consilio, & in nullo præcepto: at vero voti impletio, seu actu exequi, quod quis sponte voverat, est de præcepto divino, naturali, & positivo, & specialiter de secundo Præcepto Decalogi, *non assumes &c.* gravissime autem abutitur Divino Nomine, qui ipsi Deo vovit, & id implere negligit: quod suo loco patebit amplius. Jam ergo hoc Capite per quatuor Sectiones videbimus. 1. voti naturam 2. materiam. 3. obligationem. 4. divisiones, & transgressiones. 1

SECTIO I.

Voti Natura.

SUMMARIUM.

2 *Votum est* promissio deliberate facta Deo de meliori bono.
3 *Essentialiter debet esse promissio vera. Unde.*
4 *Voluntas promittendi, & se obligandi est essentialis voto, ita ut verba voti sine tali animo prolata non sint votum.*
5 *Sic etiam proferens verba voti, habens quidem voluntatem aliquid promittendi, ignorans autem, voto annexam esse obligationem, non facit votum.*

6 Sect.

6 *Secus si sciat iis verbis, seu voto annexam esse obligationem.*
7 *Si vovens habet voluntatem promittendi, & se obligandi, non tamen implendi; votum adhuc valet.* usque ad 10.
10 *Ad votum validum itaque requiritur intentio promittendi, & se obligandi, non quidem necessario actualis explicita, sed*
11 *Sufficit actualis implicita in conceptu confuso; immo*
12 *Etiam virtualis tantum;*
13 *Non vero solum habitualis.*
14 *Minus interpretativa, & indirecta tantum.*
15 *Quid præsumendum, quando dubitatur, an vovens habuerit veram intentionem promittendi, & se obligandi:* usque ad 20.
20 *Promissio voti essentialiter debet esse* deliberata: *deliberatione perfecta.*
21 *Tanta scil. quanta requiritur ad peccatum mortale:*
22 *Unde invalidum est votum emissum ex motibus primo, vel secundo primis.*
23 *In dubio deliberationis sufficientis quid judicandum.* usque ad 25.
25 *Votum essentialiter debet esse promissio* voluntaria. *Unde*
26 *Irritum est omne Votum factum ex ignorantia, errore, vel dolo versante circa substantiam rei promissæ.*
27 *Secus, si ignorantia &c. versetur solum circa accidentia rei promissæ.*
28 *Quid de votis metu extortis.* usque ad 30.
30 *Votum essentialiter debet esse promissio* ipsi Deo facta usque ad n. 35.

ASSERTIO I.

2 VOtum recte definitur *Promissio deliberate facta Deo de meliori bono*: Omnes cum S. Thom. 2.2. *q.* 88. *a.* 1. Scoto 4. *dist.* 48. Quod aliqui addunt: *cum intentione se obligandi*: jam essentialiter includitur in ipsa voce *Promissio*, ut patebit: Votum ergo ex parte actus essentialiter quatuor requirit: ut sit *promissio vera, deliberata, voluntaria, facta Deo.* Explico seorsim.

§. I. *Promissio vera.*

3 VOtum essentialiter debet esse vera promissio, hoc est, voluntas firma, & constans sese obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum: ita nimirum ut ex tali promissione ad Promissarium, utpote ipsum Deum, obligatio, & quasi jus acquiratur. *Ita omnes Theologi, & Canonistæ* unanimiter. Ratio est, quia votum est quædam lex privata, quam homo sua sponte sibimet imponit, eaque se obligat Deo: intentio autem obligandi est de essentia legis cujuscumque &c. Excluduntur ergo a ratione voti omnia proposita simplicia tantum, quantumvis firma, & sancta, quibus simplex voluntas intendit aliquid facere absque intentione se ad id obligandi. Jam notas discrimen inter propositum, & promissionem: Propositum enim est voluntas aliquid agendi in futurum simpliciter: Promissio est etiam voluntas aliquid agendi, vel omittendi in futurum, sed tanquam debitum, seu ex obligatione: definitur enim promissio *deliberata, & spontanea fidei obligatio facta alicui de re bona, & possibili.* Ac proinde licet millies firmissime proponas hoc, vel illud bonum opus ad honorem Dei præstare; hoc tamen propositum nunquam constituetur votum, quamdiu abest voluntas se obligandi, prout aperte significatur *c. litterarum, de voto, & voti redemptione.* Ubi cuidam Magistro consulenti, ita respondit Alexander III. Pontifex. *Cum ex quadam missione sanguinis nimis fuisses mortis horrore perterritus, hæc verba protulisti: non diu hic morabor: proponens in animo, quod Religionis habitum esses aliquando suscepturus. Tibi igitur respondemus; quod si plus non est in voto processum, transgressor judicari non poteris, si non impleas, quod dixisti.* Sic Pontifex, manifeste significans solo proposito, quantumvis sancto, non constitui votum; quinimo etiamsi non habeas propositum, seu voluntatem aliquid faciendi, si tamen id serio Deo promittas, voti reus eris, ut mox patebit. Ubi nota triplicem in votis voluntatem, seu intentionem distingui posse, *promittendi, se obligandi, & implendi promissum.* Hoc ultimum propositum est. Pono breves Resolutiones.

RESOLUTIO I.

4 VOluntas *promittendi, & se obligandi est essentialis voto*, cum sit essentialis omni promissioni. Simpliciter ergo nullum est votum, cum quis exterius solum profert verba votum significantia absque omni animo, ac voluntate promittendi, seu obligandi se, sed solum, aut per modum propositi, desiderii pii, aut joci, vel etiam mendacii. Quia hic ratio formalis voti, scilicet promissio deest; nec consequenter ullam inducit obligationem ex virtute Religionis ex se, sed solum quandoque per accidens, ut superius de juramentis dictum. Quod si quis proferens verba voti, habeat quidem voluntatem, aliquid promittendi, sed non habeat voluntatem, vel intentionem se obligandi, ita distinguendum est.

I. Si quidem ita faceret ex ignorantia, quia nimirum nesciret voto, seu promissioni tali esse annexam obligationem, sive deinde solum negative se habeat, nullum eliciendo actum volendi se obligare, sive etiam positive excludendo voluntatem obligandi, & eliciendo actum contrarium nolendi se obligare tali voto, vel promissione a se facta, nullum erit, & irritum votum in omni foro, in quo ejus ignorantia constat. Ita communis DD. Suar. *l.* 1. *de voto c.* 5. *n.* 3. & 6. & 7. Sanch. *lib.* 4. *moral. c.* 1. *n.* 27. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 1. *n.* 2. alii apud ipsum. Ratio est: quia ignoti nulla voluntas: & error circa substantiam rei vitiat actum; atqui intentio, seu voluntas se obligandi est de substantia voti validi, & obligatorii: ergo eam obligationem ignorans, & consequenter nullo modo directe, vel indirecte eam volens, vel intendens, aut etiam positive excludens, destruit essentiam voti, & invalidum reddit, sicut & in quacumque alia promissione, vel contractu. 5

II. Si quis autem proferens verba voti, aut volens promittere, simulque conscius obligationis ex tali voto, vel promissione exurgentis solum se negative haberet, non eliciendo actum volendi se obligare, &c. votum omnino valebit, & obligabit: talis enim eo ipso, quo voluntarie emittit votum conscius obligationis virtualiter, & implicite etiam censetur intendere, ac velle ipsam obligationem: quod si vero talis conscius obligationis voti ex mera malitia vellet quidem promittere, sed positive nollet se obligare, vel obligari: tunc probabilius votum esset rursus nullum, & invalidum, quia contraria illa voluntas positiva destruit quid essentiale voti, scilicet intentionem se obligandi, consequenter votum annullat. Est enim votum lex privata, quam sibi quis in Dei obsequium imponit: lex autem non obligat ultra imponentis intentionem; ergo si obligationem a te excludas, non eam contrahis. 6

RESOLUTIO II.

CUm habet vovens voluntatem promittendi, & se obligandi, sed non habet voluntatem, ac intentionem votum implendi, etiam positive, cum voluntate contraria non implendi, seu prævaricandi illud, votum nihilominus erit validum, & obligatorium, etsi graviter illicitum pro ratione materiæ. Communiss. DD. cum Navarr. Man. *c.* 12. *n.* 27. Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 1. *n.* 23. Laym. *cit. c.* 1. *n.* 2. Ratio est: quia sicut obligatio aliquid faciendi, & ipsa executio sunt valde diversa, nec ad substantiam ejusdem contractus concurrunt, ita etiam intentio obligandi, & intentio implendi, diversa sunt: illam dicimus requiri ad votum validum: hanc ad votum licitum tantum. Quemadmodum enim aliquis voto castitatis v. g. de facto adstrictus, potest tamen illam non servare: ita sine dubio fieri potest, ut quis veram habeat intentionem adstringendi se voto castitatis, & simul voluntatem eam quandoque non servandi, etsi malitiosissime, attamen valide. Alioquin ordinatus Sacerdos, animo tamen non dimittendi concubinam, adeoque non servandi castitatis votum annexum, non valide emittit illud votum: aut profitens Religionem aliquam, solum ut præbenda fruatur, absque animo illius Statum observandi, non fieret valide Religiosus: quæ apud omnes absurda sunt. 7

Nec obst.t: quod votum alioquin ex objecto, & specie sua opus bonum, hic in individuo ob gravem circumstantiam simpliciter fiat actus malus, & vitiosus. Sic enim etiam si quis ex motivo vanæ gloriæ vovit eleemosynam, vel continentiam, &c. votum vitiosum est propter superbiam, attamen validum est, & obligat ex virtute Religionis; quia est de re licita, & bona: & licet ipsum votum displiceat Deo, res tamen voto promissa ei placet, & accepta est: eadem ratione, qua supra de juramento illicito, tamen emisso de re licita, dictum est: ut bene notat Laym. *cit. lib.* 4. *c.* 1. *n.* 2. 8

Nec obstat, rursus si dicas: Deus debet acceptare votum: at non posset acceptare tale votum vitiosum; ergo nullum est votum. *Resp. disting. minorem.* Deus non posset acceptare tale votum ad debitum, seu obligationem: *nego minorem*: Est enim vera promissio. Non posset illud acceptare ad meritum, & præmium, qua malum est: *concedo minorem*: & nego consequentiam, neque enim opus est tali modo omne votum validum acceptari a Deo. 9

RESOLUTIO III.

AD validum porro votum requiritur, & sufficit ejusmodi intentio promittendi, & sese obligandi; aut actualis, explicita, aut implicita, aut virtualis; non item habitualis, vel interpretativa tantum. *Omnes.* Optima quidem, & certissima est intentio actualis explicita, & formalis, ut cum quis vovens actu, & explicite vult se suo voto, vel promissione obligatum Deo: at certe non requiritur necessario: sed 10

I. Sufficit intentio actualis implicita in conceptu confuso: ut si, etiamsi actu ignorans, vel non cogitans obligationem voti, ideoque eam explicite velle non potens, ea tamen intentione proferas verba voti, qua cæteri proferunt, vovent, vel promittunt, eo ipso implicite intendis te obligare, sicut cæteri. 11

cæteri. Quod maxime verum est, cum quis actu sciens, aut saltem dubitans, vel utcumque apprehendens obligationem voti, nihilominus voluntarie emittit votum, seu verba voti profert; eo ipso etiam implicite vult ejus obligationem, quam scit, vel advertit, aut saltem advertere deberet voto annexam, etsi explicite non exerceat actum volendi se obligare, seu intentionem explicitam obligandi se.

12 II. Sufficit intentio virtualis tantum, scilicet vi præcedentis intentionis actualis habitæ, & nunquam revocatæ adhuc virtute perseverans in operatione morali, ut nimirum vere vi illius præcedentis intentionis modo fiat votum, v. g. Novitius hodie mane habet deliberatam, expressam, & actualem voluntatem vovendi, seu Professionem emittendi, & vi hujus intentionis postea tempore congruo se comparat, ad Altare accedit, aliasque prævias cæremonias obit interim, ut solet fieri, circa varia distrahitur, angitur, aliis attendit, & tandem verba Professionis ex tabula profert mente omnino distractus, nullam amplius actualem habens intentionem vovendi, & se Deo ita obligandi; valida omnino manet Professio, ac votum solemne: quia remanet intentio virtualis perseverans in operatione morali, revera enim vi illius præcedentis intentionis non revocatæ fit præsens votum, vel Professio in homine manente in statu operandi moraliter. Cujusmodi virtualis intentio etiam sufficit ad confectionem Sacrosanctorum Sacramentorum.

13 III. Non sufficit intentio habitualis tantum nimirum antea quidem habita, & non revocata, sed nullo modo perseverans in operatione morali, ita ut vi illius intentionis præhabitæ minime fiat votum, vel opus præsens, sed aliunde: ut si hodie mane proposuisti vovere in crastinum, & postea in somno, vel plene ebrius verba voti enunties, nullum erit votum omnium consensu; quia nullum est voluntarium actu, vel virtute, sed mere est habitu.

14 IV. Multo minus sufficit intentio interpretativa, & indirecta tantum; habita scilicet non in se, sed in alio: quando nimirum votum nunquam ullo modo in se directe, sed solum indirecte in sua causa aliqua est volitum: v. g. aliquis expertus scit, se ebrium multa Deo vovere, vel hominibus promittere, etiam jurato: nihilominus postea se inebrians, in ebrietate vovet, jurat, promittit, &c. nulla, & irrita erunt illa vota, vel juramenta, nec iis obligabitur: quia ad votum, vel promissionem validam essentialiter requiritur vera, & libera se obligandi voluntas, quæ cum in ebrio desit, votum, vel promissio nulla est. Secus est de homicidio in ebrietate commisso a præsciente se ebrium solere rixari, & percutere: homicidium enim, cum in actione externa, quomodocumque volita, consistat, etiam indirecte volitum verum est homicidium, irregularitatem, aliasque pœnas inducens, ut ex professo explicabitur suo loco.

RESOLUTIO IV.

15 Quando oritur dubium, an quis habuerit veram intentionem ita promittendi, & se obligandi, adeoque an verum votum emiserit; an vero solum habuerit simplex propositum aliquid faciendi, vel omittendi: observandæ sunt sequentes Regulæ.

I. Quando quis, adhibita debita diligentia morali, absolute dubitat, an emiserit verum votum, an vero simplex solum propositum conceperit, non obligatur voto: quia tunc melior est conditio dubitantis possidentis suam libertatem: & in dubio non præsumitur factum, nisi aliunde oriatur præsumptio: ex communi recepta doctrina in materia de conscientia dubia.

16 II. Quando quis certus est se emisisse votum, seu deliberate protulisse verba verum votum, seu veram promissionem significantia, v. g. *Promitto Deo, & B. V. MARIÆ servare castitatem*: adhibita tamen diligentia, dubitat, utrum habuerit intentionem, seu voluntatem sufficientem se obligandi, votum obligat: quia tunc melior est conditio voti possidentis suam obligationem: nam homo deliberate proferens verba significantia votum, seu promissionem veram, semper præsumitur habuisse voluntatem promittendi, & se obligandi; nullus enim præsumitur dicere, quod in corde non habet, nisi aliunde probetur oppositum: ideoque hoc ipso jam spoliavit se sua libertate, & voto succumbit: Ut plurimis citatis late, & optime probat Sanch. *l.* 1. *de Matr. disp.* 9. *a n.* 13. *& l.* 4. *Moral. c.* 1. *n.* 13. Ubi tamen recte addit: quod si in tali dubio positivo pro utraque parte essent rationes æque probabiles, quin etiamsi probabiliores essent pro parte opposita, seu pro ipso voto, dubitanti tamen liberum esse resolvere se non obligari voto, sequendo nimirum sententiam vere, etsi minus, probabilem. De quo latius suo loco.

17 III. Cum quis scit se mente, vel ore protulisse verba, quæ suapte natura non significant votum, seu promissionem obligatoriam, sed solum propositum; v. g. *Domine Deus, in tui honorem hoc faciam, orabo, dabo, &c.* aut, *firmiter propono hoc facere*; dubitat autem, an habuerit intentionem se ad id obligandi, judicandum est, non habuisse, ideoque non esse votum, sed tantum propositum. Cum enim verba non significent votum, vel promissionem, nec de mente constet, nulla eo in dubio stat possessio pro voto, sed remanet dubitanti possessio suæ libertatis. Communis DD. apud cit.

IV. Notanda autem hic per omnem modum est limitatio, 18
quam ex Navar. *l.* 3. *cons.* 5. *de voto* tradit Sanch. *cit. c.* 1. *n.* 35. *Nisi verba illa alias nudum propositum significantia, ore, aut mente enuntientur per modum pacti*: v. g. *Domine DEUS! si sanitatem concesseris; dabo, tantam eleemosynam*, vel, *da sanitatem, & ingrediar Religionem, &c.* votum verum erit: quia hæc verba *faciam, cum feceris*: cum pactum importent, idem significant, ac promitto; nam contractus illi innominati in Jure nominati, *do, vel dabo, ut des; faciam, ut facias, &c.* ut vera pacta, sine dubio veras promissiones continent. Unde recte advertit Navar. ibid. ebrium illum, qui dixerat: *Da mihi, Domine, salutem, & ego serviam tibi*, intelligendo mente de statu castitatis, & continentiæ, revera fuisse obligatum voto ad servandam castitatem, ob rationem datam. Vide late Gobat. *Alph. quadruplici, p.* 1. *Cas.* 1. *n.* 12.

V. Regulam ponit Valentia *in* 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6. *pun.* 1. 19
Quandocumque quis paulo post, postquam quibuscumque verbis aliquid facere statuit, statim dubitat, an voluerit promittere, & se obligare, an vero solum proponere; potest probabiliter judicare, non esse votum vel promissionem, sed tantum propositum. Nam talis voluntatis deliberatæ se obligandi ad aliquid agendum, non solent homines tam facile, & cito oblivisci: ideoque si de ea, tam cito quis dubitat, præsumitur non habuisse talem voluntatem.

§. II. *Promissio* deliberata.

Votum essentialiter debet esse promissio deliberata, perfecta, & plena deliberatione: ut nimirum quis sciens naturam, & obligationem voti, plene deliberet, & judicet, an materia voti sit conveniens, & an sibi conveniens sit, se tali voto in tali materia obligare: qua deliberatione deficiente, votum (quod maxime debet esse liberum) nullum erit: ita *Omnes*. Ratio est; quia votum est lex, quam sibi vovens ipse imponit: atqui imponere sibi obligationem, grave quid est, nec rationabile est, eam posse sine plena deliberatione maturo judicio, ac libertatis imperio imponi: ergo &c. Ad hæc melius intelligenda sint sequentes Regulæ. 20

I. Regula ab omnibus recepta est: Tanta deliberatio requiritur, & sufficit ad votum, quanta requiritur & sufficit ad peccatum mortale, exclusis nimirum motibus primo primis, in quibus nullum peccatum; & secundo primis, in quibus solum peccatum veniale fieri potest. Sic Gloss. communiter recepta in caput Mulier. 32. q. 2. *Qui potest se obligare diabolo* (per culpam scilicet lethalem) *potest se etiam obligare DEO*, nempe per votum. Unde si quis ira, vel alia passione commotus voveat, si tantum sit motus ut rationis judicium, & deliberationem ad peccatum mortale requisitam impediat, vel omnino tollat, ita ut si tunc homicidium committeret, peccatum mortale non esset; etiam votum invalidum erit defectu deliberationis: si vero motus non ita impediat rationis usum quin quis deliberate advertat, hic, & nunc homicidium sibi mortaliter esse illicitum, ideoque tunc commissum esset peccatum mortale, etiam votum tali motu editum erit validum: Quare, sicut ad peccatum mortale, ita etiam ad votum, non requiritur deliberatio omnino matura, & diuturna intellectus expendentis omnes circumstantias, omnia concomitantia, & consequentia, &c. dummodo sit deliberatio plena quoad usum rationis, ut nimirum quis sciat obligationem voti, & deliberate judicet materiam hanc voti esse competentem, & sibi tali voto obligari esse conveniens. Unde recte notat Navarr. *n.* 36. votum ex calore iracundiæ editum esse validum, modo talis passio rationis usum non impediat. Nec obstat, quod tale votum absque exacta discussione editum venialem saltem culpam imprudentiæ involvat; acceptat enim Deus tale votum; non quidem ad meritum, quia defectuosum, attamen ad obligationem, ac debitum, utpote validum, seu sufficienti cum deliberatione editum, ut supra in simili notatum est. 21

II. Omni ergo jure invalidum est omne votum emissum, 22
non tantum ex motibus primo primis terroris, timoris, & similium passionum plenum usum rationis, & deliberationem, omnemque intellectus advertentiam prævenientibus, qui peccata esse non possunt; sed etiam ex motibus secundo primis cum aliquali semiplena advertentia intellectus) qualis est in semidormiente, semiebrio, &c.) in quibus motibus, etsi peccatum veniale esse possit, votum tamen emissum simpliciter est irritum, ita ut nec sub peccato veniali obliget ita voventem: uti contra Paludanum, Navarr. & alios ex communi recte docet Sanch. *lib.* 4. *moral. c.* 1. *n.* 8. Ratio diversitatis est: quia ad peccandum venialiter sufficit defectus quicumque quomodocumque volitus, qualis etiam est in motibus secundo primis circa objectum malum: at vero ad obligationem voti requiritur directa, & deliberata voluntas: quia ad hoc, ut quis obligatorie disponat de suis actibus, requiritur, ut habeat perfectum dominium suorum actuum, quale non habetur in primis motibus, ac etiam secundo primis.

III. In dubio deliberationis sufficientis ad votum vali- 23
dum requisitæ, regula universalis est. *Quandocumque quis certus est, se emisisse votum cum intentione promittendi, & obligandi se ad id, quod voto promissum est, dubitat autem, an habuerit sufficientem deliberationem, plerumque votum censetur*

censetur obligare: quia tunc melior est conditio voti possidentis suam obligationem; & homo voluntarie faciens votum, jam spoliavit se possessione suæ libertatis: quia raro admodum contingit defectus deliberationis sufficientis: ideo ex communiter accidentibus præsumitur debitam deliberationem adfuisse: ut multis citatis late Sanch. *lib.* 1. *de Matr. disp.* 8. *n*.... *& lib.* 4. *moral. c.* 1. *a n.* 10. Dixi autem *plerumque*: nam regula hæc ad casus particulares non semper locum habet, sed exceptiones patitur. Igitur

24 IV. In casu particulari attendendæ sunt causæ prætense causantes indeliberationem, seu defectum deliberationis ad votum requisitæ. Eæ causæ possunt esse, aut ætas tenera, aut passio vehemens subita, aut ebrietas, somnus, phrenesis, aut amentia diuturnior. 1. Quando dubitatur de sufficienti deliberatione ob defectum ætatis, ita distinguunt DD. communiter: si vovens, quando emisit votum, excessit annum septimum, præsumitur defectus usus rationis, & deliberatio, adeoque votum validum, & obligatorium; si autem certus sit, tunc non attigisse annum deliberationis sufficientis, ideoque votum nullum. At quid si de hoc ipso dubitetur, an scilicet quis attigerit annum septimum, nec ne? Sanch. quidem *cit. lib.* 4. *Moral. c.* 1. *n.* 14. eoque, & aliis citatis Diana *p.* 4. *tr.* 3. *resol.* 10. volunt pro voto præsumendum esse, eo quod de voto constet, excusatio autem dubia sit: & quia rarissime ante septimum annum emittuntur vota, vel juramenta, ideoque in tali dubio ex communiter contingentibus præsumendum in favorem voti, esse nimirum emissum post septennium, & ideo validum. *Omnino probabiliter*. Certe tamen æque probabiliter oppositum tenet Castro-Palaus cum Tamb. *lib.* 1. *Dec. c.* 3. §. 7. *verb. ætas n.* 7. Quia revera hic non potest constare de vero voto, quia rationabiliter dubitatur de aliquo constituente essentiam voti, scilicet deliberatione sufficienti, in tam tenera ætate non præsumenda. Huic ego assentior: moneo tamen facultate præditum, ut pro majori securitate dispenset. 2. Quando dubitatur de sufficienti deliberatione, eo quod votum, vel promissio facta fuerit tempore subitæ passionis, iræ, terroris, &c. item tempore ebrietatis, somni, phrenesis, &c. iterum præsumendum pro voto, & voventem obligari probabilius, & tutius tenet Sanch. *lib. cit.* eo quod rursus constet de promissione, dubitetur autem de excusatione. Deinde qualitas, quæ naturaliter inest, semper inesse supponitur, nisi clare constet de opposito: at usus rationis naturaliter homini inest: ergo in suis actionibus semper inesse præsumi debet, nisi aliunde constet oppositum. At rursus non improbabiliter negat cum aliis Castro-Palaus *cit. tom.* 1. *tract.* 1. *d.* 3. *p.* 11. Non enim omnino est verum, tunc constare de promissione; cum enim dubitatur, an adfuerit sufficiens deliberatio, dubitatur de eo, quod essentialiter requiritur ad promissionem: ergo dubitatur de ipsa promissione: atqui promissio facta in dubio non præsumitur: ergo &c. 3. Quando dubitatur de sufficienti deliberatione ex eo quod dubitetur, an votum fuerit emissum tempore amentiæ, vel sanæ mentis: iterum sic distinguit Sanch. *cit. n.* 15. Quod si amentia circa tempus voti emissi diuturna fuit, v. g. aliquot mensium, etsi constet habuisse lucida intervalla, nihilominus habita diligentia debita, vere dubitat quis, quando emiserit votum, præsumitur emisisse tempore amentiæ, adeoque, sine sufficienti usu rationis, & deliberatione, & consequenter votum esse invalidum. Secus dicendum, quando amentia tantum brevi tempore duravit, ut in phrenesi, vel ebrietate: tunc enim in dubio non cadit præsumptio in tempus amentiæ tam brevi durantis, sed præsumitur votum emissum tempore sanæ mentis, cum sufficienti deliberatione, ac proinde esse validum, nisi aliunde probetur defectus. Dicta hactenus utroque §. de intentione, ac deliberatione requisita ad votum, eadem prorsus ratione, iisdemque casibus intelligi, & applicari debent de intentione, & deliberatione requisita ad juramentum promissorium, & quamvis promissionem, pactum, vel contractum validum, & applicatio est facilis.

§. III. *Promissio* Voluntaria.

25 **V***otum essentialiter debet esse promissio voluntaria, seu cum libero voluntatis consensu facta*. Omnes. Ratio sæpius data est: quia votum est lex privata, quam quis sibi ipsi imponit: atqui lex essentialiter consistit in imperio voluntatis per intellectum enuntiatum, ergo etiam votum requirit liberum voluntatis imperium, seu decretum, quo vovens se Deo obligatum velit ad quidpiam præstandum, vel omittendum. Hinc breviter resolves ex latius dictis in materia de actibus humanis.

26 I. Omni jure irritum est votum emissum ex ignorantia, errore, vel dolo versante circa substantiam rei promissæ: quia incogniti nulla voluntas. Ut si quis sacrum Ordinem suscipiat ignorans ei esse annexum, vel erronee credens ei non esse annexum votum castitatis, non tenebitur voto, quod nullum est, sed solum ex præcepto Ecclesiæ, si talis in Ordine suscepto ministrare velit. Ex communi Layman *hic l.* 4. *tr.* 4. *c.* 1. *n.* 5. Si quis religionem profiteatur ignorans in ea esse interdictum, vel putans licere in ea conjugium. Si vovisti peregrinationem Lauretanam, erronee putans tantum distare decem milliaribus, cum tamen distet sexaginta, vel amplius. Si vovisti peregrinationem in Terram sanctam, putans posse confici itinere pedestri per terram, cum tamen mare transfretandum sit, &c. irrita sunt vota, quia ignorantia, vel error versatur circa substantiam rei promissæ, saltem quoad magnam partem.

Cape casu vulgari. Tenuis Opifex in præsenti periculo submersionis vovit, si evaderet, ad proximum Sacellum B. Virginis offerre nummum, quem manu in sacculum missa apprehenderet, putans monetam esse argenteam aliquot crucigerorum; sed aperta manu deprehendit nummum aureum, seu ducatum, quem nuper in operæ suæ mercedem acceperat, anxius interrogat Parochum: an ex voto suo teneatur hanc totam fere suam opulentiam B. Virgini offerre? Recte responsum est, non teneri, sed satisfacere, si offerat nummum argenteum ejusdem, vel paulo majoris quantitatis; quia vere error erat circa substantiam, & intentio voventis non poterat se extendere ad illum nummum aureum, de quo minime cogitabat. Eadem ratione dicendum si erretur in fine principali intento a vovente, seu causa principali motiva vovendi, ut alias quis positive nollet vovere. Ut si vovisti alere hunc pauperem, erronee putans esse tuum consanguineum, cum tamen minime sit. Si vovisti eleemosynam dare peste laborantibus in hac civitate, & revera nullus laboret peste, &c. irrita manent vota tua, quia deficit finis principalis a te intentus. Sed de hoc latius *cap. seq.* ubi de cessatione votorum.

II. Si ignorantia versetur solum circa accidentia rei promissæ, votum nihilominus erit validum. Cum enim accidentalia sint connexa substantialibus rei promissæ, qui ipsam substantiam vovet, censetur etiam vovere accidentalia, quæ expresse non excipit. Ut si vovisti Religionem Carthusianam, solum ignorans in ea esse perpetuam a carnibus abstinentiam, etsi fortasse non voveres, si scires, obligaris voto. Ita Suar. *l.* 1. *de voto, c.* 12. *n.* 3. Sanch. *cit. l.* 4. *c.* 2. *nu.* 6. Valent. aliisque citatis. Laym. *ibid. nu.* 5. Secus dicendum de errore positivo, vel dolo: hic enim irritat votum, non tantum si circa substantialia, sed etiam si versetur circa accidentalia voti, quæ secundum voventis intentionem notabiliter objectum immutant. Ut si vovisses eamdem Religionem Carthusianam proprio errore, vel alterius dolo deceptus, positive credens in ea licere esum carnium: alioquin si scires non licere, minime vovisses, non teneris voto, utpote irrito. *Communis apud cit.* Ratio, quia sic Religionem illam non absolute vovisti, sed ut affectam, vel modificatam tali conditione, vel circumstantia: quæ licet sit accidentalis respectu objecti materialis voti, est tamen essentialis respectu objecti formalis voti, & per se a vovente intenta: quæ, si desit, notabiliter immutat objectum voventis: ut optime explicat Suar. *c.* 11. *nu.* 11. Excipitur tamen votum solemne Professionis, quod ob nullum errorem, vel dolum substantiam rei non attingentem infirmatur; atque in eo, cum semper matura, & diuturna totius anni deliberatio præcurrat, vix unquam admittitur ignorantia invincibilis. 27

III. Omni jure validum est votum emissum ex quocumque metu, sive ab intrinseco orto, ut in periculo mortis, ex infirmitate, naufragio, peste, &c. sive ab intrinseco incusso ab homine, ut ab hoste, latrone, &c. dummodo rationem non perturbet (quo casu ipso jure naturæ maxime irritum esset votum, sed hoc rarum, & non facile præsumendum, nisi tempore voti quis manifesta perturbationis signa dederit) aut ipsum votum injuste non extorqueatur. *Ratio est*: quia talis metus actum a se causatum relinquit simpliciter voluntarium, etsi secundum quid causet involuntarium: simpliciter enim vult vovere, & solum affectu inefficaci nollet vovere, nisi metus urgeret, ut latius explicatum suo loco; votum autem voluntarium sine dubio est validum: ergo &c. 28

IV. Excipitur semper: *nisi ipsum votum metu gravi, & injusto extortum sit*: tunc enim irritum, & invalidum est votum, non tantum jure humano canonico expresso *c. Perlatum, & aliis de his, quæ vi*, sed etiam jure naturali. Ratio enim naturalis est; quia ut ait D. Bonav. 3. dist. 39. ar. 3. q. 2. *Deus vult sacrificia voluntaria, non coacta*. Non enim acceptat DEUS tale votum metu injusto extortum: ut si frater fratri mortem minetur, nisi resignata hæreditate Religionem, vel Clericatum voveat, &c. ne videatur approbator injuriæ, & iniquitatis, tale votum extorquentis per metum injuste incussum: quemadmodum neque homo probus promissionem sic injuriose, & injuste aliunde extortam sibi factam acceptaret, & talis promissio irrita censeretur, & ad arbitrium promittentis revocabilis. Communis DD. Insuper in Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 18. *de Regularibus*, excommunicationis sententia lata est in eos, qui virginem, vel aliam fœminam ad Monasterium ingrediendum, vel Professionem emittendam injuste coegerunt. 29

Dictum notanter 1. Votum ex metu *gravi*, nimirum cadente in constantem virum, ut mortis, amissionis hæreditatis, &c. juxta dicta suo loco: quæ tamen gravitas metus expendenda est etiam maxime ex qualitate personæ, ex metu voventis. Interdum enim apud filios, vel filias familias plus valet timor reverentialis erga Parentes, vel Tutores,

res, quam apud alios timor per minas, vel verbera incussus. Ideoque tali timore voventes in foro saltem conscientiæ liberi censendi sunt. 2. Votum metu gravi, & *injusto*. Si enim metus incutiatur, vel naturaliter, ut in periculoso morbo, naufragio, &c. vel moraliter ob justam causam, ut si Magistratus reum mortis damnat ad supplicium, nisi Religionem vovere vellet, v.g. votum validum erit; quia metus juste incussus est, & quidem in favorem Rei. 3. Votum metu gravi, & injusto *extortum*. Debet enim metus incuti directe eo fine ad *extorquendum* votum, ad hoc, ut votum invalidet. Quod si enim alio modo, vel fine, quantumvis gravis, & injustus incutiatur metus, votum tuum factum validum manebit: verbi gratia si ad evadendum manus latronis, vel inimici mortem minantis, vel intentantis, Deo aliquid voveas, validum erit votum: quia etsi fiat ex metu, cum metus non fuerit incussus eo fine, ut tu voveas, sed occasione metus injuste incussi, tu sponte elegisti votum ad Deum, ut medium evadendi eodem prorsus modo, quo in morbo, vel naufragio voveras: quod bene notandum. Atque eadem ratione resolvendum in Matrimonio, sponsaliis, aliisque contractibus ex metu factis, ut suo loco latius est ostensum.

§. IV. *Promissio facta Deo.*

30 PRomissio essentialiter constituens votum proprie dictum *debet esse facta ipsi Deo*, seu directa ad ipsum Deum (saltem ultimate) ita ut per eam homo maneat principaliter, & immediate obligatus ipsi Deo. Omnes cum S. Th. 2.2. *q.*88. *art.*5. *ad* 3. Ratio est: quia votum est actus Religionis, seu Latriæ, quo homo speciali cultu se Deo obligat ad aliquid agendum, vel omittendum: homines enim proprie voventes intendunt præstare immediate Deo obsequium, reverentiam, & cultum supernaturalem. Quod autem etiam B. Virgini, & Sanctis vota fiant, intelligi potest omnibus modis iisdem fere, quibus supra juramenta per Sanctos fieri posse, dictum est. Applico breviter.

31 I. Sic: Ut vota fiant B. Virgini, vel Sanctis, non absolute & in se, sed ut relatis ad Deum, & quatenus in eis specialiter Deus relucet: adeo ut promissio per suos Sanctos primario, & ultimate fiat ipsi Deo; vel, (quod fere coincidit) quemadmodum Altaria & Templa dicuntur Sanctis dedicari, cum tamen principaliter dedicentur soli Deo, & secundario solum in honorem, & memoriam Sanctorum; ita dicuntur vota Sanctis nuncupari, cum tamen revera proprie fiant soli Deo principaliter, & secundario solum in honorem, vel memoriam alicujus Sancti. Vel adhuc facilius explicant alii: Sic, ut votum principaliter fiat ipsi Deo, & Beatæ Virgini, vel Sanctis solum ut testibus, Advocatis, & intercessoribus apud Deum. Sic enim Suarez & alii explicant solemnem vovendi formulam Religiosorum: *Voveo, & promitto Deo Omnipotenti, & B.Virgini MARIÆ, & omnibus Sanctis, &c.* sensum habere; *Voveo Deo, coram B. Virgine, & Sanctis, tamquam testibus, & Advocatis*. Et sic facta erunt vere vota proprie dicta; utpote vere ipsi Deo facta, ut etiam notavit D. Th. *cit. q.*88. *art.*5. *ad* 3.

32 II. *Sic*: ut vota fiant Sanctis absolute ad eorum honorem & contestationem eorum excellentiæ supernaturalis, gloriæ, beatitudinis absque actuali relatione in Deum, & absque ulla intentione tali voto se obligandi ipsi Deo, sed solum ipsi B. Virgini, vel tali Sancto: & sic non erunt vota proprie dicta, & actus virtutis Religionis, ut ex se patet; erunt tamen promissiones sacræ, & actus virtutis *Duliæ*, seu observantiæ singularis Sanctis debitæ, atque ex eadem Duliæ, vel Hyperduliæ virtute obligantes: atque omnino licita. Si enim B. Virginem, & Sanctos licite possum adorare, seu colere cultu aliquo sacro ipsis competenti, ut ex dictis in primo Præcepto constat, cur non possum etiam licite eis aliquid promittere ob eorum excellentiam supernaturalem honorandam? promissum autem, præsertim tam sacrum, utique cadet in debitum sacrum: ergo &c. Notanda est hæc doctrina maxime propter reservationem votorum. Si enim hoc secundo modo materiam reservatam, utpote continentiam perpetuam, Religionem, peregrinationem, unam ex tribus illis voveas B. Virgini, vel Sancto alicui, votum non erit reservatum Pontifici, sed dispensabile ab Episcopo, vel Privilegiato.

33 III. Cape hoc practico casu. Puella annorum quindecim cupiens B. Virgini præstare aliquid gratum: dicit expresse: *Sanctissima, & Purissima MARIA, promitto tibi meam virginitatem in perpetuum*. Qualenam hoc votum? optime ponit Gobat *Alph. quadrupl. p.* 1. *de voto casu* 19. *n.* 237. & Sanch. Similes puellas, & pueros (casus enim valde frequens) debere reflexe interrogari, utrum, quando ejusmodi verba protulerunt, revera cogitaverint tantum de Dei Matre, & non de DEO? si ita affirmant, judicandum est, non esse votum proprie dictum, nec consequenter reservatum, sed actum Hyperduliæ, sicut & universaliter quotiescumque constat, eos tali actu revera intendisse colere solum B. MARIAM Virginem, atque ei soli sese immediate obligare juxta paulo ante dicta. Quod si vero asserant, se quid tunc etiam cogitasse de DEO, at non cogitasse de promissione facienda ipsi DEO, sed solum ejus Matri etiam tunc erunt censendi non fecisse votum proprie dictum, quia nihil volitum, nisi præcognitum, vel præcogitatum.

IV. Tandem in dubio; an talis intenderit sua promissione se obligare ipsi DEO, an solum B. Virgini, præsumetur se obligasse, suamque castitatem vere obtulisse ipsi DEO ad honorandam ejus Matrem, uti resolvit idem Gobat *ib. cas.* 1. *n.* 21. Ratio sumenda ex dictis: quia qui profert verba verum votum significantia, nisi aliud aliunde constet, præsumendus est vere vovisse & ipsi DEO, etsi in honorem ipsius Matris, vel alterius Sancti. Atque ex dictis constare debent definitionis voti priores particulæ. *Promissio deliberata facta Deo*. Particulæ reliquæ, *de meliori bono*, objectum, seu materiam voti exprimunt, jam latius explicandam. 34

SECTIO I.

Voti Materia.

SUMMARIUM.

35 *Materia voti debet esse voventi* possibilis, & 36. *Unde*
37 *Invalidum est votum numquam peccandi, nec venialiter*, & 38.
39 *Validum tamen est votum vitandi omnia mortalia, aut certa venialia &c.*
40 *Invalidum est votum emissum de facto alieno, ut alieno*, & 41. *unde*.
42 *Filii non obligantur votis parentum pro se factis*.
43 *Voti materia debet esse res* moraliter bona, usque ad 46. *Unde*,
46 *Invalidum est votum de re quantumvis bona, factum ob finem malum afficientem ipsam rem, seu executionem voti*.
47 *Valebit autem, si is afficiat solum ipsum votum, seu voventem, non rem ipsam*, & 48.
49 *Item invalidum est omne votum emissum pro re illicita impetranda, vel jam impetrata, ut* illicita est.
50 *Secus est, si res illa sit solum conditio*.
51 *Pariter invalidum est votum de re indifferenti*, ut tali. *Exempla varia. Adeoque*
52 *Materia voti debet esse* de meliori bono; *hoc est*
53 *De re bona, & Deo grata, licet actu impediat opus melius, modo non excludat, & impediat illud aptitudine, ita ut in illud commutari possit. Unde*
54 *Invalida sunt vota omittendi* 1. *opera bona de consilio*. 2. *honeste ludendi, moderate comedendi*. 3. *nunquam vovendi*. 4. *procurandi Episcopatum, Prælaturam*, usque ad 58.
58 *Votum Matrimonii, seu nubendi quando valeat, quando non*. Usque ad n. 63.
63 *Votum continentiæ, & castitatis etiam simplex juxta communem valet, esto voventi ob assiduas tentationes, & lapsus melior esset status matrimonii*.
64 *Resolvuntur duo casus, in quibus votum continentiæ ob tales tentationes videtur non valere*. usque ad 67.
67 *Si una pars voti independenter ab alia promissa, fiat inepta, votum adhuc obligat ad partem aptam*.
68 *Si vero partes voti promissæ sunt copulatim per modum unius, tunc si una pars fiat inepta, corruit totum votum*.
69 *Regula juris*; accessorium sequitur principale, *variis exemplis, & casibus explicatur*.

ASSERTIO II.

VOti materia debet esse quid possibile voventi: bonum moraliter, ac melius suo per se opposito, vel jam habito a vovente: in materia mixta votum valet quoad partem bonam disparatam, alioquin totum corruit. Communis doctrina, ut patebit. 35

§. I. *Possibile voventi.*

MAteria voti debet esse possibilis, & in potestate voventis: talis nimirum, quæ ab homine fieri possit communi concursu, & ordinario auxilio gratiæ Dei. Quæ enim potestatem hominis superant, aut extraordinarium concursum Dei exigunt, aut alias in potestate hominis non sunt, ut opera aliena, ut aliena sunt, sub votum non cadunt. *Est omnium*. Et ratio clara est ex natura voti: votum enim est promissio facta Deo cum intentione se obligandi ad aliquid præstandum: nullus autem potest se obligare ad id, quod non est in sua potestate: quia *impossibilium nulla obligatio*: seu, *ad impossibile nemo tenetur*. Et hinc, omissis casibus cuilibet obviis, speciatim resolves. 36

I. Invalidum est omni jure votum nunquam omnino peccandi, nec mortaliter, nec venialiter: est enim de re moraliter impossibili, spectata naturali fragilitate hominis post lapsum: cum homo secundum legem ordinariam, & cum ordinario concursu, & auxilio Dei non possit omnino omne peccatum etiam veniale evitare. Ita communissima DD. Nav. *c.*12. *n.* 65. Tol. *l.*5.*c.*17.*n.*10. Sanch. *l.*4.*c.*5.*n.*10. Laym. *l.*4.*tr.*4.*c.*2.*n.*2. alii apud ipsos; contra tamen nostrum Angles, & alios nonnullos, qui tenent tale votum omnia peccata evitandi valere, & obligare, non quidem ad omnia omnino vitanda, sed ad ea, 37

quæ

quæ potest: sicut vovens jejunare totam Quadragesimam, si totam non potest, tenetur tamen jejunare partem possibilem. Deinde. Lex divina naturalis obligat ad omnia peccata vitanda quoad fieri potest: ergo etiam lex privata voti ita obligare potest. Verum recte respondet Sanch. *cit.* negando utramque paritatem. Quia illud votum jejunandi tota Quadragesima est de tota re moraliter possibili, & per accidens tantum forte impossibili; qua impossibili facta, non constante contraria voluntate voventis, intelligitur se obligasse ad partem possibilem. Secus est de voto nunquam peccandi, quod cum sit secundum se de objecto moraliter impossibili: sicut nec ad totum, ita ad nullam ejus partem obligare potest. *Dein* præcepta divina non supponunt liberam voluntatem hominis vitandi omnia peccata, sed potius peccandi facilitatem, & pronitatem: & ideo merito obligant ad vitandum omnia peccata quoad fieri potest: votum autem liberum deberet continere omnia peccata vitandi liberam voluntatem, & consequenter etiam facultatem, seu potentiam moralem, qualis de facto homini non competit.

38 II. Insuper invalidum manet votum vitandi omnia peccata mortalia, & venialia solum ad certum, præsertim longum tempus, v. g. per integrum annum, per totum Adventum, totam Quadragesimam, ut proinde si emisso tali voto, nihilominus peccetur, circumstantia voti explicanda non sit, uti contra Navar. *num.* 34. cum aliis docet Sanch. *loc. cit.* Eadem enim ratio de *semper*, militat etiam de *longo tempore*.

39 At validum erit votum 1. Vitandi omnia peccata mortalia. Hoc enim homini etiam cum communi ordinario concursu, & auxilio gratiæ possibile est. Ita DD. *cit.* Qui tamen recte monent, etiam tale votum non esse consulendum, præsertim homini fragili, cum etiam peccata mortalia, maxime interna cogitationum, & affectionum, præsertim in materia odii, & luxuriæ valde difficile omnino caveantur. 2. Validum est votum vitandi certa peccata venialia in specie determinata, v.g. nunquam mentiendi, nunquam sine gravi necessitate jurandi, nunquam, vel minimum furandi, & his similia, quorum evitatio non est valde ardua: Secus, si esset valde ardua: ut nunquam otiosa cogitandi, nunquam distrahendi in Oratione, ob eandem rationem supra datam, &c. At si quis voveat solum indeterminate aliqua, vel pleraque peccata vitare, certe votum nullum erit, quia quocumque peccato veniali assignato, non erit major ratio de illo, quam de alio quocumque. Simile est de volente consecrare aliquot hostias ex pluribus appositis, & non determinante quales. 3. Validum est votum etiam nullum omnino peccatum veniale cum plena deliberatione patrandi, Suar. & Laym. *citt.* Quia licet fragili homini possibile non sit vitare omnia peccata venialia, quæ fiunt ex subreptione; possibile tamen est cum ordinaria gratia Dei, ut in nullum omnino peccatum, etiam veniale, cum plena deliberatione, ex proposito, & quasi mera libera malitia consentiat: quale votum emissum legitur a pluribus viris sanctis. 4. Similiter est validum votum adhibendi specialem curam diligentiæ vitandi omnia peccata etiam venialia: hoc enim moraliter fieri potest, & satisfit, etiamsi adhibita morali diligentia, & resistentia sedula, nihilominus ex infirmitate labaris. Ita Sanch. *cit. n.* 13.

40 III. Invalidum est omne votum directe emissum de facto alieno, ut alieno, & distincto a facto proprio; non item indirecte emissum de facto alterius, ut procurando per factum proprium, adeo ut votum directe de ipso facto proprio emittatur, v. g. ut alius quis Religionem ingrediatur, peregrinationem instituat, eleemosynam det, certum vitium emendet, &c. nullus directe vovere potest, quia factum liberum alterius non est in potestate voventis; at bene indirecte potest vovere talia, ut scilicet tuo facto proprio procuranda, ita ut directe solum voveas, te omnem moralem diligentiam adhibiturum, ut alterum disponas, inducas, & persuadeas ad tale opus exequendum; obligaberis tali voto ad hujusmodi diligentiam adhibendam serio, & absque fraude. Quod si alter nihilominus nolit, tu voto satisfecisti, & liber manes. Idemque est de juramento in simili casu; ut late, & optime probat Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 24. *& lib.* 4. *mor. cap.* 5. *n.* 9.

41 Atque hac ratione intelligenda sunt vota Parentum, filios vel filias Religioni voventium: item Patrum familias, dum vovent, ut familiæ certis vigiliis, & festis jejunent, & confiteantur, communicent, &c. Vovent enim directe solum de facto proprio, & indirecte de facto alieno, suo scilicet proprio facto, suasu, vel jussu procurando.

42 IV. Consequenter filii v. g. non obligantur votis parentum, qui eos ad Religionem voverunt, nisi ratificent, sicque votum Parentum *suum* efficiant. Nam justa regulam juris: *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato æquiparari, non est dubium.* Sed neque ratificare tenentur, quamvis id eis consulendum sit: maxime quando ejusmodi votum in ipsorum commodum efficaciter esset editum; ut si tali voto eis sanitas in gravi morbo, vel etiam ipsa nativitas impetrata sit a parentibus: tunc enim saltem ex æquo, & bono deberent ratificare votum Parentum, tamquam negotium sibi utiliter gestum. Certe secundum jura in foro externo quilibet cogitur ratificare negotium sibi utiliter ab alio gestum: ut notat Gobat. *eod. Alph.* 1. *cit.* Cæterum qualiter vota communitatis, Religiosorum, & aliorum obligent successores, videbitur *Sect. seq.* Item qualiter filiifamilias, impuberes, Religiosi, Uxores, aliique sub aliorum potestate constituti, valide vovere possint, vel non possint eadem opera, videbimus *cap.* 3. cum de irritatione votorum. Item quid agendum, quando quis emittit duo vota incompossibilia pro eodem tempore, dicam mox §. 4. ubi de materia mixta ex possibili, & impossibili.

§. II. *Bonum moraliter.*

Voti materia esse debet res bona moraliter, comprehendendo & actus bonos positivos, & omissiones actuum malorum, & minus bonorum: ut abstinentiam a vino, lusu, matrimonio. Neque solum comprehendit actiones, vel omissiones bonas, quæ sunt in consilio, ut eleemosyna, cælibatus, &c. sed etiam, quæ sunt sub præcepto naturali, vel positivo, ut singulis diebus festis audire Sacrum, non fornicari, &c. communis DD. cum D. Th. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. Ratio hujus est: quia cum necessitas præcepti non sit simpliciter, sed solum ex suppositione finis: nimirum si peccatum homo evitare, gratiam conservare, & salutem consequi velit, juxta illud Salvatoris. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: ut proinde voluntas simpliciter maneat libera ad tale opus præceptum, vel prohibitum faciendum, vel omittendum: aut e contra; ideo juste, & rationabiliter voluntas potest se magis determinare per votum voluntarie Deo factum ad tale opus præceptum faciendum, vel prohibitum omittendum, adeo ut duplici obligationis vinculo astringatur, & generali obedientiæ ratione præcepti, & speciali vinculo Religionis ratione proprii voti. Neque enim obstat, eamdem rem ex diversis obligationum capitibus debitam esse; ac debitorem pluribus, ac diversis vinculis astringi ad idem, ut notant DD. *in L. scire*, §. *Si a fure, ff. de verb. obligat.* Consequenter quoque transgressio talis voti, verbi gratia fornicatio, duplex peccatum erit, & contra continentiam juris naturalis, & contra Religionem proprii voti. 43

Excluditur ergo a materia voti validi, in primis omne opus malum, sive intrinsece malum, ex natura sua, ut occidere, fornicari, furari, &c. sive extrinsece, ex prohibitione legis tantum, ut die festo non audire Sacrum, die jejunii vesci carnibus, &c. Item sive illud opus sit malum ex natura, & objecto suo, ut in allatis exemplis: sive solum ex circumstantia: ut si voveas peregrinari in die festo, vel jejunii, sic ut impediatur majus bonum præcepti Ecclesiastici de audienda Missa, vel servando jejunio, &c. votum irritum erit: excepto casu, quo talis peregrinatio majoris momenti foret ad Ecclesiæ utilitatem, ad honorem Dei, vel salutem animæ, ut præcepto Ecclesiæ incompossibili, ac proinde in tali casu non obliganti, præponi possit. Ut etiam notavit Sanchez *cit. c.* 6. *n.* 2. 44

Inter circumstantias autem votum afficientes, potissima est finis intentus: pro quo recole obiter: sicut generaliter duplex est finis, *alius intrinsecus, & ipsius operis: alius extrinsecus, & solius operantis*: ita in proposito, alius est finis intrinsecus ipsius voti, ad quem scilicet opus voto promissum ex natura sua ordinatur: alius est finis extrinsecus, & ipsius voventis tantum, ad quem scilicet opus voto promissum non ex natura sua, sed ex libero voventis arbitrio ordinatur. Cape exemplo scholari. Titius jam tertio anno Grammatices insessor, tandem vovit B. MARIÆ Virgini singulis Sabbati diebus confiteri, ut ejus patrocinio impetrato, hoc anno ad altiorem classem ascendat, sicque Parentum offensam, & apud alios confusionem devitet: hic finis intrinsecus voti est reconciliatio cum Deo, & puritas conscientiæ: finis autem extrinsecus, & ipsius voventis tantum, varius fuit. 1. Impetratio B. M. Virginis patrocinii. 2. Ascensio ad altiorem classem. 3. Evitatio offensæ parentum, confusionis, &c. Et de ejusmodi fine extrinseco, & ipsorum voventium hic sermo est. Ubi duo sunt explicanda: Unum qualiter finis malus inficiat votum, alioquin bonum, & de re bona: Alterum contra, qualiter finis bonus perficiat votum, alioquin de re indifferenti factum. Nam de re mala votum factum non posse perficere finem bonum, nimis certum est. Pono aliquas claras Regulas. 45

REGULA I.

Invalidum manet omne votum emissum de re quantumvis bona, ob finem malum afficientem ipsam materiam promissam, seu executionem voti: utpote, quando vovens intendit per ipsam rem promissam consequi illum finem malum. *Certum apud omnes.* Ratio est clara: quia tunc ipsa res promissa redditur mala ex illo pravo fine intento, ut sine peccato executioni mandari non possit: ideoque vere votum est de re mala, nec acceptabilis Deo materia voti. E. g. Voves eleemosynam dare, Templum ædificare, ut ipsa eleemosynæ largitione, aut Templi fabrica vanam gloriam apud homines aucuperis: voves dare eleemosynam pauperi puellæ, ut ea largitione ad turpem consensum inducas: voves Templum frequentare, ut ibi oculos luxuriose pascas, &c. vota nulla sunt, & peccata, pro ratione materiæ, seu finis mali intenti; quia ibi finis malus mortalis, vel venialis afficit ipsam materiam voti, seu executionem operis pro- 46

promissam: quippe per ipsam executionem operis promissi assequendi, quod bene notare debes.

REGULA II.

47 Validum manet omne Votum emissum de re alioquin bona, etsi ob finem malum afficientem solum ipsum votum, seu voventem, & nullo modo ipsam rem promissam; ita nimirum, ut vovens intendat consequi finem illum malum, non per rem voto promissam, sed solum per ipsum actum vovendi. Ut si quis coram multis præsentibus, aut laudaturis, aut miraturis voveat eleemosynam magnam, peregrinationem, ædificationem Templi, aut (quod non rarum) Professionem solemnem emittas, atque ipso actu vovendi vanam gloriam, laudemque hominum captes, vel aliud quid simile vitiosum, de cætero tamen vota tua redditurus Deo, debito modo, votum ejusmodi omnino validum erit; quia de re bona, & ab illo pravo fine minime infecta, sed licite, & sancte implenda, attamen ob ipsum vanæ gloriæ finem præfixum, venialiter saltem malum, ideoque vacuum meriti, similiter discurrendum in similibus, dummodo semper intelligatur vere finis malus, seu causa finalis, & principalis motiva vovendi, adeo ut quis positive alioquin nollet vovere, nisi ob talem finem; sic enim votum malum erit. Secus dicendum, quando vana gloria, vel quid simile vitiosum non est finis, seu causa finalis motiva, sed solum causa impulsiva secundaria vovendi, sine qua nimirum quis alias solum non vellet vovere, seu non excitaretur, moveretur, vel impelleretur ad vovendum, attamen de facto excitatus vana gloria, vel simili causa, voves eleemosynam, peregrinationem, &c. cum aliis debito modo, principaliter ad honorem Dei, & salutem tuam, votum sane licitum, & validum manebit, non obstante causa secundaria impulsiva vitiosa, ipsum tamen votum minime inficiente. Quod sane valde est notandum.

Certe plerique etiam Religiosi, maxime Tyrones, sæpissime operantur moti aliqua vana gloria, vel excitante, vel saltem concomitante titillati, sed quia non ut causa motiva finali, sed impulsiva tantum, ipso opere, alioquin rite facto ad gloriam Dei, boni operis mercedem non perdunt. Eodemque modo discurre de metu pœnæ, & cape, casu particulariore.

48 Voves Religionem aliquam, quia in ea laute vivitur, aut Religionem Carthusianam ex inordinato appetitu vescendi bonis piscibus. Siquidem lautitia illa, vel esus piscium sit solum causa impulsiva vovendi, sine qua alias non fuisses motus ad vovendum, vel saltem tam prompte non voveres, votum tuum, & validum, & licitum manebit: sin vero sit causa finalis, & principalis motiva ipsius voti, sine qua alias positive nolles vovere, votum quidem vanum, & illicitum, attamen validum erit, quia de re licita, & sancta, &, ut supponitur, sancte implenda; non enim votum tuum terminatur ad ipsam lautitiam, seu esum piscium vitiosum, sed ad talem Religionem, & Regulam debite servandam, etsi motivo vitioso impellente ad vovendum. Denique si lautitia illa esset causa finalis motiva, ac finis ipsius rei promissæ, seu per ipsum ingressum, ac professionem talis Religionis assequendus, ita ut ideo præcise velles ingredi, ac profiteri talem Religionem, ut ea lautitia fruaris, jam votum nullum erit, quia de re vitiosa ex fine malo, & vano præfixo ipsi rei promissæ juxta primam regulam. Ergo jam iterum vides verum esse, omne votum de re illicita esse invalidum; at non omne votum illicitum invalidum esse: quia licet votum sæpe edatur male, poterit tamen servari bene, & aliunde etiam potest esse votum validum, etsi sit summe illicitum: ut patet exemplo filii, qui sciens patrem ægerrime laturum, si fiat Religiosus, forte verberatus a patre, ut ei dolorem inferat, & se vindicet, vovet, vel jurat coram illo, se fore Monachum: graviter sane peccat contra pietatem parenti debitam, valet tamen votum, si, impellente licet verberatione paterna, & vindictæ cupiditate, tamen votum illud rite edat ad honorem Dei, ut observat *Gobat. hic casu* 2. *n.* 77.

REGULA III.

49 Invalidum specialiter est omne votum emissum ad consequendum, vel impetrandum ab ipso *Deo rem illicitam, quatenus illicita est*; aut in gratiarum actionem pro *obtenta re illicita, quia talis est*, ut in datis exemplis, si voveas eleemosynam ad vanam gloriam, sive ad laudem hominum ab ipso Deo procurandam: si voveas Deo eleemosynam, seu jejunium, sacræ Religionis ingressum, ad impetrandam victoriam in lite, duello injusto, ad lucrum in ludo, vel contractu injusto, ad injustam vindictam ab inimico sumendam, ad impetrandum illicitum concubinatum personæ concupitæ. Item, si meretrix voveat partem quæstus meretricii; aut usurarius partem lucri iniqui dare pauperi in eleemosynam, vel Ecclesiæ ex intentione, vel movendi Deum ad majorem horum proventum tribuendum, vel in gratiarum actionem talium proventuum, velut Deo attributorum, ut ex communi docent Suar. *c.* 5. *n.* 8. Sanch. *c.* 6. *n.* 16. & 21. Laym. *c.* 2. *n.* 7. Et Ratio est: quia dare eleemosynam, vel quodvis opus bonum facere ad impetrandam a Deo rem illicitam, vel iniquam, vel in gratiarum actionem pro tali re illicita, velut per Dei speciale auxilium acquisita, revera non est actio bona, sed mala, & blasphema, quia talis, quantum est in se, Deum auctorem peccati facit: consequenter, nec licite, nec valide voveri poterit.

Dixi autem notanter: *cum intentione impetrandi, vel gratias agendi, & quatenus illicita est*. Nam 1. cessante tali intentione, per modum puræ conditionis, absolute vovere eleemosynam v. g. Si inimicum occiderit, quæstum turpem, vel iniquum fecerit, &c. validum erit votum: quia patrato homicidio, vel lucro turpi acquisito, dare eleemosynam, res bona est, & bene impleri potest. 2. Verum, seclusa intentione illa, solum per modum pœnæ vovere eleemosynam, vel quodvis bonum, si aliquod delictum commiseris, v. g. fornicatus, vel pollutus fueris, &c. Votum validum, & licitum, immo sanctum, & meritorium est, ut notant DD. cit. 3. Etiam cum intentione impetrandi a Deo rem, vel gratias agendi Deo pro re, quæ revera est illicita, non tamen quatenus est illicita, sed quatenus aliquid licitum, ac donum Dei continet, vovere aliquod bonum, validum Votum erit, etsi ratione adjunctæ malitiæ illicitum, v. g. voves Deo eleemosynam, si in duello occisus non fueris: si ex adulterio prolem non susceperis, aut si fœmina in fornicatione nulla prole suscepta, infamiam evitaverit, &c. Vota valida sunt: quia licet malum sit hominem occidere, velle vincere in duello injusto, adulterari, fornicari, &c. attamen in duello incolumem conservari, ex aliena prolem non suscipere, infamiam evitare, revera non malum, sed bonum, donum, ac beneficium Dei est, ad quod proinde impetrandum, vel in gratiarum actionem pro eo impetrato eleemosynam v. g. dare, sicut bonum, & honestum est, ita materia Voti valida esse potest. Vide *Navar. Laym.* alios cit. Denique ex dictis solves hunc casum. Barbara videns filiam ab amasio imprægnatam, vovet B. Virgini mille aureos, si filia ante partum moriatur, ad avertendum nimirum grande familiæ dedecus. Filia e contra vovet Deo, nisi ipsam parentes permittant nubere amasio, cui nuptias promiserat, se non nupturam ulli alteri. Quid de utroque hoc Voto? Resolvit recte Paulus Comitolus *responsorum moral. l.* 1. *qu.* 15. Votum matris fuisse invalidum, quia impium: volebat enim impia sua promissione inducere Deum, ut non solum filiæ, sed etiam innocenti fœtui ante Baptismum vitam adimeret. At vero validum Votum fuisse filiæ; quia de re honesta, nec quidquam indecens apparet in illo Voto.

REGULA IV.

Invalidum, & nullum est omne votum *de re omnino indifferenti, quatenus indifferens est*: sic enim omnino vanum, ac inutile, nec honestum, nec Deo gratum esse poterit. At contra validum evadet ejusmodi votum, si fine, vel circumstantia bona addita, res indifferens bona, ac Deo grata evadat. *Omnes*. Exempla obvia sunt. 1. Anna nobilis Matrona voto se obstrinxit Deo, numquam spuere in Ecclesia. Si nihil addatur, certe vanum, & nullum votum apparebit: certo tamen validum, Deoque gratum votum pronuntiandum est, si Matrona illa sputationum omissionem vovit, ne suis sputis fœdaret Ecclesiam, cum nausea, offendiculo, vel malo exemplo aliorum. 2. Regulariter nullum, & vanum est votum muliercularum non nendi, vel fila ducendi die Sabbati in honorem B. M. Virginis: relicta interim sibi, & suis facultate aliis servilibus operibus laborandi, cum non nere sit omnino indifferens, nec specialem ullam proportionem habeat ad cultum B. Virginis. At validum erit votum, si persona vovens, v. g. esset nimis affecta ad nendum, sicque voveat non nere, ut interim orationi, aut aliis exercitiis vacare possit. 3. Similiter nulla, & vana sunt vota non vescendi capite animalis in honorem S. Joan. Baptistæ: aut in festo S. Laurentii non comedendi carnes assatas, relicta interim sibi facultate vescendi aliis carnibus æque, vel magis delicatis ad satietatem, vel etiam ingluviem. Ita Navar. *in man. c.* 12. *n.*28. & 37. Tolet. *l.*4. *c.*17. *n.*14. aliisque citatis, Sanch. *lib.*4. *mor. c.* 7. *n.* 6. Laym. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 8. Qui duo rursus recte monent, validum fore tale votum, si vovens nimis affectus sit ad tale ciborum genus, & ideo mortificationis ergo voveat Deo abstinere ad talis Sancti honorem: tunc enim abstinere a tali cibo, opus bonum erit, aptumque ad Sancti honorem; adeoque materia apta voti: alias minime. 4. Nullum, & vanum est votum non intrandi certam domum, vel non ludendi cum tali persona, relicta sibi libertate ludendi cum aliis. At validum erit votum illud, si justa subsit causa, utpote si ex tali domo, vel cum tali persona certum periculum peccati, dissidii, jurgiorum, &c. timeatur. Ita DD. cit. Nam licet non intrare talem domum, aut non ludere cum tali persona absolute sit indifferens; at vero non intrare, vel non ludere velle ad evadendum certum peccati periculum, omnino opus bonum est ex fine honesto, adeoque apta materia voti. Votum nunquam ludendi plerumque validum est; quia plerumque concipitur honesto fine, ut nimirum bonorum prodigalitas, aliaque peccata, vel damna evitentur: ut animus tali oblectatione abstinens expeditior sit ad vacandum Deo, vel officio suo. Ex 51

com-

communi Navarr. *l.* 3. *conſ.* 36. *de voto*, *edit.* 2. Suar. *lib.* 2. *c.*8. *n.* 7. Sanch. *l.*1. *de Matr. diſp.* 4. *n.* 5. Excipe tamen: niſi conſtaret, voventem nullam habuiſſe honeſtam intentionem, vel finem bonum abſtinendi ab omni luſu: tunc enim rurſus votum inane erit, & nullum. Sed tu revide, & ad verbum omnimodis huc refer dicta *c.* 1. *n.* 34. de juramento non ludendi: eadem enim eſt ratio de non ludendi voto. *Tandem*, invalidum, & nullum eſt votum etiam rei bonæ, & honeſtæ, tamen ob finem omnino indifferentem, & temporalem, vel non ut impetrandum a Deo per illud opus bonum, ſed potius ut naturaliter conſecuturum, ut ſi voveas jejunium, abſtinentiam a vino, vel cibis certis lautioribus, de die tantum ſemel comedere, eo præciſe fine, ut ſumptibus parcas, vel ſanitatem naturaliter conſerves, vel recuperes, vel etiam ad impetrandum quid a Deo per illud opus bonum, ſed tamen a Deo rationabiliter non poſtulabile: ingentes divitias, lucra in ludis, uxorem omnium pulcherrimam, &c. At contra valebit votum, ſi quis jejunia, orationes, eleemoſynas Deo voveat tamquam medium impetrandi a Deo etiam bona temporalia, & indifferentia, honeſte tamen, & rationabiliter petibilia a Deo, ut ſanitatem corporis, divitias congruas, utile matrimonium, officium, vel beneficium bonum, &c. vel ad gratiarum actionem pro ſimilibus impetratis. *Omnes*. Ratio: quia hæc a Deo, tamquam omnium, & eorum etiam bonorum Auctore petere, vel pro impetratis gratias agere bonum, & honeſtum eſt, ideoque materiam voti non inficiunt. Et hinc tandem concludes, validum fuiſſe votum Patricii noſtri Grammatici, quia, & de materia ſancta, ſcilicet confeſſione Sabbatina, & ad finem minime malum, ſcilicet ob B. V. M. ope impetrandum a Deo aſcenſum ad altiorem claſſem. Vide plura pulchra, & curioſa apud Gobat eodem caſu toto.

§. III. *Et melius ſuo per ſe oppoſito, vel jam habito a Vovente.*

52 MAteriam voti validi debere eſſe *de meliori bono*, ipſa definitio voti loquitur, & omnes requirunt cum S. Th. *cit. art.* 2. Et ratio eſt: quia votum eſt promiſſio facta Deo: Deo autem (cujus voluntas eſt ſanctificatio noſtra 1. *ad Theſſ.* 4.) gratius eſt, & magis placet opus, quod majus, & melius eſt, quam oppoſitum minus bonum: conſequenter Deo acceptum non erit, ſi homo voveat, & ſe obliget ad faciendum minus bonum, omiſſo majori, quia hoc ipſo ſe obligaret, ad omittendum oppoſitum, quod majus, & melius eſt, & Deo magis placet: ergo tale votum, vel promiſſio minoris boni, velut Deo non acceptum, invalidum erit. Itaque per melius bonum materiam voti validi, non intelligitur opus melius quocumque alio bono opere diverſo; ſic enim nullum votum valeret, niſi factum de opere omnium perfectiſſimo, quo nullum aliud melius eſſet: ſed intelligi debet melius, ſeu perfectius *ſuo per oppoſito*, utpote contradictorio: ſic votum dandi eleemoſynam valet, & non dandi, non valet quia melius eſt dare, quam non dare. Item votum non nubendi valet, nubendi non valet (de quo mox) quia melius eſt non nubere, quam nubere, &c. *Vel jam habito a Vovente*. Sic ſæcularis, etiam Clericus, licite vovet quamlibet Religionem, etiam minus ſtrictam, ſeu laxam: quia quælibet Religio melius bonum eſt, quam jam habitum a vovente. Sic exiſtens in Religione laxiore valide vovet ſtrictiorem: quia hoc eſt melius bono habito a vovente: e contra exiſtens in Religione ſtrictiore non valide vovet minus ſtrictam: quia licet hoc ſit majus bonum ſuo oppoſito, eſt tamen minus bonum illo, quod jam habet vovens. Eademque ratione, cum dicitur materiam voti validi debere eſſe non impeditivam majoris boni, non debet intelligi de majori bono quocumque; ſed non impeditivam majoris boni, quod de facto habet vovens, quando vovet, ut patet in exemplo modo dato.

53 Juſta eſt ergo Regula aſſignata communiter a Doctoribus ex Sanch. *l.* 4. *c.* 8. *n.*40. Votum validum eſſe, ſi habet materiam bonam, & Deo gratam, licet *actu* excludat, vel impediat aliud opus dignius, Deoque gratius, dummodo non excludat *aptitudine*, ut in illud commutari poſſit. Sic validum eſt votum, v.g. perpetuo peregrinandi, ſerviendi infirmis, &c. etſi enim hæc actu excludant multiplex majus bonum, v.g. ſtatum Religionis, non tamen excludunt aptitudine, quin ſtatim in illud majus bonum arbitrio voventis commutari poſſit. His notatis, adferamus aliquot exempla.

54 I. Invalida ſunt vota omiſſionis cujuſcumque operis boni, quod eſt in conſilio: ut non ingredi Religionem, non jejunandi, non dandi eleemoſynam certis pauperibus, non fidejubendi, non mutuandi indigenti, &c. quia in iis gratius eſt Deo opus, quam ejus omiſſio: adeoque votum ſimpliciter eſt de minori bono, minuſque accepto Deo, neque de hoc dubium eſſe poteſt. Sed vide, & huc refer in ſimili dicta ſupra *cap.* 1. *Sect.* 2. de juramentis promiſſoriis.

55 II. Invalida ſunt vota ludendi honeſte, comedendi moderate; contra vero valida ſunt vota non ludendi, abſtinendi, ſeu jejunandi, &c. quia licet ludere honeſte, comedere temperate, ſint actus boni, & honeſti: eorum tamen, ac ſimilium delectationum carentia, vel abſtinentia melior, & Deo gratior eſt, majoriſque virtutis, & meriti exiſtit. Ita communis cum Suar. *l.* 2. *de voto*, *c.* 8. *n.* 7. Sanch. *l.*1. *de Matr. diſp.* 4. *n.*5. Laym. *cit. n.* 11. *in fine*. Excipe, niſi ejuſmodi vota emittantur conditionate: v. g. voveo, ſi luſero, honeſte, & ſine fraude, vel contentione me luſurum: quoties comedero, temperate me comeſturum. Tunc enim materia voti non eſt ipſum ludere, vel comedere, ſed ipſa honeſtas in ludendo, vel comedendo, quod ſine dubio melius eſt ſuo oppoſito, ut notant Suar. & Laym. cit. Itaque voto de ludendo honeſte v. g. duo opponi poſſunt: *Non ludere omnino:* & reſpectu hujus, utpote melioris, votum ludendi honeſte, nullum eſt. 2. *ludere inhoneſte cum fraude, & rixis, &c.* & reſpectu hujus, utpote deterioris votum ludendi honeſte validum eſt, & virtute negativum eſt, ſcilicet non committendi inhoneſtatem in luſu, comeſtione, &c.

III. Votum nunquam vovendi utique invalidum eſt, cum abſolute ſit melius vovere, quam nunquam vovere: at certe validum erit votum non vovendi indiſcrete, temerarie, ſine conſilio Confeſſarii: quia vovere cum tali cautela honeſtum eſt ad virtutem Prudentiæ ſpectans, ac melius quam oppoſitum. E. g. Aliquis expertus ſe eſſe valde pronum, multiſque votis ſe intricaſſe, quorum poſtea eum pœniteat, vovit, ſe poſtea nullum omnino votum editurum, niſi cum conſilio, vel approbatione prudentis Confeſſarii, omnino validum eſt votum: quia eſt de objecto bono, & meliori ſuo oppoſito: multo enim melius eſt non vovere tali homini, niſi cum conſilio Confeſſarii, quam temere, ſeu male vovere. Ita Sylveſter, Azorius, cum Sanch. & Laym. cit. At quid, ſi talis illud votum poſtea tranſgrediatur, v. g. inconſulto Confeſſario vovens abſtinentiam a vino, vel ingreſſum Religionis? Reſp. Si memor voti prioris, utique peccat contra Religionis virtutem, pro ratione materiæ, etiam mortaliter, quia tranſgreditur votum ſciens in re gravi, quod antea valide, & licite conceperat. At nihilominus illud votum poſterius, contra prius votum, illicite editum, de abſtinentia a vino, v. g. validum eſt, & obligat, ut recte docent cum aliis Sanch. Laym. cit. Quia ad valorem voti non requiritur, ut licite, & ſine peccato fiat, ſed ſufficit, quod habeat objectum bonum, & melius ſuo oppoſito, quod contingit in noſtro caſu. Excipiendum tamen niſi talis in priori voto non amplius vovendi inconſulto confeſſario haberet expreſſam voluntatem ſe nolle impoſterum ullum ſuum votum eſſe validum, niſi cum tali circumſtantia, ut nimirum cum conſilio, & approbatione Confeſſarii fiat: vi enim talis voluntatis vota ſequentia ſine tali circumſtantia facta erunt invalida, donec ea voluntas expreſſe, vel tacite, ſeu virtualiter revocetur. Virtualiter autem, ſeu tacite revocari cenſebitur, eo ipſo, quo quis memor illius voluntatis prioris, nihilominus poſtea voveat aliquid: tunc enim valebit votum poſterius: hoc enim ipſo prior voluntas retractatur, quando contrarium deliberate agitur, ut recte docet Laym. *cit. in fine*. Inſuper Sanch. *l.*4. *c.* 8. *n.* 21. negat valere votum nunquam petendi diſpenſationem illius voti, cum ſine dubio caſus poſſit contingere, in quo homini melius eſſet petere diſpenſationem, quam non petere. Et eſto valeat (ut contendit Caſtro-Palaus apud eundem Gobat) certiſſime tamen tale votum manebit diſpenſabile ab habente poteſtatem ordinariam, vel delegatam, jure, vel privilegio, cui utique vovens, privata ſua voluntate, præjudicare non potuit: quod valde notandum contra ſcrupuloſos criticos, etiam mihi non ſemel occurrentes. 56

IV. Invalidum eſt votum procurandi, vel ſuſcipiendi; at vero validum eſt votum non procurandi, vel ſuſcipiendi Epiſcopatum, vel aliam Prælaturam, aut Dignitatem, niſi quatenus obedientia Superioris, publica neceſſitas, ac lex charitatis aliud exigeret: tunc enim prius validum, quia de meliori bono, poſterius vero votum invalidum eſſet, utpote bonis moribus repugnans. Ita contra Sylveſtrum, Navar. Azorium, alios, rectius docent, & diſtinguunt cum D. Th. 2.2. *q.*185. *art.*2. *ad* 3. aliiſque relatis Sanch. *lib.*4. *c.*8. *n.* 37. Suar. *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 10. & patet ex praxi virorum bonorum, maxime etiam Societatis JESU. Ratio eſt: quia, licet juxta Apoſtolum 1. Timoth. 3. v. 1. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat:* melius tamen eſt homini, & tutius ad humilitatis cuſtodiam, & ambitionem excludendam, non appetere ejuſmodi dignitates. Dicitur quidem Epiſcopatus ſtatus perfectionis, & perfectior Statu Religionis, ſed intelligendum eſt non formaliter, quaſi Epiſcopatus hominem *formaliter* conſtituat in ſtatu perfectionis, aut ad perfectionem conſequendam multum per ſe promoveat; ſed *ſuppoſitive*, quod ob ſui eminentiam requirat, & præſupponat perfectionem in ſuſcipiente: ut poſt alios recte reſpondet Laym. *cit. cap.* 2. *in fine*. Atque hinc infert Suarez, *l. c.* etiam votum non ſuſcipiendi beneficium, vel quodcumque regimen animarum, ratum eſſe, quia etiam in his dictum periculum adeſt. At vero votum non ſuſcipiendi ſacros Ordines irritum eſſet, quia & Ordinum ſuſceptio, maxime ob annexum votum caſtitatis, majus bonum eſt, & non affert illud periculum. Sic Suar. Certe tamen putarunt, & hoc votum validum eſſe, ſi finis ſit humilitas, & reverentia Sacrorum, qualem reſpexit S. Franciſcus ad Ordinem Sacerdotii nolens aſcendere. Sed reſtant ſpecialia explicanda de voto Matrimonii, & Caſtitatis. 57

Votum

Votum Matrimonii.

58 ORdinarie per se iuvalidum est votum de Matrimonio suscipiendo: quia non est de meliori bono, cum status ipse oppositus continentiæ, & castitatis in cœlibatu, sacro Ordine, Religione, absolute, & simpliciter melior sit, Teste Apostolo 1. *Corinth.* 7. ac velut certum de fide definitur in Concil. Trid. *sess.* 24. *can.* 10. quia scilicet animum a curis sæcularibus, & carnis voluptatibus liberum, ac magis expeditum reddit ad vacandum Deo, ut clare docet Apostolus *loc. cit.* Dixi tamen: *ordinarie, & per se:* excipiendi enim sunt casus.

59 *Primus.* Quoties alicui obligatio Matrimonii ex aliquo præcepto incumbit, validum quoque erit votum de illo contrahendo. E. g. cum quis absque gravi damno, injuria, infamatione sponsæ, vel prolis ex ea susceptæ, sponsalibus resilire non potest: tunc sicut ex justitia obligatur eam ducere, ita valide idipsum vovebit. Item, si Matrimonium Reipublicæ valde utile futurum existimetur: utpote, si ex eo Pax inter Christianos Principes, hæreticorum, vel indelium conversio, Ecclesiæ, ac Fidei Catholicæ conservatio eventura sit, vel speretur, &c. his, & similibus casibus valide vovetur Matrimonium, vovensque obligatur: quamvis ibi materia voti non tam sit Matrimonium ipsum, quam bonum commune, vel jus alterius. Communis DD. Suar. Laym. cit.

60 *Secundus.* Qui vovit se ducturum puellam pauperem intuitu solius pietatis, & misericordiæ, obligatur voto: non quidem absolute, ut eam omnino ducat, cum ipsi voventi absolute melius sit non ducere, quam ducere, sed conditionate, *si nimirum aliquam ducere velit, ut hanc ducat;* seu ne aliam ducat, quam istam. Hac enim ratione melius, magisque meritorium est voventi ducere istam pauperem, quam aliam opulentiorem: eaque ratione ad istam ducendam etiam ab Episcopo compelli potest, si votum notorium sit. Ita (contra meum Sanch. *l.* 1. *de Matr. disp.* 4. *n.* 12.) Suar. *l.* 4. *c.* 9. *n.* 27. Laym. *cit. c.* 2. *n.* 12. *in fine.* Alii communiter. Ubi tamen iterum materia voti non est tam Matrimonium, quam opus misericordiæ, ac pietatis in pauperem puellam, ut notant iidem DD. Interim tali voventi in omni foro externo, & interno liberum manet eligere Religionem, Sacros Ordines, vel Statum cœlibatus tamquam perfectiorem.

61 *Tertius* esse solet. Qui expertus credit se non posse continere, & ideo vovit Matrimonium: tamen probabilius talis non obligatur voto absolute, dummodo paratus sit adhibere alia remedia. Ita post Sotum, & alios Laym. *l. c.* Ratio: quia votum debet esse de meliori bono: sed status Matrimonii tali homini absolute melior non est (alioquin sequeretur, quod si talis homo tunc votum continentiæ emitteret, illud esset invalidum, utpote non de meliori bono, quod est contra *communissimam*, ut mox patebit) sed solum melior est illi status matrimonii conditionate, si nimirum nolit adhibere alia remedia continendi: non ergo obligat tale votum absolute, sed

62 *Quartus*: Obligat solum conditionate: videlicet si in tali statu peccandi perseveret, si non media efficacia adhibeat, & tamen cum Dei gratia adhibere possit, adeo ut talis homo aliud vovere censendus non sit, quam hoc saltem remedium incontinentiæ adhibere, scilicet matrimonium, si aliud melius adhibere nolit: quanquam etiam hoc melius cum Dei gratia adhibere possit, & si firmo proposito adhibere statuat, voto liberatur. Sic intelligendum illud Apostoli loc. cit. *Melius est nubere, quam uri.* Non dixit absolute, melius est nubere, quam continere: sed ex hypothesi præmissa: *Si se non continent, nubant: melius est enim nubere, quam uri.* Sic explicant SS. PP. D. Hieron. in Apol. contra Jovinian. ad Pammach. *Melius est maritum ducere, quam fornicari.* Et auctor comment. apud S. Ambros. in eundem locum: *Viri est desideriis agi, vel vinci. Cum enim voluntas desideriis carnis consentit, uritur: Nam desideria pati, & non vinci, illustris viri est, & perfecti.* Ita communiter DD. apud Layman cit.

Votum Continentiæ, & Castitatis.

63 SAnctissimum, & sine dubio validum est votum castitatis & continentiæ perpetuæ tam simplex, quam solemne. At quid si vovens, vel jam astrictus voto Castitatis patiatur gravissimas difficultates, tentationes assiduas, lapsus frequentes, adeo ut omnino videatur ipsi votum Castitatis esse de minori bono, sed Matrimonium potius esse de meliori bono? quales, proh dolor! frequenter sunt in Sæculo, in Claustro, in Clero, perpetientes tam atrocem tribulationem carnis, ut quamvis alioquin alieni ab omni alio peccato mortali, relabantur tamen persæpe, & post seria, & frequentia integræ emendationis proposita succumbant fœdissimo hosti. Quis pronuntiabit eorum votum, vel fuisse ab initio irritum jam subsistente ea difficultate, vel desiisse esse validum tanta difficultate superveniente?

Communissima sententia, & persuasio Theologorum est, votum illud esse, & manere validum, cum omnia habeat requisita ad votum validum, & tota difficultas posita pendeat a libero consensu voluntatis in peccatum, quem quilibet cum ordinario auxilio gratiæ divinæ cohibere potest, & debet: potest enim inter brutalissimos motus mens in sua statione manere; idque habet communis sensus Ecclesiæ, totius Christianitatis, ut in ejusmodi votis tamquam validis, etiam ab ægerrime continentibus petatur, & concedatur dispensatio, & quidem semper mixta arduæ satis, & rigidæ commutationi in alia onera. Et certe quoad vota solemnia Religionis, & sacri ordinis, nullus hactenus Theologorum, quantum scio, oppositum docuit, nec forte docebit: Quoad vota autem simplicia sæcularium, referam tibi unum, vel alterum Theologum modernum, suis propositis verbis.

Pater Adamus Burghaber Centuria 1. *Selectorum casuum, casu* 66.

PArthenius Adolescens vehementer libidinosis vexatur tentationibus, & frequenter iis succumbit, & quamvis inde advertat statum conjugalem multo utiliorem sibi futurum, quam cælibem, facit tamen votum Castitatis: idque graviter violat, ut illud jam vellet, non esse factum. 64

Quæritur, utrum hoc votum revera sit validum. Videtur illud votum validum esse, cum omnibus requisitis constet, ut plerique sentire videntur, quos refert, & sequitur Sanch. *l.* 4. *c.* 8. *n.* 9. Resp. Etsi allata sententia communior, & probabilior sit, nihilominus probabile est, illud votum non esse validum. Ita Trullenchus, Ledesma, Martinus a S. Josepho, Leander apud Dianam *p.* 10. *tr.* 11. *res.* 47. Homobonus *Vol.* 1. *p.* 2. *resp.* 28. Bonac. *t.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 26. & nonnulli alii. Ratio est, quia hoc votum, omnibus consideratis, non est de meliori bono; quippe melius, & salubris est voventi matrimonium, quam abstinentia a matrimonio. Ita P. Burghaber. Jam audi, quid in simili doceat.

P. Antonius Quintannadvenas singularium tract. 9. *singulari* 12. *his formalibus.*

UTrum conjugatus impeditus ad petitionem debiti ob votum, aut incestum, aut cognationem spiritualem, possit petere, quoties vehementibus carnis stimulis agitur, ne periculo exponatur in gravia luxuriæ peccata labendi. Communis satis sententia negativam partem tuetur. Sic Covarruvias, alii cum Sanch. *l.* 9. *de Matr. disp.* 7. *nu.* 7. Sed affirmativam sequor, si ita vehementibus carnis stimulis conjugatus agitetur, ut proximo periculo se exponat incidendi in peccatum fornicationis, vel aliud turpius, nisi debitum petat. Probatur in illo, qui post Matrimonium, vel ante illud vovit castitatem. Quia sicut votum, ex communi DD. cum S. Thom. debet esse de re meliori, ita etiam observatio voti: sed votum, & ejus observatio in prædictis circumstantiis non sunt de re meliori: ergo non obligant. Major est certa, & satis probatur ex iis, quæ Thom. Sanch. *l.* 4. *in Decal. c.* 1. *n.* 1. & Azor. *l.* 21. *instit. moral. c.* 14. *q.* 10. docent. Minor est certa, quia cum ex observatione voti periculo proximo quis exponatur incidendi in aliqua peccata luxuriæ intrinsece malæ, & tunc non observatio voti, (scilicet petere debitum a propria uxore) non sit intrinsece malum, manifestum est, nec votum, nec observationem voti esse de re meliori &c. Hæc, & longe plura in hanc rem doctissimus *P. Quintannadvenas*: eadem prorsus ratione sine dubio idem pronunciaturus in nostro casu quæsito. 65

Judicium P. Gregorii Gobat. Alphabeto Quatruplici 1. *casu* 8. *num.* 280.

Perdifficile mihi nunc videtur negare omnem practicam probabilitatem sententiæ *P. Quintannadvenæ* munitæ tot rationibus non spernendis. Idcirco, si offerretur tali personæ Matrimonium, quod repudiare nequiret sine prudenti timore non reperiendi brevi aliud aptum, non negarem absolutionem destinanti illud arripere absque dispensatione, sed cum animo hanc petendi (saltem ad cautelam) proximo quoque tempore: cum etiam Gotonius *lib.* 1. *controversia* 12. *cap.* 1. expresse scribat, esse in tali casu adeundum Episcopum, *& quidem solum ad securitatem conscientiæ.* Ita expertissimus Casista, Gobat, cui ego merito assentior, & tu utilissime leges *loc. cit.* 66

§. IV. *In materia mixta, votum valet quoad partem disparatam.*

QUando votum emissum est de materia mixta, partim apta, partim inepta, hoc est, partim impossibili, vel non bona: ut sciatur, quando votum corruat, quando vero validum maneat, & obliget quoad partem aptam; pono breves resolutiones, & velut regulas.

REGULA I.

QUando partes voti promissæ sunt divisim, seu disparatim, sine dependentia ad invicem, ita ut singulæ partes sint per se materia voti virtute quasi multiplicis, tunc si una pars sit, vel fiat inepta, impossibilis, vel minus bona, votum tamen validum manet, & obligat ad alteram partem possibilem, & bonam remanentem. Quia tunc locum 67

cum habet regula juris 37. in 6. *Utile per inutile non vitiatur, si utile ab inutili separari possit*. Exempla sunto: 1. Qui vovit dare Ecclesiæ, vel pauperibus certam summam, v.gr. decem aureos, & factus impotens non potest dare totum, tenetur dare partem possibilem: quia res natura sua dividua censetur voveri divisim; nisi alia expressa intentio constet. *Omnes*. 2. Qui vovit singulis horis divisim orare unum Pater, & Ave, multis horis impossibile erit implere votum, ob necessarium somnum, inculpabiles distractiones, obliviones: nihilominus tenetur implere votum iis horis, quibus potest. 3. Qui vovit jejunare totam septimanam, vel singulis feriis sextis, vel Sabbatis, per totam vitam, esto certis diebus occurrat jejunandi impossibilitas, tenetur tamen jejunare his diebus, quibus potest; quia singulorum dierum jejunium sensu diviso vovit. Simili ratione resolvit Sanchez *cit. c.4. num.*8. Si Adolescens vovit jejunium omnibus diebus vitæ suæ, quod sæpissime erit impossibile, obligatur nihilominus jejunare diebus, quibus potest sine detrimento corporis, & Officii sui, quamvis talibus consultius esset petere dispensationem ab Episcopo, vel Regulari privilegiato, aut tempore Jubilæi. 4. Idemque judicandum in omnibus votis pœnalibus, vel afflictivis jejuniorum, peregrinationum, corporis castigationum &c. immoderate factis, quæ non obligant secundum excessum homini moraliter impossibilem, quatenus scilicet damnum notabile corpori, vel impedimentum officio suo afferunt; obligant tamen quoad reliquum seu partem moderatam possibilem, quatenus commode præstare potest. Excepto casu, quo manifesta fuerit intentio voventis, promittere ista copulate per modum unius, ita ut vel totum tale opus præstetur, si fieri possit, si secus, totum omittatur. Ita ex S. Thom. Sylvest. Soto, & aliis Sanchez *cap.6. num.*4. Laym. *cap.2. num.*3.

REGULA II.

68 Quando vero partes voti promissæ sunt copulatim per modum unius totius, ita ut obligatio partis dependeat ab obligatione alterius, ac totius promissi, tunc si una pars sit, vel fiat inepta, impossibilis, minus bona, ruit & obligatio alterius partis, ac totius voti. Non enim tunc fuit voventis intentio servare unam partem sine altera. Exempla iterum sunto. 1. Qui vovit jejunium in Vigilia festi B. V. MARIÆ, si eo die ob causam jejunare non possit, sed bis refici necesse sit, non tenetur abstinere a carnibus. Similiter e contra: si eo die a carnibus abstinere non possit, neque ab altera refectione abstinere cogitur. 2. Quia neutrum seorsim, & per se vovit, sed utrumque simul collective per modum unius, quatenus utrumque in forma perfecti jejunii Ecclesiastici includitur: ideoque, deficiente uno per impotentiam, deficit etiam obligatio alterius. Ita DD. cit. nisi semper constet de alia intentione voventis. 3. Item, qui vovit Confessionem, Communionem, Peregrinationem &c. causa Jubilæi, vel Indulgentiæ consequendæ, casu quo Jubilæi gratiam, vel Indulgentiam (quam principaliter vovisse supponitur) consequi non possit, non tenetur confiteri, vel communicare. Quia *ruente principali, ruit & accessorium*. Et *cessante fine, cessat & obligatio mediorum*: talis autem vovit Confessionem, & Communionem solum, ut quid accessorium, vel medium ad consequendas Indulgentias. 4. Item, qui vovit certo die jejunare, Sacrum legere, vel audire: si intentio fuit in sensu composito cum dependentia a tali die ob specialem rationem, v.g. in die, vel Vigilia S. Sebastiani pro peste, S. Apolloniæ ob dolorem dentium: in die Animarum pro defunctis &c. si eo die legitime impeditus non possit, non tenetur facere alia die. Aliud esset, si id vovisset in sensu diviso, & per modum duorum: ut si voto emisso simpliciter jejunandi, tot Missas audiendi, vel legendi, deinde quasi nova voluntate ad certum diem, vel dies determinaret: tunc enim tali die impeditus tenetur alia die exequi. 5. Item, qui vovit ædificare Ecclesiam, vel Altare, & postea superveniente paupertate non possit præstare totum promissum, liberatur toto voto, nec aliquam partem prestare possibilem tenetur. Est communis Suar. *c.2.n.*5. Sanch. *cit. lib.*4. *c.*10.*n.*7. Laym. *cit. n.*3. §. *Exempla posterioris*. Secus esset de eo, qui vovit mille aureos daturum Ecclesiæ, vel ad pias causas, tunc enim (nisi manifeste constet intentionem voventis fuisse non aliter dare, nisi totam summam) si postea totum dare nequeat, tenetur dare aliquam partem possibilem, notabilem tamen, v. gr. centum aureos. Ratio disparitatis est, quia ædificatio Ecclesiæ, vel Altaris est materia individua, quæ proinde per modum unius copulatim promissa præsumitur; at vero mille aurei sunt materia sua natura dividua, quæ proinde divisim, & per modum plurium promissa præsumitur: nisi semper de contraria voventis intentione constet.

REGULA III.

69 Maxime huc facit, & observanda est regula juris: *Accessorium sequitur suum principale*; non e contra. Et, *Ruente principali, ruit & accessorium*; non e contra. Quare si pars principalis voti sit, & maneat apta materia, licet pars accessoria sit, vel fiat inepta, impossibilis, inhonesta, obligatio principalis manebit. Contra, si pars principalis voti sit, vel fiat inepta, licet accessorium aptum sit, & maneat, obligatio tota corruit. E.g. 1. Qui vovit peregrinationem nudis pedibus, in cilicio, in pane, & aqua &c. si justa de causa peregrinari nequeat, non tenetur eo tempore nudis pedibus incedere, cilicium gestare, in pane, & aqua jejunare &c. hæc enim promissa sunt solum, ut accessoria ad peregrinationem tanquam principale: ruente autem principali, ruit & accessorium. Contra. 2. Qui vovit peregrinationem obeundam nudo corpore: solutis crinibus, superstitioso numero candelarum &c. tenetur solum ad peregrinationem, omissis illis vanis, & vitiosis circumstantiis; quippe, quæ accessorie tantum promissæ sunt, & principale utile vitiari non debet. Nisi tamen constaret expressam intentionem voventis fuisse, non aliter vovere peregrinationem, nisi cum tali aliqua circumstantia; adeoque copulatim, & per modum unius: tunc enim totum votum corruet, & nullum erit. Similiter, qui, ut supra, vovit se peregrinaturum nudis pedibus, cilicio indutum, toto itinere nihil comesturum, vel aqua, & pane contentum fore, & tali modo votum exequi non potest, vel quia indecens, vel quia nimis difficile; tenetur tamen perficere peregrinationem secundum substantiam modo sibi commodo: quia præsumitur eam vovisse principaliter, & independenter a tali modo velut accessorio: quare impedimentum accessorii non debet redundare in principale; *ne minus dignum, majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur*: ut habetur *cap. un. de consecrat. Ecclesiæ in 6.* & docet communis cum Navar. *cit.c.*13. *n.*43. §. *ex his infertur*. Excipe rursus. 1. Nisi expressa voventis intentio fuerit non aliter se obligare ad peregrinationem, nisi tali modo. 2. Nisi modus adjectus fuerit ad minuendam difficultatem rei promissæ, ita ut deficiente modo accessorio, res principalis reddatur notabiliter difficilior; tunc enim cadit simul obligatio ejus implendi, ut si vovisti peregrinationem Romam, vel Lauretum equo, vel curru vehendus, & postea quacumque de causa equo, vel curru vehi nequeas, non teneris ire pedibus. Ex communi Suar. *l.2. de voto c.2. n.*11. Sanchez *l.4.c.*10. *n.*11. Laym. *cit.c.2.n.*3.

REGULA IV.

Denique in his, & similibus omnibus principaliter attendenda est intentio voventis, quæ est causa voti, sicut intentio legislatoris est anima legis. Quod si de intentione voventis non satis constet, attendenda est ipsa materia, utrum ne ex natura sua, vel ex communi æstimatione hominum apta sit promitti, & impleri copulatim, vel divisim; v. gr. ex natura sua copulatim promittitur ædificatio Ecclesiæ; ex æstimatione hominum, abstinentia a carnibus, & secunda refectione in jejunio. Ex natura sua divisim promittitur summa pecuniæ; ex æstimatione hominum Psalterium B. M. Virginis, & sic proportionaliter vovens judicari debet obligari, vel non obligari ad implendam partem possibilem, si totum implere nequeat. At, quid si de hoc ipso dubium sit, ut neque ex intentione voventis, neque ex natura materiæ, neque ex æstimatione hominum colligi possit, sitne tota materia voti copulatim, vel divisim promissa? Azorius, aliique cum Sanch. *cit. l.*4. *c.*14. *n.*38. censent judicandum esse in favorem voti: cum enim certum sit, votum emissum esse, possessio videtur stare pro voto. Sed magis placet sententia Cajetani, eumque secuti Laymani *cit. n.3. in fine*, judicandum esse in favorem voventis, nimirum votum non obligare ad alteram partem, sed cessare totum. Etsi enim certum sit, votum esse emissum de utraque parte, & omnino votum sit in possessione, si utraque pars sit possibilis; attamen dubium est, an sit emissum pro utraque parte copulatim, vel divisim; adeoque si una pars fiat impossibilis, nulla erit possessio voti pro altera parte, sed melior conditio voventis possidentis suam libertatem. Ut si vovisti Monasterio, vel Hospitali dare unum bovem, si non possis dare totum bovem aliquem, stante illo dubio, non teneris aliquam partem carnium dare, sed voto te liberum reputa. Accipe rursus aliquot casus. 1. Si rusticus vovit se ad Ædem B. M. Virginis peregrinaturum, & vaccam daturum, si vacca postea pereat, & ea pars voti impossibilis fiat, tenetur tamen obire peregrinationem, utpote principaliter promissam: nisi constaret eam solum per accidens, & accessorie promissam, utpote vaccæ offerendæ causa: qua causa cessante, cessat obligatio peregrinationis. 2. Qui vovit jejunare in pane, & aqua, & bibendo vinum prævaricatus eam partem impossibilem reddit, tenetur adhuc servare jejunium Ecclesiasticum, quod communi æstimatione hominum censetur vovisse principaliter, modum autem illum *in pane, & aqua* accessorie tantum, nisi constet alia intentio voventis. 3. Si puella vovit perpetuam virginitatem cum intentione promittendi omnia, quæ Virginitas in se complectitur, scilicet ipsam perfectam castitatem, & continentiam ab omni actu venereo: si postea fornicata fuerit, & pars voti de servando integro claustro virginitatis impossibilis facta, tenetur tamen de cætero servare castitatem, nisi expressa intentio voventis fuerit servare solum ipsam Virginitatem, seu integrum claustrum vir-

virginale. Nam hoc semel violato, votum amplius servari nequit; ideoque corruit. Ex communi Navar. Laym. Sanch. cit. 4. Si conjux ignaro, vel invito altero conjuge religionem ingressus, & professus est, professio quidem invalida est, & conjugi petenti restitui debet, eaque mortua ad Monasterium redire compelli non debet; nihilominus & vivente conjuge a debito petendo, & eo mortuo, a secundis nuptiis abstinere debet. Id tamen certe non ex natura rei, ut ex dictis satis liquet, sed ex speciali constitutione juris, *capit. quidam, & c. placet, de convers. conjugat.* Ubi ratio additur. *Licet votum undequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare:* eo autem voto potuit se obligare saltem ad non petendum debitum, & mortua conjuge, alteri non nubendum. Vide Laym. *l. c.*

Dubia quædam specialia circa vota incompossibilia.

71 PRimum dubium. Si quis emisit duo vota incompossibilia concurrentia eo tempore, quæ utraque pro tali tempore servari non possunt, quodnam erit servandum? Resp. omnino universaliter validum manebit, & observandum erit, quod prius tempore emissum est: alterum subsequens, tamquam de re impossibili factum, invalidum censendum. Et hoc certissimum apud omnes, quando ambo vota manifeste sunt æque digna, ac grata DEO. Immo etiam quando dubium est, utrum prius, vel posterius votum sit dignius, Deoque gratius, adhuc prius observandum esse consentiunt DD. Quando enim constat, votum valide emissum esse, dubitatur autem, utrum extinctum sit, standum est pro voto: atqui in proposito constat, votum prius valide esse emissum, idque non potest extingui per votum posterius, nisi ad summum, quando hoc manifeste est melius, & gratius DEO: ergo si dubitatur, an sit melius, servandum erit votum prius. Difficultas ergo solum est, quando unum votum manifeste est melius, & DEO gratius altero. Et quidem servandum semper dignius, etiamsi posterius emissum, neglecto minus digno prius emisso, docent communius DD. cum S.Th. aliisque cit. Sanch. *lib.4. c.5. n.24.* Laym. *c.2. n.4.* V. g. Vovisti peregrinari, vel jejunare triduo Hebdomadæ sanctæ, sed postea voves eodem triduo vacare Concionibus, aut Confessionibus excipiendis, quæ peregrinationem, vel jejunium non compatiuntur: hoc posterius votum servandum erit. Ratio est quia tunc prius votum non valet, cum sit impeditivum majoris boni. *Deinde*, quando concurrunt duo præcepta, quorum utrumque servari non potest, dignius servandum est, neglecto minus digno: ergo idem dicendum in proposito. *Denique*, universaliter potest quis suum votum, vel promissionem factam DEO in aliud manifeste melius, Deoque gratius commutare: ergo si postea de facto vovisti quid melius, & DEO gratius, quam antea voveras, ad illud teneberis, si utrumque servare non possis. *Nihilominus* maneat nostra resolutio generalis, adhuc prius votum valere, & servandum esse. Ratio in oppositum est: quia votum semel validum semper valet, nisi destruatur: at hic votum prius non destruitur per posterius quantumvis melius ipso factum: votum enim non debet esse de omni meliori bono, sed tantum de meliori bono, quam sit ejus per se oppositum, vel quod de facto habet vovens: votum autem prius tale est: melius est enim peregrinari, jejunare, quam non peregrinari, sed otiari; non jejunare: sed comedere: ergo &c. Et sic ruit prima ratio opposita. Secunda nihil valet. Falsum enim est hic concurrere duo vota: negatur enim valere secundum votum, utpote emissum, de re impossibili facta per prius votum. Tertia ratio vera est, sed nihil ad rem. Nos enim non loquimur de commutatione voti, sed de valore per se, qui omnino stat pro priori voto. Quia tamen vovens posterius majus bonum, si recordetur prioris voti minus digni, censetur sic commutare velle, ideo in praxi sæpe vera est prior sententia.

72 *Secundum dubium*. At quid si quis eodem tempore simul, & semel vovisset duo vota incompossibilia pro eodem tempore: v. g. proximo die Dominico peregrinari, & assistere amico infirmo? Resp. Siquidem vovit copulatim, utrumque implendum, patenter (ne dicam stulte) impossibilia vovit: sicque totum votum corruit, ut neutrum implere teneatur. Sin vero vovit divisim per modum duorum disjunctim implendorum, scilicet hoc, aut aliud, tenebitur voto quoad unum, quod & possibile, & de meliori bono est, ut in exemplo dato assistere infirmo tali ope indigenti. Semper enim majus bonum a DEO acceptari præsumitur. Quod si vero utrumque votum æqualem, vel quasi æqualem bonitatem continere videatur, alterutrum præ altero eligere licebit: Quia tunc nulla est urgens ratio, pro uno potius, quam pro altero, neque ratione dignitatis, neque ratione temporis, ut in priori casu. Ita cum pluribus Sanch. modo citatus *num. 28.* Cape hunc casum. Titius vovit jejunare singulis feriis sextis in solo pane. Item vovit jejunare in Vigilia alicujus S.Patroni solis fructibus, sine pane. Jam Vigilia ista incidit in feriam sextam, quid faciet bonus Titius? Resolvit pluribus Tamb. *in Decal. l.3. c.15. a n.18.* Si quidem Titius illam coincidentiam prævidit, quando vovit, nisi stulte vovisse censeri velit, servet utrumque & illo die nihil comedat, si tamen possit: nam semper impotentia excusat: Si vero non prævidit, vel cogitavit illam coincidentiam aliquando futuram, eligat, quod sibi melius, Deoque gratius videbitur, aut utrum libet. Sic ille. Sed pace tanti Viri, ego cum Gobat. hic *Alph. cit. cas.3. nu. 99.* maneo in resolutionibus datis. Si enim vota diverso tempore emissa sunt, prius servandum erit: si eodem tempore sunt emissa, eligatur, quod magis placet.

Tertium dubium. Quid si quis vovit disjunctive duas materias partim aptas, seu bonas, partim ineptas, seu malas? v.g. Vovet aut furari, ut dives fiat, aut Religionem ingredi, aut hujus amplexu frui, aut jejunare toto die. Distinguendum est. Si enim disjunctio cadat æque in utramque partem, ut quis æque promittat aut furari, aut Religionem ingredi, totum votum irritum erit, quia *malum est ex quolibet defectu*. Sin vero disjunctio non cadat æque in utramque partem, sed solum sub conditione unius partis determinatæ, intendatur altera pars bona per modum voti conditionati, ut sensus sit, delectat me furari, vel fornicari, quod si tamen facere non potero, promitto Religionem ingredi, vel jejunare, hoc votum omnino validum erit: illud autem malum propositum manebit peccatum seorsim. 73

Quartum dubium. Quid si quis voveat rem bonam, seu disjunctive bonam, vel malum, vel bonum? v. g. fœmina ferri rubiginosi vovet eleemosynam, vel jejunium DEO, si aut marito potiatur a DEO, aut saltem amasio? Resp. Liquido votum invalidum erit, nisi ex ignorantia ita vovisset, & deinde a Confessario instructa determinaret se ad solam partem licitam, scilicet maritum tantum obtinendum tunc utique votum evadet validum vi novæ voluntatis. 74

Monita generalia circa hactenus dicta.

I. AN materia voti in toto, aut in parte sit apta, nec ne, non est dijudicandum ex tempore, quo votum emittitur, sed ex tempore, *pro quo* votum emittitur, seu quo implendum est. Ut si hodie voveas, cras audire Missam. Videndum, an cras audire possis, quando est tempus audiendi Sacrum, non vero hodie. Si juvenis voveat, absolutis studiis, ingredi Religionem, supposito omni jure, si parentes ope ejus non egeant, videndum erit, an post absoluta studia parentes egeant, non vero antea, quando votum est factum. Qui vovit sequenti anno, aut soluto matrimonio, dare certam eleemosynam, obligabitur ad totum, vel ad partem, quam sequenti anno, vel solutus matrimonio, possibilem invenerit, non, quam hoc anno. 75

II. Quando materia voti a principio fuit inepta in toto, vel in parte, utpote impossibilis, illicita, minus bona, vel vana, etiamsi postea, mutata circumstantia, apta, possibilis, bona, & utilis fiat; votum tamen, sicut fuit, ita manet irritum, & non convalescit, juxta receptam regulam juris in 6. 18. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, prout in simili etiam de juramentis dictum, & eodem exemplo videre potes. Vovisti non ingredi certam domum, nullo bono fine motus; ideoque voto irrito, etiamsi postea adveniat bonus finis vitandi illam domum, ut si intret persona periculum adferens, votum tamen manebit irritum, nec obligationem adferet: etsi alias jure divino naturali tenearis fugere illud periculum. Secus dicendum esset, si votum a principio validum sit quoad materiam, & solum quoad executionem circumstantia aliqua extrinseca aliquandiu impediatur: ut si in morbo, in mari, in excommunicatione vovisti audire Sacrum quotidie per annum: certum est, te, cessante morbo, navigatione, excommunicatione, obligari voto: ea enim præsumitur, & debet esse intentio voventis: alioquin votum a principio fuisset nullum, & stultum. 76

III. Quando materia voti a principio fuit apta, & postea inepta, impossibilis, illicita, inutilis fiat: siquidem fiat inepta in perpetuum, votum omnino extinctum manebit, ut *cap. seq.* patebit. Quando vero solum fit inepta ad tempus, votum solum pro eo tempore suspenditur: unde, redeunte aptitudine, seu circumstantia illa, ob quam votum validum fuerat; votum reviviscit, & obligat. Communis. Ratio, quia pari passu ambulant obligatio voti, & aptitudo materiæ. Exempla sunt obvia, sed maneo in eodem. Vovisti justam ob causam, & ob honestum finem, non ingredi amplius certam domum, ob commorantem ibi infamem puellam, hac mortua, extinguitur tuum votum. Si autem solum ex domo discedat per annum, & redeat: interim votum solum suspenditur, & postea reviviscit, iterumque obligat. At, quid si non eadem, sed alia similis Damicella redeat, idem, vel majus periculum adferens? Resp. Votum manebit extinctum. Non enim extendebat se ad omne periculum, sed ad illud tantum ex illa individua persona promanans. 77

IV. In dubio denique de materia voti, hæc sit regula generalis. *Quandocumque constat votum ex parte voventis deliberate, & voluntarie emissum esse, dubitatur autem tantum de legitima materia voti post diligens examen, remanente dubio semper judicandum est in favorem voti.* Ratio est, quia eo ipso, quo quis scit se ex parte sua adhibuisse 78

buisse necessaria ad validum votum requisita, jam sua libertate spoliatus est, & possidet jus ad obligationem voti, etiamsi dubitetur de materia, an utilis, vel etiam licita, aut peccaminosa sit: v. g. vovisti certa bona dare pauperibus, dubitas autem, an sint tua, vel aliena, obligaris voto, habitualiter, non tamen actualiter per executionem obligaris, donec tibi constet, an revera bona sint tua. Si dubium invincibile perseveret, agendum erit juxta opiniones DD. in materia de restitutione.

RESOLUTIO COROLLARIA.

79 *Executio voti rite facta semper duplici bonitate prædita est:* nimirum aliqua bonitate requisita ad ipsam materiam validi voti, & nova bonitate superveniente ab ipso voto ex virtute Religionis, adeo ut, cæteris paribus, melius magisque meritorium sit opus factum ex voto, quam si sine voto sponte fiat. Communissima cum S.Th. 2. 2. q.88. *art.6.* Ratio, quia in primis nobilioris virtutis nobilius est opus: Religio autem est nobilissima virtutum moralium; ergo opus v. gr. temperantiæ, jejunii, continentiæ &c. ex voto factum in Dei honorem concepto, nobilius est, & melius, quam si sine voto fieret, vel servaretur. Unde eleganter D. August. *lib. de sancta Virginitate* ait: *Virginitatem non tam honorari, quia Virginitas est, quam quia Deo dicata est.* Quemadmodum e contra opus bonum voto promissum omittens gravius peccat, ita tale opus observans majorem virtutem, & præmium obtinet. Deinde qui ex voto bonum operatur, magis se Deo subjicit, & impendit, quia non opus tantum, sed etiam operandi voluntatem, & facultatem Deo obligat, consecrat: sicut plus dat, qui non tantum fructum, sed etiam arborem donat; ut notavit D. Anselm. *lib. de similitudinibus c.* 48. Quemadmodum etiam e contra gravius peccat, & majorem pœnam meretur, qui mente obstinata, & omnino ad malum determinata malum agit, & juxta Scripturam: *venumdatus est, ut ageret malum;* ita melius agit, majusque a Deo præmium meretur, qui voluntate per votum ad bonum terminata, & obfirmata, bonum agit. Sed contra

80 *Dices:* Qui ex voti obligatione operatur. 1. magis ex necessitate, quam libera voluntate operatur. 2. Sæpe inde accidit, ut eum voti emissi pœniteat. 3. Et ideo cum tædio, & tristitia operatur bonum, contra consilium Apostoli 2. Corinth.9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Resp. Negando omnia assumpta. Nam 1. Necessitas legis, & obligationis orta ex voto minime tollit libertatem voluntatis, nec minuit: quia homo justus sponte, ac libere operatur, quod lex jubet, etsi forte non operaturus, nisi lex juberet. 2. Votum Deo prudenter factum non præbet homini causam pœnitendi, vel dolendi, sed gaudendi potius, ut significatur 1. Paralipomenon *cap.29. Lætatus est populus, cum vota sponte promitterent, qui corde toto offerebant ea Domino.* 3. Tametsi aliquem pœniteat voti sui, velit, vel optet se non vovisse, nihilominus, quia vovit, potest alacri, & prompto animo votum suum exequi, superando difficultatem, non sine meriti augmento. Lege Augustinum *Epist.45. ad Riparium.* Ubi post multa egregie dicta in hanc rem, ita concludit. *Nec ideo te vovisse pœniteat; immo gaude jam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adjuvabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quæ in meliora compellit.*

SECTIO III.

Voti obligatio, & interpretatio.

SUMMARIUM.

81 *Votum obligat sub mortali ex genere suo.* & 82.
83 *Ratione tamen materiæ sæpius solum sub veniali.* & 84. *In quo*
85 *Semper principaliter attendenda est intentio voventis; & deinde materia. Unde*
86 Usque ad num.90. *resolvuntur varii casus.*
90 Usque ad num.95. *in dubio, an obligatio voti sit gravis, vel levis, interpretatio semper stricte facienda est, habita ratione materiæ, & verborum.*
95 *Omnibus vero consideratis, & nullo obstante, favendum est voventi. Unde*
96 Usque ad num.99. *resolvuntur varii casus.*
99 *Qui ex voto tenetur peregrinari ad certum locum, satisfacit, si illuc proficiscatur simul ex alia causa.* & 100.
101 *Quando tempus voto præfixum, ita determinatum est ratione ipsiusmet temporis, ob ejus scilicet specialem devotionem, censetur præfixum ad finiendam obligationem.*
102 Usque ad num.106. *Exempla varia in peregrinatione, & jejunio.*
106 *Quando vero, non ratione temporis, sed ipsius voti implendi, præfixum est, censetur præfixum solum ad non differendam obligationem.*
107 Usque ad num.111. *Resolvuntur quædam dubia.*
111 *Vota emissa absque omni certo tempore præfixo obligant ad impletionem tempore proximo commodo, & opportuno.*
112 Usque ad num.116. *Referuntur varii casus; quando liceat, vel non liceat differre impletionem voti.*
116 *In votis obsequium temporale solum continentibus, dilatio quæcumque sine alio incommodo, probabiliter solum venialis est.*
117 *Secus est in votis perpetuum Dei obsequium continentibus.*
118 *Obligatio voti est simpliciter personalis.* usq. ad 121. *Unde*
121 *Voluntarie in se suscipiens obligationem exequendi votum alterius, non obligatur ex vi voti, sed communiter*
122 *Ex virtute fidelitatis,*
123 *Sub mortali, vel veniali, prout intendit eam in se suscipere.*
124 *Nullus per se directe vovere potest factum alterius.*
125 *Obligatio voti personalis ita personalis est, & ipsius voventis, ut ei nullatenus satisfacere possit per alium. Unde*
126 *Qui illud per se ipsum, sive culpabiliter, sive inculpabiliter implere nequit, non tenetur substituere alium.*
127 *Nec ejus obligatio transit ad hæredes;*
128 *Nisi vovens expresserit per alium satisfacere: e contra.*
129 Usque ad num.133. *Obligatio voti realis, quoad ministerium saltem (etsi non quoad substantiam rei promissæ) etiam per alium impleri petit, & ad hæredes transit: circa quos*
133 *Quædam notantur.*
134 Usque ad num.138. *Quæ, quando, & qualis sit obligatio votorum mixtorum.*

ASSERTIO III.

Votum rite factum obligat ad sui impletionem sub mortali ex genere suo. Principaliter semper attendenda est intentio voventis, deinde materia. In dubio, habita ratione materiæ, & verborum, interpretatio semper stricte fieri debet, & in favorem voventis: servato tamen tempore præfinito, vel proximo commodo. Est tota communis, & secura doctrina, ut patebit. Quatuor autem hic non levis momenti explicanda sunt. 81

§. I. *Obligat sub mortali ex genere suo.*

Omnes. Et certum de Fide. Deut.23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris: quando autem semel egressum est de labiis tuis, observabis.* Rursus ibidem. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Ecclesiast.5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim Deo infidelis, & stulta promissio.* Et severius in nova Lege 1. Timoth.5. Dicitur de viduis contra votum continentiæ nupturientibus: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Et Actorum 5. Ananias, & Saphira conjuges ob violationem voti conferendi omnia in communi, subitanea morte puniti sunt, dicente Petro: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Tandem definitur ab Innocentio III. *cap. licet, de voto.* Et approbat totius Ecclesiæ consensus detestantis, ut gravissimum peccatum, matrimonium alias licitum, iniri contra votum castitatis. Ratio est, quia obligatio voti oritur ex virtute Religionis, & fidelitatis Deo præstandæ, adeoque de se gravis est, ejusque transgressio ex genere suo mortalis, & quasi sacrilegium contra secundum præceptum Decalogi, *Non assumes* &c. vere etiam in vanum assumit Nomen Domini, qui promissionem ipsi Deo factam violat. 82

Dixi autem *ex genere suo:* nam ut votum in specie, ac in individuo sub mortali obliget, omnino requiritur materia gravis, & tantæ obligationis secundum rectam rationem capax: adeo ut si materia simpliciter tam ex natura sua, quam ex circumstantiis levis sit, & exigua: v.g. vovisti recitare quotidie aliquot Pater, & Ave, Litanias B. M. Virginis, genuflectere coram imagine sacra, cum transis, quotidie semel visitare Venerabile multum distans &c. voti quoque obligatio exigua, & levis erit, ejusque transgressio venialis tantum: idque non solum quando materia parva est solum partialis materia voti: ut si vovisti dicere Rosarium, & omittas unam decadem, vel aliquot Ave Maria: tunc culpam venialem non excedere, omnes agnoscunt: sed etiam, quando materia parva est tota materia voti, ut in exemplis allatis. Uti (contra Armillam, Toletum, & nonnullos alios) docet communis DD. & ipse Navarrus *c.12. n.40.* Sotus *lib.7. qu.2. art.1. §. conclusio ergo,* plurimisque congestis Sanch. *lib.4. cap.12. n.5.* & Laym. *cit. c.3. nu.2.* Ratio est, quia votum, cum sit lex quædam privata, obligat per modum aliarum legum latarum a Deo, vel Ecclesia: aliæ autem leges non obligant sub mortali in materia simpliciter levi, & exigua, ut patet facili inductione, etiam septimo, & octavo præcepto Decalogi, sed requiritur materia ex natura sua, vel circumstantia gravis, ideoque secundum rectam rationem capax obligationis mortalis: ergo idem dicendum de obligatione voti, & quidem a fortiori; non enim recta ratione præsumi potest de bonitate divina, Deum acceptare pro- 83

missionem liberam hominis sub mortali obligatione, & æternæ damnationis reatu, de re simpliciter levi, & exigua.

84 Dixi rursus: *quando materia voti est levis simpliciter tam ex natura sua, quam ex circumstantiis*. Quod si enim materia voti, etsi ex se levis, tamen ratione circumstantiæ, vel finis, gravis censeatur, votum totum obligat sub mortali v.g. non intrare certam domum, non ludere, Religiosum non bibere in domibus sæcularium, etiam unicum vitrum &c. etsi ex natura sua sint materia levissima, tamen ratione circumstantiarum, periculorum, vel damnorum inde emergentium, censentur materia gravis, & per hoc, sicut possunt esse materia præcepti obligantis sub mortali, ita & erunt sufficiens materia voti obligantis sub mortali. Ex communi doctrina in materia de legibus.

§. II. *Principaliter semper attendenda est intentio Voventis, deinde materia &c.*

85 Voti obligatio quoad qualitatem, & quantitatem principaliter mensuranda, & interpretanda est ex intentione voventis, & postea primo ex materia. Ratio, quia votum est lex quædam privata, a vovente sibi ipsi voluntarie imposita per modum Legislatoris: atqui intentio Legislatoris est anima legis, neque obligatio legis unquam excedit mentem, & intentionem Legislatoris: ergo obligatio voti semper principaliter mensuranda est ex intentione voventis, neque ea obligatio eam intentionem unquam poterit excedere, quantum scilicet ad quid, & qualiter se obligare voluerit. Ulterius, sicut aliarum legum, ita etiam voti obligatio mensurari debet, non præcise ab intentione legislatoris, sed habita etiam ratione materiæ capacis talis, vel talis obligationis. Et hinc resolves,

86 I. Quando vovens absolute intendit se obligare ad aliquid faciendum, vel omittendum, nec determinat, an sub mortali, vel veniali, aut post factum ignorat, vel dubitat, an sub mortali, vel veniali se obligare intenderit; recurrendum est ad materiam, quam vovit, quæ si ex natura sua, vel circumstantia, gravis sit, censebitur obligari sub mortali; si vero levis, sub veniali tantum. Nam ut late probat Menochius *de præsumptionibus lib. 6. præsumptione* 10. per totam. *Actus præsumitur in dubio factus secundum ejus naturam*. Censebitur autem communiter res gravis, quæ, spectatis omnibus circumstantiis, censeretur gravis, si de ea lex aliqua publica a Pontifice, vel Ecclesia ferretur. Quare votum de annua confessione, annua Communione, audiendo Sacrum, jejunio unius diei, &c. censetur de re gravi, & obligare sub mortali: quia leges Canonicæ de Confessione & annua Communione, Sacro audiendo die festo, de jejunio &c. obligant sub mortali. Contra vero vota orandi quotidie quinque Pater, & Ave, vel Litanias B. M. Virginis, dandi duos, aut tres cruciferos egentibus &c. censentur esse de re levi, & sub veniali tantum obligare, quia etiam respectu legum publicarum censerentur esse de materia levi, & eorum executio non multum confert, nec eorum omissio multum derogat honori divino. Sed accipe casum, & applica ad similia. Titius in ebrietate patravit turpe crimen, a quo prius multum abhorrebat; redditus sibi vovet per integrum mensem abstinere ab omni potu vini, voto utique de re gravi, & obligante sub mortali, sed postea in gratiam hospitis bibit subinde unicum vitrum: an, & quantum peccavit? Resp. cum Gobat. *cit. casu* 3. *n.*91. Si vitrum parvum fuit, unum ex illis, quale etiam sobrius uno haustu exhaurire solet, non peccasse mortaliter: id enim communi æstimatione, maxime apud Germanos, censetur esse res levis. At quanta vini quantitas eo casu requiretur ad inducendam noxam lethalem? Certe nimis laxe, etiam Germanorum sensu, Castro-Palaus requirit eam quantitatem, quæ alicui viro temperate utenti sufficeret pro uno prandio, nimirum dimidium, vel tres partes nostratis mensuræ. Placet ergo comparatio cum collatione vespertina communiter admissa; nimirum quarta parte justæ refectionis: ita ut eo voto astrictus sibi bibendo vinum quartam partem vini soliti adhiberi pro justa refectione non excedens, solum venialiter: at vero notabiliter excedens, lethaliter delinquat. Applicatio est facilis etiam in praxi. Vide circa hanc materiam mire pulchra, & curiosa apud Gobat. *in Theologia Juridica cap.*4. *tract.*5. *sect.*2. *num.*19.

87 II. In quacumque materia quantumvis gravi potest vovens, intentione restricta, se solum obligare, & restringere suam obligationem ad veniale tantum. Ratio dicta est, quia votum est lex privata ex intentione, & arbitrio voventis sibi imposita: ideoque nunquam potest excedere intentionem voventis: nam sicut *Nemo se obligat, qui non habet intentionem se obligandi, cap.* litteraturam, de voto, & voti redemptione: ita nemo se obligat graviter, sed expresse leviter tantum, & sub veniali se obligandi v. gr. potes vovere jejunium quatuor dierum, ea tamen expressa intentione, ut velis te solum obligare ad peccatum veniale, si fueris transgressus in toto, vel in parte. Quinimo eadem ratione potest vovens in quacumque materia intentione restricta se obligare solum ad pœnam, vel pœnitentiam aliquam, si prævaricetur, & ad nullam culpam: uti de facto sunt totæ Regulæ Tertiariorum. Et tali etiam modo conduntur Leges, & Statuta Religiosorum. Sed adhibe limitationem mox *num. seq.* apponendam.

III. Insuper eadem ratione potest quis vovere aliquid facere, vel omittere alias de præcepto naturali, vel positivo sub peccato mortali faciendum, vel omittendum: v.g. diebus Dominicis audire Sacrum, non fornicari, non amplius adulterium committere; eadem tamen intentione, ut vi voti sui tantum obligetur, vel ad venialem culpam, vel ad solam pœnam aliquam, si transgressus fuerit. Quo casu transgressus tale votum, peccabit quidem mortaliter contra illud præceptum: at vi voti contra virtutem Religionis solum venialiter delinquet, aut solius pœnæ impositæ reus erit. Verum, hæc dicta intelligenda sunt de votis simplicibus tantum: nam votum solemne, cum ex institutione Ecclesiæ sit absolutum, & statum mutans, sub obligatione mortali institutum est; & ideo non pendet ex sola intentione voventis, sed vovens intentionem suam institutioni Ecclesiæ, votum per Prælatum solemniter acceptantis, conformare tenetur, seclusa omni conditione contraria. Alioquin si non intenderet vovere juxta institutionem, & acceptationem Ecclesiæ, votum esset irritum, & nullum. 88

IV. Verumtamen votum manens in re levi, & exigua tam ex natura, quam ex circumstantiis (v.gr. orare tria Pater, & Ave ex gratuita devotione) non potest, etiam de expressa intentione voventis volentis se obligare sub mortali, ad peccatum mortale obligare. *Communis apud cit.* Ratio patet ex dictis; Quia quantitas obligationis non præcise ex intentione Legislatoris mensuranda est, sed etiam ex materiæ capacitate ad talem obligationem: adeoque licet obligatio nunquam possit excedere Legislatoris intentionem, potest tamen materia esse incapax tantæ obligationis, quantam intendit legislator, vel vovens: atqui certum est materiam omnino, & simpliciter levem, non esse capacem obligationis sub peccato mortali, & æternæ damnationis reatu, id enim omnino repugnat infinitæ bonitati, & benignitati divinæ: ergo &c. *Deinde specialiter:* Obligatio voti essentialiter non tantum pendet ex intentione voventis, sed etiam ex acceptatione ejus, cui fit votum, scilicet Dei: atqui votum, vel promissio rei omnino levis sub peccato mortali, utpote imprudenter, & stulte facta in materia incapaci tantæ obligationis, non acceptatur a Deo tanquam obligans sub mortali; displicet enim stulta ista promissio: ergo &c. Vide Suarez, Laym. Sanch. *ll. cc.* Adverte tamen hic eum, qui vovit rem levem sub mortali, utique etiam formare sibi conscientiam erroneam, se ad id obligari sub mortali: quare si cum hac conscientia erronea postea transgrediatur votum, utique peccabit mortaliter. At non vi voti, quod fuit incapax tantæ obligationis, sed vi conscientiæ erroneæ dictantis se ad id obligari sub mortali, qua ratione quælibet materia venialis, immo omnino non peccaminosa, potest fieri mortalis. Res nota in materia de conscientia. 89

§. III. *In dubio, habita ratione materiæ, & verborum, interpretatio semper stricte fieri debet.*

Quando ex intentione voventis non constat, sed dubium manet, qualiter, vel quantum is intenderit se obligare, tunc

I. Obligatio interpretanda est secundum verborum, quibus usus est, proprietatem, seu communem, & usitatam acceptionem, dummodo vovens talem sensum verborum perceperit: non enim per verba significat, nisi quod iis significari intelligit. V. gr. Qui vovit Ecclesiæ calicem, in dubio interpretatur obligari dare calicem argenteum: utpote qui ad cultum divinum, & reverentiam Sacramenti magis idoneus sit, & vulgari usu significatur nomine *Calicis*: non ergo aureum, sed nec cupreum, vel stanneum: *argum. cap. calix d.*1. *de consecrat.* Communis DD. Sanch. *cap.*23. *num.*13. Laym. *cit. cap.*3. *num.*4. 90

II. Quando neque ex intentione voventis, neque ex forma verborum voti, constat, sed dubium manet, ad quid, vel qualiter intenderit se obligare vovens, tunc materia voti inspicienda est, & voti obligatio interpretanda juxta materiæ promissæ naturam, & conditiones, vel circumstantias necessario requisitas. Omnis enim promittens aliquid, præsumitur tali modo se id obligare voluisse, sicut rei promissæ natura postulat. V. gr. Qui vovit recitare Rosarium, vel alias quascumque preces, tenetur recitare attente, & devote, sicut ad naturam orationis requiritur. Communis DD. cum modo citatis. Vide in Tractatu de Horis Canonicis. 91

III. Quando nec ex intentione voventis, nec forma verborum, nec natura materiæ voti satis constat, qualiter votum obliget, tunc votum interpretandum, & observandum erit eadem ratione, modo, & circumstantiis, ac si lex esset divina, vel Ecclesiastica de illa re, ut plurimis citatis optime docet Sanch. *cit. c.*11. *a n.*30. Ex.gr. Qui vovit legere, vel audire Sacrum, recitare Horas canonicas, aut alia officia, tenetur ea facere eadem intentione, eadem integritate; iisdemque modis peccaret contra voluntatem, quibus peccaret contra 92

tra præceptum Ecclesiæ, utpote omittendo, immutando, transponendo, differendo, &c. iisdemque modis satisfaciet, v. g. legendo Horas cum socio &c. ut notat ibid. Sanch. *n.* 37. Similiter ergo, qui vovit jejunium certo die tenetur illud servare secundum formam jejunii Ecclesiastici, videlicet una refectione, & abstinendo a carnibus, admissa collatiuncula vespertina, eadem quantitate, & qualitate, sicut in jejunio Ecclesiastico. Unde saltem in Germania, vovens jejunium, tam intra, quam extra Quadragesimam, potest vesci ovis, & lacticiniis: quia lex jejunii Ecclesiastici in Germania aliter non obligat. Qui vovit jejunium in Vigilia certi Sancti, eaque incidat in Dominicam, potest, & rectius facit, jejunando Sabbato præcedenti: quia sic habet mos Ecclesiæ in Vigiliis Festorum. Qui vovit jejunium singulis feriis sextis, vel Sabbatinis, si eo die incidat Natalis Domini, non tenetur jejunare more Ecclesiastico, nisi expressa contraria fuerit intentio, aut consuetudo, ut modo est apud Fratres Minores. Qui vovit jejunare per integrum mensem, vel 40. dies, non obligatur jejunare diebus Dominicis incidentibus: is enim est mos Ecclesiæ, Tamb. *lib.* 3. *cap.* 15. §. 6. Qui vovit jejunare perpetuo, seu tota vita, non obligatur amplius sexagenario major, sicut nec amplius obligatur jejunio Ecclesiastico, nisi expresse aliud intenderit. Idque etiam de Professis Regulam S. FRANCISCI bene docet Marchant. noster *Tribunali part.* 2. *tr.* 12. *tit.* 3. *qu.* 4. §. 1. Item principaliter, qui voto jejunii adstrictus formam jejunii Ecclesiastici semel violavit, aut secundo reficiendo, aut carnibus vescendo, non tenetur deinceps abstinere, sed comedere potest toties quoties, eo quod formam jejunii Ecclesiastici semel violatam amplius servare nequeat: idque quoad cibos esuriales, certum apud omnes.

93 Controversum vero, an liceat deinceps etiam sæpius comedere carnes, an vero abstinere teneatur, sicuti in jejunio Ecclesiastico. Affirmat Suarez *lib.* 4. *de voto cap.* 8. *n.* 12. eo quod votum jejunii intelligatur more jejunii Ecclesiastici, quod ita præcipit jejunium, ut prohibeat eo die comedere carnes pro semper. Contrarium tamen, nempe talem deinceps non teneri abstinere a carnibus, probabiliter docet Sanch. *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 42. & consentit Layman *cit. cap.* 3. *nu.* 3. Ratio est, quia est differentia aliqua quoad hoc inter preceptum Ecclesiæ, & votum jejunii: quod nimirum preceptum Ecclesiasticum præter jejunium unius refectionis, distincte, & separatim obliget ad abstinentiam a carnibus, etiam non jejunantes, aut a jejunio unius refectionis excusatos: at vero votum jejunandi certo die, utrumque, & unicam refectionem, & abstinentiam a carnibus, copulatim per modum unius comprehendit: quare si alterum, seu justa, seu injusta causa, violatum sit, obligatio, & observatio voti omnino corruet. Probabilis omnino Sententia, sed opposita communior, & tutior.

94 Cæterum alia longe est ratio, cum quis expresse, & directe vovit certo die abstinere a carnibus, a vino, & lusu. Talis enim, etsi semel violato voto, peccaverit, tenetur tamen deinceps servare, ita ut peccet toties quoties carnes comederit, vel vinum biberit, vel contra votum luserit, juxta rationem materiæ, mortaliter, vel venialiter. Communis cum Navar. *cap.* 12. *num.* 23. Suarez *cit. num.* 12. Sanch. *num.* 41. Laym. *cit. num.* 7. *in fin.* Ratio autem est, quia votum abstinentiæ negativum est, ut sensus sit, voveo, me tali die nunquam carnes comesturum, vinum bibiturum, lusurum, &c. Adeoque per modum præcepti negativi *semper, & pro semper*, intra tale tempus obligat: votum vero jejunandi formaliter esse affirmativum: nimirum semel tantum comedendi de die, cum abstinentia a carnibus, quod non pro semper, sed certa hora tantum obligat. Unde consequenter resolves, eum, qui vovit jejunare in pane, aqua (N. B. in his terminis) si semel jam bibendum vinum votum violavit, non teneri deinceps abstinere a vino, sed ad libitum bibere posse (servato tamen deinceps jejunio Ecclesiastico, quod principaliter vovisse censetur) ut resolvit Sanch. *cit. cap.* 11. *nu.* 41. ob rationem datam. At vero qui vovit expresse tali die abstinere a vino, voto omnino negativo, & pro semper obligante, omnino peccabit toties quoties bibendo, ut dictum est in simili.

95 IV. Denique omnibus consideratis, & nullo obstante, in dubio votum semper stricte interpretandum est in favorem voventis, ita ut illi liberum sit utramlibet partem dubii eligere. *Communis*. Ratio, quia in tali dubio, quando nec ex intentione voventis, nec ex forma verborum, nec ex natura materiæ, neque ex respectu ad præceptum, aliquid certi pro voto constare potest, melior est conditio possidentis suam libertatem. Deinde *L. quidquid adstringendæ, ff. de verb. oblig.* dicitur: *cum de obligatione agitur, stricte interpretatio facienda est*. Votum autem gravissimam continet obligationem: ergo &c. Nec est contra voti favorem, ac reverentiam: quin potius pro: Sic enim homines magis provocabuntur ad vota in honorem Dei nuncupanda, ipsaque vota melius observabuntur, si benigna eorum interpretatio, & exactio potius, quam rigida, fieri soleat: uti etiam exemplo docetur in Jure Canonico *c.* Ex parte, de Censibus. Ubi dicitur. *In dubio, de qua mensura, majore ne, an minore, vota edita sint, volentes solvere minorem, cogendos non esse, ut majorem persolvant: quoniam cum ejusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt a viris Ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores lucris temporalibus inhiare.* Ubi Glossa ait: *Ideo pro eis bona fit interpretatio, ne ipsorum munificentia erga Ecclesias retardetur*. Argumentum vero ejusdem capitis recte excipit: *Nisi ex consuetudine habitatorum talis loci major mensura intelligenda sit*. Hæc ibi. Eadem ratione resolvendum in aliis casibus. Sed in gratiam juniorum afferamus exempla.

I. Qui vovit Rosarium, & dubitat, an totum quindecim decadum, an vero partem tantum, quinque, vel sex decadum, potest eligere tertiam partem tantum, quia & hæc communiter Rosarium appellatur. Item potest recitare Rosarium cum socio alternatim, quia sic jam est usus apud nos. Qui vovit audire Sacrum quotidie die Dominico, vel Festo, non tenetur audire duo Sacra unum pro præcepto, alterum pro voto: quia intentio voventis solum fuisse censetur, nullum diem transire sine Missa. Et ipsa Ecclesia, Festo incidente in Dominicam, non obligat ad duo Sacra. Qui vovit peregrinationem, in dubio de modo, potest implere peregrinatione equestri: nam & hæc in rigore peregrinatio est. Qui vovit abstinere a vino, etiam ad evitandam ebrietatem, non tenetur abstinere a cervisia, mulso, vel simili potu, etiamsi inebriante. Hæc enim non sunt vinum, & finis extrinsecus voti non cadit sub obligatione, sicut nec finis præcepti sub præcepto cadit. 96

II. Qui vovit castitatem, dubitat vero, an in, vel extra Religionem: an perpetuam, vel temporalem tantum; potest eligere temporalem, vel sæcularem extra Religionem. Monent tamen DD. hic, eum, qui absolute dicit: *voveo castitatem:* intelligi de castitate perpetua. Similiter qui vovit non accedere, vel tangere fœminam: dubitat autem, an intellexerit de accessu fornicario, vel illicito tantum, an etiam maritali, potest minus eligendo, ducere uxorem, & in simili fœminæ nubere. Item qui vovit Religionem, dubitat autem, an tantum ingressum, aut etiam Professionem voto intenderit, vi voti non tenetur perseverare. Similiter qui vovit absolute Religionem ingredi, dubitat autem, vel non determinavit, quamnam in particulari: potest quamlibet etiam laxiorem, dummodo observantem, eligere. *Omnia communiter DD. & citati omnes.* 97

III. Universaliter. Qui vovit quamlibet rem indeterminate, sive in quantitate, numero, mensura, ut dare eleemosynam; sive in qualitate, ut vinum, frumentum, panem &c. non decernendo, cujus bonitatis, sive in individuo, ut ovem, vaccam &c. non determinando quamnam: votum utique validum, & licitum est, cum indeterminatio non tollat bonitatem materiæ: attamen satisfacit dando in quacumque, etiam minori, quantitate, qualitate, vel individuo statui suo non repugnante. V. g. Qui vovit orationem indeterminate, satisfacit dicendo Pater, & Ave. Qui vovit eleemosynam indeterminate, satisfacit dando quamlibet, statum suum non dedecentem. Qui vovit dare oleum Ecclesiæ, dubitat autem, an oleum olivæ, vel lini, potest hoc deterius dare, si hujus usus sit in ea Ecclesia: Qui vovit dare vinum Ecclesiæ ad Sacrificia, satisfacit dando vinum mediocre Sacrificio aptum, & in tali Ecclesia alias adhiberi solitum. *Casus recens*. Vovit quis vinum pro Missis dare certis Religiosis, onere perpetuo ad hæredes transmisso. Hi (ut fit) non dederunt, nisi vinum infimæ qualitatis: certe non satisfecerunt voto defuncti, nisi vinum bonum, & Sacrificio dignum ministrent, ideoque saltem mediocre: præsertim cum defunctus ipse semper præcipuum dederit, Tambur. *supra cit.* Alius casus difficilior. Quidam duas vaccas alens, unam ex illis Deo ad sacram quamdam Ædem devovit: ante electionem altera vacca periit: tenebiturne dare alteram? Integre dandam, docent Castro-Palaus, & Bonacina. Dividendam in re, vel in pretio putat Molina, & cum aliis Sanch. *lib.* 4 *Decalogi cap.* 13. *nu.* 19. Utrumque probabile, si homo satis dives sit: Si secus, crederem cum Tamburino, voventem ad nihil teneri: quia tunc ejus intentio censetur fuisse: dabo unam de duabus, si utraque sit superstes, ut sic etiam meæ necessitati provisum maneat. 98

IV. Probabilis omnino, & in praxi, ac conscientia tuta est sententia, illum, qui ex proprio voto tenetur peregrinari ad aliquem certum locum, satisfacere huic suæ obligationi, itinere ad illum locum facto alia de quacumque causa, v. g. recreationis gratia ad amicum visendum, ad nundinas &c. etiam ad alia negotia ibi peragenda, ab alio stipendio conductus, & obligatus, v. gr. nuncius ad portandas litteras, ad alium peregrinantem comitandum, vel vehendum: immo etiam ad alterius votum, simul cum suo proprio voto explendum, dummodo simul habeat animum suum votum explendi, & aliquin voto suo debite satisfaciat. Ita absolute Castro-Palaus apud Gobat. *casu* 7. *nu.* 241. consentientem, & Tamb. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 3. §. 7. *n.* 23. in casu, quo scis quidem, te emisisse illud votum, at dubitas, an in illo voto incluseris laborem pereginationis. Et ipse Sanch. *lib.* 4. *de voto c.* 11. *n.* 68. in casu, quando abstraxisti a labore itineris specialiter obeundi in honorem B. V. Mariæ, Quando etiam de labore subeundo in tali perigrinatione vovens cogitavit, Sanchez quidem negat tunc voventem satisfacere simul suo voto, & obligationi pro stipendio. Sed constanter affirmat P. Castro-Palaus, ibid. & 99

probabiliter. Ratio est, quia receptum est apud Theologos in materia de legibus, per se generaliter nihil obstare, quo minus possit uno actu, extra materiam justitiæ, satisfieri duabus distinctis obligationibus: cur igitur uno itinere non possim explere obligationem votivam peregrinandi Lauretum v. gr. & simul obligationem stipendiariam illuc, vel illac alterius negotii causa commeandi: modo ibidem religiose visitem sacram Ædem, & perficiam, quæ ibidem facienda promisi Virgini Matri Mariæ? Ex hac probabili sententia resolves hunc casum recentem. Hermenegildus Viennæ emisit duo vota: unum peregrinandi ad B. V. Oettinganam: alterum ad Deiparam Passaviensem. In dubio intentionis habitæ satisfacietne eodem itinere invisendo utramque sacram Ædem? Resp. Affirmative. Idque omnino certum videtur, si Hermenegildus memor prioris voti, emisit posterius, v. g. memor voti Oettingani, dixit: *Voveo insuper visitare B. Virginem Passavii;* non e contra autem. Tunc enim non potest esse dubium de intentione unius tantum itineris. At si immemor prioris voti, emisit posterius, Sanch. *loc. cit. n.*68. obligabit ipsum ad binas peregrinationes Vienna obeundas, omnino tutius. Sed certe probabiliter quoque hujus Viennensis libertati patrocinabitur P. Castro-Palaus, consentiente P. Gobat. *cit. n.*256. Nam in dubio generaliter odiosa sunt restringenda; & huic restrictioni nihil obstare videtur ob rationem modo datam. Cæterum ibidem Gobat. *n.*243. non audet affirmare, eum, qui vovit se bis visitaturum Ædem Sacram Oettinganam, satisfacere uno itinere eo pergendo, & ibidem ex hospitio bis eandem sacram Ædem visitando. Nam communiter saltem intentio voventis fuisse videtur bis conficere illud iter, idque maxime, si verba voventis hoc sonent: v. g. *bis peregrinatum ibo ad illum locum*. Lege eundem eodem casu 7. per totum.

§. IV. *Servato tamen tempore præfinito, vel proximo commodo.*

100 Res certa apud omnes, votum obligare ad suam impletionem, aut pro tempore præfinito, ac determinato ab ipso vovente; aut si nullum tempus determinavit, tempore proximo, ac opportuno. Verum duo hic valde intricata, & controversa explicanda sunt. *Unum*: utrum, si votum tempore determinato impletum non sit, adhuc maneat obligatio implendi postea. *Alterum;* quanta debeat esse dilatio, ut censeatur transgressio voti mortalis. Pono quatuor Resolutiones, ac regulas casibus exemplificatas.

REGULA I.

101 Quando tempus voti implendi præfixum, ac determinatum est ratione ipsius temporis; puta, ob specialem devotionem talis temporis, vel aliam peculiarem connexionem cum tali tempore, censetur determinatum ad finiendam obligationem; ideoque si eo tempore, vel die non adimpleatur, vel omittatur votum, jam peccatum commissum est grave, vel leve, pro ratione materiæ: obligatio autem voti prorsus extinguitur, ut non amplius tenearis implere postea. Communis DD. cum Sanch. *lib.*4. *moral. cap.*14 *a num.*25. Ratio est, quia tunc votum per modum unius copulatim comprehendit, & rem promissam, & hanc circumstantiam temporis velut intrinsecam voto: ergo cum, illo tempore transacto, sit impossibile votum implere cum illa circumstantia, tota obligatio cessabit. Exemplis res clara fiet.

102 I. Vovisti audire Sacrum, vel jejunare &c. die Veneris ob specialem devotionem Passionis Christi: die Sabbati ob devotionem erga B. V. MARIAM: die S. Sebastiani ob patrocinium contra pestem: die S. Apolloniæ ob devotionem contra dolorem dentium, & sic de cæteris: in his tempus, & dies censetur determinari ad finiendam obligationem, ut si eo die negligas, altero supplere, nec debeas, nec possis. Sicuti si vovisses recitare Rosarium coram determinata Imagine B. Mariæ Virginis, propter ejus Imaginis peculiarem devotionem, si coram illa Imagine recitare non possis, non teneris coram alia Imagine recitare, quia nimirum illa promisisti pro tali die, vel coram tali Imagine copulatim, & non aliter.

103 II. Votum peregrinandi Romam hoc Anno sancto, illo translacto, omnino cessat: quia inseparabiliter conjuncta est res promissa cum illo anno. Simile est, si viduus, vel vidua quidpiam voveant pro toto tempore viduitatis usque ad novas nuptias: si eo tempore non possint, vel negligant, non tenentur supplere post tempus viduitatis, novo Matrimonio contracto.

104 III. Si vovisti jejunare per totam vitam semel in Septimana: si una septimana semel non jejunasti, cum, vel sine culpa, non teneris supplere in alia hebdomada jejunando bis. Quia ex prima intentione tua addicitur jejunium illis singulis Septimanis, cum finis principalis tuus fuerit te singulis Septimanis semel mortificare pro peccatis, in memoriam Passionis Domini, vel quid simile.

105 IV. Si vovisti jejunare singulis feriis sextis toto hoc anno, & aliquot feriis sextis hoc anno non potes, vel negligis, non teneris supplere altero anno, sed totum votum cum priori anno extinguitur: quia copulatim, & inseparabiliter cum hoc anno jejunia fuere promissa. Secus esset, si vovisses jejunare per unum integrum annum principaliter, & secundario solum hunc annum determinasses: tunc enim si hoc anno aliquoties omittas, v. gr. duobus Mensibus, teneberis supplere totidem mensibus sequenti anno: hoc enim casu materia voti esset dividua ab hoc anno, consequenter pars omissa transibit ad annum sequentem. Idem posset contingere in eleemosyna: Ut si vovisses singulis diebus eleemosynam dare, vel in honorem Sancti eo die occurrentis, vel ut nulla dies sine eleemosyna transeat: si uno die quacumque causa omitteres, non teneris supplere. Verum quia eleemosynæ plerumque solent promitti, non ratione temporis principaliter, sed ob ipsam misericordiam, ac inopum miseriam sublevandam, ideo recte monet Sanch. *cit. num.* 37. communiter eum, qui sic vovit, teneri supplere, si quid uno die forte omisit, nisi de alia expressa intentione constet. In dubio placet regula communis apud Dian. *p.*5. *tr.*5. *resol.*53. In votis personalibus censetur obligatio esse annexa diei: in realibus prorogari, nisi aliud aliunde constet. His denique addendum, ut certum, qui tali modo aliquid vovit pro certo die, vel tempore, etiamsi prævideat se votum suum statuto die, vel tempore non posse adimplere, non tenetur, nec potest prævenire citius; sicut nec postea supplere tenetur, quia votum signate de tali die, vel tempore est editum, non de alio. Nec potest etiam prævenire, quia sic non satisfacit voto, quoad circumstantiam illam temporis simul copulatim promissam. Excipe nisi vellet anticipare animo commutandi votum prius quoad hanc circumstantiam temporis: regulariter enim semper melius, Deoque gratius censetur opus bonum hodie facere, quam cras, vel postea.

REGULA II.

Quando tempus votum adimplendi determinatum est, non ratione ipsius temporis ob ullam specialem connexionem, vel devotionem talis temporis, sed solum ratione ipsius voti adimplendi, censetur, & dicitur determinari tempus solum ad non differendam obligationem: ideoque vovens omnino eo tempore tenetur implere, prout sese obligaverat, & insuper eo die, vel tempore cum, vel sine culpa elapso, absque impletione voti, adhuc manet obligatio voti adimplendi tempore proximo commodo. Communissima DD. quos late congerunt Sanch. Laym. cit. Ratio est, quia res voti promissa, & circumstantia temporis non voventur per modum unius, & copulatim, sed per modum duorum, & sunt virtualiter quasi duo vota, & de tali re facienda, & tali tempore facienda, non ultra differenda: non enim tempus determinatum erat ob specialem devotionem, connexionem, vel respectum ipsius temporis, sed solum ut terminus executionis, intra quem votum implendum sit, ita ut ultra protrahere non liceat, atque adeo, licet transacto tempore, impossibile sit servare eam circumstantiam temporis, adhuc tamen manet obligatio rei promissæ principalis. Sumitur ex jure *L. Celsus, ff. de Receptis arbitris*. Ubi habetur: Jussum dare decem certo tempore, duo præcepta habere, unum dandi; alterum, eo tempore, ac proinde transgressorem posterioris, adhuc teneri ad prius. Idem est in proposito nostro. Itaque talis statuto tempore, vel die non solvens votum suum, eo ipso peccat, & tamdiu, tantoque gravius peccat, quo diutius differt solvere culpabiliter: retenta tamen voluntate solvendi, & secluso contemptu, non erit damnandus peccati mortalis, nisi a principio ad ipsum tale tempus se intenderit obligare sub mortali, aut nimia fiat dilatio, judicio prudentis æstimanda, aut subsit periculum oblivionis, vel omissionis: de quo mox plura in simili. Exemplis cape. Qui vovit intra annum ingredi Religionem, proximo mense confiteri, proxima septimana dare eleemosynam &c. elapso illo termino adhuc obligatur voto ob rationem regulæ datam. Item, qui vovit Religionem ingredi in ipso festo S. Ignatii, & eo die negligit, tenetur postea: quia licet illa dies contineat particularem devotionem, ex mente tamen voventis, perpetuum Deo obsequium promittendi, clare apparet illam devotionem non fuisse finem principalem, sed secundarium tantum. Secus esset, si pro eo die vovisset communicare, Sacrum audire, juxta regulam præcedentem. Item, si vovisti jejunare tot diebus, quot sunt feriæ sextæ per annum: si hoc anno omisisti, teneris supplere altero anno, quia iterum apparet votum non fuisse propter devotionem hujus anni, vel huic anno addictum. Et ita in similibus. Verum hic aliqua magis dubia explicanda sunt. 106

I. Qui prædicto modo aliquid vovit pro certo tempore, & prævideat, se votum non posse implere statuto tempore, vel die, non solum licitum, ac laudabile erit prævenire, *secundum omnes*, sed etiam prævenire tenebitur anticipando ad antecedens tempus, vel diem commodum: Ut contra alios, cum aliis communius, probabilius, & sine dubio tutius docet Sanch. *cit. cap.* 14. *n.* 18. Ratio est, quia licet tunc antea nondum advenerit tempus implendi præfixum explicite, adest tamen semper tempus implendi 107

præ-

præfixum implicite. Qui enim vovit communicare, v.gr. proximo die festo, solum ad non differendam ulterius obligationem, censetur etiam implicite velle anticipare, si eo die non possit, tanquam medium necessario requisitum, ne ulterius differatur opus votivum. Excipe: nisi præcedens tempus esset minus commodum voto; ut si vovisses jejunare proxima feria sexta, non teneris anticipare in feriam quintam, quia dies ille jejunio minus commodus est, quod eo die esuriales cibi non præbeantur (adde sic præter intentionem fieri tres dies esuriales) ut ideo ad illud se obligare voluisse censeri non possit.

108 II. Illud autem certum est, quod, qui vovit aliquid facere intra aliquod certum præfinitum tempus, v.gr. intra hanc septimanam semel jejunare, intra singulos menses semel confiteri, aut communicare, intra annum semel peregrinari &c. si prævideat impedimentum in fine illius temporis, septimanæ, mensis, anni &c. teneatur omnino prævenire, & anticipare, quia obligatio tunc cadit in totam latitudinem septimanæ, mensis, anni &c. & sic cum libertate singulorum dierum, quemadmodum si die Dominica prævideas te impediendum ab audiendo Sacro, non teneris quidem audire die Sabbati, ut notum est: at, si ipso die Dominico mane prævideas, te impediendum, ut nequeas audire Sacrum summum, aut aliud circa meridiem, teneris aliud maturius, si facultas adsit, audire, *secundum omnes*.

109 III. Quando dubium est, an vovens determinaverit tempus, vel diem ratione temporis ad finiendam obligationem, an vero ratione ipsius voti ad non differendam, nec constet de intentione voventis, attendendum erit, an res voto promissa habeat specialem aliquam connexionem cum tempore præfinito, nec ne; ut in exemplis allatis monstratum est. Et, si adhuc perseveret dubium, censeri debet, tempus non esse præfinitum ratione temporis, sed ratione voti ad non differendum. Quia de voto jam certi sumus, dubitamus solum de tempore: ergo prævalet possessio voti, quare transacto tempore adhuc obligabit. Tamburinus.

110 IV. Quando dubium est, an vovens aliquid facere, omnino determinaverit tempus, nec ne; neque id aliunde colligi possit, (nam si vovisti servire pestiferis, ambigens de tempore, utique ab eventu doceberis) proinde est, ac si nullum tempus omnino statueris: ideoque votum implendum est tempore proximo commodo, juxta regulam sequentem. Unde v.g. si vovisti jejunare, confiteri &c. die Sabbati certo aliquo, aut in quocumque: dubitas autem, quodnam signate illud Sabbatum fuerit; jejunandum, & confitendum erit proximo Sabbato sequenti, eoque proximo die elapso, obligatio voti manebit, vel non manebit, prout votum emissum fuit, ratione temporis, vel ratione voti non differendi, juxta regulas præcedentes.

REGULA III.

111 VOta emissa absque omni certo tempore, vel die præfixo, v.g. aliquando ingrediendi Religionem, dandi eleemosynam, peregrinandi ad talem locum &c. obligant ad impletionem *tempore proximo commodo, ac opportuno; seu quam primum sine notabili incommodo poteris*. Omnes cum S.Th. 2. 2. q.88. ar.3. ad 3. & qu. ult. a.3. Sumitur ex Scriptura Deut.23. *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*, & alibi. Ratio, quia hoc commune est omni promissioni absolutæ, & non limitatæ, ut statim obligationem pariat, & consequenter statim exigi possit, ut habetur in jure *L. Promissor.* §.1.*ff. de constituta pecun.* Atqui Deum statim quoad fieri potest exigere solutionem voti sibi facti constat ex Scriptura allegata; ergo vovens absolute absque determinato tempore, tenetur statim exequi suum votum, cum primum commode poterit. Et, nisi dicatur obligari statim, cum commode potuerit, non poterit deinceps assignari certum tempus, neque ex parte voventis, neque ex parte Dei, quo teneatur vovens persolvere suum votum, certum autem est teneri: ergo statim cum commode potest, ac sine notabili incommodo. Vovens enim non præsumitur tam rigorose velle se obligare, ut cum magna incommoditate ad voti executionem faciendam, nedum maturandam, adstringatur. Commoditas autem illa implendi votum non debet sumi simpliciter, sed moraliter, & commode, neque requirit causas omnino necessarias, impedientes impletionem voti pro illo tempore, sed sufficiunt causæ congruæ utilitatis alicujus corporalis, vel spiritualis ipsius voventis, vel alterius, quæ omnia relinquuntur prudentis arbitrio. Unde resolves

112 I. Sufficiens causa differendi tale votum sine certo tempore præfixo factum, est, si spes sit, ut votum postea commodius, utilius, & maxime devotius impleatur: id enim cedit ad majorem Dei gloriam, ac honorem, ad quem omne votum ordinatur. Communis cum Sanch. cit. v.g. Qui vovit peregrinationem ad aliquam Ædem sacram, expectare potest, etiam per longum tempus, usque dum festum aliquod incidat, aut processio eo fiat. Qui vovit eleemosynam notabilem dare pauperibus, expectare potest tempus majoris necessitatis, vel caritatis annonæ &c.

II. Adolescens, qui vovit Religionem ingredi, licite expectare potest, & aliquando etiam debet usque ad tempus magis aptum: utpote, donec pater consentiat: donec ætate, & viribus convalescat ad rigorem Ordinis perferendum: donec necessariis scientis imbuatur, si Clericus futurus sit, aut donec utilem artem addiscat, quæ Ordini, vel Monasterio magis utilis sit: dummodo semper non fiat in fraudem inutiliter differendo votum. Vide late Sanch. *cap.14. a nu.8.* Ac optime noster Corduba apud eundem *nu.19.* dicit, duodecim annos natum Juvenem voventem Religionem Fratrum Minorum posse ingressum differre usque ad 17. vel 18. annum, ut interim robur sufficiens ad onera Ordinis acquirat. 113

III. Habita omnino opportunitate implendi tale votum absque determinato tempore præfixo emissum, ulterius absque omni causa differre scienter, sane culpa est, ob rationem regulæ datam; non tamen facile censenda mortalis (ob rationem mox dicendam regula seq.) nisi scienter eo usque differatur, ut prævideatur impedimentum perpetuum illud adimplendi: v. gr. senium, periculum oblivionis, aut omissionis omnimodæ. Hoc enim casu scienter, & sponte differre, est virtualiter, ac implicite consentire in ipsam omissionem, ideoque peccatum mortale, juxta rationem materiæ, in quo omnes consentiunt. 114

IV. Ulterius advertunt, & supponunt DD. communiter Suar. Laym. Sanch. cit. culpabilem, & irrationabilem dilationem voti ad aliquod perpetuum Dei obsequium, v. gr. Religionem ingrediendi, sacros Ordines suscipiendi, perpetuo ministrandi in Hospitali, vel alias infirmis &c. citius ad mortalem culpam pertingere posse, quam dilationem votorum ad aliquod temporale tantum, certo tempore, vel simul implendi, v. g. eleemosynam, jejunium, peregrinationem. Hæc enim, etsi multum differantur, tamen adhuc integre impleri possunt. In illis autem votis, quia homo se obligat ad perpetuum Deo obsequium præstandum, ideo quanto diutius quis ejus executionem differt, tanto majorem partem promissi Deo obsequii aufert, votumque suum non nisi imperfecte, & secundum partem vitæ suæ exequi vult, non absque injuria Dei suum votum acceptantis. Verum, quanam tandem ratione cognoscemus tam in uno, quam in altero, tantam esse dilationem culpabilem, ut censeri debeat peccatum mortale? Res sane difficilis, & apud Doctores valde incerta, & obscura. Sit tamen benignior, & clara 115

REGULA IV.

IN votis continentibus obsequium temporale tantum, ex dilatione nullum patiens incommodum aliud, nisi meram temporis moram, quantacumque dilatio culpabilis, (secluso periculo omissionis supra dicto) probabiliter nunquam excedet culpam venialem. Secus est in votis perpetuum Dei obsequium continentibus. Ita Tamb. *lib. 3. Decal. c.12. §.3. n.11.* Et sane re ipsa non multum dissentire videntur DD. allati a Sanch. *cit. l.4. in Decal. c.14. n.21.* dicentes tunc esse dilationem mortalem; *quando est notabilis negligentia*, ait Sylv. Sed quando erit illa notabilis negligentia? *Quando est notabilis, & valde longe longa mora*, ait noster Angelus; Sed quæ ista valde longa mora? *Quando fit dilatio per longa tempora, & ex ipsa nimia dilatione est periculum oblivionis, vel impotentiæ implendi;* ait S. Antoninus consentiente Sanch. *loc. cit.* Sed vides jam coincidere cum regula a nobis data: sequitur enim; ergo si non sit tale periculum, dilatio, etiam per longa tempora, non erit mortalis. Ratio ergo est, quia nemo, cum dat totum, quod promisit, & nullum damnum ex mora creditori, vel promissario facit, condemnandus videtur esse gravis culpæ, sed tantum de levi negligentia, at in prædictis votis, post quamcumque dilationem, secluso periculo oblivionis, vel omissionis, adhuc vovens dat totum, quod promisit, neque ex illa dilatione, seu mora ullum damnum Deo facit (dispar est ratio de creditore humano, cui semper fere officit aliquid dilatio longa debiti) ergo illa dilatio non gravis, sed levis tantum malitiæ censeri debet. *Confirmatur*. Votum est lex, quam privatim sibi quisque imponit: atqui eo ipso, quo quis tempus in suo voto non determinat, censetur ad nullum tempus, seu terminum certum, saltem graviter, adstringere se voluisse, sed solum ad rem ipsam, quocumque tandem tempore præstandam; etsi facile intelligat absque alicujus negligentiæ labe non debere votum Deo factum absque ulla causa in longum tempus differre. Neque plus convincunt Scripturæ, in Regula præcedenti allatæ. *Ne tardes reddere: & si moratus fueris, reputabitur in peccatum:* Intellige de peccato mortali, si tempus certum determinatum fuit, vel ex mora periculum subsit transgrediendi: de veniali vero, si tempus implendi determinatum non fuit, & simile periculum omissionis non timeatur. Sententia omnino probabilis, & tuta, ac vel ideo mihi accepta, quod opposita sententia communis infinitis scrupulis sit obnoxia. 116

Secus dicendum in votis perpetuum Dei obsequium continen- 117

tinentibus, ut Religionis ingrediendæ, suscipiendi sacros Ordines, perpetuo inserviendi in Xenodochio, &c. In his enim notabilem dilationem tandem mortalem esse, nimis certum est; quo enim diutius quis differt, eo plus aufert de obsequio Deo devoto, ut supra dictum. Sed quænam tandem dilato erit mortalis? Aliqui apud Sanch. universaliter moram trium annorum non afferre dilationem mortalem censent: certe generaliter nimis laxe. Ipse Sanch. *cit. n.22.* in fine universaliter dicit. Quare in his votis perpetuis censerem notabilem negligentiam, ac mortalem, quando habita opportunitate differretur dimidio anno. Certe, & hoc universaliter nimis stricte. Placet media incedere via. Nimirum considerandam esse ætatem voventis. Si enim vovens Religionem, v.g. annum ætatis agat 15. vel 16. concedendum videtur trium, vel quatuor annorum dilationem non esse mortalem. Esse autem mortalem maxime, si vovens annum excedat vigesimum quintum, vel trigesimum. Immo si quadragesimum excederet, etiam dilationem ultra sex menses notabilem, ac mortalem videri. Ita Tambur. *cit. c.12, §.3. nu.10.* Ratio est: quia tres, vel quatuor anni, si demantur a servitio totius vitæ ab adolescentia in senium, possunt merito videri parva materia; at minime possunt videri materia parva, si demantur ab ætate perfecta, & virili, v. g. triginta circiter annorum. Sermo semper fuit de dilatione facta post habitam omnimodam commoditatem, & absque ulla rationabili causa; si rationabilis causa subsit, jam supra excepimus, Regula præcedenti.

ASSERTIO IV.

118 *Voti obligatio simpliciter personalis est, & propria voventis, ut proinde nullus per se possit obligari voto alterius.* Communissima Theologorum Scholasticorum, ac Moralium, cum S. Thoma, & aliis. Et significat illud Ps. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Pro hac Assertione explicanda

119 *Nota:* Quatruplicem hic posse fieri quæstionem. 1. An quis possit vovere factum alterius, seu alterum voto suo obligare? 2. An quis voto suo possit satisfacere pro altero? 3. An si ipse nequeat, teneatur implere votum suum per alterum? 4. An eo mortuo, ejus voti obligatio transeat ad hæredes, filios &c. Pro quorum solutione rursus notanda est communis distinctio voti in personale, reale, & mixtum. *Votum personale* dicitur promissio facta Deo de aliqua actione, vel omissione exercenda personaliter ab ipso vovente, ita ut ipsi moraliter nullo modo idem sit, si fieret ab alio, ut sunt vota orandi, jejunandi, peregrinandi, castitatem servandi, Religionem ingrediendi &c. *Votum reale est* promissio facta Deo de aliqua re sua danda, expendenda, vel fieri curanda, sive per se, sive per alium; itaut ipsi moraliter idem sit, sive per se, sive per alium fiat, dummodo de suo fiat: ut votum certæ eleemosynæ, dandi Ecclesiæ calicem, ædificandi Templum, vel Altare. *Votum mixtum* est factum Deo, & de propria actione exercenda, & simul de re aliqua sua præstanda: ut propriis manibus ædificare Templum, peregrinari ad B. Virginem, & simul offerre certum calicem, lampadem &c. His notatis explico, & exemplifico Assertionem.

§. I. *Voti obligatio semper est personalis, & propria voventis.*

120 Ratio communis est: quia obligatio voti, sicut & cujuslibet alterius promissionis, debet oriri ex propriæ voluntatis intentione, & consensu: ergo votum non potest obligare alium, nisi ipsum voventem, & consentientem. Et hinc,

121 I. Quod si voluntarie consentiens suscipiat in se obligationem exequendi votum alterius: jam non ex vi voti, & voluntatis alterius, sed ex vi propriæ voluntatis, & promissionis obligabitur. Casus frequens est, præsertim apud moribundos: v.g. Pater vel maritus in extremis dicit filio, vel uxori: Promisi Deo duas peregrinationes ad illum, vel istum Sacrum locum, neutram peregi: rogo, ut meas vices obeas pro securitate, & solatio animæ meæ; si filius, vel uxor promittat, eos obligari non est dubium. At

122 II. Qualis tunc erit obligatio ad implendum votum alterius in se susceptum, & cujus Virtutis? *Resp.* Non erit ex vi voti, & virtutis Religionis, nisi animus esset formalem voti obligationem in se suscipere, & sic virtualiter saltem ipsi Deo promittere, se voto alterius satisfacturum. Quo casu locum habet, quod dicitur c. licet, de voto. *Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatum est.* Ideoque eo casu obligatio esset mortalis ex genere suo. At hoc certe rarum. Communiter enim suscipiens in se obligationem voti alterius non vovet, vel promittit ipsi Deo, se impleturum, sed tantum promittit alteri, Patri, vel Marito &c. adeoque solum promittit rem illam ab altero votam materialiter præstare. Est igitur communiter obligatio ex virtute fidelitatis tantum, & contra hanc solum delinquitur, si non stetur promissis. At rursus

123 III. Quanta erit ista obligatio, anne sub mortali? Certe erit, si promittens intendit se astringere graviter, vel expresse sub mortali. At si non sub mortali, vel graviter se astrinxit, sed simpliciter promisit, Cajet. Henriq. apud Lessium mox citandum, negat adesse obligationem sub mortali, cum virtus fidelitatis erga hominem per se non obliget sub mortali: at vero ipse Less. *l.2. de just. c.18. dub.8. num.55.* aliique multi affirmant, esse obligationem in re gravi, & saltem in re pergravi consentit P.Gobat. *casu 1. num.44.* Et certe talis, videtur statui eodem *c. Licet.* Ubi Alexander III. Andreæ Hungariæ Regi sub anathematis, & juris ad Regnum amittendi pœna, mandat executionem voti paterni in se suscepti, de peregrinatione in subsidium Terræ sanctæ. At, inquies: ego ficte promisi, me patris mei votum impleturum. Nequam, peccasti venialiter tua fictione: nec ficta promissione obligaberis, ne sub veniali quidem, per se loquendo, ut in simili sæpius dictum.

IV. Per se directe nullus potest vovere factum alterius quomodocumque conjuncti, etiam filii, vel filiæ, nisi is ratificet, & eo ipso votum alterius suum efficiat: quod *Sect. præc.* §. 1. satis dictum est. Qua ratione Sacri Canones, & Concilia antiqua, maxime Toletanum IV. c.48. cum dicunt: filios paterno voto Religioni devotos obligari Religioni, nec posse ad sæculum reverti; intelligenda sunt cum hac conditione, modo filii consenserint, & consensum suum paterno voto accommodent. Ut decernit Cœlestinus *c. cum simus de Regularibus.* Hinc ulterius sequitur: Quando Communitas aliqua vovit aliquid, v.g. Monasterium certa jejunia, civitas, vel pagus certas peregrinationes, vel ferias &c. vi voti, & Religionis solum obligantur primi personaliter voventes: Successores autem non obligantur vi voti, nisi ratificarint; sed solum possunt obligari vi statuti, vel consuetudinis vim legis habentis, aut ad tale votum acceptandum, aut ad adimplendam saltem illam rem voto promissam, dummodo accedat expressa, vel tacita approbatio Episcopi, vel Prælati, qui talia etiam abrogare potest. Suar. *n.12.* Sanch. *l.4. mor. c.15. n.19.* 124

§. II. *Vota personalia.*

Horum obligatio adeo personalis est, & ipsius voventis, ut

I. Nullus possit per alterum satisfacere voto suo personali rogando, vel quomodolibet inducendo alterum, ut suo loco impleat, v.g. Qui vovit tali die jejunare, peregrinari, non satisfacit rogando alterum, ut loco sui impleat. *Omnes.* Ratio patet ex terminis: quia voto personali factum proprium promisit: ergo facto proprio satisfaciendum, non alieno. Neque valet hic commutare votum, ut alium rogando, vel pretio inducendo sibi substituat: quia hoc est minoris difficultatis, & meriti, quam, quod promisit, proprium factum. 125

II. Qui votum suum personale ipsemet implere nequit, sive culpabiliter, sive inculpabiliter in eam impotentiam inciderit, non tenetur rogando, vel conducendo alium substituere, qui loco sui impleat, etsi facile possit. Ita contra S. Antoninum, & quosdam alios communis DD. Navar. *c.12. n.15.* Suar. Sanch. cit. Laym. *c.3. nu.9.* Ratio est: quia generaliter actus se non extendunt ultra intentionem agentium, & maxime voventium votum liberum ultra intentionem voventis extendere se nequit: atqui voventis votum personale intentio fuit se facturum aliquid, v. gr. jejunaturum, oraturum, peregrinaturum &c. ergo si præstare ipse non possit, non tenetur aliud præstare, scilicet alterum substituere. Excipe ergo: nisi etiam ad hoc ipsum voto suo obligare se intenderit vovens, vel expresse vovendo tale quid facere per se, vel per alium; vel implicite, ut si quid voveas sciens tuam personalem impotentiam; tunc enim votum, ne illusorium habeatur, interpretari debet, quod intenderis per alium exequi: ut notat Abbas *in c. Licet de voto, n.13.* Nec obstat, quod quis culpabiliter in talem impotentiam sui voti exequendi inciderit: quia culpa commissa in obligatione voti non est, nisi sit de aliquo contento in voto: explere autem per alium non est contentum in voto personali, ergo &c. 126

III. Obligatio voti personalis, vovente mortuo, nullo modo transit ad hæredes. *Omnes:* quia hæres succedit defuncto tantum in realibus, sicut commodis, & juribus, ita oneribus, & debitis, *L. Hæredem ff. de regulis juris.* Non item in Privilegiis, & obligationibus personalibus, quæ scilicet Personæ illius cohærent, cujusmodi sunt etiam vota personalia orationum, jejuniorum, peregrinationum. Excipe: nisi hæres necessarius se sponte obligarit ad defuncti vota personalia implenda; ut hæres non necessarius sub ea conditione institutus sit, ut talia vota exequatur. DD. communiter in *cit. cap. Licet.* 127

IV. Recte tamen addit Marchant. *tom. 2. tract. 3. tit. 4. qu. 1. dub. 6.* Quod si defunctus voverat expresse per se, vel per alium implere votum aliquod, v. gr. peregrinationem Lauretanam, hæres tenetur præstare sumptus alteri, ad exequendum votum: quia tunc defunctus non implens ipse votum, contraxit obligationem præstandi sumptus alteri, ut loco sui votum impleat; & sic ex ea parte votum reale est, cujus obligatio semper transit ad hæredes, ut mox videbitur. 128

§. III. Vo-

§. III. *Vota realia.*

129 IN his duo consideranda sunt. 1. Substantia rei voto promissæ, v. g. eleemosyna, Calix, &c. ut nimirum fiat de proprio ipsius voventis, quod est essentiale voto reali. 2. Ministerium, seu executio rei voto promissæ, ut nimirum fiat, vel ipsius voventis, vel alterius ministerio, v. gr. Vovens eleemosynam, vel suis, vel alterius manibus eroget, Calicem offerat &c. & hoc omnino est per accidens voto reali, nisi quis expresse vovisset per se ipsum talia facere, atque in propria persona tale votum implere: tunc enim desinit esse votum mere reale, & incipit esse mixtum ex reali, & personali. Quoad reale sic breviter resolves.

130 I. Obligatio voti realis quoad ministerium, vel executionem tantum, non est personalis ipsi tantum, sed si vel non possit, vel non velit per se ipsum exequi, potest, & tenetur exequi ministerio alterius. *Omnes*. Ratio patet ex dictis: quia id est omnino per accidens voto reali: &, dummodo illud fiat de proprio suo, semper verum erit dicere: *Quod quis per alium facit, per se facere censetur.*

131 II. Obligatio voti realis, quoad substantiam rei promissæ, est omnino personalis voventi, ut nimirum fiat de proprio ipsius voventis, ita ut nec teneatur per alios implere de proprio ipsorum, &c. (immo neque hac ratione ad hæredes transit, ut ipsi de suo proprio non relicto a vovente impleant) communis DD. Suar. *c.* 10. *n.* 10. Laym. *c.* 3. *n.* 10. Ex. gr. vovit quis eleemosynam pauperibus, Calicem Ecclesiæ &c. si ipse implere de suo nolit, non satisfacit voto rogando alios, ut pro se dent: &, si depauperatus de suo implere non possit, non tenetur ab alio mendicare, ut pro se det: eoque casu nulla transit obligatio ad hæredes. Ratio sæpe dicta est: quia nullus potest promittere rem alienam: & quia votum non extenditur ultra intentionem voventis: quilibet autem vovet dare de suo: ergo nec potest, nec tenetur dare de alieno. Interim tamen probabile est, quod post Abulensem docet Sanch. *cit. num.* 15. Si alius voventis nomine, ejusque voti implendi causa eleemosynam det, voto satisfieri: nam ille alter, dum obligationem eleemosynæ dandæ, in gratiam voventis, in se suscipit, perinde facit, ac si pecuniam erogandam voventi donet, ut adhuc eleemosyna facienda recte censeatur fieri de proprio voventis: quippe per gratuitam promissionem jure sibi acquisito, & per anticipationem soluto, directe, ac si quis in mei gratiam promittat mea debita solvere, & de facto solvat.

132 III. Obligatio voti realis, vovente mortuo, & sufficiente substantia relicta, transit ad hæredes, sive is culpabiliter, sive inculpabiliter in vivis solvere omiserit. *Omnes*. Habetur in utroque jure, *c. Ex parte, De censibus, & L.* 2. *ff. De pollicitationibus*. Ubi dicitur: *Si forte, qui decimam bonorum vovit, decesserit, hæres ipsius hæreditario nomine decima obstrictus est: Voti enim obligationem ad hæredem transire constat.* Ratio patet: quia hæres voluntarie adeundo, & acceptando hæreditatem defuncti, sicut omnia ejus commoda, & jura acquirit, ita etiam omnia ejus onera, debita, & obligationes reales in se suscipit: atqui inter eas obligationes reales est etiam votum reale, seu promissio facta DEO de aliqua re in ejus honorem præstanda; ergo &c. Immo, licet testator prohibuerit hæredi, ne realia sua vota persolvat, nihilominus tenetur, atque ad id a Judice cogi potest sub pœna amittendæ hæreditatis: *arg. c. licet de voto*. Abbas ibidem *nu.* 5. Navar. *c.* 12. *n.* 56. Sanch. *cit. l.* 4. *c.* 13. *n.* 28. Laym. *cit. c.* 3. *n.* 12.

133 IV. Porro aliqua hic observanda sunt. 1. Obligationem, qua hæres tenetur ad solvenda vota realia defuncti, non esse ex virtute Religionis quippe quæ solum voventem adstringit, sed ex virtute justitiæ ratione acceptæ hæreditatis una cum omnibus ejus juribus, & oneribus, ut significatur in cit. L. 2. *Hæreditario nomine adstrictus est*. 2. Hæres non tenetur vota defuncti solvere ultra vires hæreditatis traditæ; idest, non nisi ex eo, quod, deductis aliis debitis, & necessariis expensis funeris, &c. superest: de hoc enim solus defunctus disponere poterat vovendo, vel legando ad pias causas: daturque hic locus Falcidiæ juxta communem DD. 3. Ordine solvendi, hæres debita justitiæ præferre debet votis, ut omnium primo solvendæ sint expensæ funeris: deinde merces servitiorum: tum æs alienum: deinde legitima ascendentium: & postea primo vota. Ratio est, quia vota solvenda sunt de bonis defuncti: bona autem cujuscumque censentur, quæ supersunt, deducto ære alieno, ut habetur in jure L. *Mulier junct. Gloss. ver. alieno, ff. de jure dotium*. 4. Persolutio votorum præferenda est omnibus legatis, etiam piis, cum prior, & potior sit obligatio votorum; quippe, quæ ipsum defunctum adstringebat, dum viveret, non ita obligatio legatorum. Ex communi Sanch. *cit. c.* 15. *n.* 39. Laym. *cit. c.* 3. *n.* 13. Quod si soluto ære alieno, hæreditas non sit solvendo omnia defuncti vota, non est solvendum unum, aut alterum, & alia omittenda, sed singula pro rata. Cum enim omnia æqualiter ex virtute Religionis debeantur, non est ratio, cur unum alteri præferatur. Idemque est in legatis. Communis apud cit. Casum novum singularem ponam in fine. Denique merito monent DD. quemlibet teneri vota sua realia persolvere, dum adhuc vivit, atque etiam moribundum ad hoc a Confessario inducendum esse, & non sufficere, ut hæredibus committat, ut passim, sed pessime, fit, ob morale periculum defraudationis. Dicta autem semper intelligenda sunt cum hac exceptione; nisi defunctus eorum votorum absolutionem, dispensationem, vel commutationem impetraverit: vel aliter vota extincta sint, juxta dicenda cap. seq. Non enim obligatur hæres ad vota extincta, sicut nec amplius obligatus fuit ipse.

§. IV. *Vota mixta.*

I. OBligatio votorum mixtorum quoad personale, omnino etiam personalis est ipsi voventi, nec potest, nec tenetur per alium implere, nec ad hæredes transit, ut si vovisti peregrinari Lauretum, & ibi Calicem offerre, non peregrinatio, sed Calix tantum offerendus ad hæredes transit. *Communis*. 134

II. Obligatio votorum mixtorum, etiam quoad reale, si hoc solum accessorie promissum fuerit ad personale tantum principaliter promissum, personalis manet, nec per alium impleri potest, vel tenetur: nec ad hæredes transit, v. g. Vovit quis se peregrinaturum Romam, contra hostes Fidei militaturum: principale promissum est personale, accessorium autem tantum est reale, scilicet sumptus necessarios expendere in peregrinatione, vel militia; si ipse non possit peregrinari, vel militare, non tenetur sumptus mittere ad illam Ecclesiam, vel militiam: neque eo defuncto, tenentur id præstare hæredes: ut (contra Sanch.) ex communi docent Suar. *l.* 4. *c.* 11. *de voto in fin.* Laym. *cit. c.* 3. *n.* 14. Si enim ipsemet vovens vivens ad id non tenebatur, multo minus defuncti hæres ad id tenebitur. Nec obstat, quod dicitur *cap. quod super, de voto*. Quod habentes votum in subsidium Terræ Sanctæ in propria persona, & expensis militare, si ob impedimentum perpetuum eo proficisci non possint, cogi debeant, *ut, quas facturi erant impensas, transmittant, exequentes per alios, quod per se nequeunt expedire*. Respondent enim recte Innoc. *in c. Licet de voto*, Abbas in ipsum c. *Quod super n.* 5. Navar. *c.* 12. *n.* 55. alii post ipsos; illud non fuisse ex natura voti illius, quod principaliter personale, & accessorie tantum reale est; sed ex speciali constitutione juris facta eo tempore in favorem Terræ Sanctæ ob gravissimam necessitatem, ut, qui Cruce suscepta, votum militandi susciperent, quocumque modo possent, sive per se, sive per alios auxilium polliceri censerentur. Ideoque in aliis casibus locum non habet. Excipe semper: Nisi expressa esset talis voventis intentio, ut si ipse non possit, tamen, collatis expensis, per alium faciat. 135

III. Obligatio votorum mixtorum quoad reale principaliter, & per se promissum manet, etiam impedita, vel cessante obligatione personali voti: si nimirum, aut reale sit principaliter promissum, & personale accessorie tantum: aut utrumque per se, & divisim promissum sit: eaque obligatio ad hæredes transit. *Omnes*. E. g. Vovit quis propriis manibus eleemosynam dare, proprio labore & sumptu Altare construere: principale promissum est reale, scilicet eleemosyna, erectio Altaris; personale vero est accessorium, quo impedito, si scilicet ipsemet eleemosynam dare, vel laborare non possit, tenetur tamen pecuniam illam administrare ad eleemosynam, vel Altare construendum. Item vovit quis ad Limina Apostolorum peregrinari, & lampadem argenteam offerre: in bellum sacrum proficisci, & tot socios milites secum ducere, &c. Si peregrinari, vel ad bellum proficisci nequeat, tenetur tamen nihilominus mittere lampadem ad illam Ecclesiam, ac milites promissos ad bellum: quia, ut supponitur, reale hoc votum per se divisim, ac independenter a personali editum est, Sanch. *n.* 13. Laym. *n.* 11. Atque eo mortuo idem præstare tenentur hæredes; quia vere vota realia sunt, juxta dicta §. præcedenti; excipe rursus semper, nisi alia fuisset voventis expressa intentio. 136

IV. Tandem accipe casum singularem, ac recentem, Titius periclitans, vovet certo loco Sacellum B. M. Virgini: eamque in rem pecunias destinat, curat candelabra argentea, aliamque suppellectilem sacram pretiosam. Diu post hoc votum nondum persolutum rapitur in vincula ob perduellionis crimen, cujus adhuc viventis bona addicuntur fisco. Tenebiturne fiscus sæcularis votum illud ratum habere, sic ut non possit illas pecunias, & suppellectilem sacram in profanos usus convertere? Respondet affirmative P. Gobat *hic casu* 1. *n.* 47. Ratio est, quia fiscus licet non sit proprie hæres Reorum læsæ Majestatis, habetur tamen loco hæredis, & tenetur ad omnia debita Rei. Expresso text. *L. Non possunt, ff. de jur. fisci*. Imo etiam ad omnia legata, *L. Dicitur, eod. cum Gloss.* Ergo tenetur etiam ad omnia vota realia Rei, quandoquidem hæres, (cui comparatur fiscus) debeat realia vota defuncti præferre legatis, ut sup. dict. ex Sanch. & Layman. 137

SECTIO

SECTIO IV.

Votorum divisio, & violatio.

SUMMARIUM.

138 Usque ad n. 140. *Votorum varia divisio.*
140 *Votum conditionatum obligationem imperfectam, & suspensam parit.*
141 *Quæ impleta conditione perficitur, & absolvitur.*
142 Usque ad n. 146. *Quam tamen obligationem vovens, nisi aliunde peccatum sit, licite impedit, seclusa vi, vel fraude.*
146 *Cum quis vi, vel fraude impedit, ne voti conditio ponatur, tutior quidem sententia est, votum adhuc obligare,* & 147.
148 *Nihilominus tamen valde probabile est, tunc obligationem adhuc cessare.*
149 *Ubi tamen semper accurate exploranda est intentio voventis; & an res adhuc sit integra, quia tunc tenetur non impedire conditionem. Et hinc sequitur.*
150 *Qualiter intelligenda sit communis illa conditio, v. g.* Si patri placuerit, &c.
151 *Votum pœnale quid, & quotuplex.*
152 Usque ad n. 154. *Si in voto pœnali opus principale illicitum, vel impossibile fiat, aut ejus obligatio dispensetur, eo ipso ruit etiam obligatio pœnæ.*
154 *Ignorantia, vel oblivio excusans a culpa, excusat etiam a pœna.*
155 *Votum, si blasphemavero, &c. dabo hoc, vel illud in eleemosynam, &c. ordinarie intelligitur toties quoties.*
156 Usque ad n. 161. *Ad quid, & qualiter teneatur, qui vovit generatim, & indeterminate aliquam Religionem.*
161 *Ad quid teneatur, qui vovit aliquam Religionem, vel Monasterium determinate.*
162 *Qui vovit aliquam Religionem determinate, quando licite possit, vel non possit, etiam jam professus, exire, & intrare in aliam.*
163 *Dubius an voverit solum ingressum, & probationem, an vero etiam professionem in Religione, præsumere potest se tantum vovisse ingressum.*

138 VOtum varie dividitur 1. In *personale*, *reale*, & *mixtum* jam explicata assert. præcedenti. 2. In temporale, & perpetuum. *Votum temporale* est, quod ex intentione voventis solum ad certum tempus, vel pro certo tempore obligat: ut non bibendi vinum per totam Quadragesimam, vel Hebdomadam sanctam. *Votum perpetuum* est, quod ex intentione voventis perpetuo, seu tota vita obligat, & servandum est. Ut votum Castitatis perpetuæ, numquam bibendi vinum, numquam ludendi, &c. 3. *In simplex*, & *solemne*. Votum *simplex* est, quod solum privata voventis voluntate, & auctoritate concipitur, non interveniente publica Ecclesiæ acceptatione, ut in hactenus exemplis allatis. Votum *solemne* dicitur, quod concipitur cum publica Ecclesiæ auctoritate, & acceptatione solemni, susceptioni alicujus status immutabiliter conjunctum, ut vota Professionis Religiosæ, votum Castitatis in susceptione Sacri Ordinis, una cum susceptione Sacri Ordinis ex institutione Ecclesiæ, saltem implicite conceptum. Aliud votum solemne de facto in Ecclesia non habetur. 4. In *absolutum*, & *conditionatum*. Votum *absolutum* est, quod ex intentione voventis absolute obligat, nulla admixta conditione arbitraria extrinseca. Nam conditiones in voto ex natura rei, vel dispositione juris imbibitæ, non faciunt votum conditionatum, sicut & in aliis actibus. Votum *conditionatum* est, quod ex intentione voventis obligat dependenter ab aliqua conditione arbitraria extrinseca ponenda. Idque rursus duplex; *simplex*, & *pœnale*. Votum conditionatum *simplex* dicitur, quod dependet a conditione favorabili, seu quæ non sit pœna. Ut voveo me peregrinaturum, Religionem ingressurum, si DEUS me de naufragio, vel infirmitate liberet. Votum conditionatum *pœnale* est, quo vovetur aliqua pœna sub conditione lapsus subeunda. Ut, si denuo lusero, me inebriavero, in peccatum carnis lapsus fuero, &c. voveo me jejunaturum tot diebus, &c. Votum conditionatum, & pœnale, itemque ingrediendi Religionem, hic particulariter explicanda sunt. Vota solemnia supponuntur satis nota.

§. I. *Votum conditionatum.*

ASSERTIO V.

139 VOtum *conditionatum, quod nimirum ex intentione voventis obligat ad aliquid faciendum, vel omittendum, dependenter a conditione in ipso voto apposita, obligationem imperfectam, & suspensam parit, quæ perficitur, ac absolvitur, posita, seu impleta illa conditione: quam tamen (nisi aliunde peccatum sit) licite impedit vovens, seclusa vi, vel fraude: cum hac tamen etiam probabiliter cessat obligatio*. Hoc ultimo excepto, reliqua certa sunt, ut breviter patebit explicatione.

§. I. *Obligationem imperfectam, & suspensam parit.*

UTpote dependentem ab eventu futuro in conditione apposita. Requiritur ergo. I. Ut conditio apponatur in ipso actu vovendi, seu promittendi. Nam si semel promissio absolute facta est, votum jam perfectum, vel absolutum est, nec licebit, nec poterit deinde aliqua conditio, vel restrictio adjungi: nam ut in simili habetur L. 4. Cod. De Donat. quæ sub modo: *Perfecta donatio conditiones postea non capit*. Ex communi. Sanch. *lib.* 5. *de matr. disp.* 6. *n.* 3. & *lib.* 4. *de voto, c.*23. *nu.* 7. II. Conditio addita debet esse de aliquo eventu futuro. Nam votum editum sub conditione eventus præsentis, vel præteriti, v. g. *Si pater meus vivit*; vel, *si pater jam mortuus est*, &c. non est proprie conditionatum, sed vel statim parit absolutam obligationem, si conditio posita existat, etsi per accidens suspensam, si conditio adhuc ignoretur; vel nullam obligationem parit, si conditio apposita non existat. III. Quia votum conditionatum non parit quidem statim obligationem perfectam, parit tamen obligationem imperfectam, suspensam, quæ superveniente conditione perficitur, & absolvitur; ideo qui vovit conditionate, v.g. *Religionem ingredi, si pater morietur*: tenetur servare propositum implendi voti, quando conditio evenerit. Alioquin si ante eventum conditionis propositum mutet, nolens scilicet implere, etiamsi conditio eveniat, jam liquido est transgressor voti sui, peccatque pro ratione materiæ. IV. Interim, dum eventus in conditione positus, & a libera voventis voluntate non pendens expectatur, & speratur, tenetur vovens se non reddere inhabilem, non impotentem, ad executionem voti: v. g. Qui vovit se Religionem ingressurum, si pater ex India redierit: si sanatus, vel mortuus fuerit, &c. is matrimonium contrahere non poterit, tametsi pater longo tempore manserit, &c. donec de ejus reditu, vel morte certior factus fuerit. Navarr. *l.* 3. *cons.* 15. *de voti edit.* 2. Sanch. *cit. c.* 23. *concl.* 6. *arg. in præsentia, c. Ex tua, de sponsal.* Layman *c.* 6. *n.*1. Secus dicendum, si conditio honesta, & licita, ex libera voventis voluntate pendeat: tunc enim eventum illius vovens expectare non tenetur, v. g. vovisti Religionem ingredi, si Doctor creatus fueris; vel, si luseris amplius, si inebriatus, si fornicatus fueris; aut si Religionem ingredi velis, Carthusianum futurum: tunc enim nullo expectato eventu libere potes ad nuptias transire: quia conditiones istæ pendent ex libera tua voluntate, honeste, vel etiam debite illas omittis: non ita pendent ex tua voluntate reditus, sanitas, vel mors patris tui: quare peccabis mortaliter, si non expectato eventu uxorem ducas, & sic impotentem te ad ingressum Religionis voto promissum reddas. Nota hic obiter ex Sanch. cit. non inutile, sed validum esse votum illud insinuatum: Si in Religionem aliquam ingressus fuero, Carthusianam ingrediar: quia melius est etiam conditionate esse obligatum DEO ad aliquod majus bonum, quam nullo modo esse obligatum. Attamen votum illud conditionatum statim pro libitu commutare poteris in votum absolutum ingrediendi Religionem minus strictam: v. g. Canonicorum Regularium. Quia rursus melius est esse absolute obligatum DEO ad aliquod bonum, quam sub conditione libera ad quodcumque majus bonum. 140

§. II. *Perficitur, & absolvitur, posita, seu impleta conditione.*

POsita nimirum, seu impleta conditione in voto apposita, votum conditionatum omnino evadit absolutum, & completum, statimque obligat pro tempore, aut præfinito a vovente, aut proximo commodo, juxta superius dicta. Si duplex conditio apposita fuit in voto, videndum, an utraque ponatur copulative: & tunc utraque expectanda est: ut hic; *voveo peregrinari Romam, si sanatus fuero, & pecunias habuero*. Si vero conditiones appositæ sunt disjunctive, ut *voveo peregrinari Romam, si vel pater mortuus fuerit, vel aliunde pecunias acquisiero*: una tantum conditione impleta, votum obligat: quia etiam logice ad veritatem disjunctionis sufficit unam partem esse veram. Nec de his potest esse difficultas. Difficultas tamen non levis est: an votum conditionatum obliget, si conditio impleatur non determinate, sed æquivalenter, v. g. vovisti certam summam eleemosynæ, vel decimam partem lucri, si lucrum ex hac negotiatione tua cum frumento tuleris; & tu aliunde lucrum capias, & ditescas, v. g. hæreditate, vel alia negotiatione: teneberisne voto? Item vovisti Religionem ingredi, si pauper pater tua ope indigens tandem moriatur: interim pater inopinate evadit dives, & tum ingressum non impediat amplius, an nihilominus obligaberis voto tuo? Certum est, quod non, si votum emissum fuit, sub illa conditione omnino determinata, scilicet si omnino ex hac negotiatione ditescas: si omnino pater moriatur, &c. sic enim non ponitur conditio, quam præcise intendebas. Quod si vero votum emissum est, non tam propter illas conditiones determinate, quam propter finem habendi facultatem dandi eleemosynas, aut Religionem ingrediendi, jam te voto obligari censet Sanch. *eodem c.* 23. *nu.* 26. Quia per illam æquivalentiam revera jam habes facultatem dandi eleemosynam, vel Religionem ingrediendi, quod in tuo voto principaliter intendebas. Contra tamen te non obligari censet Castro-Palaus cum Tambur. *l.* 3. *De-* 141

calogi

ealogi *cap.* 12. §. 6. *n.* 4. eo quod vovens non intenderit se obligare, si quomodocumque cessante impedimento facultas illa fiat (nisi ita expressisset) sed si fiat modo de facto expresso per hanc negotiationem, per mortem patris: hoc autem modo non fit facultas: ergo &c. Satis probabiliter: sed prius est tutius.

§. III. *Quam tamen, nisi aliunde peccatum sit, licite impedit vovens, seclusa vi, vel fraude.*

SOlemnis est quæstio, utrum vovens peccet, si per eum stet, vel ipse obstet, quominus conditio in voto posita impleatur. Dicimus ergo:

142 I. Si conditio bona, ac licita pendeat ex libera voluntate voventis, non peccat vovens, si eam evitet, & impediat, ob eam solum causam, ne voti obligationem contrahat. E. g. Vovit quis se eleemosynam daturum, si luserit, si juraverit, si talem domum intrarit, &c. non peccat, etsi ideo lusu, juramento, ingressu talis domus studiose abstineat, ne voto obligetur: *Omnes*, etiam citati. Ratio est; quia cum talis vovens adhuc liber sit a suo voto implendo, poterit ejus obligationem subterfugere quocumque modo non illicito: atqui licitum est ei non suscipere doctoratum, non ludere, non jurare, &c. ergo: Idque verum est, etiamsi talis conditio impediatur, cum directa intentione obligationem voti effugiendi, v. g. fœmina vovit dare eleemosynam, quoties, domo egreditur; alia, quoties ingreditur Ecclesiam: Utraque postea pænitens studiose abstinet egressu domus, & ingressu non necessario Ecclesiæ, ne eleemosynam dare cogatur, neutra peccat: idemque est in allatis exemplis.

143 II. Si conditio voti licite impediri nequeat, peccat utique dupliciter, qui conditionem impedit, ne voto obligetur. E.g. Vovit quis Religionem ingredi, si toto hoc anno a fornicationis peccato divina gratia præservatus fuerit: si talis intra annum fornicetur eo animo, ut voti obligationem subterfugiat, peccat utique non tantum contra castitatem, sed etiam contra votum, & virtutem Religionis, violando aliquo modo pactum cum Deo initum: quia tali modo vovendi censetur tacite promisisse, quod saltem aliquem vitandi peccati conatum, & divinæ gratiæ cooperandi adhibere, ac sine dolo sincere cum Deo agere velit. Ex communi Suarez apud Layman *cap. 6. num.* 2.

144 III. Si conditio voti non mala ex naturalibus causis, aut libero alterius hominis consensu, vel voluntate pendeat, non peccat vovens contra votum, si illam conditionem impediat, seclusa fraude, vel vi. *Communis apud eosdem*. Ratio est: quia vovens conditionate non censetur se obligasse ad promovendam, seu nullo modo licito impediendam conditionem voti, sed tantum modo illicito, doloso, vel violento, v.g. Vovisti Religionem, si valetudinem Deus restituat, non peccas contra votum, si ex fragilitate excedendo in cibo, vel potu sanitatem impedias, si dolus, & maligna intentio eludendi votum absit; secus si dolose, & data opera valetudinem lædas, ne voto tenearis: tunc enim non sinceriter agis cum Deo tuo. Item vovisti Religionem, si pater consenserit: non peccas contra votum, si voti pænitens patri dissuadeas, ne consentiat bona fide, ac ratione: secus si fraude, vel vi patrem circumvenias, ut dissentiat: quia tunc non relinquis ei liberam arbitrii sententiam, ex qua tamen votum tuum pendere volebas. Suar. *& alii citt.*

145 IV. Constat ergo apud omnes graviter peccare eum, qui conditionem voti per vim, vel dolum impedit, ne voto teneatur: talis enim nimis manifeste Deo illudere convincitur. Insuper dicimus,

§. IV. *Cum hac tamen etiam probabiliter cessat obligatio voti.*

146 DIfficilior jam quæstio est, an, qui per dolum, vel vim impedit, quominus conditio voti ponatur, nihilominus teneatur voto, non minus, quam si conditio impleta fuisset. *Exempla*. Vovit quis Religionem, si pater consentiat, si Confessarius consulat, si spatio unius anni Deus a fornicatione præservet, si a morbo molesto liberet: sed postea pœnitens voti, dolose falsis allegationibus, patrem, vel confessarium circumveniat, ut assensum, vel consilium non præbeant, aut aliter vi, vel fraude illos impedit, postea studio fornicatur, vel intemperanter vivendo sanitatem impedit, omnia dolose ob eam causam, ne voti reus cucullum induere teneatur: an tamen nihilominus obligetur.

147 I. Affirmat communior probabiliter, & sine dubio tutior sententia DD. Navarr. *c.* 12. *n.* 42. Sanch. *l.* 4. *c.* 23. *n.* 47. & tredecim citans probabilius suadet Diana *par.* 4. *tr.* 4. *resol.* 101. Et omnino favent jura. L. in executione. §. ultim. ff. de verb. obligat. *Quicumque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur*. Consentit Regul. 66. in 6. *Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset*. V. g. Promisisti alicui centum florenos, si ædem tuam accesserit, si is ingredi volens, a te per vim, vel fraudem repellatur, perinde ei obligatus es, ac si ingressus fuisset. Eodem modo res se habet in casibus propositis, & similibus. Ratio a Sanchez assignata est. Quia quoties apponitur conditio ab aliis causis, sive naturalibus sive liberis dependens, verus sensus ejus conditionis, atque adeo virtualis saltem intentio voventis debet esse; voveo talem rem, si per alias causas mihi involuntarias non steterit, quominus hoc fiat: ideo enim talis conditio non dependet a voluntate, sed ab aliis causis, ut etiam contra tuam voluntatem evenire possit: atqui cum tu per dolum, vel vim impedis, ne ponatur conditio, revera per alias causas tibi involuntarias non stat, quominus fiat votum tuum: ergo conditio censetur impleri, & tu obligaris, ac si impleta esset. Vide, quæ notabo mox N. III.

II. Nihilominus maneat probabilis nostra resolutio, tunc cessare obligationem. Sic Major *in* 4. *d.* 38. *q.* 1. *proposit.* 1. *coroll.* 148
7. Suarez, *cit. l. de voto*, *c.* 17. *n.* 20. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 6. *num.* 4. Diana: Castro-Palaus, alii cum Tamburino *cit. c.* 12. *lib.* 3. §. 6. *n.* 7. Ratio est, quia vel talis obligaretur ad impletionem voti ratione conditionis impletæ, vel ratione peccati commissi. Non primum: quia revera, & simpliciter non adest, nec impletur conditio, quam omnino, & expresse respexit intentio voventis: atqui votum non obligat ultra expressam intentionem voventis: & immerito recurritur ad illam intentionem tacitam, & virtualem, quod conditio præcise per alias causas, & voventi involuntarias, debeat impediri, cum adsit expressa intentio contraria, si conditio ipsa non ponatur, quomodocumque non ponatur: ergo nulla est obligatio ratione conditionis impletæ; sicque ruit, vel saltem non convincit ratio allata Sanch. ibid. Neque secundum: hoc enim discrimen est inter violationem promissionis factæ Deo, & factæ homini, quod violatio promissionis factæ homini quidem obliget ad compensationem, seu restitutionem damni illati, semper enim homini per violationem juris sui infertur damnum in bonis suis utilibus, quod compensari potest, & debet: At vero violatio promissionis factæ Deo solum obligat ad pœnitentiam, & satisfactionem pro peccato, & injuria illata Deo, & non ad aliquam compensationem, seu restitutionem: Deo enim transgressione voti nullum infertur damnum, quod restitui possit, ac debeat, sed tantum honor, & cultus debitus aufertur, qui per pœnitentiæ satisfactionem eidem restituitur: ergo ratione peccati commissi in dolosa illa voti elusione, nulla alia est obligatio voti implendi, ac velut compensandi. Jura autem supra allegata solum ita statuerunt de promissionibus humanis ad indemnem servandum promissarium, & non in promissionibus Deo factis, in quibus tota obligatio pendet ab expressa intentione voventis, quæ in proposito non impletur, ut dictum est.

III. Cæterum duo hic valde advertenda sunt. *Primum*: 149
accurate exploranda est intentio voventis, quæ interdum esse potest omnino se obligare, v. g. ad Religionis ingressum. *Si pater consenserit, vel, nisi pater contradixerit*: ut proinde nihil aliud impedire eum debeat præter patris contradictionem, vel dissensum. Hoc casu, si vovens dolo circumveniat patrem, ut contradicat, qui alioquin non contradiceret, voto nihilominus obligabitur, eo quod conditio, considerata voventis intentione, satis impleta censeatur, quando pater non ex se ipso voluntarie, sed tantum fraude voventis circumventus contradicit: Atque in hoc casu locum habet ratio Sanchez supra allata. *Secundum*: Quando res est adhuc integra, certum est voventem debere cessare ab impediendo, & expectare, an ponatur conditio: ut si in dicto casu pater non statim contradicat, sed deliberet; interim tu a dolosa persuasione cessare debes, & expectare ejus mentem. Unde qui de industria se male gerunt in Religione, ut sic dimittantur, non sunt tuti in conscientia dimissi, sed post dimissionem debent instanter petere receptionem, ut voto satisfaciant. Quia res adhuc semper est integra: semper enim possunt se emendare, & idoneos receptioni reddere, quamdiu spes est receptionis, donec ultimate repulsi excusentur.

IV. Denique ex dictis explicandum est, quomodo intel- 150
ligenda, & impleri censenda sit solemnis illa conditio in votis (idemque in aliis promissionibus) filiorum: *Si Patri placuerit, &c.* Hanc quæstionem late tractat Sanch. *lib.* 5. *de Matrim. disp.* 7. *q.* 7. Ex quo accipe compendio. I. Si pater, re cognita, voto, vel promissioni primo statim consentiat, censetur impleta conditio, & obligatio contracta: quæ minime tollitur, etsi is postea, mutata sententia, dissentiat, nisi filius forte adhuc sit impubes, juxta dicenda *cap. seq.* e contra si pater primo statim dissentiat, deficit conditio, & obligatio, neque revalescit, etsi pater postea consentiat. Ita post Azorium, & alios, Sanchez, & Layman citt. contra Sylvestrum, & Navarr. Quod si vero voventis, vel promittentis intentio fuerit obligandi se omnimodis, dummodo sine patris offensione fieri possit, tunc, etsi pater primo ægre ferat, & dissentiat, postea vero consensum præbeat, obligatio contrahetur, si interim nulla mutatio notabilis sit facta; ut cum aliis bene notat Laym. *cit. num.* 3. II. Si pater, nec consensum, nec dissensum exprimat, ad alia signa, & conjecturas attendendum est. Nam in quibusdam personis, consideratis circumstantiis, taciturnitas mærorem animi indigne ferentis significat; & sic deficiet conditio, & obligatio. In aliis vero significat tacitum consensum, vel saltem non repugnandi voluntatem, ut notant DD. citt. Et sic palam impletur conditio: *nisi pater contradixerit*: non ita liquido: *si pater consenserit*: vel, *si patri placuerit*. Ideoque in pra-

in praxi mens ejus magis exploranda est. Ubi nota differentiam inter has duas conditiones: *si pater consenserit*, &, *nisi pater contradixerit*. III. Si pater expresse dicat, se quidem non contradicere, vel dissuadere, sed etiam non suadere, vel consulere: tunc censetur esse impleta voti conditio, *si patri placuerit*: nisi constaret aliam fuisse voventis, vel promittentis intentionem. Qui enim vovit, vel promisit sub conditione paterni placiti, vel consensus, ejus animus fuisse censetur obligare se, *nisi pater contradicat*, *dissuadeat*, *vel ægre ferat positive*, quod in proposito non fit. Nam, ut ait Juris Consultus Regula juris 142. ff. *Qui autem tacet non utique fatetur*, *sed tamen verum est*, *eum non negare*, sive contradicere. Vide Laym. *cit. c. 6. num.* 3. IV. At, si pater moriatur forte priusquam ejus placitum, consensum, vel ratihabitionem petas? Resp. saltem si pubertatem ingressus es, ipsa mors patris habebitur pro assensu, qui sine dubio non volet amplius te impedire ab opere bono; neque aliter consensum, vel placitum supposuisti, nisi quatenus ejus potestati subes: nunc autem non amplius subes.

§. II. *Votum pœnale*.

151 VOtum pœnale est, quatenus vovetur pœna sub conditione subeunda: seu ut describit Sanch. *l.* 8. *de matrim. disp.* 10. *nu.* 1. Cum vovens minime alioquin affectus ad rem, quam in pœnam vovet; sed ideo eam ita promittit, si crimen aliquod commiserit, ut illius incurrendæ timore retrahatur a crimine committendo. Duobus modis fieri potest. *Primo modo*, si quis duplex votum emittat, scilicet rem aliquam absolute faciendi, vel omittendi, ad quam animus inclinatus est; & deinde, si non id præstiterit, aliud quidpiam, ad quod animus inclinatus non est, tamquam in criminis pœnam præstandi: ut si voveas, te non fornicaturum, si autem fornicatus fueris, Religionem ingressurum: aut te non lusurum, si autem luseris, tantam eleemosynam daturum. *Secundo modo*: Uno simplici voto solum vovetur, ac promittitur pœna, tamen sub conditione, si id, quod proponit, non præstiterit, v. g. voveo me Religionem ingressurum, si fornicatus fuero: eleemosynam daturum, si denuo lusero, &c. Circa quæ breviter ita resolvendum est.

152 I. In voto pœnali, si res a vovente principaliter intenta, aut impossibilis, aut Deo accepta non sit, vel fiat, tunc cadit etiam obligatio pœnæ, v. g. vovisti, vel jurasti, te jejunaturum, vel eleemosynam daturum, si vindictam sumpseris: si cum inimico locutus fueris, si in talem domum ingressus fueris, &c. seclusa justa causa non ingrediendi, &c. nulla est obligatio pœnæ. Ratio est: quia pœna solum accessorie sub conditione rei principalis promittitur: si ergo res principalis præstanda non sit, neque pœna locum habebit.

153 II. Si obligatio voti per dispensationem sublata fuerit, eo ipso cadit etiam obligatio pœnæ, licet de ea in dispensatione nulla sit facta mentio. Ratio est: quia pœna habet ordinem ad transgressionem: sed post dispensationem voti non habet locum transgressio, ergo neque obligatio pœnæ. Secus dicendum, si transgressio voti jam semel accidisset, v. g. Vovisti te non lusurum, & si luseris, eleemosynam daturum, &c. si lusisti semel, jam reus es tam voti, quam pœnæ, & postea absolutus a voto, non absolveris a pœna antea contracta, sed solum a pœna contrahenda imposterum, ut bene notat Laym. *cit. c.* 5. *n.* 2.

154 III. Quandocumque aliquis ob ignorantiam, vel oblivionem inculpabilem rem principalem perficere omisit, non obligatur pœna, quippe quæ locum non habet, nisi ubi voluntaria transgressio est, v.g. Vovisti singulis festis audire Sacrum, tali Vigilia jejunare, &c. omittis inculpate ignorans esse festum, vel Vigiliam eo die, aut oblitus, vel non recordatus Voti tui, &c. non teneris pœnam solvere: perinde enim est, ac si alias juste impeditus fuisses. Nemo quippe censetur vovisse pœnam, nisi ob culpabilem transgressionem, &, *Omnis pœna*, *si justa est*, *peccati pœna est*, ait S. August. *l.* 1. *Retractat. c.* 9. At vero, qui memor Voti sui, v. g. non ludendi, non fornicandi, &c. etsi non recordatus pœnæ annexæ, violaret Votum suum, adhuc tenebitur pœna apposita saltem moderata, & non exorbitante. Secus, si pœna esset exorbitans, & gravissima, v.g. ingressus Religionis, difficillima peregrinatio, si fornicatus fueris, &c. Ex communi Sanch. *l.* 4. *moral. c.*82. *n.*17. Laym. *cit. n.* 3. Ratio est; quia Voti obligatio est instar alterius legis humanæ: atqui qui legem latam vovit, etsi ignoret, vel obliviscatur annexam pœnam, nihilominus eam incurrit, eaque juste punitur, nisi pœna exorbitans sit, aut censura: ut alibi notavimus.

155 IV. Quoad pœnam solvendam ita distinguendum est. 1. Si quis duplex Votum edidit, v. g. se non blasphematurum, & si blasphemaverit, eleemosynam daturum, liquido tenetur ad solvendam pœnam toties quoties blasphemandi Votum transgressus fuerit. *Omnes*. Sanch. *cit. n.* 21. Laym. *cit. n.* 4. Ratio est: quia sicut Votum principale non blasphemandi ad omne tempus semper refertur, ita & Votum accessorium de solvenda pœna ad omne tempus transgressionis referendum est. Qua ratione etiam illud Votum accipi debet. *Voveo me omnibus diebus Sabbathi Missam auditurum*: &, *si non audiero*, *me talem eleemosynam daturum*. Qui unum tantum votum edidit de pœna solvenda, si tale quid commiserit: considerenda est intentio voventis, quæ ordinarie etiam est perpetuo sibi interdicere talem rem sub proposita pœna, ita ut quoties transgressio fiat, toties pœna solvatur. Sin vero spectatis omnibus circumstantiis, de intentione voventis constare non possit, sed dubium maneat, an vovens intenderit solvere pœnam pro omni, an vero pro prima tantum transgressione, probabile est, solum pro prima vice transgressionis debere pœnam solvere. Ita Eman. Sa *V. Votum n.* 26. approbante Laym. *cit. n.* 4. Ratio: quia cum de obligatione voti agitur, benignior pars amplectenda est in dubio in favorem voventis, salva verborum proprietate: atqui verba ista Voti: v. g. *si blasphemavero*, *voveo me aureum daturum pauperibus*, propria, & usitata acceptione intelligi possunt de prima tantum transgressione: ergo si vovens de intentione sua dubitet, hanc benigniorem partem amplecti poterit. Verum mihi arridet regula collecta ex *Sanch. Laym.* sæpe citatis apud Tamburinum *cit. cap.*12. §.7. *n.*2. Quando pœna est ex ordinariis, quæque iterari solet, intelligitur toties quoties. Quare, si vovisti jejunare, moderatam eleemosynam dare, si ebrius, vel fornicatus fueris, obligandus es, quoties ebrius, vel fornicatus fuisti. Quando autem est ex pœnis gravioribus extraordinariis, quæque iterari non ita solent, in prima tantum transgressione pœna urgebit, non in sequentibus: ut si vovisti peregrinari Romam, si fornicatus fueris, &c. *Ratio est*: quia non est verosimile voventis intentionem fuisse sibi imponere toties quoties, pœnas istas insolitas: verosimile autem est, voluisse moderatas, & solitas.

§. III. *Votum ingrediendi Religionem*.

RESOLUTIONES.

PRima. Qui generatim, & indeterminate vovit se aliquam Religionem ingressurum, ex communi doctrina cum *S. Th.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ad* 2. tenetur moralem adhibere diligentiam, ut in aliquem Religiosorum Ordinem recipiatur; adeoque repulsus ab uno, debet alium Ordinem, & interdum unius Ordinis plura Monasteria, adire, & receptionem serio petere, quamdiu spes probabilis superest, se alicubi receptum iri: dummodo exinde non oriatur magna, & improvisa difficultas. Etenim obligatio Voti, sicut & cujuslibet spontaneæ promissionis, benigne, & stricte interpretanda est, ut non extendat se ultra voventis, vel promittentis intentionem, etiam tacitam, seu probabiliter præsumptam: adeoque nec ad speciales, & improvisas difficultates se extendat, quas vovens probabilissime excepisset, si ei in mentem venissent, vel super his interrogatus fuisset. Et hinc resolves. 156

I. Talis ita generaliter Religionem vovens, sicut potest quamlibet minus strictam eligere; ita si in nulla moderata Religione reciperetur, non tenebitur ingredi strictissimam, v. g. Carthusianorum, etsi facile recipiendus, si affirmet, vel ex qualitate personæ colligi posset, non fuisse ipsi mentem etiam ad tales Religiones strictas se obligare. *Sylvester*, *Angelus*, aliisque cit. Sanch. *l.* 4. *moral. c.* 16. *n.* 49. 157

II. Si talis in sua civitate, vel Provincia non recipiatur, non tenebitur adire Provincias extraneas cum gravi incommodo, si affirmet, vel ex qualitate personæ colligi possit, suam intentionem eo usque se non extendisse: utpote, quia inops, debilis, externæ linguæ imperitus, & maxime si fœmina sit, quibus peregrinari incommodum, & indecorum est. 158

III. Si talis inidoneus ad Clericatum non reciperetur, nisi ad statum laicalem, non tenetur ingredi, si id se non intendisse affirmet, vel ex qualitate personæ colligatur, utpote, si nobilis, delicatus, ingenio, doctrina præditus. Vide Sanch. Laym. *lib.* 4. *tract.* 5. *de statu Religionis c.* 6. *n.* 1. 159

IV. Qui sic Religionem absolute vovit, si non recipiatur, nisi in Monasterio, vel Ordine, cujus disciplina collapsa est, ut nec substantialia quidem Vota observentur, non tenebitur: immo licite non poterit ingredi, ob pericula subversionis, ut notat etiam Navarr. *c.* 12. *nu.* 45. aliique cum Sanchez, & Layman *cit. n.* 5. 160

RESOLUTIO II.

QUi Religionem aliquam determinate vovit, S. Benedicti, S. Francisci, &c. vel certum aliquod Monasterium ingredi, 1. Tenetur in primis sincero animo petere, ut recipiatur: atque etiam semel, iterumque repulsus solum constantiæ probandæ causa, non solvitur Voto: ac si postea Religiosi, mutata voluntate, eum recipere parati sunt, obligatur Voto ad ingrediendum. Sanch. *cit. nu.* 70. Lessius *l.* 2. *c.* 41. Laym. *cit. n.* 2. Excipe: Nisi interea notabilis mutatio facta fuerit sine fraude voventis: ut si interim disciplina collapsa, Monasterium destructum: si vovens interim desperans receptionem, bona fide aliam Religionem ingressus fuerit, sponsalia inierit, vel crimine commisso, infamis factus fuerit. 2. Qui ita certum Ordinem, vel Monasterium ingredi vovit, examinare debet intentionem suam: Quod si enim principaliter intendit vovere Statum Religiosum, 161

sum, vel Religionem absolute, & solum secundario determinavit ad hunc Ordinem, vel aliud Monasterium se conferre, tenebitur juxta dicta *Resolut. præced.* 3. Quod si vero principaliter intendit hunc specialem Ordinem, vel locum ingredi, ob specialem affectum ad illum, adeoque Religionem non absolute, & divisim, sed omnino copulatim cum dependentia a tali Religione, vel Monasterio promisit: tunc in eo Ordine, vel Monasterio serio repulsus, omnino liberatur voto, juxta communem DD. cum S. Thoma *cit. qu.* 88. *ar.* 3. *ad* 3. *Navarr. Sanch. Laym. cit.* Ratio utriusque patet ex dictis supra de materia mixti Voti divisim, vel copulate promissa. 4. Denique non tenetur ingredi ultra suam intentionem: utpote, si intendisset ingredi hunc Ordinem, vel tale Monasterium, quia credebat in eo observantiam esse strictam, postea comperit esse relaxatam: aut quia credebat esse moderatam, postea comperit esse valde rigidam: ut etiam supra de materia voti notatum.

RESOLUTIO III.

162 Qui vovit determinate ingredi una Religionem laxiorem: I. Licite, & optime ingreditur, ac profitetur aliam strictiorem. *Omnes. Arg. c. Licet. De Regularib.* quin, ut ibidem habetur, etiam solemniter professi unam laxiorem, licite ingrediuntur aliam Religionem strictiorem, petita tamen, ob respectum sacræ obedientiæ, licet non obtenta Superioris licentia. II. Professus Religionem strictiorem, in qua tamen non servatur Regula, nec spes est Reformationis, licite ingreditur aliam minus strictam, in qua servatur Regula, petita similiter, etsi non obtenta Superioris licentia: uti docent *Ludovicus Lopez*, aliisque cit. Rodriquez tom. 3. *QQ. Regularium*, *q.* 52. *art.* 5. *Sanch. Laym. cit. n.* 10. Contra vero, qui vovit ingredi, & profiteri Religionem strictiorem observantem, utique peccat ingrediendo, & profitendo laxiorem, quia minus præstat, quam Deo voto promiserat: attamen professio valida erit, & voventem a priori voto liberat; quia nimirum votum solemne Professionis, quo Religioni laxiori jus acquisitum est, derogat voto priori simplici, quo alteri Religioni strictiori nullum jus acquisitum fuit. Ut habetur *c. qui post. De Regula Juris in* 6. III. Similiter peccat, qui vovit se Religionem ingressurum strictiorem experiendi causa, postea ingrediendo laxiorem sine intentione, & obligatione perseverandi, & profitendi: quia minus iterum præstat, quam promisit: cum plus sit Novitium esse in Religione strictiore, quam in laxa. Attamen votum ingrediendi, & experiendi Religionem strictiorem ipsemet vovens licite commutare potest in votum ingrediendi, & experiendi Religionem laxiorem. Quemadmodum etiam, si tempus ingrediendi Religionem strictiorem ex Voto nondum advenisset: v. g. si vovisses, absolutis studiis, ingredi Carthusiam, interim non prohiberis ingredi, & experiri Ordinem laxiorem, v. g. S. Benedicti, cum intentione vel in eo Ordine profitendi, vel prius Votum, Carthusiam ingrediendo, exequendi. Ut cum *S. Antonino*, & aliis bene docet *Sanch. cit. c.* 16. *n.* 18. & 20. Quia nimirum Votum profitendi Religionem etiam laxiorem, cum contineat perpetuum Dei obsequium, absolute melius est, & plus obligat, quam Votum solum ingrediendi, & experiendi Ordinem quantumcumque strictiorem, quod per se solum temporale Dei obsequium continet: juxta illud *c. scripturæ deo Voto*, &c. *Reus fracti Voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum noscitur Religionis observantiam commutare. IV.* Eum, qui Religionem ingredi, & profiteri vovit, non posse suscipere Episcopatum, sed susceptum dimittere, ac Votum suum exequi debere, contra *Abbatem*, *Henriq. Rodriq.* & alios, communis, & vera est Sententia DD. cum *Sanch. Lessio: Laym. cit. n.* 15. Ratio est: quia non est de meliori bono, ut supra de materia Voti ostensum est. Intellige tamen: seclusa dispensatione, quam Papa concedere potest, & re ipsa concedere censetur, si conscius talis Voti voventem assumat ad Episcopatum.

RESOLUTIO IV.

163 Qui absolute Religionem vovit, intentionem suam non satis exprimens, sed dubius manens, an voluerit se obligare solum ad ingressum, & probationem, an vero etiam ad professionem, præsumendus est tantum se voluisse obligare ad experiendum, non item ad profitendum absolute. Uti contra Navar. & Rodriq. &c. docet communis, & secura sententia DD. cum Suar. *l.* 4. *de Voto c.* 8. *n.* 7. Sanch. *cit. c.* 16. *n.* 86. Quos sequitur Laym. cit. Ratio est, quia voventium Religionem, nisi aliud exprimant, ea communiter esse solet intentio, nimirum ingrediendi, & experiendi, utrum ipsis expediat, nec ne. Deinde Vota, & pacta secundum jus commune & consuetum morem interpretanda sunt in dubiis: atqui jus commune disponit ingredientibus anni spatium ad experiendum; ergo &c. Denique cum Votorum obligatio sit strictæ interpretationis, & benignæ in favorem voventis, sicut in dubio, utrum aliquis simpliciter voverit, censetur esse liber: ita etiam in dubio, utrum aliquis unum solum, an vero duo voverit, nimirum & ingressum, & professionem, censendus est liber ab altero, de cujus obligatione dubitat. Insuper hic aliqua observanda sunt. 1. Is, qui sic vovit Religionem sincero animo ingredi, & aliquem moralem conatum adhibere, debet se accommodare moribus Religionis, cum proposito perseverandi, & profitendi, si eam sibi convenientem expertus fuerit. Quare licet is, qui absque Voto Religionem ingressus, absque omni justa causa egreditur, peccet solum venialiter ob levitatem animi: is tamen, qui cum tali Voto Religionem ingressus, sine omni rationabili causa egreditur, peccat mortaliter ob transgressionem voti. *Caj. Nav. alii cum Sanch. cit. c.* 16. *n.* 90. *Laym.* quod si tamen bona fide ingressus, ex justa causa egrediatur, tali Voto omnino liberatur. Satis est enim semel præstitisse, quod promisit, scilicet ingredi, & experiri Religionem, an sibi conveniens sit. 2. Qui vero expresse vovit Religionem non tantum ingredi, sed etiam profiteri, seu in ea perseverare, ita astringitur Voto ad professionem, & perseverantiam (etsi Religio non usque adeo conveniens sit) ut exire sponte nequeat, & annus probationis non tam sibi, quam Ordini serviat: adeo ut licet ex justa causa egrediatur, si tamen spes sit, ipsum denuo receptum iri, teneatur adhuc ex Voto suo ingredi: cum Votum absolute conceptum impedimento temporali non extinguatur, ut si quis ob morbum esset egressus, isque morbus penitus cesset. 3. Qui absolute, & expresse vovit, & Religionem, & continentiam; aut Castitatem vovit principaliter, & independenter a Religione, is impeditus, vel liberatus a Religione, adhuc obligatur Voto Castitatis. Qui vero Religionem vovit principaliter, & Castitatem solum accessorie, & independenter a Religione, is impeditus, vel liberatus a Religione, liberatur etiam a Voto simplici Castitatis accessorio. Quia *Ruente principali ruit accessorium*. De quo nulla controversia. 4. In dubio autem, quonam modo talis voverit Castitatem cum Religione, si neque ex verbis voventis, neque ex circumstantiis conjectura capi possit, post adhibitam diligentiam, poterit vovens eligere sensum, quem vult, sibique magis faventem: nimirum vovisse Castitatem dependenter a Religione: uti ex *Sanch. & Laym.* §. præcedenti indicatum est.

SUBSECTIO.

Voti violatio.

SUMMARIUM.

164 *Quale peccatum sit, vovere aliquid inconsiderate, sine intentione promittendi, obligandi, vel implendi; usque* 167.
167 *Qualiter peccet vovens rem malam, & impossibilem, & indifferentem*, usque ad n. 170.
170 *Quale peccatum sit transgressio, & dilatio Voti, ac de Voto emisso pœnitere*, usque ad n. 173.
173 *In Confessione votorum violatorum opus non est explicare eorum materiam,*
174 *Nisi ea aliunde præcepta, vel prohibita sit.*
175 *Licet Votum Castitatis simplex, solemne, & sacri Ordinis sint ejusdem speciei, tamen in confessione probabilius exprimi debet Votum solemne.*

§. I. *In ipso actu, & modo vovendi peccari potest tripliciter.*

Primo. Temere, leviter, inconsiderate, & ex repentino quoque motu, vel ob respectum humanum aliquid vovere, peccatum est, plerumque tamen veniale tantum. 164
Communis DD. cum Sanch. l. 3. *c.* 1. *n.* 9. Peccatum esse, sumitur ex illo Ecclesiastici 5. *Displicet Deo infidelis, & stulta promissio*. Votum autem ex levi metu, ac sine sufficiente deliberatione emissum, censetur promissio stulta: *Accedit*, quod sit abusus Voti, ita temere, & sine matura consideratione vovere. Quia tamen non cedit in gravem injuriam Dei, vel cultus divini, venialem culpam per se excedere non potest.

Secundo. Vovere absque intentione promittendi, & se 165
obligandi ad rem promissam, cessante scandalo, & gravi irreverentia Dei, probabilius tantum est peccatum veniale. Ita Sanch. *cit. n.* 10. Cajet. *V. Votum n.* 8. Qui recte determinat tunc solum esse peccatum mortale, quando Votum est solemne, ut in susceptione Ordinis sacri, ac professione Religionis: in his enim, si externe voveas, juxta intentionem Ecclesiæ, ac Religionis vovere ex justitia debes: aut etiam quando est votum simplex, fitque publice coram aliis; quia tunc esset mendacium perniciosum, & periculosum, ratione divinæ irreverentiæ coram aliis, & gravis scandali.

Tertio. Vovere aliquid absque intentione, & voluntate 166
illud implendi in re gravi, sine dubio est peccatum mortale, omnium DD. consensu, ob gravissimam irreverentiam, & virtualem irrisionem Dei: quasi Deus omniscius, ac corda intuens falli possit. Attamen in re levi probabilius est tantum peccatum veniale, excusante parvitate materiæ, nec adeo gravem irreverentiam erga Deum inducente. Ita communis cum *Sanch. cit. nu.* 8. contra nostrum *March.* & alios quosdam nimis strictos.

§. II. *Cir-*

§. II. *Circa materiam Voti peccatur itidem tripliciter*.

167 PRimo. Vovere rem moraliter malam, sive ex objecto, sive ex fine, vel circumstantiis, est peccatum mortale, & quidem duplex. Unum contra præceptum aliquod particulare; alterum contra virtutem Religionis: quia est gravissima irreverentia Dei, & formale sacrilegium, fidelitatem suam velle ipsi Deo obligare ad ejus offensam: at vero vovere rem solum venialiter malam, vel ad finem venialiter tantum malum, est tantum peccatum veniale; similiter duplex: & contra aliquod præceptum particulare: & contra virtutem Religionis. Communis DD. *Armilla*, *Sylvester*, *Sotus*, *Navar. Tolet.* aliique cit. *Sanch. l.* 4. *mor. cap.* 6. *n.* 9. *Laym. tr.* 4. *c.* 2. *n.* 6. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 160. Ratio est: quia cum tale Votum sumat totam suam malitiam a re mala promissa, tale peccatum erit Votum, quale est res promissa: adeoque si hæc mortalis, mortale; si venialis, veniale.

168 *Secundo*. Vovere rem impossibilem sub ratione impossibili apprehensam, est peccatum mortale: quia rem impossibilem Deo promittere, est verissima Dei irrisio, & gravissima irreverentia. Secus dicendum, si illa res per errorem apprehenderetur ut bona, ac possibilis: v. g. naturale jejunium servare per totam Quadragesimam.

169 *Tertio*, Vovere rem indifferentem, quatenus indifferens est: v. g. curare sibi novas vestes; aut minus bonam: v. gr. Matrimonium inire, non dare eleemosynam certo pauperi indigno, &c. est tantum peccatum veniale: quia hic nulla notabilis intervenit irreverentia, vel injuria Dei.

§. III. *In executione, vel transgressione Voti simpliciter peccatur tripliciter*, omittendo, differendo, pœnitendo.

170 PRimo. Omnis transgressio Voti (sive per commissionem sive per omissionem) in re tamen ex natura sua, vel circumstantia gravi, est peccatum mortale: in re levi (sive ea tota, sive partialis tantum materia voti sit) est tantum peccatum veniale. Vide *sect.* 3. *n.* 89.

171 *Secundo*. Dilatio voti, aut ex intentione voventis ad certum tempus sub mortali obligantis; aut cum abjectione voluntatis illud implendi; aut cum periculo non implendi, vel impedimenti perpetui, absque omni causa probata, est peccatum mortale: alias veniale tantum. Vide eadem *sect.* 3. §. 4. *toto*.

172 *Tertio*. Pœnitere efficaciter de voto emisso, cum voluntate, aut proposito illud deinceps non servandi, aut quærendi quamlibet occasionem, & causam, sive justam, sive injustam, se a voti observatione eximendi in re gravi, est peccatum mortale, *secundum omnes*. Ratio est: Quia ejusdem malitiæ est transgredi velle, & transgressio ipsa: qui autem sic efficaciter pœnitet, dictæ voluntati libere consentit, censetur habere voluntatem transgrediendi votum emissum, adeoque juxta rationem materiæ, peccare mortaliter. At vero pœnitere tantum inefficaciter, cum simplici tantum displicentia, tristitia, ac nolleitate voti emissi, sustinendo quasdam difficultates, vel anxietates in voto suo, dummodo perseveret firma voluntas semper implendi votum, peccatum non est, per se loquendo, sed lucta contra incentivum peccati, sicut enim ab initio poterat homo non vovere, ita postea optare potest, quod non vovisset. Adeoque propositiones istæ: *utinam non vovissem! Si non vovissem, amodo non voverem amplius, &c.* etsi magnæ imperfectiones sint, tamen stante firma voluntate implendi votum, peccata non sunt, *per se loquendo*. Per accidens tamen, quatenus talis displicentia voti redundat in ejus executionem, ut homo segniter, negligenter, & cum tædio Votum exequatur, peccatum veniale: accedente vero periculo prævaricandi, erit mortale. Sic ex communi Laym. *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 4. *n.* 3.

§. IV. *Circa Confessionem Votorum violatorum*.

173 PRimo. In Confessione sufficit enumerare transgressiones Votorum, omittendo, vel committendo, neque necesse est explicare materias votorum aliunde non præceptas, vel prohibitas. E. g. Titius vovit certo die jejunare, Missam audire, & recitare coronam B. M. Virginis, omnia omittit. Cajus vovit tali die non bibere vinum, non ludere, non domo egredi, recreationis gratia: at data occasione, vinum bibit, ludit, recreatum exit. Uterque satisfacit in Confessione dicendo: tria vota a me emissa semel transgressus sum. Ita cum aliis Lugo *de Pœnit. disp.* 16. *n.* 115. Ratio est, quia omnia vota edita de rebus ex se non præceptis, vel prohibitis, sunt ejusdem speciei: consequenter etiam transgressiones ejusdem speciei erunt: ergo sufficit in Confessione exprimere numerum transgressionum mortalium, nec opus est explicare materias aliunde non præceptas, vel prohibitas.

174 *Secundo*. At vero, si materia votorum aliunde præcepta vel prohibita sit, utique explicanda erit: Ut si vovisti non fornicari, non blasphemare, numquam pejerare, numquam die festo omittere Sacrum: omnia transgressus, utique non sufficit dicere simpliciter *violavi tot Vota semel, toties*; sed materias explicare debes: quia non solum contra vota tua, sed etiam contra alia præcepta Dei, vel Ecclesiæ deliquisti. At, quid si vovisti certo die jejunare, & audire Sacrum, & abstinere ab illicita venere; & omnia transgressus in Confessione dicas, *semel transgressus sum tria Vota*: & postea interjectis aliis, addas, *semel commisi fornicationem*? Respondet Gobat *casu* 1. *n.* 24. te satisfecisse: quia nihil substantiale omisisti. Sed ego addo, te etiam excessisse; quia sic revera Confessario ingeris notitiam distincti peccati fornicationis, ultra triplicem illam transgressionem Votorum.

Tertio. Quamvis autem etiam Votum Castitatis simplex 175
& solemne Professionis, ac sacri Ordinis, essentialiter sint ejusdem speciei: attamen juxta communem, & mihi omnino veram DD. Sententiam, si Voto solemni Castitatis adstrictus, lapsus es, non sufficiet dicere: Semel transgressus sum votum Castitatis, sed (nisi Confessario notus sis) explicare debes Votum solemne: quippe cujus solius violatio proprie constituit sacrilegium carnale, non item violatio Voti simplicis, ut alibi est dictum: quamvis oppositam sententiam *Sanch. Dianæ*, *Bassæi*, *Tamburini* alibi, in sua materia, ut probabilem admiserimus.

Denique ad praxim apposite monet Sanch. *c.* 1. *de Voto n.* 31. Quando pœnitentes moniti a Confessario, ut a peccatis certis desistant, respondent: *promitto me amplius hoc, aut illud non facturum, &c.* communiter non edere Votum, sed tantum velle significare suum firmum propositum. Si quis tamen vere vellet promittere, & de novo obligare ad emendationem talis, vel talis peccati, utique verum votum edidit, cum promissio non fiat Confessario, sed coram illo ipsi Deo, saltem promissio non fit Confessario ut homini, sed ut Judici loco Dei, adeoque adhuc principaliter ipsi Deo: & consequenter, non secuta emendatione, deberet se agere reum facti, & fracti Voti: ut etiam observat P. Gobat *ib. n.* 25. Quam quidem novam obligationem Confessarius prædītus facultate dispensandi, vel commutandi Vota, ut prudenter relaxet, definiet ex ipsa experientia, utrum nimirum memoria Voti nuncupati retraxerit pœnitentem a recidiva, nec ne. Si enim retraxit, non relaxet, si secus, relaxet in nomine Domini, quia Votum istud, & nova obligatio nihil ipsi proficit, nisi ad graviorem culpam.

CAPUT III.

De Votorum, & Juramentorum deobligatione.

VOta cessant obligare voventem generatim quatuor modis: *extinctione*, *irritatione*, *dispensatione*, *ac commutatione*. Iisdemque omnino modis cessant obligare juramenta promissoria, sive absoluta, sive confirmatoria promissionis factæ Deo; non item semper factæ homini, ut infra patebit,) & insuper speciali modo sibi proprio, cessant per remissionem, seu condonationem alterius, cui, vel in cujus commodum promissio jurata facta est, ut infra suo loco notabimus.

SECTIO I.

Votorum, ac Juramentorum extinctio.

SUMMARIUM.

1 *Obligatio votorum, ac juramentorum extinguitur*,
2 *I. Ablatione, vel mutatione notabili ipsius materiæ: aut*
3 *II. Finis principalis Voti, aut*
4 *III. Circumstantiæ per se principaliter intentæ*,
5 *IV. Aut alterius æquivalentis ex improviso accidentis*.
6 *Talis autem mutatio, vel impedimentum occurrens debet esse quid notabile; se tenens ex parte materiæ, non voventis tantum*.
7 *Unde nullum incommodum, vel periculum, etiam mortis, liberat ab obligatione voti, si id fuit prævisum*.
8 *Si tamen talis mutatio, vel impedimentum sit perpetuum, obligatio omnino extinguitur, secus si temporale tantum*.

ASSERTIO I.

VOtorum, ac juramentorum obligatio extinguitur, seu expirat, ablatione, seu notabili mutatione materiæ, aut 1
finis principalis, aut cujusvis circumstantiæ, per se principaliter intentæ a vovente, aut alterius æquivalentis ex improviso accidentis. Communissima Sanch. *l.* 4. *cap.* 2. *a nu.* 18. Laym. *l.* 4. *cap.* 8. *nu.* 3.

§. I. *Ablatione, vel mutatione notabili ipsius materiæ*.

UTpote, si fiat ex possibili impossibilis: ex licita illicita: ex bona, & meliori, indifferens, minus bona, 2
majoris boni impeditiva: idque vel in toto, vel in parte per se divisim promissa. Ut si vovisti peregrinationem annuam, & jam senio confectus amplius perficere nequeas, aut si perficias, justo officio satisfacere non possis, aliudve majus bonum omittere deberes: eo ipso extinguitur, ac se ipso cessat obligatio voti, vel pro semper, vel pro interim ad tempus, prout impotentia implendi perpetua, vel temporalis tantum fuerit. Exempla alia copiose obvia sunt in superio-

perioribus, præsertim *Sect. 2. c. præced.* de materia mixta voti, quæ revide, & refer.

§. II. *Aut finis principalis.*

3 CEssante enim fine principali voti, semper cessat obligatio voti (itemque juramenti) non item cessante fine secundario tantum. *Communis DD. apud cit.* E.g. Vovit quis, vel juravit quotidie Petro pauperi eleemosynam daturum ad sublevandam ejus inopiam: interim Petrus fit dives, vel non amplius eget tali ope, cessat tuum votum, quia cessat finis totius voti, qui erat sublevatio ejus inopiæ. Item vovisti certam eleemosynam dare Petro pauperi: si finis principalis tantum fuerit bonum, seu sublevatio inopiæ istius individui pauperis, mortuo illo, obligatio voti cessat. At vero, si finis principalis illius eleemosynæ devotæ fuerit facere opus bonum in honorem Dei, & bonum animæ tuæ, & solum secundario ob aliquam causam elegisti illum pauperem, Petrum potius, quam alium, mortuo, vel non egente amplius illo paupere, debetur eleemosyna alteri pauperi: eadem ratione, sicut in legatis docent *Bartolus*, aliique Juristæ *in Legem Pater, ff. de Legatis*. 3. Abbas, alii Canonistæ *in c. Nos quidem de Testamentis n.* 14. Atque in dubio hoc posterius præsumitur de tali intentione. Exemplum habes *in Jure c. magnæ de Voto, & Voti redemptione*. Episcopus Trecensis votum fecit peregrinationis Hierosolymitanæ simul animo obtinendi libertatem suæ Ecclesiæ a comite Campaniæ ibi commorante. Ut autem mortuum illum Comitem esse perlatum fuit, nulla judicata fuit promissio. Pontifex tamen consultus votum tamquam non extinctum commutavit in alia bona opera, eo, quod finis impetrandi auxilii a Comite non videbatur solus principalis, sed etiam alius ex motivo Religionis, & cultus exhibendi locis sacris forte etiam per se intentus independenter ab illo auxilio impetrando: aut certe ita fecit Pontifex ad majorem conscientiæ securitatem: prout explicant DD. communiter, Suar. Sanch. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *c.* 8. *n.* 2.

§. III. *Aut cujusvis circumstantiæ per se principaliter intentæ.*

4 VErb. grat. Vovit fœmina peregrinationem longinquam, ut filio sanitatem impetret, mortuo interim filio, cessat obligatio voti, quia illa circumstantia per se principaliter intenta fuit a vovente. Huc refer dicta omnia de voto conditionato. Item votum factum ad tempus determinatum ratione ipsius temporis, & ad finiendam obligationem utpote ob specialem respectum & honorem talis temporis, vel diei, elapso illo die, vel tempore, extinguitur, & omnino cessat. Secus est, si votum factum sit ad determinatum tempus, non ratione temporis, sed solum ratione voti implendi, atque ad non ultra differendam executionem voti. Rationem, & exempla habes abunde *c. præc. sect.* 3. §. 4.

§. IV. *Aut alterius æquivalentis ex improviso accidentis.*

5 PRo quibus omnibus esto *Regula Generalis*. Quotiescumque tanta intercedit mutatio, novumque, ac improvisum impedimentum, vel accidens supervenit, quod si ab initio fuisset, voti valorem, & obligationem impedivisset, aut rationabiliter præsumi posset voventis intentionem se ad talia non extendisse, sed sine dubio excepturum, vel negaturum fuisse, si in mentem venisset, vel de eo interrogatus fuisset: aut denique tale quid occurrat, quod excusaret, & tolleret obligationem præcepti Ecclesiæ de tali re facienda: tunc etiam cessat, & extinguitur obligatio voti de ejusmodi re facienda. Communissima DD. Abbas *in c.* 1. *de Voto*, *Sylv. Angelus Azorius*, aliisque cit. Suar. *l.* 4. *de Voto c.* 19. & optime explicans Sanch. *l.* 4. *c.* 2. *a n.* 18. & ex eo Laym. *cit. c.* 8. *n.* 3. Sumitur ex *L. Pluribus* §. *etsi placeat ff. de verb. oblig.* Ubi dicitur: *Obligatio extinguitur, si in eum casum inciderit, a quo incipere non potest*. Ratio fundamentalis est, quia in votis, alioquin stricte interpretandis, ista conditio semper intelligi debet: *In quantum est licitum, rationabile, & moraliter possibile*. E. g. Vovisti Religionem Juvenis, & postea voti transgressor uxorem duxisti: ea mortua, in senectute tua, quando admodum difficilis, & insolitus videbitur ingressus Religionis, & maxime si Religioni ineptus, & inutilis factus, solutus eris a voto. Ita citati omnes. Vovisti magnam eleemosynam, Altare, Templum ædificare &c. postea vero depauperatus, aut gravem jacturam passus, votum tuum impossibile moraliter evadit, aut valde difficulter exequi posses, &c. solutus eris, durante ea impossibilitate. *Omnes*. Vovisti certa jejunia, Sacra, peregrinationes annuas, postea superveniente tanta infirmitate, senectute, gravi necessario labore, quo excusareris ab obligatione præcepti Ecclesiæ de jejunio, vel Sacro audiendo, etiam excusaberis ab obligatione voti, durante tali impedimento. Vovisti jejunare singulis feriis sextis perpetuo, nihil cogitans de Natali Domini, interdum in feriam sextam incidente; non teneris jejunare illa die occurrente festo Nativitatis, quia sic etiam permittit lex Ecclesiæ. Secus esset, si vovens de eo cogitasses, & tamen absolute singulis feriis sextis jejunare vovisses: tunc enim etiam illum diem comprehendisses tuo voto: uti contingit apud Fratres Minores: & ita in similibus aliis casibus resolvendum est. Revide etiam dicta supra de interpretatione voti. Porro tria hic observanda sunt.

I. Mutationem illam, vel impedimentum occurrens debere esse quid notabile, tenens se ex parte materiæ, vel executionis voti, in ordine ad ipsam facultatem, vel vires voventis, & non tantum in ordine ad voluntatem; manente enim ipsa re possibili moraliter, regulariter semper manet obligatio, etiamsi voluntas mutata, vel pœnitens totaliter ab illa avertatur, v. g. Vovisti Castitatem, vel obedientiam in Religione, postea expertus difficultatem tuam in servanda Castitate, in obediendo, in Religionis austeritate, pœnitentia ductus voluntatem primam retractas, & si hanc difficultatem, vel austeritatem a principio expertus fuisses, utique non vovisses: non obstante tali difficultate, manes voto obligatus, quia mutatio illa, & difficultas nova non est in ordine ad potestatem, sed tantum in ordine ad voluntatem voventis, quæ si sufficeret ad extinguendam obligationem voti, vel alterius promissionis, nullum erit firmum votum, vel promissio, cujus obligatio mutata voluntate voventis, vel promittentis, non facillime eludi posset ob exiguas causas. 6

II. Nullum grave incommodum, vel periculum etiam mortis liberat ab obligatione voti, si tale incommodum, vel periculum prævisum fuit, vel ut rationabiliter subeundum prævideri potuit, ac debuit, quia tunc est virtualiter intentum V. g. Vovit quis servire certis infirmis in nosocomio, etiamsi timeatur contagio, adveniente peste, & immineat periculum mortis, non liberatur a voto, quia tale periculum ejusmodi obsequia per se comitari solitum prævidit, vel prævidere debuit. Unde & quidam dicunt Votum Carthusianorum abstinendi a carnibus obligare etiam in periculo mortis, quia eam obligationem, & periculum prævidere possunt. 7

III. Considerandum est, an impedimentum, vel mutatio talis circa materiam, vel circumstantiam voti sit perpetuum, an temporale tantum. Si enim perpetuum impedimentum fuerit, extinguitur omnino, & tollitur obligatio. Si vero temporale tantum, vel ad tempus certum duraturum, non extinguitur omnino obligatio voti, sed tantum suspenditur, & cessat pro eo tempore, quo durat impedimentum, quo cessante reviviscit obligatio. Expresse *c. Quo super* §. *Unde credimus distinguendum, de Voto &c.* v.g. Qui vovit eleemosynam, Altare, Lampadem, Peregrinationem &c. postea in paupertatem incidit, cessat pro eo tempore obligatio voti: at, redeunte meliori fortuna, redibit etiam obligatio. Quod etiam observatur in civilibus debitis. Similiter qui vovit Religionem, & postea uxorem duxit, mortua brevi conjuge, adhuc sanus, & valens, voto obligatur. Ita in similibus. 8

SECTIO II.

Votorum, ac Juramentorum irritatio.

SUMMARIUM.

9 Usque ad n. 12. *Votorum, ac juramentorum irritatio triplex*.
12 *Irritatio Voti, vel Juramenti quid*.
13 *Omnia Vota Religiosorum, etiam Prælato non præjudicantia, irrita esse voluere Antiqui. Sed verius*
14 *Illa tantum Vota simplicia Religiosorum invalida sunt, quæ Superiorum præceptis præjudicant*.
15 *Non vero alia non præjudicantia*.
16 *Prælatus tamen, seu Superior, etiam localis, per se directe irritare potest ejusmodi vota*, usque ad n. 18.
18 *Religiosorum scilicet sibi actu Voto obedientiæ subditorum, non Novitiorum, aut suorum ante professionem facta &c.*
19 *Quinam dicantur* impuberes, minores, vel minorennes.
20 *Omnia Vota impuberum per se directe irritari possunt a Patre, vel Tutore*.
21 *Etiam post annos pubertatis, si pubes factus ea non confirmavit, vel ratificavit*, & 22.
23 *Illa vero solum Vota filiorum puberum post pubertatem emissa a patre irritari possunt, quæ ei in familiæ administratione præjudicant*.
24 *Quæ patria potestas irritandi Vota filiorum impuberum in defectu patris extenditur etiam* 1. *ad Tutorem*, 2. *ad Curatorem*, 3. *ad Avum*, & 4. *in horum defectu etiam ad matrem*.
25 *Quæ, & qualiter vota uxoris irritari possint a marito*, usque ad 28.
28 *Et e contra vota mariti ab uxore*.
29 *Maritus non potest irritare Votum uxoris de non petendo debito; bene vero uxor quandoque votum tale mariti*.
30 *Quæ vota servorum, & qualiter irritari possint a Dominis*.
31 *Quilibet habens potestatem irritandi vota, eadem denuo irritare potest etiam jam post datam licentiam vovendi*.
32 *Immo etiamsi licentiam vovendi dederit cum expressa promissione non irritandi vota permissa*.

33 Peccet

33 *Peccet tamen, saltem venialiter, talis, si licentiam taliter datam sine causa revocet*, & 34.
35 *Quæ vota semel irritata, postquam vovens liberatus est a potestate irritantis reviviscant, quæ non.*
36 *Habens potestatem irritandi Vota, quæ, & qualiter etiam possit iritare Juramenta alterius sibi subjecti.*

9 VOtorum, ac juramentorum irritatio triplex distingui potest: *Intrinseca, de jure naturali: extrinseca de jure humano communi: extrinseca de jure personali*. Irritatio intrinseca, & de jure naturali est, quando vota, vel juramenta sunt invalida, irrita, ac nulla ob defectum conditionis alicujus, essentialiter ad votum, vel juramentum validum requisitæ. Ut, si vota, vel juramenta fierent absque debita deliberatione, & voluntario, absque intentione obligandi, absque sufficienti materia, de quibus late *c.* 1. & 2. Tunc enim talia vota ex natura sua intrinseca, & ipso jure naturæ essent irrita, & nulla. Et universaliter, sicut jure divino naturali valida sunt omnia vota, ac juramenta cujusvis hominis adulti, ratione utentis cum debita deliberatione, intentione, & materia facta: ita jure divino naturali irrita, invalida, & nulla sunt omnia vota, & juramenta puerorum, amentium, ebriorum, aut quorumvis sine debita deliberatione, vel intentione, vel materia facta. Quoad pueros autem notanda est communis Regula DD. vota, vel juramenta ante septimum annum ætatis completum facta irrita censentur, nisi in raro casu probabilissimæ conjecturæ suadeant sufficientem rationis usum in ea tenera ætate non defuisse. At vero post septennium completum emissa, præsumuntur valida quantum est ex parte voventis, nisi probabilia indicia ostendant, defuisse rationis discretionem: quod etiam in sponsalibus locum habet, ut notat Sanch. *l.* 1. *de matr. disp.* 8. & 16. Verum de his nihil amplius dicendum.

10 Votorum, ac juramentorum irritatio extrinseca de jure communi dicitur, quando illa ipso facto sunt irrita, invalida, & nulla ob defectum conditionis, vel qualitatis solum lege Ecclesiastica requisitæ ad valorem voti, vel juramenti, quæ alioquin ad essentiam, & valorem voti, vel juramenti, non requireretur. Neque idcirco Ecclesiastica potestas juri divino aliquid derogat, quia Deus non acceptat vota, vel juramenta, quæ ab Ecclesia ob justam causam infirmantur, vel irritantur, sicut etiam remittit obligationem votorum, vel juramentorum, in quibus Ecclesia ob justam causam dispensat: idque vi promissionis a Christo factæ Petro *Matth.* 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*: ut optime ostendit Suar. *l.* 5. *c.* 4. Hac ergo ratione, jure communi Ecclesiastico irrita, & invalida sunt vota solemnia, quæ ex gravi, & injusto metu fiunt, v. g. Religionis professio ab impuberibus facta, *cap. ad nostras. De Regularib. c.* 1. & 2. *eod. in* 6. *c.* 20. *q.* 2. Hodie vero post Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 15. *De Regular.* irrita est etiam professio, quæ fit ante decimum sextum ætatis annum completum, vel ante tempus annuæ probationis exactum. Similiter jure humano quosdam contractus, ita infirmari ob injuriam, vel turpitudinem contrahentis, vel ob detrimentum boni communis, ut nec accedente juramento valida fiant, jam explicatum est *cap.* 1. *sect.* 2. *De materia juramenti*. Neque de his ergo aliquid amplius dicendum.

11 Votorum, ac juramentorum irritatio extrinseca, & de jure personali est, quando illa irritantur, & annullantur, quatenus ea cedunt in præjudicium potestatis alterius, qui dominativam, vel quasi dominativam potestatem habet in personam voventis, vel jurantis, vel in materiam voti, vel juramenti. Unde duplex est irritatio hæc. Prima *directa*, qua homo irritat vota, vel juramenta alterius hominis, quia potestatem habet in ipsam personam, vel voluntatem ipsius: Sic Prælatus, Pater, Tutor, irritat vota professi, filii impuberis, pupilli. Horum enim ipsa voluntas secundum omnes actiones suas subjecta est alienæ voluntati: Religiosus enim propriæ voluntati sponte renunciavit, atque alterius, nimirum Prælati, voluntati sponte se subdidit per votum obedientiæ, *cap.* si Religiosus. De electionibus in 6. *cum velle, & nolle non habeat, sed ex illius, quem vice Dei super caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit, voluntate dependeat*. Impubes quoque secundum Juris dispositionem, plenum suæ voluntatis dominium non habet, sed subditur per se Patri, vel ejus loco Tutori, in cujus potestate existit, & a quo infirma ejus voluntas regitur, quamobrem voluntas Patris est quasi filii voluntas, *c.* 1. & 2. 20. *q.* 2. Altera est irritatio *indirecta*, qua homo irritat votum, vel juramentum alterius, solum quatenus hæc versantur circa materiam sibi, suoque juri, ac potestati subjectam. Sic Prælati, Parentes, Mariti, Domini, irritare possunt vota Novitiorum, filiorum, puberum, uxorum, famulorum. Hi enim non quoad ipsam personæ voluntatem, sed solum per accidens ratione materiæ subjectæ, subjiciuntur illis, ut proinde eorum vota, & juramenta circa talem materiam facta jure rescindi possint ab illis, ut mox patebit.

ASSERTIO II.

IRritatio Voti, vel Juramenti est ablatio obligationis ejus per potestatem alterius dominativam, vel quasi dominativam, in personam voventem, vel jurantem, aut in rem, de qua fit Votum, vel juramentum. Atque adeo quicumque habet potestatem dominativam, vel quasi dominativam in personam voventem, vel jurantem, aut in ipsam rem promissam Voto, vel Juramento, potest irritare omnia alterius Vota, vel juramenta promissoria.* 12 Communis cum S. Thoma 2. 2. *qu.* 88. & 89. Sanch. *lib.* 3. *Moral. c.* 9. quoad juramenta, & *l.* 4. *Moral. c.* 24. quoad vota Laym. *l.* 4. *tr.* 3. *c.* 11. & *tr.* 4. *c.* 7. *nu.* 3. & alii passim. Ratio patet ex terminis. Quia vota, & juramenta eorum, qui alteri quoad personam suam, vel saltem quoad materiam voto, vel juramento promissam, perfecte subjecti sunt, sunt velut conditionata, & tum ex natura rei, tum etiam ex dispositione juris communis hanc annexam habent conditionem; *Voveo, vel juro hoc, vel illud præstare: si superior, vel is, cujus interest, non contradixerit*. Eo proinde contradicente, irrita, invalida, & nulla erunt omnia ejusmodi Vota, ac juramenta promissoria. Quorum hæc sigillatim explicanda sunt.

§. I. *Vota Religiosorum.*

EST sane communis sententia Antiquorum, omnia vota Religiosorum (sicut & impuberum) etiam Prælato, vel disciplinæ Regulari minime præjudicantia, esse invalida, nullamque obligationem parere, nisi positive ipse Prælatus, vel Pater consentiat, ac approbet: ideoque ad valorem ejusmodi votorum requiri positivum consensum superioris scientis, & non sufficere, ut Superior solum negative non dissentiat, non contradicat, sive sciens, sive ignorans. Ita docere videtur ipse S. Th. 2. 2. 88. *a.* 2. *ad* 3. dicens: *Nullum votum Religiosi est firmum, nisi de consensu Prælati*. Et habetur satis aperte in jure *c. Monach.* 20. *q.* 4. ubi ex S. Basilio refertur: *Monacho non licere vovere sine consensu Abbatis; si autem voverit, frangendum esse Votum*. Ratio potissima esse potest, quia ex eo, quod Deus acceptavit votum solemne professionis in sui obsequium, verosimile videtur, ipsum Deum non amplius acceptare obligationes privatas Monachorum professorum, nisi iis, quibus propter Deum subjiciuntur, consentiant. Eadem ratio fieri potest de filiis impuberibus, quos Deus propter ætatis fragilitatem parentum potestati voluit esse subjectos. Verum jam non tenetur hæc sententia communiter. Auctoritates commode explicari possunt, & ratio plus non convincit, quam quod Religiosi, ac impuberes nihil possint vovere, præjudicans potestati Superiorum, aut contradicente Prælato, vel Patre. Itaque ex communi, & recepta sententia, pono breves resolutiones. 13

RESOLUTIO I.

REligiosorum Vota simplicia illa tantum sunt ipso facto irrita, quæ constitutionibus Regulæ, præceptis Superiorum, & monasticæ disciplinæ repugnant, vel præjudicant: ut si Religiosus, præsertim inclusus, aut Monialis vovit longinquam peregrinationem, servitia pia extra claustrum &c.* Ratio est, quia votum debet esse de opere bono, immo meliori, quam sit ejus oppositum: agere autem contra Regulam, justum præceptum superioris, aut disciplinam monasticam, non est bonum; ergo &c. Et licet Superior, dispensando in Regula, talia permittere posset, adhuc tamen melius est Regulæ, ac disciplinæ Religiosæ humiliter se accommodare, quam ad contraria, etsi alioquin bona, dispensationem impetrare; ideoque non sunt materia voti validi, ut recte observat Suar. *l.* 3. *c.* 6. *de Voto n.* 19.

RESOLUTIO II.

OMnia alia Vota Religiosorum, quæ Regulæ, præcepto Superiorum, & disciplinæ Monasticæ non adversantur, ipso facto valida sunt, & licita, juxta communem DD. cum Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 6. Ratio est quia habent omnia ad validum, licitumque votum requisita. Quoad validum quidem: nam quod Religiosi dicantur esse sub potestate Prælati quoad voluntatem suam, non debet intelligi, quod omnino possint nihil valide velle, vel nolle, nisi is positive consentiat, ut patet mille exemplis, sed quod nihil possint velle, vel nolle, contradicente Prælato, quodque Prælatus non possit, vel firmum relinquere, vel irritum reddere ad suum placitum. Quoad licitum autem supponuntur ejusmodi vota emitti de materia honesta, & sufficiente ad votum licitum, & quidem ejusmodi vota quoad illas actiones bonas, sive in præcepto, sive in consilio positas, per se concessas Religioso, ita ut, nulla petita Prælati licentia, eas exercere licite, & laudabiliter possit, ut sunt certæ orationes, genuflexiones, mortificationes moderatæ, statim valent, obligant, & impleri possunt, & debent, præsumpto nimirum consensu Superioris minime contradicturi, si nosset. Vota autem circa actiones de se bonas, ita tamen Religio- 15

ligioso prohibitas, ut non exerceantur sine petita Superioris licentia, non difficulter concedi solita, ut extraordinaria jejunia, peregrinationes, eleemosynæ de rebus, quas Religiosus consumere posset: statim quidem valent, & obligant in actu primo, & sub conditione, *si Superior consenserit:* non tamen obligant in actu secundo, & absolute, nisi præstito Superioris consensu, quo consensu præstito omnino convalescunt, eoque negato omnino extinguuntur, ac velut irritata corruunt. Communis DD. cum *S. Thom. Nav. Laym. cit. ll.* Ratio est, quia vota potius ita interpretari debent, ut valeant, quam ut non valeant, atqui talia vota invalida essent, nisi subintelligeretur ea conditio, si Superior consenserit, vel licentiam dederit, ut patet: ergo &c. Unde Religiosus vi talis Voti tenetur licentiam petere a Superiore illud opus promissum, jejunium, peregrinationem &c. exequendi: qui enim se obligat ad finem, obligat se etiam ad media ordinaria necessaria ad illum finem: sed tale medium in proposito est licentia Prælati; ergo tenetur illam petere Religiosus, nisi jam expressam, vel tacite præsumptam habeat. At tenebiturne etiam Prælato Votum suum aperire? tunc enim facilius forte Superior licentiam concedet. *Resp.* Omnino consultum esse, sed non necessarium, nisi in ipso voto se ad id obligare intenderit. Non enim est extendenda obligatio voti ultra intentionem voventis. Sicut, si Religiosus homini promisisset eleemosynam dare, nonne satis erit petere licentiam dandi, sine necessitate explicandi se promisisse? ita est in proposito. Sic contra *Sotum, Azorium, Lessium*, & alios *Navar. Cajet. Sanch. Laym. cit.* eosque secutus *Tabur. lib.3. Decal. cap.12. num.7.*

RESOLUTIO III.

16 *Omnia tamen ejusmodi Vota Religiosorum per se directe irritari possunt a Prælato, seu Superiore Generali, Provinciali Locali*, (secundum Suar. & alios etiam Monialium ab Abbatissa, seu Matre spirituali: nam his etiam vovent obedientiam, & certum est, posse irritare vota præjudicantia suæ disciplinæ.) *Ratio*, quia Religiosus in persona sua quoad omnes actiones perfecte subjicitur Superiori, ita ut ex communi sensu, & usu Ecclesiæ, ac interpretatione juris, omnibus ejus votis, ac promissionibus quibuscumque hæc censeatur intime annexa conditio: *Nisi Superior contradixerit.* Immo potest talis Prælatus antecedenter, vel a principio statim irrita facere omnia vota suorum, v. g. prohibendo, ne quis quidpiam voveat, consensu negando, vel contradicendo. Si enim jam edita vota infirmare potest, multo magis edenda. Suar. *cit. c.3. nu.15.* Sanch. *l.4.c.4. n.49.* Eaque omnia vera sunt, non tantum quoad vota circa actiones liberas, vel in consilio positas, sed etiam quoad actiones positas sub præcepto Dei, Ecclesiæ, vel Regulæ. Ut contra *Cajet. & Tamb.* docet communis DD. *Sot. Nav. Suar. Sanch. Laym. cit.* Nam licet talis materia voti, quatenus est sub potestate Dei, Ecclesiæ, vel Regulæ, non sit sub potestate Superioris, est tamen sub potestate ejus, quatenus est sub speciali obligatione voti subditi: adeoque licet a tali materia non possit tollere obligationem, quæ est ex præcepto Dei, Ecclesiæ, vel Regulæ; potest tamen tollere illam specialem obligationem novam, qua subditus ad illam se voto astrinxit, ita ut deinceps contrafaciens non amplius duplici, sed simplici tantum peccato peccet. Idemque dicendum de irritatione voti subditorum non peccandi mortaliter, vel certum peccatum devitandi.

17 Ab hac universali Regula duo excipiuntur. *Primo:* Vota ipsa essentialia, & congruentia statum regularem, illique annexa: in his enim, cum ipsum statum regularem constituant, quem Superior evertere non potest, sed ipse servare tenetur, Religiosus non est subjectus Prælato suo, sed tantum summo Pontifici pro casu raro Episcopatus assumendi, vel rarissimo matrimonii ineundi. *Secundo;* excipitur votum Religionem strictiorem ingrediendi: nam quoad hoc subditus Religiosus ex sacris Canonibus *cap. licet de Regularibus*, est sui juris, nec a Superioribus impediri potest. Hoc enim ob majorem perfectionem semper est in potestate inferioris. Quin ipsum votum solemne Religionis intelligitur cum hac conditione. *Nisi in melius commutare voluero:* cumque talem transitum ad Religionem strictiorem, etiam nolente Superiore, jura permittant, censentur in hoc Religiosum eximere, & sui juris facere.

RESOLUTIO IV.

18 *Religiosorum subditorum tantum Vota ita irritari possunt a Prælato, vel Superiore, cui nimirum Voto obedientiæ actu obstricti sunt.* Hinc 1. Non possunt Prælati, vel Superiores irritare vota Novitiorum tam personalia, quam realia, sive in ipso Novitiatu, sive ante emissa. Hi enim nondum per votum obedientiæ sunt subjecti potestati dominativæ Superiorum quoad voluntatem, & actiones suas, sed absolute sunt sui juris: quamquam alioquin vi privilegiorum, in favorabilibus, reputentur Religiosi. Potest tamen Superior eorum vota personalia irritare indirecte, vel potius suspendere, quatenus eorum gubernationi, & exercitiis probationis, ad quam se Superiori sponte subjiciunt, impedimento, vel præjudicio forent: adeo ut si Novitius egrediatur, obligatio voti, utpote non extincta, sed suspensa tantum pro interim, redeat. Si autem profiteatur, omnia ejus vota simplicia, & personalia ipso facto commutantur in votum solemne Religiosæ professionis, qua se auctoritate, & acceptatione Ecclesiæ, devovent in perpetuum, & universale obsequium Dei, quod eminenter, quasi omnia alia servitia particularia includit: juxta communem, & certam DD. Sententiam. Navar. *cap.12. nu.65.* Rodriq. noster *to.2. Q. Q. RR. qu.25. art.8. Suar. Sanch. Laym.* sæpe cit. 2. Non possunt iidem Prælati irritare vota etiam Religiosorum Professorum ante professionem, seu subjectionem emissa, quia tunc vota non fuerunt facta cum illa conditione consensus Superioris; sed personalia, ut jam est dictum, commutantur in votum professionis: realia vero, sicut alia debita, ad hæredes transeunt. Excipe. Nisi illa vota fuissent facta in ætate impuberi, seu pupillari: nam ut optime docet Lessius *lib.2. de Just. cap.40. dub.15.* Si Novitius in sæculo antea emisit vota in ea ætate, in qua Parens, Tutor, vel Curator potuisset ea irritare, eadem poterunt etiam irritari a Prælato Religionis, cum in illorum potestatem succedat, ut Sanch. *lib.9. de matrim. disp.49. num.4.* notat. *Hæc Lessius.* 3. Non possunt Prælati, vel Superiores irritare Vota Religiosorum etiam in subjectione facta, eo tempore, quo jam a subjectione talis Prælati, vel Superioris exempti sunt, aut quoad personam, ut si desinat esse Superior, aut simpliciter quoad Religionem, ut si Religiosus fiat Episcopus, aut absolute dimittatur ad sæculum. Sic enim Prælatis Regularium non amplius subditi supponuntur: ideoque ipsi Prælati revera non remanent Superiores respectu talium. Secus est de Patre respectu filii, qui semper manet Pater, ideoque vota filii in subjectione facta, semper postea irritare potest, ut mox videbitur. 4. Denique Prælatus omnium Religionum universalis, auctoritate irritare potest Summus Pontifex, qui est generalissimus Prælatus omnium Religionum, sibi principaliter, & ultimate per votum obedientiæ per Ecclesiam acceptatum subjectorum: non autem potest irritare vota aliorum fidelium, sed tantum potest ea dispensare. Ratio disparitatis patebit *sect.3.*

§. II. *Vota Filiorum, & Clientum.*

Filii respectu Patris, Clientes vero, vel pupilli respectu Tutorum, vel Curatorum dicuntur: iique aut impuberes, aut minores, vel minorennes tantum. *Impuberes* dicuntur masculi quidem usque ad annum XIV. fœmellæ vero usque ad XII. ætatis annum completum. Ea enim ætas impubertatis utroque Jure Civili, & Ecclesiastico definita simpliciter attendenda est quoad irritationem votorum, & similia jura innumera: non obstante, quod re ipsa, ante dictam ætatem alicui pubertas, simulque judicii maturitas advenerit, vel postea primum adventura sit, ut notant DD. Jurium, & Theologiæ, communiter. *Minores autem*, vel *Minorennes* dicuntur ab anno XIV. usque ad XXV. completum. Quibus temporibus, si Patre destituantur, Tutor datur impuberibus usque ad XIV. principaliter quidem ad personam filii tuendam, ut honeste educetur, & secundario simul ad ejusdem bona administranda. Curator vero datur Minorennibus ab anno XIV. usque ad XXV. principaliter ad bona pupilli administranda, & secundario etiam ad personam tuendam. Quibus perceptis, pono breves 19

RESOLUTIONES.

Prima: *Omnia vota impuberum per se directe irritari possunt a patre, vel ejus loco, Tutore.* Sumitur *ex capitulo n. 30. Numer.* & docent communiter DD. cum *S. Th. citato.* Ratio, quia ipso naturali gentium jure introductum est, atque jura positiva ita disposuerunt, ut impuberes in illa tenera ætate, ob rationis, judicii, & discretionis imbecillitatem, aliena patris, vel Tutoris voluntate, & auctoritate regantur, adeoque in omnibus eorum votis, juramentis, pactis, ac promissionibus quibuscumque, semper intelligatur illa conditio: si pater, vel Tutor, aut is, qui patriam in eos potestatem habet, & exercet, consentiat, aut non contradicat: si ergo pater libere hanc conditionem non ponat, jam omne votum, juramentum, pactum, vel promissio corruit. Valide ergo, & licite pater irritat vota impuberis filii. 1. Etiamsi illa vota implenda essent primum post annum pubertatis; ut si puer decem, vel duodecim annorum voverat jejunare, eleemosynas dare, peregrinari &c. quando grandior, vel sui juris erit, quando bona propria habebit, &c. Ratio est, quia potestas hæc irritandi fundatur in imperfectione voventis, at hæc imperfectio voventi jam adfuit, quando votum emissum fuit: ergo &c. 2. Idque etiamsi filius contradixerit irritationi, aut patrem posse irritare vota sua non crediderit: (quod pro praxi bene notandum,) quia hæc patris potestas non pendet in suo usu a filii voluntate, vel consensu. Secus est in commutatione, in qua vovens debet acceptare materiam subrogandam, ad quod omnino requiritur consensus voventis, adeoque, eo invito, vel inscio fieri non potest. 3. Requiritur tamen ad validam irritationem, ut filius votum 20

suum Patri, vel alteri irritaturo explicet. Si enim is solum exponat propositum suum, ingrediendi Religionem v. g. tacito voto quantumvis Pater contradicat, non censebitur irritasse votum, de quo cognitionem nullam habuit, nam ignoti nulla voluntas, ac proinde vovens postea tenebitur votum implere, nisi aliunde excusetur, juxta communem DD. apud cit. 4. Non tamen ad validam irritationem requiritur ulla causa, immo neque ad licitam, nisi illa sola, ut filius voto suo se gravatum sentiat, ut amplius videbitur §.4.

21 Secunda: *Insuper omnia vota ab impubere in ipsa impubertate edita, non solum durante impubertate, sed etiam postea quocumque tempore pubertatis a Patre irritari possunt, si pubes factus ea non confirmavit, vel ratificavit.* Ita contra Sotum, Angles & alios, communis sententia DD. Nav. Less. Suar. Sanch. Gobat. & alii passim. Ratio; quia in his primordialis natura, & obligatio actus inspicienda est: votum autem impuberis ob ætatis, & judicii imperfectionem ab initio dependebat a Patre, semperque hanc conditionem annexam retinet: *si pater non contradixerit:* quæ conditio tractu temporis quocumque non aufertur, nisi post pubertatem nova ratificatio accedat, qua votum præcedens quasi novo voto repetatur, & stabiliatur.

22 Ubi incidenter pro his, & similibus plurimis casibus accurate observa, tria requiri ad veram, & obligatoriam voti, & cujusvis promissionis ratificationem. *Primum:* Ut vovens sit conscius debilitatis prioris voti, vel promissionis. *Secundum:* Ut velit de novo se obligare firmiter, perinde ac si numquam obligatus fuisset. *Tertium:* Ut ita dispositus, verbo, vel saltem mente votum irritum repetat, nisi hæc concurrant, manebunt præterita vota ejus prorsus eo modo, quo antea erant: at, his positis, novam obligationem contrahat, necesse est. Unde quamvis aliquod votum sæpissime renovaverit, non ideo illud ratificavit, hoc enim nihil aliud est, quam prius vinculum approbare, & non de novo suscipere. Quare, si illud infirmum, & irritabile ab initio fuit, remanebit semper tale. Similiter ex eo, quod vovens votum suum in impubertate factum, factus pubes velit vel incipiat exequi, aut sæpius repetat, non ideo censetur illud ratum facere, ac confirmare, quia sola voluntas exequendi, ipsa executio, aut repetitio voti, non potest præcedenti voto obligationem novam inducere. Contra vero, si quis immemor sui voti antea facti, & infirmi, v. g. in impubertate, non ex vi prioris obligationis, sed mere de novo idipsum voveat, omnino valebit votum. Tunc enim votum recens factum suam novam obligationem independenter ab antiqua pariet. Casus singularis videri potest apud Gobat. *hic casu 6. num.176.* non enim vacat exscribere.

23 Tertia: *Vota filiorum puberum post pubertatem emissa, illa solum a Patre indirecte per accidens, & ratione materiæ irritari possunt, quæ, & quatenus præjudicant liberæ Patris potestati in libera, & expedita familiæ, rerumque suarum administratione* (in quibus etiam puberes filiifamilias Patris potestati subjecti sunt) sic irritari possunt vota eorum de multis jejuniis, longis peregrinationibus, immo & orationibus prolixis, quibus familia perturbatur, necessaria obsequia negliguntur, aut filius infirmari timetur, & maxime vota dandi eleemosynam de bonis paternis, & universaliter vota realia de dispositione rerum temporalium, quamdiu scilicet sub patria potestate est. Nam in eo statu filius etiam in administratione bonorum temporalium *sub Parentibus, & Tutoribus est*. Excepto, si habeat bona castrensia, vel quasi castrensia, de quibus libere disponere potest, & vota de his facta a Parentibus, vel Tutoribus irritari nequeunt. Alia vero vota puberum, sub patria potestate, vel quasi patria manentium, quæ eidem potestati, & gubernationi paternæ non præjudicant ullo modo, ut Religionis, Castitatis, Sacrorum Ordinum, Confessionis, Communionis menstruæ &c. a parentibus irritari nequeunt. *Ratio omnium est:* quia circa illa filius non habet disponendi, nec consequenter vovendi potestatem, in aliis autem, in quibus sui juris est, disponere, atque adeo vovere sine dependentia ab alio potest. Communis DD. cum S. Thom. 2.2. *quæst.*88. *art.*8. *ad* 2. Navar. Laym. *cit. cap.*7. *nu.*13. meique citati omnes: contra *Angles* docentem, Omnia vota, saltem filiarumfamilias a Patre posse irritari: innititur c.30. Num. *Mulier, si quidpiam voverit, & se obstrinxerit Juramento, quæ est in domo Patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognoverit Pater votum, & tacuerit &c. voti rea erit: si autem statim ut audierit, contradixerit Pater, Vota, & Juramenta ejus irrita erunt.* Sed respondent recte DD. cum Glossa ibidem, textum ibi loqui tantum de filia impubere, ut significat vox, *in ætate puellari*.

24 Quarta: *Patria hæc potestas irritandi vota filiorum impuberum in defectu Patris, ad plures extenditur.* 1. Tutor, quamdiu Tutoris officio fungitur, omnia pupilli vota in impubertate facta irritare potest, quæcumque irritare potest Pater: quippe, cujus loco succedit. 2. Curator etiam irritare potest vota minorennis concernentia bona temporalia, vel præjudicantia administrationi suæ, in his enim Patris, vel Tutoris vicem subit Curator, dum Curatoris munus obit. Unde Sanch. *lib.*4. *de voto c.*30.*n.*15. probabilissime docet Curatorem posse etiam irritare ejusdem minorennis vota in impubertate emissa directe, & per se, quia licet directe, & principaliter detur Curator ad administrationem bonorum temporalium, tamen secundario etiam datur ad gubernationem personæ Clientis 3. In defectu Patris, vel Tutoris, vel Curatoris, Avus etiam vota nepotis irritare potest, eademque omnium ratione, qua potest Pater, vel Tutor, vel Curator, & avo deficiente idem possunt ascendentes in linea recta. 4. In defectu Patris, Tutoris, Avi, ac ascendentium in sexu virili, tandem Mater irritare potest vota filii, & in ejus defectu Avia &c. *secundum omnes*. Licet enim, defuncto Patre, Mater eo ipso non acquirat hanc potestatem in filium, nisi ipsamet instituereretur Tutrix, attamen in defectu & Patris, & Tutoris, ac ascendentium, ad Matrem ipso jure naturæ hæc cura spectat, ut filium loco Patris gubernet, eique loco Tutoris sit: adeoque filii vota in impubertate emissa irritare potest, saltem durante tempore impubertatis: & probabiliter etiam postea, sicut de Curatore paulo ante dictum est & consequenter etiam aliqua vota puberis realia suæ gubernationi præjudicantia, quemadmodum Curator, uti contra *Sanch.* probabiliter docet Tamb. *l.*3.*c.*16.*§.*3.*nu.*23. Eo quod Mater in defectu aliorum, sicut in locum Tutoris tempore impubertatis, ita etiam postea in ætate minore in locum Curatoris ipso naturali jure succedere videatur. Denique non desunt probabiliter opinantes in defectum horum omnium, etiam maritum uxoris, Dominum servi, Magistrum discipuli, vel alium, sub cujus gubernatione impubes existit, vota in impubertate emissa irritare posse, ut videre est apud *Suar. & Sanch. cit.* Ratio est, quia Maritus, Dominus, Magister, in defectu aliorum succedere videntur uxori, servo, discipulo, in locum Parentis, Autoris, vel Curatoris. Verum hæc rarioris praxis obiter indicasse satis est, latius videnda apud citatos.

§. III. *Vota uxoris, mariti, servorum.*

OMnia uxoris vota etiam non præjudicantia, constante Matrimonio edita, per se directe irritari posse a Marito, non minus, quam vota Religiosi a Prælato, vel impuberis a Patre, vel Tutore &c. docent sane, nec improbabiliter graves *DD. Sotus, Rosella, Angles, Arrag.* aliosque citans Sanch. *l.*4. *moral. c.*34.*n.*3. Et probabile censent *Bonac. Lessius*, cum Tamb. §.3.*n.*48. Ratio est, quod mulier ex primæva Matrimonii institutione subdatur viro, ut capiti suo, a quo tamquam intellectu infirmior in omnibus gubernetur, ut filius impubes a Patre, adeoque propter bonum regimen domus, pacemque, ac concordiam ei plene subdatur in omnibus votis, promissionibus, pactis, ac contractibus, ut proinde omnia ejus vota censeantur emitti sub conditione, *si vir non contradixerit*. Nam favet lex illa Num.30. *Uxor in domo viri sui cum se voto obstrinxerit, vel juramento: si audierit vir ejus, & tacuerit, nec contradixerit, sponsioni, reddet quodcumque promiserat; sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea.* Hæc ibi. 25

Excipit tamen *Sanch.* 1. votum Religionis, quando ab uxore impleri potest, conjuge invito, utpote primo bimestri ante consummationem: item viro adulterante. 2. Vota ab uxore emissa ante Matrimonium, præjudicantia marito, solum suspenduntur pro tempore durantis Matrimonii. 3. Vota emissa ante Matrimonium, & expresse primo post Matrimonium implenda, nullo modo spectant ad potestatem mariti, nisi forte in impubertate emisa essent, juxta paulo superius dicta. 4. Vota tamen emissa durante matrimonio, & post Matrimonium primo implenda adhuc a marito irritari posse, censent Sanch. *cit. cap.*31. *num.*17. Tambur. *nu.*49. eo quod maritus possit solvere omne vinculum, quod suscipit mulier, dum est sub ipsius potestate; atqui hoc votum etiam tale; ergo &c. Probabilis omnino doctrina, & servire potest Confessario non habenti facultatem dispensandi, vel commutandi vota, immo etiam sæpe habenti. Verum ne fœminas nimium subjiciendo maritis offendamus, ex communiori, ac tutiori doctrina, iterum pono breves 26

RESOLUTIONES.

PRima: *Vota uxorum solum per accidens indirecte, ac ratione materiæ irritari possunt a maritis, quæ, & quatenus nimirum ipsis in conjugii usu familiæ gubernatione, & rei familiaris administratione præjudicare possunt:* ut votum continentiæ, vel non petendi debitum, multorum jejuniorum, in periculum prolis generandæ, & educandæ, multarum orationum, peregrinationum, eleemosynarum maxime: & similium in dispendium gubernationis, & rei domesticæ. Vota autem, quæ juri maritali nullo modo præjudicant, tam personalia, quam realia, in quorum exercitio uxor non est subjecta viro, v.g. eleemosynæ de bonis paraphernis, aut iis, quorum administratio ad ipsam uxorem pertinet; item certæ, & moderatæ Orationes, Communiones, peregrinationes, vitandi certum aliquod peccatum, vel peccati periculum, &c. hujusmodi, sicut uxor absoluta libertate vovere potest, ita a marito irritari nullo modo possunt, quamvis ea vota aliquando censent obliga- 27

re uxo-

re uxorem, si maritus ægre ferat, vel contradicat, non quod contradicentis auctoritate irrita reddantur, sed quia tunc majus bonum pacis, ac amoris conjugalis impediunt. Ita communis DD. *Innocentius*, *Sylvester*, *Navar. Valentia*, *Azorius*, aliisque congestis Suar. *lib.6. de Voto c.5.* Laym. *cit. n.12.* Ratio est, quia uxor non est subdita viro per se, & simpliciter, atque in omnibus actionibus liberis, sed solum, & præcise, quatenus exigit vinculum, & jura matrimonii, ut nimirum in vitæ societate, usu corporis, prolium educatione, familiæque administratione, mulier viro suo tanquam capiti subdita sit. Omnimoda autem illa subjectio, ac dependentia uxoris ad maritum nullo jure fundata est. Non jure naturali, vel gentium, quali impuberis voluntas subjecta est patri, vel tutori, quia mulieres longe majorem rationis discretionem obtinent, quam impuberes: alioquin ipsæ, si conjugatæ non sint, semper Tutoribus essent subjiciendæ, quasi perpetui impuberes. Neque jure positivo, cum nullum tale existat. Lex autem allata ex N. 30. optime intelligitur de votis, vel promissionibus uxoris juri matrimoniali præjudicantibus, utpote facta de eleemosynis, vel oblationibus, ex bonis communibus faciendis. Et licet tale jus fuisset in veteri Lege, modo tamen una cum aliis judicialibus abolita esset. Nec denique ex contractu, & vinculo matrimonii, quia hæc tantum extendunt se ad corporis usum, & familiæ administrationem, ut supra dictum.

28 *Secunda*: Etiam uxor ita indirecte potest irritare vota mariti, quæ juri suo matrimoniali derogant, vel præjudicant: ut si maritus voveret continentiam, non reddere debitum, longa jejunia, austeritates, longinquas peregrinationes, aliosve insolitos actus, quibus ille ineptus redderetur ad debitum conjugale, officia domestica, aut mutuam societatem notabiliter violarent. Addunt aliqui apud Tamb. *cit. n.54.* etiam votum gestandi Habitum religiosum, verbi gratia Tertiariorum S. Francisci. Quia ob horrorem vestis, ajunt, retraheretur uxor a debito petendo. Denique omnia vota realia mariti, si cederent in detrimentum dotis, vel aliorum bonorum suorum, quorum administratio penes maritum est. Excipitur votum peregrinationis Hierosolymitanæ in subsidium Terræ sanctæ, quo casu Canones juri uxoris derogarunt, ut, etiam ea invita, tale votum a marito edi possit, & servari debeat, *cap.* Quod super, &c. ex multa de voto. §. *In tanta necessitate populi Christiani, ne Terræ sanctæ subsidium impediatur*. In alia autem mariti vota nihil juri suo præjudicantia, nihil posse uxorem, omnes consentiunt. Et ratio est clara, quia vir nullo modo subjicitur uxori quoad personam, vel voluntatem suam, sed tantum quoad materiam, si sit matrimonio præjudicans.

29 *Tertia*: Maritus quidem non potest irritare votum uxoris de non petendo debitum, etiam sine mariti licentia editum: quia conjux conjugi non obligatur ad conjugii usum petendum, sed tantum ad reddendum petenti. Etsi tale votum aliquando cesset obligare uxorem, si maritus ægre ferret, & discordiæ causam præberet, cum votum non debeat esse majoris boni impeditivum, ut in simili paulo ante dictum est. At vero uxor votum mariti de nunquam petendo debitum aliquando irritare poterit, quia hoc votum potest cedere in præjudicium, & gravamen uxoris verecundæ, præ pudicitia non audentis petere, si maritus nunquam petat. Ita cum *Henriquez*, & aliis, Sanch. *lib.9. de matr. disp.7. n.4.* Layman. *cit. cap.7. n.16.* Cæterum votum continentiæ ab utroque conjuge mutuo consensu editum, absolute valet, ut mutua, vel alterius conjugis contradictione amplius irritari non possit. Ex communi Abbas *in c. Charissimus n.6.* Sanch. *l.8. disp.37. n.10.* Layman. *cit.* Et docet D. August. relatus *cap.* Quod Deo. 33. *quæst.* 5. *Quod Deo pari consensu voveratis, perseveranter usque in finem reddere debuistis: a quo proposito si ille lapsus est, tu saltem instantissime persevera*. Et ratio est, quia sic uterque conjux juri suo ad reddendum, vel petendum debitum per mutuum consensum in votum cessit: unde nisi legitima Superioris dispensatione restitui non possunt. Quare recte monet Sanch. *cit. n.14.* talem conjugem petentem debitum peccare mortaliter, non tantum violatione voti contra Religionem, sed etiam contra justitiam exigendo tanquam sibi debitum, cum tamen exigendi jus amplius non habeat. Quod si vero conjux ita voveat de licentia, vel consensu alterius conjugis, dicam mox infra in extensionibus.

30 *Quarta*: Vota denique servorum similiter non per se directe irritari possunt a Dominis, sed solum indirecte, & per accidens illa, quæ, & quatenus obligationi servitutis, & famulatus, ac juri, quod in servos habent Domini, officiunt, & præjudicant, pro tempore, quo iis subduntur. Uti sunt vota Religionis, sacri Ordinis, longæ peregrinationis, recitandi Horas Canonicas, quotidie audiendi Sacrum &c. & alia hujusmodi, quibus servus redditur minus aptus ad servitium Domini, aut semper, aut certis horis impeditur ejus famulatus, ac libertas Domini. Vota autem dandi eleemosynas de rebus Domini simpliciter nulla sunt. Secus est de aliis servorum votis ad servitium Domini nihil pertinentibus, ut servandi Castitatem, evitandi certum peccatum, frequentationis Sacramentorum, moderatæ orationis, dandi eleemosynam de proprio peculio, si quod habent, & similia, a Dominis irritari nullo modo possunt, quia in his servus est sui juris, neque talia observando communiter Domini obsequiis nocet. Denique universaliter vota servorum edita sive durante servitute, sive ante servitutem, & subjectionem, sed implenda, seu implebilia post servitutem, durante quidem servitute suspensa, postea vero sine dubio convalescunt, & servanda sunt, neque ullo modo a Dominis irritari possunt: ea enim ratione, ut scilicet primo post servitutem impleantur, servitio Dominorum nullo modo præjudicant. Idem modo mox dicemus de ipsis votis, durante servitute, a Dominis irritatis.

§. IV. *Extensiones*.

PRima: Quicumque vota irritandi facultate præditus, utpote Prælatus, Pater, Tutor, Maritus, Dominus, postquam subdito, filio, uxori, servo, vovendi quidpiam licentiam dedit, votumque approbavit, nihilominus postea ante voti executionem, mutata sententia, & revocata licentia, votum illud irritare, & rescindere valide potest. 31
Ratio est, quia dando licentiam, præsenti consensu, non censetur se privasse jure suo gubernandi, præcipiendi, & prohibendi, adeoque etiam potestate irritandi vota suorum, quæ semper annexam habent conditionem: *Si superior non contradixerit*. Communissima cum Navarr. *cap.12. n.6.* Suar. *l.7. c.4. n.10.* Sanch. *l.4. de voto cap.27.* Lessius *l.2. cap.49. dub.10.* Laym. *cit. c.8. n.14.* Qui recte applicant: multo magis Successorem, Prælatum, Tutorem, Maritum, Dominum, vota subditorum, etiamsi cum licentia Antecessoris edita fuerint, pro arbitrio irritare posse, cum enim non habeat imperium par in parem, *c. innotuit, de electionibus*: Antecessor non potuit juri sui Successoris præjudicare. Adde amplius. Etiamsi unus Superior dedisset licentiam vovendi cum promissione non revocandi, adhuc potest revocare succedens Superior æqualis ob rationem modo dictam. Secus est universaliter: quando major Superior licentiam vovendi dedit, tunc enim nullus inferior Prælatus irritare poterit, ut si Generalis licentiam dedit, non potest irritare Provincialis, minus localis: si Provincialis licentiam fecit, nihil poterit Superior localis: & sic de cæteris. Ratio nota est, quia, Superiore majore consentiente, non valet contradicere Superior minor.

Secunda: Qui habet facultatem irritandi vota directe, 32
per potestatem dominativam in ipsam personam, ac voluntatem voventis, ut Prælatus respectu Religiosi, Pater, vel Tutor respectu filii, & secundum aliquos, maritus respectu uxoris, adhuc valide irritare potest votum alterius, etiamsi licentiam vovendi dederit cum expressa promissione non revocandi, neque irritandi vota permissa, vel quomodolibet approbata. Ex communi Suar. *cit. cap.8.* Sanch. *c.27.* Tamb. *cit. nu.36.* quia Prælatus, vel Pater etiam per illam promissionem non se abdicavit, immo non potuit se abdicare sua potestate, quam a natura, vel jure communi habet in filium, vel Religiosum: ergo non obstante etiam illa promissione, adhuc valide irritare poterit, nisi forte Pater dando talem licentiam filio vovendi quidpiam reale, tacite, vel expresse rem promissam filio donasset, atque adeo a suo dominio abdicasset; tunc enim non posset amplius revocare licentiam, vel promissionem factam, ut bene observat Tamb. *ibid. n.15.* Secus dicendum est de iis, qui indirecte tantum, ac ratione materiæ possunt irritare vota aliorum. Quod si ergo Pater filio puberi, Dominus servo, & in nostra sententia, etiam maritus uxori semel licentiam dedit vovendi quidpiam, alioquin sibi præjudicans cum promissione non revocandi, vota omnino constabunt, nec deinceps, revocata licentia, valide irritari poterunt. Ratio est, quia ideo hi possunt irritare vota suorum, quia illa vota sibi præjudicant ratione materiæ, vel obsequii debiti, atqui per promissionem non revocandi acceptatam, illi omnino cedunt præjudicio, & juri suo circa talem materiam, vel obsequium: ergo jam non poterunt amplius revocare, & irritare, ne valide quidem, multo minus licite. Denique specialiter hic eximium est votum continentiæ editum ab una conjuge, etiam uxore, cum consensu approbativo alterius conjugis, & aliqua saltem virtuali voluntate renunciandi juri suo, & etiamsi expresa promissio non revocandi non adesset, tamen postea irritare nequit, secundum communem DD. apud cit. & habet Glossa in *c.* Manifestum. 33. *q.5.* *Vota vero continentiæ ita alterius permissione ab altero valent offerri, ut post permissionem non valeant in irritum deduci*. Ratio est, quia quoad usum matrimonii, vir non habet majus jus in uxorem, quam uxor in virum, quare si unus conjux jam alteri semel licentiam dedit consensu approbativo, cum aliqua voluntate cedendi juri suo, velut jam jure suo privatus, licentiam revocare nequibit. Secus esset: si daret licentiam consensu solum permissivo, dicendo v. g. se contentum esse, nec contradicere, ut altera votum continentiæ edat, interim nolit præjudicare juri suo, tunc enim postea non prohibetur debitum exigere, ut notat Innocentius *c. 1. de conversatione conjugatorum*. Navar. *c. 16. man. n.31.* Coninch, Laym. *cit. num. 15.* recte addens, si conjux conjugi dederit facultatem vovendi castitatem absolute, & simpliciter, eo ipso censeri renunciasse juri suo ad exigendum

debitum, cum alias absolute Castitas servari non possit; perinde, ac si ambo mutuo consensu castitatem vovissent, ut supra notatum est. Addit insuper Laym. *cit. num.* 15. *in fine*. Si uxor dedit marito licentiam aliud quidpiam vovendi, quod juri suo præjudicet, v. g. longam peregrinationem, censendum esse juri renunciasse, ut deinde licentiam revocare non possit. Et hactenus de valore.

33 *Tertia*: Quicumque vota irritandi potestate præditus, absque omni causa, vel ratione necessitatis, aut utilitatis alicujus, votum alterius irritat, aut datam semel vovendi, vel voti exequendi licentiam revocat, & maxime si accessit promissio non revocandi, peccat ad minus venialiter. 1. Certum est apud omnes votum irritare, aut datam licentiam sine causa revocare, contra promissionem, non revocandi datam, & acceptatam, esse peccatum; & quidem in communiori sententia ex genere suo mortale, pro ratione scilicet materiæ. Similiter 2. simpliciter etiam datam semel licentiam vovendi, vel votum exequendi absque omni causa revocare peccatum esse, omnino communis est Sententia; nam *Numer*.30. de viro, qui taciturnitate sua voto uxoris consensum dederit, & postea primum contradicit, dicitur, *portabit ipse iniquitatem ejus*. Atque esse mortale pro ratione materiæ, iterum tenent gravissimi DD. Cajetan. Navarr. Arragonius, meique Sanch. Laym. *ll. cc.* quod nimirum consensu, ac licentia Superioris jam semel data (& maxime cum promissione non revocandi) votum jam confirmatum erat ad cultum DEI: revocato autem consensu sine justa causa, denuo infirmatur, & velut violatur votum, & cultus Dei non sine gravi Divini Numinis irreverentia. Fateor magis piam, ac tutam esse sententiam.

34 Attamen solum sine causa irritare simpliciter, seclusa promissione de licentia ante data non revocandi, esse culpam venialem tantum, communius, & probabilius docent DD. Medina, Sotus, Valentia, & alii apud Layman citatum. Et ratio est, quia tunc licet Superior, Pater, maritus, &c. utatur jure suo, tamen male utitur, vel potius abutitur jure suo, absque omni causa promptitudinem subditi ad exhibendum Deo cultum, & obsequium per votum, vel voti executionem, sua gratuita irritatione impediendo. Ex quo inferunt hi DD. etiam subditum peccare venialiter, si absque omni justa causa rescissionem sui voti a Superiore petat. 4. Nihilominus probabile satis judico, sine omni causa vota irritare, etiam licentiam datam revocare, nullum esse peccatum, & solum veniale, si fiat contra promissionem non revocandi. Ita de sola irritatione, Arragonius, Sylv. Navar. Angles, Azorius, alii apud Laym. *cit. num*.18. sed dissentientes de revocatione licentiæ, Castro-Palaus, Tambur. Et ratio omnino manet, quia Superior irritando utitur jure suo, & etiam dando licentiam vovendi simpliciter, minime privavit se jure suo: semper enim licentia concessa intelligitur sine præjudicio juris proprii, atqui nemo peccat utendo jure suo, per se loquendo, & secluso scandalo, vel contemptu: ergo &c. Quod si etiam promissio non revocandi facta est, erit sane peccatum postea revocare, ac irritare votum; at non apparet ratio malitiæ, plusquam venialis. Tota enim ratio hujus malitiæ consistit in infidelitate, & quadam levitate, vel inconstantia, qua concessio promissa sine causa revocatur, atqui infidelitas, & inconstantia per se non excedit culpam venialem, nisi aliud quid grave accedat contra justitiam, & Religionem: accedere autem hic gravem irreverentiam divini Numinis, est sane piorum persuasio pia, sed nulla convincens ratio: supponunt tantum, non demonstrant Adversarii. Lex illa vetus Judicialis nihil amplius ad nos.

35 *Quarta*. Obligatio votorum semel irritatorum per se directe, per potestatem nimirum dominativam in ipsam voluntatem voventis, utpote vota Religiosi irritata a Prælato, vota impuberis irritata a Patre, vel Tutore, non reviviscit, postquam vovens a potestate irritantis liberatus est: in quo omnes consentiunt. At vero obligatio votorum irritatorum solum per accidens, indirecte, & ratione materiæ, uti sunt vota Novitii, filii puberis, uxoris, servi, irritata a Prælato, Patre, marito, Domino, manente re integra, omnino reviviscit, postquam vovens a potestate irritantis liberatus est. Ita (contra Panormit. Cajet. Arrag. Sylvest. Navar. ipsumque Sanch. *cit. cap*.26. *num*.4.) probabilius docent Innocent. Rosella, Valentia, aliisque citatis Suar. *lib*.6. *de voto cap*.1. *num*.4. *Et cap*.4. *num*.17. Lessius *cit. cap*.40. *dub*.10. *num*.82. Et sumitur ex *cap. Placet, de conversatione conjugatorum*: Ubi habetur: uxorem, quæ ignorante, vel invito marito Religionem professa, & ab eo revocata est, postea marito mortuo ad Monasterium quidem compellendam non esse, quia professio irrita fuit, repugnante viro: nihilominus a debito petendo, & secundis nuptiis arcendam. Quia nimirum in professione Religionis, etsi alias irrita, tamen votum continentiæ virtualiter seorsim obligans manebat, ex speciali juris interpretatione, quod a marito non simpliciter potest revocari, sed quatenus in ejus præjudicium cessit, ut conjugi debitum exigenti reddere teneatur, manente obligatione de cætero continendi, quæ, mortuo conjuge, tota reviviscit. Eadem autem est ratio in aliis similibus casibus. Ratio vero est, quia erga illas personas, Novitios, puberes, uxorem, servos, in Prælato, Patre, marito, Domino, non est potestas irritandi vota simpliciter, sed solum indirecte, quatenus eæ personæ quoad certa obsequia ipsis obligatæ sunt, quare cessante hac obligatione, votum antea impeditum omnino reviviscit. Cæterum a fortiori certum est apud omnes, vota, quæ ejusmodi personæ ediderunt, antequam subjicerentur potestati alterius, v. g. uxor ante nuptias, servus ante servitutem, etiamsi postea a marito, vel Domino irritata fuerint, quatenus in eorum præjudicium cedebant, postea vero mortuo marito, vel Domino totaliter reviviscere, dummodo voventis intentio se ad ejusmodi extenderit, & alioquin res maneat integra.

Extensio specialis ad juramenta.

REGULA

Quicumque, & quacumque ratione habet potestatem irritandi vota alterius per se, vel per accidens, is etiam habet potestatem eadem ratione irritandi omnia alterius juramenta promissoria: non tantum absoluta, & per se stantia, in honorem Dei, vel utilitatem hominis facta; nec solum confirmatoria promissionis factæ ipsi Deo, quæ dicuntur *vota jurata*; sed etiam confirmatoria promissionis factæ homini, quantumvis acceptatæ, quæ dicuntur *pacta jurata*. Ita omnes in ipsa Assert. citati. Et ratio manifesta est, quia juramentum recipit naturam, & conditiones actus, cui apponitur: ideoque appositum actui irritabili, ipsum quoque irritabile redditur, ac irritato, vel quomodolibet ruente ipso actu, promissione, pacto, contractu, jam irritatur, ac ruit juramentum appositum; atqui quicumque potest irritare per se, vel per accidens ipsa alterius vota ipsi DEO facta, consequenter a fortiori eadem ratione poterit irritare omnes alias ejus promissiones contractus, & pacta homini facta, ergo quicumque potest irritare vota, potest etiam irritare juramenta, seu absoluta, seu addita ipsis votis, seu aliis promissionibus, pactis, sponsionibus. Intellige semper, eadem ratione proportionaliter, sicut potest irritare vota, seu sicut habet potestatem in voventem, v. g. Prælatus, Pater, Tutor potest irritare omnia prorsus juramenta, vota, ac pacta jurata Religiosi, & impuberis per se directe, quia habent directam potestatem in voluntatem viventium, sic, ut omnes eorum promissiones DEO, non homini factas, infirmare possint, consequenter & juramenta addita. Item Pater, Maritus, Dominus, potest solum indirecte, & per accidens irritare vota puberis, uxoris, servi, quatenus cedunt in præjudicium ipsorum: hac enim sola ratione potest infirmare eorum promissiones, vel pacta, & consequenter juramenta addita. Denique universaliter: omne juramentum versans circa materiam alterius potestati, & liberæ dispositioni subjectam irritari potest ab illo alio, quemadmodum & vota. Sic Summus Pontifex potest suo arbitrio irritare omnia juramenta edita circa beneficia Ecclesiastica instituenda, distribuenda, augenda, minuenda: quippe in quibus plenissimam potestatem noscitur habere *cap. 2. De præb. in 6*. Item Episcopus juramenta suorum Clericorum circa res suæ potestati subjectas; ut si Clericus juravit se vestes sacras commutaturum, loco non recessurum, nisi debita solveret, libere scindere potest. Quia & sæcularis potestas hac ratione quoque potest irritare juramenta, v.g. cogendo aliquem ad Magistratum, non obstante juramento, ut habetur in jure, apud Laym. *cit.* in fine.

SECTIO III.

Votorum, ac Juramentorum Dispensatio, ac Relaxatio.

SUMMARIUM.

37 *Ad validam voti, vel juramenti dispensationem requiritur justa, & rationabilis causa, quales præcipue sunt*, & 38.

39 I. Imperfecta deliberatio *seu imperfectio actus vovendi*.

40 II. Notabilis difficultas *exequendi votum*.

41 III. Damnum spirituale, vel corporale voventis; *&*

42 IV. Majus bonum proventurum.

43 Usque ad num. 47. *assignantur quatuor* regulæ *dispensanti bene observandæ*.

47 *Esto obligatio votorum sit juris naturalis, datur tamen in Ecclesia Dei certa potestas in eis dispensandi*.

48 *Et quidem* I. Ordinaria *respectu omnium fidelium in omnibus omnino votis in* Summo Pontifice, *ut universali Pastore*.

49 *Ac pariter* Ordinaria *in Episcopis respectu suorum Diœcesanorum in omnibus votis Pontifici non reservatis*.

50 *Sicut & Prælati Regulares Exempti, ut Generales, Provinciales, Abbates, & Præpositi absoluti* ordinariam potestatem *habent dispensandi in omnibus votis Papæ non reservatis suorum subditorum*; & 51.

52 *Non item Prælati Religionum non Exemptarum, nisi id eis, vel ex consuetudine, vel Episcopi licentia commissum sit*.

53 *Cum*

53 *Cum quibus, & qualiter dispensare possint habentes potestatem delegatam.*
54 *In quibus, & qualiter in votis dispensare possint privilegiati, seu Confessarii Mendicantes*, & 55.
56 *Vota Papæ reservata de facto sunt quinque*; I. *Votum* Religionis. 2. Castitatis integræ, & perpetuæ. 3. Peregrinationis *ad S. Sepulchrum*. 4. Romanæ ad limina Apostolorum *Petri, & Pauli, &* 5. Compostellanæ *ad S. Jacobum*.
57 *Quorum reservatio cum sit odiosa, stricte interpretanda est, ita ut tunc solum hæc vota reservata censeantur,*
58 I. *Si sunt* vota proprie dicta, *hoc est*, Deo facta, *non si facta sint B. Virgini, vel Sanctis* (*doctrina notabilis.*) *Et*
59 II. *Si sint* vota perfecta, *hoc est perfecte voluntaria*, N. B. *Et*
60 III. Determinata: & 61 *Ac*
61 IV. Absoluta: *unde reservata non sunt, si sint pœnalia, vel solum conditionata, hoc est per modum pœnæ, vel sub conditione emissa*. N. B. Usque ad 67.
67 Usque ad n. 71. *circa prædicta vota Papæ reservata resolvuntur varii casus, Confessariis valde notabiles.*
71 *Quando in prædictis votis Pontifici reservatis dispensare possit Episcopus, urgente necessitate*. usque ad 74.
74 *Quando Episcopus dispensare possit, saltem per accidens*. I. *Votum Castitatis, vel Religionis emissum, & dispensandum ante Matrimonium*.
75 II. *Quando tale votum emissum* ante, *& dispensandum post Matrimonium*.
76 III. *Quando emissum, & dispensandum post matrimonium*. usque ad 79.
79 *In quo Privilegiati conveniant cum Episcopis quoad dispensationem votorum, & in quo differant ab iis.*

ASSERTIO III.

37 D*Ispensatio voti, ac relaxatio juramenti, est ablatio, seu remissio obligationis totalis eorum, ob justam, & rationabilem causam, facta ab habente potestatem spiritualem jurisdictionis in personam voventis, vel jurantis, in casu, ut alioquin vota, vel juramenta valida essent, & obligarent*. Est in re omnium brevis Assertio, sed multæ satis explicationis.

§. I. *Ob justam, & rationabilem causam.*

38 TAm ad validam, quam ad licitam dispensationem voti, vel juramenti relaxationem, requiritur justa, & rationabilis causa. *Omnes*. Ratio, & differentia dispensationis ab irritatione est; quod irritatio fiat per potestatem dominativam in personam voventis, vel jurantis, aut ipsam materiam voto, vel juramento promissam ab alio, alioquin irritans velut Dominus, ac proprio suo nomine disponit de alterius promissione, vel re ab altero promissa, tanquam de re sua, propriumque jus, ac potestatem exercet, & ideo irritatio etiam absque omni justa, ac rationabili causa facta, semper tamen valida est, immo plerumque etiam licita, ut ex probabili sententia supra dictum. At vero dispensatio fit per potestatem spiritualem, & Ecclesiasticam gubernativam, seu jurisdictionem tantum ab ipso DEO collatam Ministris Ecclesiæ, qua virtute clavium per modum judicis, & absolutionis tollitur obligatio voti, vel juramenti, seu vinculum illud, quo quis se DEO devinxerat per promissionem DEO factam, vel invocationem Divini Numinis confirmatam: ideoque dispensans, vel relaxans votum, vel juramentum minime agit nomine proprio, & tanquam de re sua, sed agit nomine, & auctoritate ipsius DEI talem potestatem ad bonum regimen, & salutem animarum committentis, vi illius, *quodcumque ligaveris* &c. Atqui DEUS non confert talem potestatem homini, seu Prælatis Ecclesiæ ad dissolvendas obligationes sibi factas per vota, vel juramenta, temere, & absque omni justa, vel rationabili causa, neque enim potestas dispensandi in jure Superioris, nempe ipsius DEI, Prælato Ecclesiastico collata est in destructionem, sed in ædificationem, quatenus nimirum ad salutare regimen animarum, bonum commune, justa, & rationabili causa, necessarium, vel utile quandoque dignoscitur, ejusmodi vincula subinde relaxare: ergo dispensatio voti, vel relaxatio juramenti absque justa, & rationabili causa facta, non tantum illicita, sed etiam invalida est, quippe excedens potestatem homini collatam a DEO.

Causa legitimæ dispensandi vota.

39 PRæcipue sunt sequentes. Imperfecta deliberatio: Notabilis difficultas exequendi. Damnum spirituale, vel corporale voventis: Majus bonum ex dispensatione proventurum. Percurro breviter singula.

I. *Imperfecta deliberatio*, seu imperfectio actus vovendi, ex triplici capite. Ratione *teneræ ætatis*. Ut si quis in tenera adhuc ætate post tamen septimum annum votum emisit, præsertim ante pubertatem, meretur dispensationem etiam totalem sine commutatione aliqua adjuncta. Nam benignitas est Dei non ita rigide acceptare votum in tenera ætate conceptum, ut nequeant Superiores remittere. Quo autem imperfectior est ætas, eo major erit causa, quia eo majus involuntarium, vel imperfectius voluntarium timetur. 2. Ratione *perturbatæ mentis*. Ut cum quis ira, tristitia, metu oppressus, imprudenter vovit, quo etiam spectat facilitas, seu levitas vovendi, præsertim in fœminis. *Ratio est*, quia in ejusmodi votis non omnino voluntariis non est magna affectio ad rem promissam, quare semper aderit periculum illa prævaricandi, ideoque consulta dispensatio, sed cum admixta commutatione. 3. Ratione *erroris, vel doli* circa accidentalia voti, vel in causa impulsiva vovendi (nam error, vel dolus circa substantialia, vel causam finalem motivam de se irritat vota, vel juramenta) quia etiam ille error, vel dolus multum imminuit voluntarium, ideoque præstat periculum transgrediendi, ut dispensatio consulta sit, saltem addita aliqua commutatione, juxta *Regulam* infra ponendam.

II. *Notabilis difficultas exequendi votum*, quæ etsi tanta non sit, ut votum irritet, tamen, secundum Dei benignitatem, debet esse causa dispensandi: idque non tantum, si prævisa non fuit a vovente ejusmodi difficultas, verum etiam regulariter, si prævisa fuit. Semper enim multo difficilior apparet res, dum instat executio, quam quando remote prævidetur facienda. *O quoties dum mente, & cogitatione tantum præliamur, in quæque magna assurgimus, in quæcumque pericula ruimus, ad quorum tamen primum occursum trepidamus, & terga etiam volentes vertimus!* inquit Thom. Tambur. *l. 3. in Decal. c. 16. §. 3. n.* 18. Cæterum solam majorem commoditatem, vel inclinationem ad aliud opus pium, ut si quis adstrictus voto jejunii, offerat se magis promptum ad eleemosynas, vel orationes &c. merito negamus esse causam sufficientem ad dispensationem voti, quæ semper requirit aliquod obstans ad executionem voti, quale hic non adest: est tamen causa sufficientissima ad commutationem voti, ut sic alacrius DEO serviatur. 40

III. *Damnum spirituale, vel corporale voventis*. Utpote si votum, spectata qualitate personæ, ac naturæ fragilitate, ei periculum majus ruinæ adferret; e contra dispensatio ad spiritualem ejus utilitatem, hic præcipue spectandam, cessura videatur. Sic rationabiliter dispensatur votum continentiæ, vel non petendi debitum in persona conjugata; (difficulter enim quis in tanta occasione se cohibet) ipsumque votum Castitatis in personis ad carnis lapsum valde pronis, ac fragilibus: ut si, sive ex fragilitate, sive ex malitia, prævideas tale votum sæpius a te violandum. Ex quocumq; enim capite tibi votum perniciosum, vel occasio ruinæ sit, opus est, ut pia mater Ecclesia subveniat per dispensationem. Itemque vota, in quorum executione vovens multis scrupulis divexatur, id enim damnum spirituale est, cui pium est succurrere. Ac tandem etiam vota, quorum executio est causa damni etiam temporalis tibi, tuis, vel aliis: ut de longis peregrinationibus, eleemosynis excessivis, jejuniis nimis austeris, si hæc te, vel familiam tuam notabiliter lædant, vel gravent: ipsumque votum Castitatis, si ideo continuo morbo quodam vexeris, aut illustris familia interiret, &c. *Ratio est*, quia tibi, familiæque tuæ contra damna providere, ad charitatem, pietatemque spectat, ideoque justam præbet causam dispensandi, saltem cum adjuncta commutatione, ut etiam Romæ perpetuo observat sacra Pœnitentiaria. 41

IV. *Majus bonum proventurum*. Si nimirum dispensatio voti cessura sit ad majorem DEI honorem, utilitatem Ecclesiæ, vel Reipublicæ. Ut cum Religiosi assumuntur ad Episcopatum, vel Cardinalatum, dispensatis votis paupertatis, Obedientiæ ad Prælatos Regulares: si unicus hæres Regni, vel Ducatus Religionem vovisset, aut etiam major natu, si ex alterius electione turbæ timerentur: si longinquam peregrinationem vovisset aliquis, quem tamen præstaret Reipublicæ, vel familiæ præsto esse &c. Communis Doctrina, Navar. *c.* 12. *n.* 77. Suar. *lib. 6. de voto, c.* 17. Sanch. *lib.* 4. *Moral. tr.* 45. *a n.* 50. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 5. 42

Regulæ dispensandi observandæ.

PRima. In dispensatione tria præcipue attendenda sunt (ait *Innocent. III. c. magnæ. De voto, & voti redempt.*) Quid liceat secundum æquitatem; quid deceat secundum honestatem; & quid expediat secundum utilitatem: Unde quo majus, & dignius votum est, ut Religionis, Castitatis perpetuæ, &c. eo major causa requiritur ad dispensationem validam, & interdum una sola, præsertim teneræ ætatis, vel imperfectæ deliberationis non sufficit, nisi etiam aliæ causæ concurrant, puta gravis necessitas, vel utilitas, periculum prævaricandi &c. ut monent DD. cit. Quæ tamen necessario prudentis judicio relinquuntur, & servire potest Regula sequens. 43

Secunda. Ut dispensatio totalis fiat, considerata gravitate, voti, omnino causa gravis sit, ut plures de se leves, unam gravem conflent, necesse est judicio prudentis. Ego existimo, tunc esse sufficientem causam dispensationis totalis, quando tanta adest circumstantia ex parte voventis, aut materiæ, vel finis voti, ut rationabiliter dubitari possit, utrum non votum per se cesset, aut irritum sit. Cæterum quando adest quidem causa, sed, expensis omnibus, non adeo sufficiens, dispensationi semper admiscenda est aliqua commutatio: 44

mutatio: subrogandum nimirum aliquid operis boni, quod dispensantis judicio, gravitatem voti compensare, prudenter videatur. Rarissime ergo Confessarii Privilegiati dispensare debebunt in toto, sed semper quasi commutando votum, aliquam obligationem imponere, saltem ad tempus, ne arctissimum vinculum obligationis ad DEUM temere annihiletur omnino.

45 *Tertia*. Quando causa dispensandi dubia est, sive in actu signato, & velut *de jure*, sitne sufficiens, necne: sive in actu exercito, vel *de facto*, v. g. an votum damnum adferat, majus bonum impediat, &c. nihilominus, si aliqua ex dispensatione speretur utilitas, & absit periculum scandali alicujus, semper in clementiorem partem inclinare poterit dispensans, uti post alios notant Sanch. & Laym. *ll. cc.* Nam benignitas DEI petit, ut in obligatione incerta facilitas sit eam remittendi. Quod si bona fide data sit dispensatio, & deinde inveniatur fuisse sine sufficiente causa data; aut si data cum causa dubia, & deinde inveniatur fuisse nulla: nihilominus manere validam dispensationem omnino probabiliter, & suavitati regiminis Ecclesiæ conformius, resolvunt cum aliis Lessius *p. 2. de Just. c. 40. dub.* 17. & Sanch. *c.* 44. *n.* 10. Ratio, quia pertinet ad DEI bonitatem approbare, & ratum habere, quod bona fide concessum & acceptatum fuit, licet revera tunc nulliter egerit dispensans.

46 *Quarta*: Quemadmodum dispensans sine omni justa, & rationabili causa (uti & dispensationem hujusmodi, scienter petens, & acceptans) præter nullitatem actus, peccat mortaliter pro ratione materiæ, *secundum omnes*: quia usurpatur auctoritas sibi non concessa: ita e contrario, quando adest justa causa dispensandi, Prælatus, vel quivis dispensandi facultate præditus, tenetur concedere dispensationem etiam sub gravi culpa. Quia potestas dispensandi ipsis data est ad bonum subditorum: quare eam sine causa denegantes subditis injuriam inferunt, & causa culpabilis fiunt damnorum, vel peccatorum ex negata dispensatione secutorum. Quod valde notent, & dicta hactenus etiam aliarum obligationum dispensationibus accommodent morosi, & rigidi dispensatores.

§. II. *Ab habente potestatem, &c.*

47 Est sane obligatio votorum Juris naturalis. Lex enim naturalis jubet, præstare fideliter Deo id, quod ei prudenter, pieque promissum est: attamen id non jubet semper, & ubique, sed solum quando non adest justa causa eximens a præstatione: adest autem justa causa eximens, quando Papa, vel alius loco Dei, remittit id, quod Deo debebatur. Certa est in Ecclesia potestas dispensandi in votis, ac juramentis: eaque duplex. *Ordinaria*, annexa ipsi Officio, vel dignitati dispensantis: & *Delegata*, ab alio nimirum habente potestatem Ordinariam, vel per privilegium a Summo Pontifice alicui collata. Percurramus breviter.

Summus Pontifex.

48 Ordinaria potestas dispensandi in omnibus omnium Fidelium omnino votis, seu respectu totius Ecclesiæ, etiam solemni Castitatis edito, non tantum in susceptione sacri Ordinis, sed etiam in Professione Religiosa (non utique, ut Monachus eo solutus voto pergat esse Monachus, sed un desinens esse Monachus, incipiat esse legitimus maritus) residet in Summo Pontifice Romano tamquam universali Pastore totius Gregis Dominici, ac Successore D. Petri, cui datæ sunt claves Regni cœlorum: & dictum est a Christo Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*. Ubi particula universalis distributiva, *Quodcumque*, comprehendit omnia vincula, quæ potest homo contrahere in ordine ad Deum. Quemadmodum enim DEUS ad utilitatem Fidelium commisit potestatem solvendi omnia vincula culpæ, & pœnæ, ita non minus necessarium erat pastorali regimini Animarum, ut committeret DEUS potestatem solvendi vincula votorum, ut & juramentorum, & similium promissionum, ubi justa, & rationabilis causa id postularet. Unde vides etiam Pontificem Summum non posse valide dispensare, minus licite, sine justa causa. Et obiter adverte, non dispensare eum proprie in Lege divina de solvendo voto, sed in voluntario humano substrato: ob justam causam tollendo voluntatem se obligandi ad hanc materiam: qua voluntate sublata, corruit obligatio Legis divinæ, ut latius docetur in materia de Legibus.

Episcopi.

49 Hi etiam habent ordinariam potestatem dispensandi in omnibus Summo Pontifici non reservatis votis omnium suorum subditorum Diœcesanorum. Episcopi enim succedunt Apostolis, quibus dictum est a Christo Matth. 17. *Quæcumque alligaveritis, &c.* Et *quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis*. Quia vero potestas Episcoporum, qui sunt Successores Apostolorum, subordinata est potestati Papæ Successoris D. Petri in Hierarchia Ecclesiastica, ideo reservatio Summi Pontificis potestatem Episcoporum in actu secundo restringere potest, & de facto restrinxit, ut non possint dispensare in iis votis, quorum dispensationem sibi Papa reservavit. Eamdem potestatem dispensandi in votis habent Legati Pontificii, & Nuntii Apostolici in Provinciis suis. Archiepiscopi etiam communi Jure dispensant in votis Episcoporum, Suffraganeorum, non autem cum eorum subditis, nisi per modum appellationis conveniantur in casu, quo Episcopus dispensationem justa ex causa petitam, & concedendam denegasset. Vide Laym. & apud ipsum citatos *l. 4. tr. 34. c. 8. n. 6. &* 7.

Prælati Regulares.

Prælati etiam Religiosorum Exemptorum, utpote Generales, & Provinciales Ordinum, Abbates, & Præpositi absoluti, habent potestatem ordinariam dispensandi in omnibus votis Papæ non reservatis suorum subditorum ex Jure communi positivo. Cum enim hi omnes habeant potestatem, & jurisdictionem quasi Episcopalem in suos sibi communicatam, hinc quidquid potest Episcopus in suos subditos, potest etiam Prælatus major in suos Religiosos, ut sint illis in cura Animarum loco Episcoporum, a quorum jurisdictione Privilegio Pontificio eximuntur. Eamdem ordinariam potestatem extendit Sanchez *lib. 4. Moral. cap. 49.* etiam ad Superiores locales, & in eorum absentia ad Vicarios, cum plene vicibus Prælatorum funguntur. Sed credo, eam potestatem esse potius communi consuetudine delegatam, quam Jure communi ordinariam. Prælati autem Religionum non Exemptarum id Jure communi non possunt, nisi quatenus ex consuetudine, vel Episcopi commissione eis concessum est. 50

Videri posset hæc potestas Prælatorum Regularium dispensandi in votis suorum Religiosorum supervacanea. Nam vota eorum ante Professionem edita commutantur in votum solemne Professionis, & vota post professionem edita per potestatem dominativam irritari valent. At certe non omnia. Nam. 1. Votum Religiosi ingrediendi strictiorem Religionem a Superiore irritari nequit; potest tamen dispensari, vel commutari, cum non sit ex reservatis Papæ, ut infra patebit, & plurimis citatis probat Sanch. *l. 4. cit. c. 41. n.* 2. 2. Votum Religiosi a Prælato superiore approbatum, vel de ejus licentia editum, a Prælato inferiori irritari nequit, quia irritatio pertinet ad potestatem dominativam, quam inferior Superiori præjudicare nequit: potest tamen dispensare inferior alioquin dispensandi facultate præditus, ut præ aliis optime docet Suar. *l. 6. de voto, c. 10. in fin.* concludens. Quia per approbationem, vel confirmationem Superioris extrahitur quidem votum a potestate dominativa inferioris, sed non a jurisdictione voluntaria. 3. Non omnino certum est, Prælatum irritare posse votum subditi antea sua licentia emissum, vel postea approbatum: ac certum est, posse in voto dispensare, ob rationabilem causam: licet enim sua licentia, vel approbatione præjudicasset suæ potestati dominativæ, tamen potestati spiritualis jurisdictionis a Deo collatæ præjudicare non potuit. 4. Certum est: Prælatum nullum posse irritare vota Novitiorum, cum eorum potestati dominativæ nondum perfecte subdantur; potest tamen in eorum votis Papæ non reservatis dispensare Prælatus Religionis exemptæ, eo quod Novitii in favorabilibus gaudeant privilegiis sui ordinis; juxta communiorem, & probabiliorem sententiam DD. Navar. *c. 12. n. 65.* & late probat, & defendit Sanch. *cit. l. 4. mor. c. 33. n. 28.* Vide ergo non supervacaneam esse hanc potestatem. 51

Cæterum Prælati Religionum non exemptarum neque cum Professis suis, minus cum Novitiis dispensare possunt, nisi vel ex consuetudine, vel Episcopi commissione id eis concessum sit. Communis cum Navarr. *c. 12. n. 75. §. 3.* Suar. Sanch. *l. 4. c. 39. n. 9.* Less. Laym. *cit. c. 7. n. 9.* Neque ullus Prælatus etiam exemptus dispensare poterit in votis subditorum Religiosorum, postquam exempti sunt ab eorum jurisdictione: utpote si ad Episcopatum assumpti, si Religionem aliam legitime professi, si in perpetuum ex Ordine ejecti sunt, ut docet communis DD. apud cit. Denique Abbatissis etsi supra concessa sit potestas irritandi vota suarum Monialium, eo quod potestatem dominativam in illas obtineant vi voti Obedientiæ, potestas tamen dispensandi, vel commutandi vota negatur omnino: quia hæc est potestas jurisdictionis spiritualis, qua de facto carent Abbatissæ, seu Prælatæ Monialium. 52

Delegati.

Potestatem delegatam dispensandi in votis habent omnes illi, quibus id ab aliis habentibus potestatem ordinariam, utpote Papa, (quo spectamus Privilegiati) Episcopo, Prælato, committitur. Hi tamen id ulterius aliis committere non possunt. Quia delegatus non potest subdelegare, quando censetur electa industria personæ. Quando tamen alicui ratione Officii, & dignitatis suæ absolute, & generaliter conceditur facultas, seu privilegium absolvendi, dispensandi, vel commutandi vota suorum, tunc talis potestas trahitur in ordinariam, eamque in casu alteri committere 53

tere

tere poterit. Secus, si talis potestas solum alicui committatur respectu certæ personæ in particulari; quia hoc casu non jurisdictio, sed nudum ministerium commissum censetur *cap. ult.* §. *cæterum de offic. Deleg.* ut cum aliis notat Laym. *cit. c.* 8. *n.* 27. Unde est & alia differentia inter Ordinarios, & Delegatos: quod nimirum Delegati tantum possint dispensare alios, respectu quorum eis potestas commissa est: ipsi vero necessario dispensantur a suis Superioribus. At vero habentes potestatem ordinariam dispensandi, ut Episcopi, & Prælati Regulares, non tantum possunt dispensari a suis Majoribus (ut Episcopus ab Archiepiscopo, Provincialis a suo Generali, &c.) sed etiam possunt dispensare ipsi secum, saltem indirecte, committendo potestatem suam Confessariis suis, ut secum, etiam extra Confessionem, dispensent. *Ratio est:* quia ex una parte non repugnat hanc jurisdictionem dispensandi exercere in seipsum saltem indirecte, & mediate, (& quidni etiam immediate?) cum sit voluntaria, non contentiosa, neque de se Sacramentalis, ut distinctionem personarum requirat: ex altera autem parte Prælati illi habent plenam dispensandi in votis facultatem quoad hoc minime restrictam: ergo neque a nobis est restringenda: Uti contra Suar. late probat Sanch. *l.* 8. *de Matr. disp.* 3. *tota*.

Privilegiati.

54 Per privilegium Confessarii approbati Ordinum Mendicantium habent potestatem dispensandi in omnibus votis, in quibus possunt dispensare Episcopi jure ordinario, quæ nimirum Papæ non sunt reservata. Tria autem ejusmodi privilegia reperiuntur. Primum est *Innocentii VII.* qui concessit Mendicantibus posse dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, exceptis votis peregrinationis ultra duas dietas, seu viginti leucas. Id ipsum absque hac restrictione concesserant *Martinus V.* & *Eugen. IV.* ut videre est in Bullario Rodriq. & compendiis privilegiorum. Secundus est *Pauli III.* qui concessit Confessariis Societatis JESU (& consequenter per communicationem omnibus Mendicantibus) posse commutare omnia vota, exceptis quinque Pontifici reservatis: quod *Greg. XIII.* extendit ad vota etiam jurata. Tertium est *S. Pii V.* qui vivæ vocis Oraculo concessit Provincialibus Mendicantium, ut possint concedere suis Confessariis juxta Conc. Trid. approbatis facultatem dispensandi ad petendum debitum cum iis, qui ante matrimonium voverunt castitatem. Scio alioquin ejusmodi vivæ vocis Oracula sublata esse per Conc. Trid. ac etiam de illius Oraculi authentica certitudine dubitari: sed novi etiam pleraque aliunde per Bullas, & Brevia concessa esse, adeoque reipsa valorem obtinere, prout insigniter demonstratum vidi a Cardinali de Lugo *in M. SS. de pænit.* etiam quoad hunc casum nostrum. Sed quidquid sit de Oraculis, mihi persuasissimum est, idipsum adhuc posse Confessarium Regularem vi Generalis Privilegii Bullati dispensandi in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi: in dicto enim casu certo possunt dispensare Episcopi, etsi non ex jure communi, tamen ex consuetudine, quod nihil refert. Nam Privilegium Mendicantium, dicit, posse dispensare in votis, *in quibus possunt Episcopi* absoluto (merito tamen intelligendo in proprietate terminorum) ex vi ordinariæ suæ jurisdictionis; atqui Episcopi, posita illa consuetudine, jam ex vi ordinariæ jurisdictionis per consuetudinem acquisitæ dispensant: consuetudo enim dat jurisdictionem ordinariam, ut præter alios bene probat Sanch. *l.* 8. *de Matr. disp.* 12. Ergo idem per suum privilegium poterunt Regulares. Ita communior DD. & pro certo persuasum habent Dian. *p.* 11. *tr.* 8. *res.* 16. & Tamb. *lib.* 3. *Decal. cap.* 16. §. 4. *n.* 54.

55 Dictum porro Privilegium Mendicantium dispensandi in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, cum sit in materia favorabili, late interpretandum, & extendendum est etiam ad vota Summo Pontifici reservata, quoties in eis Episcopus Jure ordinario, seu vi ordinariæ suæ Jurisdictionis dispensat; nimirum (ut optime explicat Sanch. *l.* 4. *Moral. cap.* 43. *num.* 7. quoties ratione alicujus circumstantiæ mutatur, vel deficit vera ratio, ac materia voti reservati Papæ, ideoque recidit in Jurisdictionem ordinariam Episcopi, prout late declarabo §. *seq.* Secus dicendum, quando servata vera ratione, ac materia voti reservati Papæ, solum per accidens, ratione urgentis necessitatis, ac impossibilis accessus ad Pontificem, Episcopus jam non ex aliqua jurisdictione ordinaria: sed plane extraordinaria, ex sola præsumpta Pontificis voluntate dispensat, tunc enim nihil possumus Privilegiati, de quo seorsim dicam, §. 4.

Ratio utriusque partis est: Quia in priori casu, vota illa revera non manent reservata Pontifici, sed simpliciter fiunt casus Episcopales; ideoque comprehenduntur in privilegio dispensandi Mendicantium: at in posteriori casu, vota illa manent reservata simpliciter, & solum per accidens ratione necessitatis ab Episcopo tamquam Pontificis tacite Delegato dispensantur: ideoque in privilegio Mendicantium, nomine votorum, in quibus potest dispensare Episcopus, intelligi sane non possunt. Adde, quod potestas tunc dispensandi ex vi urgentis necessitatis radicetur in jurisdictione ordina-ria, quam habent Episcopi, alioquin in vota fidelium sibi subditorum: at hac quoad sæculares non gaudent Regulares. Ita communis DD. Rodriq. *tom.* 1. *Q. Q.* R. R. *q.* 63. *ar.* 3. Ludovic. Miranda, *in Man. Prælat. to.* 1. *q.* 48. *n.* 4. Suar. Sanch. Laym. *cit.* Etsi sciam contrarium docere nostrum P. Brunonem Chaissing *de privil. Regul. tr.* 5. *c.* 5. *propos.* 2. *citatis Cæsarubio*, *Lessio*, *Corduba*, *aliis*: ea sola ratione, quod privilegium absolute dicat: *Possunt Mendicantes, quod possunt Episcopi*. Sed non acquiesco. Quia termini intelligendi sunt in propria significatione, scilicet: *quod possunt Episcopi*, ut Episcopi sunt vi ordinariæ suæ Jurisdictionis, ut dictum est.

§. III. *Vota Papæ reservata explicantur.*

Vota, quorum dispensatio Jure communi, vel consuetudine soli summo Pontifici reservata est, sunt de facto tantum quinque: nimirum Romana, Votum Religionis, approbatæ ab Ecclesia Catholica Romana: Votum Castitatis, seu Continentiæ integræ, & perpetuæ: & vota trium Peregrinationum, Hierosolymitanæ ad S. Sepulchrum, Romanæ ad limina Apostolorum Petri, & Pauli, & Compostellanæ ad D. Jacobum. Et licet *in Jure c. ex multa*, *& super his de voto*, solum expresse reservetur peregrinatio Hierosolymitana in subsidium Terræ Sanctæ, tamen consuetudo jam extendit, ut illa, & aliæ duæ Peregrinationes etiam sint reservatæ, quando ex sola devotione voventur. Uti colligitur ex *Extravagante*, *& si Dominici*, *de Pœnit. & remiss.* Ubi excommunicantur ea quinque vota commutantes absque Summi Pontificis licentia. Quamobrem etiam in generali concessione, vel Indulto dispensandi, vel commutandi omnia vota, v. g. tempore Jubilæi, vel alias, non intelliguntur illa quinque vota, ut eadem Extravagante prohibet Pontifex, & docet communis DD. Sylv. Suar. & plurimis citatis Sanch. *l.* 4. *c.* 40. *n.* 6. Ubi retractat, quod antea docuerat *l.* 8. *de matr. disp.* 9. *cum* Soto, Rodriq. & aliis, nimirum in generali concessione dispensandi in omnibus votis, etiam contineri dispensationem trium illarum Peregrinationum, sed falsum: Quia quæ speciatim reservata sunt, specialem, & expressam concessionem, seu mentionem postulant, ut habetur *c. Si Episcopus*, *de pœnit. & remiss. in* 6. Quod si tamen in generali concessione dispensandi in omnibus votis, solum expresse excipiantur vota Religionis, & continentiæ, intelliguntur permissa vota trium peregrinationum, ex tacito consensu Pontificis, & communi usu DD. tale Indultum ita explicantium. Ut ex communi docent Suar. *l.* 6. *c.* 25. Sanch. modo *cit. l.* 4. *c.* 40. *n.* 19. Jam vero ad plenum intellectum illorum votorum, qualiter reservata, vel non reservata sint, pro re gravissimi momenti esto. 56

Resolutio, & Regula Generalis.

Reservatio dictorum votorum, cum odiosa sit, utpote ordinariam potestatem restringens, omnino stricte interpretanda est, ut solummodo comprehendat illa quinque vota, cum sint stricte talia, utpote: *vota proprie dicta, perfecta, determinata, absoluta quoad substantiam, & integritatem eorum: & hoc totum extra casum urgentis necessitatis*. Adeo, ut, quandocumque in iis deficit materia, & ratio voti reservati, simpliciter reservata non sint, sed dispensari possint ordinario Jure ab Episcopo, & per Privilegium a Confessario approbato Ordinum Mendicantium, excepto tamen casu solius necessitatis juxta supra dicta. Percurro breviter singula. 57

Vota proprie dicta.

Cum votum essentialiter sit promissio facta DEO, actusque proprius virtutis Religionis, non sunt vota proprie dicta, nec consequenter Pontifici reservata, promissiones sacræ (utique licitæ, atque ex virtute Duliæ, etiam graviter obligantes) factæ B. MARIÆ Virgini, ac Sanctis absolute secundum se, sine relatione ulla, vel tendentia promissionis ad ipsum Deum, etiamsi concipiantur in materia alioquin reservata, ut Religionis, Castitatis, &c. v. g. Puella devota B. Virgini, cupiens eidem præstare rem pergratam, dicit præcise: *Sanctissima, & Purissima Virgo MARIA, promitto tibi servare perpetuam Virginitatem*. Non est statim censenda voti reservati rea, vel non rea, sed reflexe examinanda, utrum, quando illa verba protulit, revera tantum cogitaverit de Beata DEI Matre, & non de DEO; si ita affirmet: aut etiamsi asserat, se quidem etiam tunc cogitasse de DEO, at non cogitasse de promissione facienda ipsi DEO, sed soli ejus Matri: ne judices esse votum proprie dictum, & consequenter, nec reservatum, sed mere actum Hyperduliæ, ideoque promissionem dispensabilem ab habente facultatem; quod in similibus valde frequenter contingentibus, probe observandum est Confessario. Quod si dubium sit, an tales intenderint sua promissione se obligare ipsi DEO, an solum Beatæ Virgini v. g. Judice P. Georgio Gobat *Alphab.* 1. *de voto*, *casu* 1. *n.* 21. præsumendi sunt fecisse verum votum, suamque castitatem vere obtulisse ipsimet DEO: nam in dubio præsumendum est pro actus per- 58

perfectione potius, quam defectu: idque maxime, si verba promittentis aliquam relationem ad DEUM significent.

Vota perfecta.

59 Reservata sunt tantum illa quinque vota emissa cum perfecto voluntario, aliisque requisitis, sic, ut de eorum valore certo constet. Non ergo sunt reservata illa vota, sed ab Episcopo, vel Privilegiato dispensabilia, quotiescumque est dubium, sive juris, sive facti de valore voti emissi, v. g. ratione imperfectæ deliberationis, insufficientis intentionis, vel potestatis: an votum se ad talem casum extendat, seu hic, & nunc me obliget: etiamsi tale dubium alias per se voventem non liberet, sed dispensatione opus sit. Nam reservatio Papæ stricte interpretanda, ad casus certos restringenda est, ut dubia non comprehendat. Itemque vota metu injusto extorta, etsi levi, ac non cadente in constantem virum, (alioquin per se irritata, non indigerent dispensatione) non sunt reservata, juxta communiorem, & omnino probabilem Sententiam DD. Navarr. *c.*12. *num.*59. Sanch. *l.*4.*c.*40. *nu.* 30. Lessius *l.*2. *de justit. c.*40. *dub.*18. Laym. *cit. c.*8. *n.*11. Ratio est, quia præsumendum non est Pontificem reservare voluisse tale votum, quod alias debet esse facilis dispensationis, tum ob imperfectionem consensus, tum in odium injuste extorquentis, saltem, ne illud sibi reservando, iniquitati favere videatur Pontifex.

Vota determinata.

60 Non est ergo reservatum, sed dispensabile ab Episcopo, vel Privilegiato votum alternativum, cujus altera pars non est reservata; v. g. Voveo Romam peregrinaturum, vel quinquaginta aureos in eleemosynam daturum: voveo, aut Religionem ingredi, aut certe Sacerdotem futurum, &c. *communis apud citatos.* Nam tale votum non est determinate de re reservata, neque ad eam simpliciter obligat: quia *in alternativis debitoris est electio: & sufficit alterutrum impleri.* Regul.70. in 6. Neque refert, quod progressu temporis altera pars non reservata impossibilis fiat, & sic vovens determinate obligetur ad partem reservatam, quia id non provenit ex intentione voventis, sed ex eventu, per accidens, ideoq; adhuc Episcopus, vel privilegiatus dispensare potest. Secus esset, si ipsemet vovens intentionem, & obligationem suam a principio indeterminatam ad unam partem reservatam determinasset, (ideoque velut novo voto, seu nova promissione, & animo obligandi se ad illam partem: secus, si simplici proposito, ac voluntate hanc partem elegisset: sic enim votum maneret in sua primæva natura) tunc enim fieret votum reservatum. Quia juxta Regul. 21. in 6. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.*

61 Insuper, postquam Summus Pontifex ipse votum aliquod determinatum reservatum in aliud commutavit, jam Episcopus ob justam causam in illo dispensare, vel in aliud commutare poterit. Ex communi Suar. *l.*6. *de voto c.*20. *nu.* 15. Sanch. *l.*8. *de matr. disp.*9. *n.*20. & alii. Nam hoc ipso, quod prius votum commutatum est cum voventis consensu, quasi aliud, sive novum votum evadit, cujus materia reservata non est: ut si Pontifex votum continentiæ perpetuæ commutasset in perpetuum jejunium. Neque reservatio prioris voti, cum odiosa sit, debet extendi ad materiam subrogatam, absque speciali declaratione subrogantis, minus ad ejusmodi accidentia odiosa detorquendum illud: *subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur,* arg. c. Ecclesia. Vide Card. de Lugo, *l.*6. *Respons. Moral. dub.*1. Ubi inter cætera recte monet, eum, qui petit dispensationem, vel commutationem materiæ subrogatæ voto, maxime reservato, debere explicare ipsum votum, ut dispensans, vel commutans gravitatem vinculi cognoscat, ne plus æquo de sacra promissione temere remittat.

Vota absoluta.

62 Non sunt reservata vota pœnalia; & valde probabiliter, nec quævis conditionata. *Ratio* esse debet. Quia reservatio illa odiosa stricte interpretanda solum comprehendere censenda est vota perfecte voluntaria, emissa scilicet cum plena, & directa voluntate, atque affectu erga rem honestam voto promissam, seu quando emittuntur primario, & directe ex amore honestatis rei promissæ ipsa vota vestientis: non vero quando emittuntur ex amore alterius boni, aut timore alicujus mali temporalis, vel spiritualis: sic enim minus voluntaria reservatione urgere, minus expedire videtur: atqui sola vota absoluta ita perfecte sunt voluntaria. Qui enim dicit absolute: *Voveo Deo Castitatem:* fertur directo amore, & affectu in honestatem ejus virtutis, vultque absolute Deo gratum obsequium præstare; non ita, qui solum conditionate dicit: *Voveo Deo castitatem, si inebriatus fuero, si morbum evasero, &c.* ut consideranti patet: ergo sola vota absoluta reservata censeri debent. Et hinc

63 I. Vota conditionata pœnalia; v.g. si fornicatus fuero, voveo me in pœnam Romam peregrinaturum, ac Religionem ingressurum, &c. non tantum ante, sed etiam post admissam culpam, non esse reservata, sed ab Episcopo, vel Privilegiato dispensari posse, communis fere, & probabilissima est sententia DD. quos congerunt, & sequuntur Suar. Sanch. Laym. *ll. cc.* nimirum: quia vota illa pœnalia non tendunt in rem promissam directa voluntate, primario & per se ex affectu, & amore honestatis illius, sed tanquam in rem sibi pœnosam, & afflictivam, cum aliqua aversione animi, quippe quam malit potius non incurrere, ut sic timore, & velut *sacro horrore* illius incurrendæ, vovens retrahatur a crimine.

II. Etiam vota quævis proprie conditionata, sub conditione de futuro (eaque accidentaria, non a natura, vel jure ipsi voto annexa) v. g. *Si morbum evasero: si uxori superstes fuero, &c. voveo Religionem ingressurum; castitatem servaturum: Romam peregrinaturum, &c.* ante impletam conditionem non esse reservata, sed dispensabilia, cum non sint vota simpliciter, nec de facto obligantia, sed sub conditione pendente in futurum. Itidem communis, & tuta est Sententia *apud cit.* 64

III. At vero post conditionem impletam, incipere esse reservata, post alios sane probabilius, & tutius docet Laym. *cit. nu.* 10. Quia votum conditionatum, impleta conditione, perficitur, & absolvitur, sicut omnes alii contractus, & promissiones factæ sub conditione, ea eveniente, perficiuntur, omnemque obligationem pariunt, ac si sine conditione factæ fuissent: juxta *L. potior ff. Qui potiores in pignore.* 65

IV. Contra tamen valde probabile, & tutum existimo, ejusmodi vota etiam post impletam conditionem reservationi non subjacere. Ita post Sayrum, Ledesmam, Suar. & alios, constanter Sanch. *l.* 4. *Mor. c.* 40. *n.* 1. Ratio est: tum quia quævis vota conditionata non tendunt directo, plenoque affectu in honestatem rei promissæ, sed vel ex amore alterius boni, vel timore alicujus mali: ideoque minus perfecte voluntaria. Tum quia ejusmodi vota, cum sint cum conditione de futuro, imbibunt imperfectum consensum, utpote dependentem a futuro eventu: atqui adventus conditionis non facit, quin revera consensus fuerit imperfectus, nec ejus naturam mutare potest; ergo licet ea vota quoad alios effectus transeant in absoluta, ut bene probatum est; attamen semper primævam imperfectionem retinent: atque adeo non subjacebunt reservationi, quæ restringenda cadit solum in vota perfecte voluntaria. 66

Quoad substantiam, & integritatem suam.

I. Non sunt reservata illa quinque vota quoad circumstantias aliquas accidentales, a vovente voto reservato additas, v. g. vovisti peregrinari Romam *intra certum tempus peditando, mendicando, &c.* dispensare potest Episcopus, ac Privilegiatus, ut votum differas, equites, expensas facias: Ex communi Sanch. Laym. *cit.* ipsa enim peregrinatio Romam, quoad substantiam reservata est summo Pontifici, non autem ille modus accidentalis *tali tempore, peditando, mendicando, &c.* ideoque non dispensatur in voto reservato simpliciter, sed tantum secundum quid quoad modum, & circumstantiam, secundum quam illa vota reservata non sunt. Ulterius, quia dictæ peregrinationes reservatæ sunt, si fiant devotionis causa, ut superius notatum: cessabunt ergo reservata esse, si non fierent devotionis causa, sed ob alium finem. Sed quia hæ peregrinationes raræ, ideo non inhærendum. 67

II. Reservatum est Pontifici votum Religionis *approbatæ* tantum, (non ergo Religionis alicujus, vel instituti nondum approbati) ab Ecclesia Romana, quoad *substantiam ipsam, & integritatem* Religiosi status. Non ergo reservata, sed dispensabilia sunt vota Religionis partialia: ut si vovisti Paupertatem tantum, vel Obedientiam tantum, tuo v. g. Confessario præstandam. Item vota Religionis quoad modum tantum: ut votum sæcularis, vel Religiosi ingrediendi Religionem strictiorem, dispensatur ab Episcopo, vel Prælato Exempto respective, ut ingrediatur Religionem minus strictam sæcularis, vel in Religione minus stricta permaneat Religiosus. Sot. Sylvest. Navar. Rodriq. aliisque cit. Sanch. *lib.* 4. *Moral. c.* 42. Laym. *cit. cap.* 8. *n.* 8. Item, si quis vovit intra certum annum, vel ad certum tempus Religionem ingredi, dispensare potest Episcopus, ut justa ex causa differre liceat, Sanch. *c.* 40. *n.* 76. immo etiam cum Religioso professo voto solemni, ut ad aliam Religionem etiam laxiorem transeat, justa, & gravi ex causa dispensare posse Episcopum, vel Prælatum ejus Exemptum cum Episcopi consensu, docet Layman *cit. num.* 8. *in fine.* 68

III. Reservatum est summo Pontifici votum continentiæ, seu castitatis *perpetuæ* tantum. Non ergo reservatum, sed dispensabile ab Episcopo, vel Confessario Mendicante est votum castitatis *temporalis* tantum, sive ad certum tempus, v. g. usque ad tempus opportuni conjugii, vel tempore conjugii tantum, cum consensu alterius conjugis. Ex communi Sanch. *cit. & lib.* 5. *de Matr. disp.* 9. Similiter votum continentiæ mutuo consensu conjugum editum, at non simpliciter sed cum limitatione, vel conditione, v. g. nisi proles mascula moriatur: quin etiam votum continentiæ perpetuæ unius conjugis editum cum alterius consensu permissivo tantum, 69

tum,

tum, ita ut juri suo præjudicare non intendat: sic enim manebit obligatio reddendi debitum ex parte voventis. At vero votum continentiæ perpetuæ simpliciter editum, aut ab uno conjuge cum consensu approbativo alterius conjugis renunciantis juri suo, aut editum mutuo consensu tali ab utraque conjuge, utique manet reservatum Pontifici, cum sit votum continentiæ perpetuæ, ac integræ, ideoque nulla parte sub dispensationem ordinariam Episcopi cadit. Ita docet communis DD. contra nostrum Rodriquez. Et verissimum judico quoad dispensationem totalem illius voti, quoad dispensationem partialem ad petendum debitum tantum, §. sequenti mentio erit.

70 IV. Reservatum est votum continentiæ, seu castitatis *integræ* tantum. Non ergo sunt reservata, sed dispensabilia ab Episcopo, vel Privilegiato vota partialia tantum continentiæ, & castitatis: utpote, votum castitatis conjugalis tantum: votum non petendi debitum conjugale: votum virginitatis solum intendendo integritatem claustri: votum non nubendi, vel non ducendi uxorem: votum non fornicandi, vel mulierem non tangendi, & his similia: & tandem ipsum votum suscipiendi Sacri Ordinis, cui accessorium tantum est votum castitatis; nam qui vovit sacrum Ordinem suscipere, non vovet actu, & directe castitatem, sed solum actu, & directe vovet suscipere talem statum, cui votum castitatis tacite annexum est. Omnia reperies apud Auct. cit. Suar. Sanch. Laym. alios. Ratio omnium est sæpius inculcata. Quia reservatio votorum, cum sit odiosa, & a communi Jure, & alias ordinatria potestate Episcoporum exorbitans, strictæ interpretationis esse debet, adeoque reservatio votorum continentiæ, & castitatis intellignda de continentia simpliciter dicta, id est, *perpetua, & integra:* atqui omnia enumerata vota hoc, & priori numero, non sunt continentiæ, & castitatis simpliciter *perpetuæ, & integræ:* adeoque, deficiente vera ratione, & materia voti reservati, non reservata. Adde, hactenus quidem in dispensatione ejusmodi votorum, cum deficiat vera materia voti reservati Pontifici, pari passu ambulant Episcopus, & Confessarius privilegiatus: at non in sequentibus ob rationem datam.

§. IV. *Idque totum extra casum urgentis necessitatis.*

71 Etiam manente vera materia, & ratione voti reservati Summo Pontifici, adhuc quandoque per accidens dispensat Episcopus tamquam Delegatus Pontificis, quando nimirum est impedimentum adeundi Summum Pontificem, & vera necessitas cogit maturare dispensationem, juxta communissimam, receptamque sententiam, & praxim. *Ratio* sumitur ex Epikia, & rationabiliter præsumpta mente Pontificis, nolle eum sibi vota reservare in quocumque casu, sed potius contentum esse, ut urgente gravi necessitate cum impedimento ipsum adeundi potestas dispensandi devolvatur ad Episcopum proprium, & velut recidat in ejus primævam potestatem, sicut eadem ratione in aliis Legibus Pontificiis, Censuris, &c.

72 Episcopus in ejusmodi casu necessitatis dispensare poterit, etiamsi Legatus Pontificius, vel Nuncius, in Provincia sit: ut docet (contra nostrum Rodriq. *p.2. sum. cap.* 100. *concl.*3. *& alios*) Suar. *lib.6. de voto, cap.*26. *num.*10. & Sanch. *cit. lib.*8. *de Matrim. disp.*9. *nu.*25. Laym. *cit. cap.*7. *num.*17. Ratio est, quia Legatus Pontificius, etiam a Latere, ordinario Jure, vi dignitatis, & Officii sui non habet majorem dispensandi facultatem, quam Episcopus: ideoque liberum erit voventi in tali necessitatis casu pro dispensatione voti reservati recurrere vel ad Episcopum, vel ad Legatum, ut cum Suar. & aliis docet Sanch. *lib.*8. *de Matr. disp.*9. *nu.*25. At, quid si Legatus specialem commissionem habeat dispensandi in votis reservatis, aliisve Legibus Pontificiis? Communior, & sine dubio probabilior, ac tutior sententia cum Sanch. *ibid. & alibi*, negat Episcopum tunc dispensare posse, sed recurrendum ad Legatum, vel alium simili potestatem pollentem. *Ratio urgens est:* quia eo casu Episcopus solum dispensare potest ratione necessitatis: at hæc ratio necessitatis cessat, si Legatus, vel alius adiri possit, qui ad id specialem commissionem habeat, ut in casu necessitatis ad illos recurri possit. Contra tamen etiam tunc Episcopum dispensare posse non improbabiliter affirmant alii, Henriq. Avila, apud Layman *cit. cap.*8. *num.* 17. Eo quod reservatio Papæ stricte interpretanda, ad Legatum detorquenda non sit.

73 Necessitas hujusmodi, ob quam Episcopus in voto Papæ reservato legitime dispensare poterit omnium consensu, debet esse vere gravis, quam nimirum Pontifex merito præsumitur non voluisse comprehendere in reservatione sua: ejusmodi necessitas vix contingit in votis triplicis peregrinationis, frequenter vero in votis continentiæ, & Religionis in ordine ad Matrimonium, ejusve usum. Ubi notanda differentia: quod votum continentiæ impediat & contractum, & usum Matrimonii: adeo ut eo voto adstrictus peccet, & contrahendo Matrimonium, & debito petito utendo, tametsi alteri petenti reddere teneatur. Votum vero Religionis ineundæ solum impedit contractum matrimonii, non vero ejus usum: ita ut eo voto obstrictus peccet quidem mortaliter Matrimonium ineundo, eoque se impotentem reddendo ad executionem voti sui: at deinceps Matrimonio libere, & licite utitur, & petendo, ac reddendo debitum. Non enim fecit votum castitatis servandæ, sed solum de vovenda castitate: id, quod modo, culpabiliter licet, contracta impotentia, præstare non potest. Jam res valde practica particulatim explicanda est.

Votum emissum, & dispensandum ante Matrimonium.

Si solutus, vel soluta, ante contractum Matrimonium, castitatem, vel Religionem vovit, nullus, nisi Pontifex Summus Jure ordinario dispensat, neque absolute, neque ad effectum Matrimonii, *secundum omnes*. Solus Episcopus (non Privilegiatus Mendicans) per accidens dispensat ratione urgentis necessitatis, & impossibilis recursus ad Papam. Necessitas ordinaria, & sufficiens est, si ex dilatione Matrimonii usque ad responsum Pontificis ex parte voventis, seu inter contracturos urgeat periculum incontinentiæ, scandali, vel alterius mali. Si Matrimonium differri nequeat sine gravi sponsi, vel sponsæ, vel eorum familiæ dedecore; si sponsa deflorata, prolesve nascenda infamanda sit, &c. maxime si Titius jam morti proximus, nisi Bertam suam ducat, relinqueret filios illegitimos, vel orirentur graves discordiæ inter cognatos, & his similia, de quibus late Sanch. *lib.*2. *de Matr. disp.*40. 74

Votum emissum ante, & dispensandum post Matrimonium.

Si quis, vel quæ voto continentiæ antea emisso, nulla obtenta dispensatione, adeoque cum gravi culpa, contraxit Matrimonium, etiamsi nondum consummaverint, multo magis, si jam consummarunt, liquido dispensat Episcopus ad petendum debitum solum (remanente firmo voto quoad alia; utpote ad non se polluendum, non fornicandum, servandam castitatem conjuge mortua) idque non amplius per accidens, sed per se potestate ordinaria per consuetudinem legitime obtenta: adeoque idem poterit per Privilegium Confessarius Mendicans, ut §.2. ostensum est, nec aliud hic addendum. 75

Votum emissum, & dispensandum post Matrimonium.

Si quis, vel quæ post contractum Matrimonium votum castitatis emisit sine licentia alterius conjugis cedentis juri suo, jam ex dictis liquet, Jure ordinario posse dispensare Episcopum, & per consequens etiam Privilegiatum. Non enim potuit vovere absolutam, & integram castitatem in præjudicium alterius conjugis, cui reddere debitum ex justitia obligatur, vovit ergo solum castitatem partialem, & secundum quid, scilicet non petere debitum, quale votum reservatum non est. At vero si quis, vel quæ vovit castitatem integram cum consensu alterius conjugis approbativo, accedentis juri suo: ut cum ambo conjuges mutuo consensu idem votum emittunt, dubium non est, Episcopum posse dispensare per accidens, ratione urgentis necessitatis ob periculum incontinentiæ imminens, antequam possit recurri ad Pontificem: probabilissimum etiam posse dispensare per se, Jure ordinario per consuetudinem quæsito, sicut si votum esset emissum ante contractum Matrimonium: eadem enim utrobique est ratio periculi incontinentiæ. Ita expresse supponit noster Rodriq. *QQ. Regul. tom.*1. *quæst.* 62. *disp.*2. Et cum aliis docet Tamb. *lib.*3. *cap.*16. §.4. *nu.*45. contra alios ideo negantes, quod tunc non teneantur cohabitare simul (sicut si votum ab uno ante Matrimonium contractum esset emissum) ideoque non urgeat periculum incontinentiæ, quod est radix dictæ consuetudinis. Sed 76

Resp. Facile negando consequentiam. Quia licet illud periculum fuerit radix, tamen occasione illius inducta est absoluta consuetudo, qua in conjugatis possit ab Episcopis dispensari: & revera semper viva conjuge, sive cohabitante, sive non, urget adhuc illud periculum. Sed numquid eo casu poterimus etiam dispensare Privilegiati? Negat diserte Rodriq. loc. cit. *Quia* inquit, *facultas impetrata tantum fuit pro illis, qui ante Matrimonium contractum votum simplex castitatis emiserunt: non tamen pro illis, qui post contractum Matrimonium votum continentiæ fecerunt.* Hæc ille. Et verissimum est, non posse vi Privilegii illius S. Pii V. vivæ vocis Oraculo concessi: probabile tamen, & ex dictis inferri videtur, posse vi alterius privilegii dispensandi in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi potestate ordinaria. Sed ego nihil affirmare ausim: ordinaria, & tutissima via ad Episcopum recurrendum censeo. 77

Advertendum autem hic semel pro semper: quod dispensatio hujusmodi in voto castitatis, sive ante, sive post Matrimonium; sive ab Episcopo, sive a Privilegiato concessa, non sit totalis, & absoluta, sed partialis tantum pro usu hujus Matrimonii, quamdiu durat. Cum enim tota ratio istius facultatis dispensandi sit urgens necessitas, ipsa dispensatio concessa non potest se amplius extendere, quam ipsa necessitas postulet. Unde talis, cum quo ad Matrimonium contrahendum, vel post contractum, ad eo utendum ab Episcopo, vel Privilegiato dispensatum est in voto continentiæ, 78

solum

solum durante Matrimonio debitum petere, ac reddere potest: de reliquo remanente voto firmo, & reservato, ut interea teneatur servare castitatem conjugalem, non fornicando, polluendo, morose delectando in aliis, &c. & post obitum conjugis, servare castitatem integram, etiam abstinendo ab alio conjugio: quia nec prior necessitas, nec consequenter dispensatio se eo usque extendebat. Secus vero faciendo peccabit contra votum suum non ab alio, quam Summo Pontifice integre dispensabile. Lege utilissime Card. de Lugo *respons. Moral. l.6.dub.1.* Ubi late explicat, quod etiam, quando summus Pontifex dispensat cum illigatis voto simplici castitatis, non dispenset integre, sed solum in parte, nimirum respectu copulæ conjugalis, & unius tantum Matrimonii: indeque recte infert votum illud, etiam post dispensationem Pontificiam, quoad reliquas partes castitatis manere reservatum.

79 Tandem quoad dispensationes votorum alias Episcopi, & Privilegiati conveniunt in hoc, quod utique possint vota dispensare, vel commutare, etiam extra Sacramentum confessionis, immo etiam absentibus. Quia pro neutris ullo jure, vel clausula istud exercitium ad solum forum Sacramentale restringitur: ut videre est apud Sanch. *lib.4. Moral. c.43. & alios passim*. Præter autem differentiam particularem in votis reservatis §.2. in fine assertam, generaliter differunt sicuti excedentes, & excessi. Ex una parte, Episcopi possunt suam potestatem dispensandi, vel commutandi vota aliis delegare: quia in ipsis hæc potestas est ordinaria: at Mendicantes non possunt, quia Delegati sunt. Ex altera parte, Mendicantes possunt exercere sua Privilegia circa omnes Fideles apud ipsos undecumque accedentes, agunt enim nomine Pontificis. Episcopi autem, qui per suam Jurisdictionem agunt, ultra suos Diœcesanos se extendere nequeunt. ¶ *Extensionem facultatis dispensandi in votis ac juramentis, combinabo infra Sect.4. §.2. Regula 3. cum facultate commutandi.*

SECTIO IV.

Votorum, ac juramentorum commutatio.

SUMMARIUM.

80 *Voti commutatio est translatio obligationis ab una materia ad aliam, &c.*
81 *Eaque in opus manifeste* melius, *Deoque* gratius *licite, & sancte fieri potest ab ipsomet vovente.*
82 & 83. *An vero ab ipsomet vovente fieri possit in opus priori æquale, utrumque probabile est:*
84 *In opus autem minus, necessario fieri debet ab alio potestatem habente.*
85 *Quam vota commutandi potestatem habet, quisquis habet dispensandi in iis; ut Pontifex respectu omnium, Episcopi, & Prælati Exempti respectu suorum.*
86 *Ac etiam Confessarii privilegiati, seu Mendicantes.*
87 *Quæcumque autem vota, & qua ratione reservata sunt Pontifici quoad dispensationem, eadem ratione ei reservata sunt quoad commutationem.*
88 *Et e contra quacumque ratione eorum dispensatio cessat esse reservata, eadem cessabit esse reservata commutatio.*
89 Usque ad num.94. *Qui in Jubilæo a se obtento oblitus est, vel etiam noluit petere voti sui commutationem, eam petere potest, etiam post multos annos, a quovis Confessario tunc approbato.* Doctrina Confessariis summe notanda.
94 *Qua ratione potestas dispensandi vota extenditur ad juramenta pia, & vota jurata, eadem ratione etiam extenditur ad ea commutanda.* Usque ad num.102. *iterum doctrina multum notabilis; quæ scilicet, & quando ita commutari possint juramenta pia.*
102 *Quæcumque vota, vel juramenta in præjudicium tertii dispensari non possunt, nec etiam ordinarie commutari possunt.* Usque ad num.104.
104 *Excipiuntur, & resolvuntur varii casus valde notabiles.* Usque ad num.115.
115 Usque ad num. 121. *An, quando, & qualis requiratur causa commutandi vota, &c.*
121 Usque ad num.126. *traditur modus, & quatuor Regulæ vota commutare volenti plurimum observandæ.*
126 Usque ad num. 134. *recensentur exempla authentica, & casus varii.*
134 *Observationes, corollaria, & casus varii.*

ASSERTIO IV.

80 *Votorum commutatio, omnium sensu, est translatio obligationis a materia voti prius facti ad aliam materiam priori subrogandam: ea in opus manifeste melius, Deoque gratius propria voventis auctoritate fieri semper potest; non item probabilius in æquale: certo non minus sed requiritur potestas superior, causa rationabilis, modusque conveniens.* Idemque dicendum de commutatione Juramentorum, salvo jure tertii.

§. I. *Propria auctoritas.*

I. Votorum commutatio in opus manifeste melius, Deoque gratius proprio voventis arbitrio, non licite modo, verum & sancte semper fieri potest. Negent licet graves DD. antiqui, Innocent. Hostien. Abb. D. Bonav. Richardus, alii: est tamen jam communis recepta, & certa sententia DD. Lessius *lib.2. cap.40. num.101.* Et optime declarans Sanch. *lib.4. Moral. cap.49. num.4.* Suar. *lib.6. de voto cap.18. num.4.* Laym. *cit. c. num.19.* alii passim. Sumitur ex *cap.1. de voto & ex cap.2. de jurejurand.* Ubi dicitur: *Propositum sive promissum, non infringit, qui illud in melius commutat.* Ratio est: quia votum est promissio facta Deo de meliori bono: at constat, quanto melius, & præstantius est bonum, tanto Deo gratius, & acceptius esse: quamobrem qui opus Deo promissum in melius commutat, is Deo abundantius satisfacit. Quemadmodum enim bonum melius continet in se semper eminenter minus bonum, ita consequenter solutio melioris eminenter continet solutionem minoris boni: dummodo sit manifeste melius, & gratius Deo, ita ut voventi sine tergiversatione, vel dubitatione constet se votum suum in melius commutare, ut si vovisti eleemosynam certo pauperi, qui tamen nondum acceptavit, libere potes dare alteri magis egenti. Si vovisti linteamen Ecclesiæ, libere potes commutare in Calicem, vel aliud ornamentum pretii majoris. In dubio autem stabit possessio pro obligatione voti jam determinata ad certam materiam, quæ privata voventis auctoritate mutari non potest. Ut si vovisti jejunium, non potes arbitratu tuo commutare in Orationem, si non constet Deo tunc esse gratiorem Orationem, vel saltem manifeste æque gratam, juxta dicenda N. III. Excipienda autem hic sunt vota reservata, & præjudicantia tertio, de quibus §. *seq.* patebit. 81

II. Verius est, commutationem voti in opus quantumvis æquale visum, non posse propria voventis auctoritate fieri. Est itidem communis, & sine dubio probabilior sententia DD. cum Suarez, Sanchez, Layman *ll. cc.* Ratio: quia non potest aliud pro alio solvi, nisi constet de creditoris, vel promissarii consensu: at non constat nobis Deum consentire, ut pro determinato voto solvatur ipsi aliud, etiamsi æquale: quin potius videtur velle, ut votum in determinata specie fideliter reddatur. Neque enim hic adest ratio interpretationis divinæ Voluntatis, sicut adest in commutatione voti in melius. Quod si occurrat causa ita commutandi votum in aliud, eam cognoscere ad Superiorem pertinebit. 82

III. Certe tamen etiam probabilis est sententia opposita affirmans, quemlibet proprio arbitrio commutare posse votum suum in aliud opus manifeste æquale. Sic Major, Henriq. Rodriq. Medina, aliique cit. Diana *part.3. tr.11. resol.48.* Tambur. *lib.3. Decal. c.16. §.5.n.14.* & probabile fatetur Suar. *cit. l.6.c.20.n.4.* Ratio est: quia si materia est evidenter æqualis, non potest non esse Deo æqualiter grata, nobisque proficua, neque enim cultui Dei, neque saluti nostræ aliquid derogatur, quando aliud æque bonum præstamus. Adde etiam homini per æquale satisfieri, si ipse invitus non sit. At Deum non esse invitum ad opus æqualiter bonum, satis ob suam benignitatem præsumere debemus, ergo & ipsi satisfiet: Est quidem opus promissum Deo, eo ipso, quo promissum est, cæteris paribus, melius non promisso: at certe vovens volens satisfacere Deo per aliud æque gratum Deo, eam bonitatem operis promissi transfert in opus subrogatum, & sic efficit etiam formaliter æquale. Cæterum notant Doctores hujus probabilis sententiæ, opus subrogatum debere esse manifeste, & evidenter æquale operi promisso per votum: & quia hoc dignoscere plerumque difficile est, ne fallamur in subrogando, consulendum esse, ut aliquanto plus subrogetur, cum quis propria auctoritate vult commutare votum suum. Vides jam, quam consultius sit eo casu petere commutationem ab habente potestatem commutandi, quippe qui in hoc aliquanto liberior est, ut infra patebit. Maneat ergo prior sententia, & probabilior, & tutior. 83

IV. Tandem certum apud omnes est, voventem propria auctoritate non posse commutare votum suum in opus minus bonum quomodocumque: sed id necesario deberi fieri auctoritate Superioris Ecclesiastica ordinaria, vel delegata. Quia quemadmodum omne votum contrahit vinculum spiritualis obligationis ad Deum, ita omnis voti solutio spectat ad potestatem spiritualem jurisdictionis, sive ea solutio fiat per dispensationem, sive per commutationem tantum: alioquin frustra Confessariis conferrentur Privilegia commutandi vota. Et quidem commutatio voti in aliquid notabiliter minus non potest fieri, nisi per potestatem dispensandi: tunc enim remittitur partialis obligatio voti, quæ utique est partialis dispensatio. Commutatio autem voti in aliquid non notabiliter minus, seu paulo minus (cum parum pro nihilo reputetur) adhuc potest, & debet fieri per potestatem commutandi, ut §.3, videbimus. 84

§. II. Po-

§. II. *Potestas commutandi vota.*

REGULA PRIMA.

85 **Q**Uisquis habet potestatem dispensandi vota, etiam commutandi habet. Res liquida de potestate ordinaria; nimirum summum Pontificem in tota Ecclesia, Episcopum in sua Diœcesi, Prælatum exemptum respectu suorum Religiosorum, sicut dispensandi, ita a fortiori etiam commutandi vota potestate ordinaria pollere, ob rationem mox reddendam. Nec amplius dubia res de Potestate delegata, quod videlicet, cuicumque per delegationem, vel Privilegium commissa, vel concessa est potestas dispensandi, etiam censeatur esse, & reipsa sit commissa, vel concessa potestas commutandi vota proportionaliter. Sic (contra *Navarr. Sylvest. Azorium, Sanchez, & alios*) communis, & recepta jam sententia DD. *Sotus, Henriquez, Sylv.* aliisque congestis, Suarez *lib. 6. de voto, cap.* 12. *n.* 10. Laym. *cit. num.* 20. & alii moderni passim. Rationem dat Regula 53. in 6. *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus.* Quod maxime locum habet, si minus subordinetur majori, seu in eo contineatur, tamquam imperfectum in perfecto: atqui voti commutatio est velut imperfecta dispensatio, & multo minor illa: siquidem per dispensationem vinculum voti simpliciter tollitur, per commutationem autem solum secundum quid: quia ab una in aliam materiam transfertur: & certe, qui potest remittere totum debitum, potest & partem. Accedit: quod raro admodum adsint causæ, ob quas vota simpliciter relaxari, vel dispensari debeant, aut possint, sed plerumque dispensationi commutatio aliqua adjungi debeat, & soleat: quare præsumendum est, mentem Pontificis conferentis alicui potestatem dispensandi in votis, esse, ut hæc facultas exerceatur secundum consuetum Ecclesiæ morem: nimirum, cum justa ratio totum condonandi non subest, commutando in aliud opus minus: quod si minus, cur non etiam in æquale? ut prudenter arguit Laymanus *sæpe cit. cap.*8. *num.*10.

86 Certum ergo est Confessarios approbatos Ordinum Mendicantium, sicut privilegio generali habent facultatem delegatam dispensandi, ita etiam habere proportionaliter facultatem commutandi omnia vota, quæ potestate ordinaria dispensare, vel commutare potest Episcopus. Quamvis autem Delegatus, vel Privilegiatus non possit alteri subdelegare potestatem suam commutandi voti: attamen, præsertim ob causam, v.g. occupationem, multitudinem confitentium, &c. potest dicere commutationem postulanti: *Commuto hoc tuum votum in illud opus, quod ille Sacerdos* (quidni etiam Sæcularis?) *doctus designaverit, cujus judicio te stare volo.* Ita post *Vivaldum, Sanchez, Lessium, alios* Laym. *cit. num.*27. Gobat. *de Jubilæo cap.*39. *n.*305. *in fine.* Ratio est: quia ille alius designando opus subrogatum non exercebit actum Jurisdictionis, sed nudum ministerium intellectuale substituendi, quod cuicumque viro docto committi nihil prohibet. At, quid si interea, antequam ab illo alio viro docto fiat actualis subrogatio, occurrat occasio voti observandi? V. gr. Vovisti singulis feriis sextis jejunare in pane, & aqua. Jam hodie est feria sexta, & nondum illum alium virum doctum convenisti, vel conveniri potuisti. Respondeo. Non peccabis non observando votum tuum: nam reipsa jam facta est comutatio, ideoque jam cessavit voti prioris obligatio, & adest jam alia nova obligatio, scilicet acceptandi, & deinceps exequendi onus, quod ab illo viro docto imponetur: quod quidem onus non debes subire antequam imponatur. Ita (contra *Rodriquez*) optime *Sanchez, Lessius, Portellus noster*, eosque citans Gobat. *eodem cap.*39. *num.*306.

REGULA SECUNDA.

87 **Q**Uæcumque vota, & qua ratione, quoad dispensationem Pontifici reservata sunt, eorumdem etiam, eademque ratione, commutatio reservata est, sic, quod ea neque inter se, neque inter alia opera, quantumvis manifeste meliora sine Summi Pontificis licentia commutari possint ab ulla potestate inferiori ordinaria, vel delegata, multo minus propria voventis auctoritate: eo quod eorum etiam commutationem sibi reservarit Pontifex. Immo *Extrav. Et si dominici: de pœnit. & remiss. in 6.* excommunicantur ea vota commutantes sine Pontificis licentia. De quibus late Suar. *l.6.c.*21. Azorius *l.*11.*c.*18.*q.*4. *aliis cit.* Excipitur tamen semper votum solemne Religionis: in illud enim omnia prorsus alia vota, etiamsi alioquin reservata, etiam propria auctoritate commutari possunt, & ex dispensatione Juris de facto commutantur, cap. Scripturæ de voto. *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam agnoscitur Religionis observantiam commutare.* Docetque unanimis fere Doctorum sententia cum S. Thom. 2.2. *qu.*88. *cap.*12. Et universaliter quoad vota tam realia, quam personalia cum aliis docet Pellizarius *in Manual. Regul. to.*1.*tr.*3. *cap.*4. *num.*19. Ratio scilicet est; quia votum Religionis, quo homo seipsum, & omnia sua Deo in perpetuum obsequium consecrat, sua universalitate actionum, & temporum omnia omnino alia vota in se eminenter concludit, & etiam jam facta, cum emittitur, velut in se absorbet.

Contra vero quibuscumque modis, & casibus eorumdem votorum dispensatio per se, vel per accidens cessat esse reservata Pontifici, & ad Episcopos, vel Privilegiatos devolvitur, iisdem etiam consequenter cessabit esse reservata commutatio. Modo ergo illi, & casus *Sectione præced.* §.3. & 4. late explicati quoad dispensationem, per omnia applicandi sunt commutationi. Porro quamvis in generali concessione, vel indulto dispensandi, vel commutandi omnia vota, non intelligantur illa quinque reservata, ut habet communis intellectus Doctorum cum Sanchez *lib.*4. *moral. cap.* 40. *num.*6. quando tamen in generali concessione dispensandi, vel commutandi omnia vota, excipiuntur dumtaxat vota Religionis, & continentiæ, prout vidimus fieri in novissimis Jubilæis plerisque, omnino intelliguntur etiam permissa reliqua vota, trium peregrinationum, saltem durante tempore Jubilæi. Sed numquid non etiam postea? En tibi securam, & salutarem doctrinam. 88

¶. Quisquis aliquando lucratus est Jubilæum, præstitis nimirum omnibus ad lucrandos Jubilæi favores requisitis, potest multis etiam annis post Jubilæi tempus transactum a quovis id temporis approbato Confessario obtinere commutationem omnium votorum, quorum commutationem prius oblitus est petere; aut etiam tunc petere noluit, exceptis dumtaxat castitatis perpetuæ, & Religionis votis, adeoque non exceptis votis triplicis peregrinationis. Ita *Sanchez, Lessius, Sanctarellus, Portellus, Castro-Palaus, Diana*, eosque recitans P. Gobat. *Quinari tract.*3. *de Jubilæo cap.*32. Doctrina hæc duplici innititur fundamento. 89

Fundamentum unum est. Licet in Jubilæi Bullis fiat mentio Confessarii in singulari numero: attamen potest quis favores Jubilæi petere a diversis Confessariis singulos a singulis. Ita in terminis Cardin. de Lug. *de pœnit. disp.* 28. *numer.* 170. ubi asserit: quod tempore Jubilæi possit quis quemlibet ex approbatis Confessariis, etiam cui non solet, vel non vult, confiteri, eligere, & quidem, vel ad omnes effectus in Bulla concessos, vel ad aliquos tantum, nec necesse esse, ut quem eligit ad unum, eligat ad reliquos omnes. Consentit Sanch. *lib.*4. *Moral. cap.*54. *num.*17. & quoad operum præscriptorum, & quoad votorum commutationem. *Ratio* hujus fundamenti est, quia Bullæ Jubilæi, quas novissimi Pontifices edunt, non indicant ullam necessitatem petendi hos favores ab uno, eodemque Confessario: ergo nec nos debemus illam fingere: cum præsertim favores Jubilæi sint amplissime interpretandi, ut bene ostendit idem Gobat. *eodem tract. num.*24. 90

Fundamentum alterum est. Jubilæum semel obtentum dat jus omni tempore, etiam post Jubilæum, eligendi Confessarium pro his gratiis acquirendis, quæ tempore Jubilæi obtineri poterant, & obtentæ non sunt. Ratio hujus fundamenti fundamentalis est: Quia licet Pontifices in Bullis Jubilæi operum præscriptorum executionem assignent certo tempori, scilicet spatio duarum hebdomadum, gratias tamen, & favores, quos intuitu illorum operum impertiuntur, minime alligant ulli certo tempori. Dicunt enim quidem: *qui intra duas hebdomadas designatas jejunaverit, Ecclesias visitaverit, confessus fuerit, &c.* At non dicunt: poterit eligere Confessarium, *qui intra illas duas hebdomadas illum absolvat, vota commutet, &c.* Sed absolute: *qui illum absolvat, vota commutet, &c.* Ergo cum ipse Pontifex non restringat; & alioquin privilegium Principis sit amplissime interpretandum, & propositio indefinita in materia Jurisdictionis æquiparetur universali; non est facultas eligendi Confessarium pro commutatione votorum restringenda ad tempus Jubilæi præscriptum, sed late extendenda ad quodvis tempus, & respectu quorumvis favorum, qui tempore Jubilæi acquiri potuerunt, & salva legitima operum præscriptorum executione, obtenti non sunt. Juvat audire ipsum *P. Gobat.* ex propria praxi practice suadentem *ibid. num.*243. *post medium.* 91

Unde ego non semel dicentes mihi, se ante octo, vel decem annos edidisse hoc, vel illud votum, quo nunc liberarentur libenter propter hanc, vel illam non irrationabilem causam: mox interrogavi, an non interea essent potiti aliquo Jubilæo? Respondentibus affirmative, commutavi illud votum ob vim, & energiam obtenti Jubilæi. Etsi quippe ego polleo potestate Ordinibus Mendicantibus communi commutandi vota pœnitentium omnium: quia tamen commutatio facta vi Jubilæi non exigit tam gravem commutandi causam, (ipsa nimirum impletio operum præscriptorum præbet sufficientem causam commutandi vota ita volenti nulla alia allegata causa, ut habet *ibid. n.*292.) *quam quæ fit vi privilegiorum Apostolicorum: idcirco prudenter usurpatur doctrina traditi fundamenti, singulariter quando Confessarius intelligit pœnitentem sat crebro egisse contra suum votum, idque propter aliquam novam, etsi non gravem circumstantiam supervenientem.* Sic ille sapienter. 92

¶. A fortiori ergo Confessarius ipso tempore Jubilæi, quando vult attentius considerare, vel qualitatem causæ, vel modum commutationis, poterit ipsammet commutationem differre in unam, alteramque hebdomadam post Jubilæum, dicendo pœnitenti: *Commutabo tuum votum ubi maturius cogitavero, quid ad animæ tuæ salutem, & profectum expediat.* 93

pediat. Ita Suar. *lib. 6. de voto, c. 16. n. 15.* Sanch. *lib. 4. cap. 14. n. 33.* Gobat *c. 39. n. 307.* Ratio est, quia sicut cum quid prohibetur, omnia prohibentur, quæ sequuntur ex illo: *Reg. 39. in 6.* ita etiam, qui dat potestatem, dat simul omnia, quæ ad illam moraliter consequuntur, seu ad ejus convenientem usum necessaria sunt. Quinimo potest hoc facere Confessarius, etsi nullum in specie votum intelligat. Si enim pœnitens dicat se habere plura vota, in quibus juvari cupiat, potest Confessarius aliis negotiis implicitus respondere: illa vota mihi post exactum Jubilæum indica, & commutabo, &c. Ita Sanchez *cit. num. 37. & Castro-Palaus cum* Gobat. *loc. cit.* contra *Suarez*.

REGULA TERTIA.

94 *Quibuscumque modis extenditur potestas dispensandi vota ad juramenta pia, iisdem etiam a fortiori extenditur potestas commutandi vota ad eadem juramenta:* atque adeo quicumque habet potestatem ordinariam, vel delegatam dispensandi, &, per dicta consequenter, etiam commutandi vota,

95 I. Is potest dispensare, & commutare eadem vota etiam jurata, seu juramento confirmata. De potestate *ordinaria* nemo ambigit. De delegata potestate per privilegium, vel jubilæum tuto docent communius Doctores. Sanch. *lib. 8. de Matrim. disp. 2. n. 24.* Suarez *lib. 6. de voto cap. 14. num. 19.* Laym. *lib. 4. tr. 3. c. 11. n. 3.* Diana *par. 1. tr. 11. resol. 43.* Gobat. *de Jubilæo* Quinarii *tr. 3. cap. 48. n. 287.* Hanc dans rationem. *Quia juramentum voto firmando superadditum non parit Deo majus jus, quam si votum firmaretur per sui renovationem: sicut igitur votum millies renovatum potest per Bullam Jubilæi commutari, ita & firmatum per mille juramenta.* Sic ille. Idem erit de privilegio. Ratio autem communis est: quia votum, etiam accedente juramento, eandem naturam obtinet: & juramentum additum actui induit naturam, & conditiones illius, cui additur, eoque ruente, etiam ipsum corruit; ergo non obstante juramento, habens potestatem, sive ordinariam, sive delegatam dispensandi, vel commutandi vota, adhuc poterit dispensare, vel commutare illud votum, quo sublato, necessario etiam corruet juramentum additum. Verum quia contrarium docent gravissimi DD. *Henriq. Rodriq.* ipseque Lessius *lib. 2. de justit. cap. 40. dub. 11.* ad majorem securitatem Gregorius XII. Privilegium concessum Societati Jesu commutandi omnia vota Pontifici non reservata extendit ad vota etiam jurata, attamen sine præjudicio tertii, quod per communicationem privilegiorum etiam cæteris Mendicantibus concessum censetur. Et sic res rursus salva est, cum rarissime conveniat fieri dispensationem, maxime a Delegato, vel Privilegiato, absque aliqua commutatione.

96 II. Is potest etiam dispensare, vel commutare juramenta absoluta, & per se stantia principaliter in honorem Dei edita de aliquo faciendo, vel omittendo (saltem in materia non reservata Pontifici) etsi secundario in commodum proximi tenderent, ut si absolute jures, *te Oettingam peregrinaturum, non amplius lusurum, vinum non bibiturum, tantam eleemosynam daturum, &c.* De potestate ordinaria rursus in confesso est. De potestate delegata per privilegium vel Bullam Jubilæi, plurimis allegatis, docent Suar. *cit. cap. 14. n. 6.* Sanch. *l. 4. Moral. c. 53. n. 8.* Tannerus *tom. 3. disp. 5. q. 5. n. 38. contra Lessium, Azorium, alios.* Ratio est: quia votum, & juramentum in honorem Dei absolute facta, maximam similitudinem habent, difficile discernuntur, atque in jure etiam æquiparantur, eo quod utriusque plane sit similis obligatio erga Deum tantum ex virtute Religionis: in voto quidem, quia Deo vovens fidem suam dedit de faciendo aliquo in ejus honorem: in juramento vero, quia jurans Deum invocavit sponsorem suæ promissionis etiam principaliter ad honorem Dei factæ: adeoque dispositum de uno (saltem in favorabilibus) merito censeatur etiam dispositum de altero, ut proinde dans potestatem solvendi unum, censeatur dare ad solvendum alterum: nam certe Pontifex quando dat potestatem dispensandi, vel commutandi vota, habet rationem solius Juris, quod Deus per votum acquisivit: Idem autem, ac simillimum jus acquisivit per tale juramentum. *Confirmatur efficaciter.* Dans Privilegium Greg. XII. *extensione* supra dicta commutandi vota jurata; concedit posse commutare duo vincula & voti, & juramenti; ergo etiam concedit, posse illos commutare, quando adest unum tantum vinculum, scilicet juramenti tantum: quid enim tollit, vel addit ista conjunctio juramenti cum voto, si æque sit sine præjudicio tertii? Quare merito Basilius Pontius *l. 9. de Matr. c. 11. n. 4.* asserit, sibi videri certam Regulam; quoties datur potestas ad dispensandum in voto, toties dari ad dispensandum etiam in juramentis, eo quod Juramenta votis æquiparentur, & pro votis habeantur, in quibus Deus constituitur creditor.

97 ¶. Dixi per parenthesim: *saltem in materia non reservata.* Communior enim, & in praxi magis recepta est Sententia *Cajet. Tolet. Valent. Azorii:* aliorum cum Laym. *c. cit. 11. n. 4.* quod Papalis reservatio votorum extendatur etiam ad reservationem juramentorum in eadem materia, scilicet Religionis, Continentiæ perpetuæ, & triplicis illius peregrinationis, ob prædictam æquiparationem juris, & consuetudinem Ecclesiæ. Contra tamen sentiunt *Petrus Ledesma, Navar Tabiena, alii cum Sanch. supra, Tamb. l. 3. c. 7. §. 3. n. 7.* Cainsting. *de priv. Regul. tr. 5. prop. 2.* Nimirum reservationem papalem votorum, alias stricte interpretandam, non debere extendi ad reservationem juramentorum in iisdem materiis, quippe diversæ rationis, & minoris obligationis: atque adeo privilegiatum Confessarium Ord. Mend. adhuc dispensare posse in juramentis piis circa illas quinque materias. Agnosco probabilitatem saltem extrinsecam, sed oppositum tutius.

III. Is etiam dispensare, & commutare potest vota, & juramenta pia absoluta per se stantia (nulla promissione facta homini) etiam simul edita in utilitatem hominis, vel Ecclesiæ, seu cum ordine ad certam personam, Ecclesiam, Monasterium, si nondum acceptata sunt. Ut si vovisti, vel jurasti absolute hunc pauperem alere, huic Ecclesiæ Calicem dare, &c. *Communis apud cit.* Ratio est: quia cum illa sint juramenta pia, retinent æquiparationem cum votis; & cum nondum acceptata sint, nullum jus justitiæ acquisitum est illi certæ personæ, vel Ecclesiæ: ergo sine injuria, vel præjudicio cujusquam, ob causam rationabilem, ab alias habente potestatem dispensandi, vel commutandi vota, & juramenta pia, relaxari, vel commutari poterunt. Sed vide mox N. IV. 98

¶. At vero juramenta ejusmodi absoluta non ita pia, seu intuitu Dei facta, sed præcise, & principaliter in utilitatem hominis edita: ut si absolute jures, te *Titiam ducturum, vel dotaturum: Cajo pecuniam daturum, &c.* Cum & hæc nullum jus strictum alteri ante acceptationem pariant, possunt quidem jure ordinario ab Episcopo, aliisve Prælatis similem potestatem jurisdictionis habentibus, ob gravem causam relaxari, vel commutari, juxta communem DD. *Cajet. Navar. Sylvest. Sa, Suar. Sanch.* eosque citans Lay. *l. 4. c. 11. nu. 8.* At certe probabilius minime a Delegato per Privilegium, vel Jubilæum: ut contra *Rodriq.* & alios, pluribus citatis docent iidem Sanch. *l. 1. de matr. disp. 37. n. 17. & Laym. cit. n. 8. §. Verumtamen.* Ratio est: quia talia juramenta, licet per illa nullum jus efficax alteri parti acquisitum sit, ob defectum acceptationis, vel etiam injuriam, nullam tamen cum votis similitudinem, vel juris æquiparationem obtinent: quæ tamen æquiparatio præcipua, ac tota est ratio extendendi facultatem dispensandi, vel commutandi vota, ad juramenta. Unde mihi non placet, nec tutum videtur, quod Dian. *par. 5. tr. 12. resol. 56.* & Tamb. *l. 3. Dec. c. 7. §. 2. nu. 10.* extendunt ad casum, quo juramenta ob injuriam tertii, metum, vel dolum, (*v. g. solvendi usuras usurario, pecuniam latroni, &c.*) relaxari possunt ab Episcopo, posse tunc etiam a Privilegiato, vel virtute Jubilæi commutari, eo quod & hic commutatio fieri possit sine præjudicio tertii. At certe in his nulla adest similitudo, vel æquiparatio cum votis. 99

IV. Quin etiam ejusmodi vota, vel juramenta pia ipse vovens propria auctoritate commutare potest in aliud manifeste melius, & secundum probabilem Sententiam, etiam manifeste æquale. Idque de votis, & juramentis piis absolutis principaliter ipsi Deo factis, ex dictis liquidum est, & probabilissimum etiam de juramentis piis, in hominis utilitatem editis, sed nondum acceptatis, v. g. vovit, vel juravit quis eleemosynam certo pauperi, calicem certæ Ecclesiæ, &c. antequam fiat acceptatio, potest vovens, vel jurans propria auctoritate, & arbitrio, mutato consilio, eleemosynam dare alteri pauperi, calicem aliæ Ecclesiæ egentiori. Quia ex una parte Deus semper est contentus de meliori bono: & ex altera parte talis commutatio non fit in præjudicium hominis, vel Ecclesiæ illius, quippe cui nondum acceptanti nullus jus acquisitum fuit. 100

¶. Hic rectissime monet Layman *cit. c. 11. nu. 7. in fine:* in commutatione ejusmodi votorum, ac juramentorum in utilitatem certi hominis, vel Ecclesiæ editorum, etiam habentibus potestatem cavendum, ne, si ea aliis innotuerunt, scandalum, vel offensio animorum oriatur. Item ne a privilegiatis Officio Ordinarii præjudicetur: postquam talia vota, vel juramenta in publicum devenerunt. Etsi enim ea vota, vel juramenta nullum pariant jus proprie dictum, vel actionem in judicio tanquam quid ibi jure debitum exigendi, pariunt tamen jus quoddam generale officium judicis implorandi, ut ita vovens, vel jurans compellantur ad executionem. Unde & Judex Ecclesiasticus hominem ad impletionem hujusmodi voti, vel juramenti compellere debet, nisi vel ipsemet, vel alius simili potestate, quamvis delegata tantum, præditus ob justam causam relaxandum, vel commutandum, judicarit, ut notat ibidem Laym. *n. 6. in fine.* 101

REGULA QUARTA.

Quæcumque vota, vel juramenta in præjudicium tertii dispensari nequeunt, etiam commutare nefas est. In utroque enim eadem erit ratio præjudicii. Hic certa a minus certis separanda sunt. 102

I. Certum apud omnes, juramenta promissoria facta homini, seu confirmatoria promissionis factæ ipsi homini, vel Ecclesiæ, Monasterio, &c. ejusque ad utilitatem principaliter 103

ter edita, & legitime acceptata ordinarie nulla potestate ordinaria, vel delegata relaxari, vel commutari posse, sine consensu ejus, cui tale juramentum præstitum est. *Ratio clara est*; quia, tali juramento legitime acceptato, homini, vel Ecclesiæ verum, & proprie dictum jus acquisitum est: quo proinde sicut in aliis bonis, privari non potest absque suo consensu, vel culpa. Unde & in privilegiis, vel indultis dispensandi, vel commutandi vota, vel juramenta, semper additur, & nisi addatur, subintelligi debet: ut id fiat *sine præjudicio tertii*. Tunc autem dispensatio, vel commutatio verissime fit cum præjudicio tertii, quando alteri parti promissionem juramento sibi factam acceptanti verum jus justitiæ acquisitum est. Unde & hæc juramenta ante acceptationem relaxari, vel commutari poterunt: quia id commune est omnibus pactis, ut, nisi ab altera parte acceptata sint, nullam obligationem pariant. Ratio autem disparitatis a prioribus est. Quia vota, & juramenta pia, etiam in gratiam hominis edita, principaliter ipsi Deo fiunt: adeoque Deo, non homini (qui habet se solum ut materia, *circa quam*, voti, vel juramenti) per ea jus, & obligatio acquiritur: at vero juramenta promissoria facta homini, vel Ecclesiæ, acceptata, jus, & obligationem ipsi homini, vel Ecclesiæ pariunt: Atqui Deus obligationem remittere censetur, si Ecclesiæ Prælatus ita judicet expedire, ut relaxentur, vel commutentur vota, vel juramenta sibi facta: homo autem non censetur remittere jus, & obligationem sibi factam ex juramento alterius acceptato: Ideoque ejus voluntas, & commodum spectari debet, ut eo invito, vel non volente, relaxari, vel commutari nequeat.

104 ¶. Dixi: *Ordinarie*. Excipiendi enim sunt casus ex communi DD. apud Laym. *cit. c.* 11. *n.* 5. 1. Si bonum commune Ecclesiæ, vel Reipublicæ (cui quodvis bonum privatum posthaberi debet) relaxationem talis juramenti postulet. Tunc enim summus Pontifex ex plenitudine potestatis in causis bonum totius Ecclesiæ, & proportionaliter Episcopus in causis bonum suæ Diœcesis concernentibus, ejusmodi juramenta, etiam invita altera parte, relaxare, vel etiam commutare poterit: & quidem hi soli, spectando potestatem directam relaxandi juramenta per modum judicii, & absolutionis, quippe omnino spiritualem, adeoque ad solos Ecclesiasticos Prælatos pertinentem. Indirecta autem Potestas relaxandi juramenta ratione materiæ, aut supplendo vicem ejus, qui remittere deberet, etiam ad potestatem sæcularem pertinere potest. Ut si Laica potestas ob justam, & publicam causam aliquid alicui præcipiat, *v.g. Magistratum suscipere, militiam inire, &c.* quæ forte dejeravit, non obstante, sed eo ipso indirecte relaxato juramento, subditus parere debet. De quo pluribus Laym. *cit. nu.9. & alii apud ipsum*. 2. In pœnam criminis ab eo commissi, cui
105 juratum est. Sicut enim criminosus a judice sua pecunia multari potest, ita & jure suo, quod ex promissorio juramento acquisivit, spoliari. Qua ratione *c. Nos. Sanctorum. Et c. Juratos*. 15. *qu.* 6. absolvuntur a juramento fidelitatis subditi excommunicatorum, donec illi ad satisfactionem
106 veniant. 3. Ratione gravis injuriæ, quam jurans passus est, utpote, quia injusto metu, seu a promissario, seu ab altera persona ad jurandum adactus est, vel quia dolus, vel enormis læsio in contractum incidit, v. gr. Emptor ultra dimidium pretii justi læsus est: tunc enim, petita, & impetrata ab Episcopo juramenti relaxatione, adigi potest ad contractus rescissionem, vel justi pretii supplementum. 4. Ad-
107 dit D. Thomas 2. 2. *q.* 89. *ar.* 9. *ad* 3. communiter receptus. *Quandocumque aliquid juramento promittitur, de quo dubium est, utrum sit licitum, aut illicitum, proficuum, vel noxium, in illo potest quilibet Episcopus dispensare*. Eadem erit ratio de votis in similibus casibus.

108 ¶. Tandem omne ejusmodi promissorium, & acceptatum juramentum, omnium consensu, tollitur libera alterius partis condonatione, vel remissione: nam in omni juramento quantumvis absolute facto, inter alias etiam hæc tacita intelligitur conditio: *si is, cui, ac in cujus gratiam, & utilitatem juratum est, velit acceptare*: aut, *nisi is obligationem expresse, vel tacite remittat*. Nota copulationem: *in cujus gratiam, & utilitatem juratum est*: hinc si quis alicui quidem juret aliquid, at non *in ejus utilitatem*, sed potius in honorem Dei, vel salutem propriam: ut si jures Confessario te opus bonum facturum, Religionem ingressurum, &c. Eo casu rectissime dixit D. Thom. *cit. ar. 9. ille, cui promittitur, non potest absolvere promittentem, quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo*. Rursus, si juramentum fiat quidem *in alicujus gratiam*, at non in ejus, sed alterius *utilitatem*: v. gr. Petrus in gratiam sui Confessarii intercedentis jurat huic pauperi eleemosynam, vel victum daturum, postquam acceptavit pauper, Confessarius obligationem remittere non poterit: quia non ipsi, sed pauperi jus acquisitum est. Cæterum quando duo sibi invicem juraverunt in mutuam utilitatem, ac gratiam, mutuo consensu sibi invicem obligationem condonare poterunt. At vero, si ambo juraverunt in gratiam, & utilitatem tertii, v. g. pauperis, Ecclesiæ, &c. ut si duo jurarunt collatis expensis *educare pauperem studiosum, dotare puellam, calicem dare Ecclesiæ, construere Altare, &c.* post acceptationem alterius partis, sibi mutuo obligationem condonare non possunt, sed requiritur condonatio tertii, in cujus utilitatem juratum est, ob rationem modo dictam.

¶. Quid si quis jurasset principaliter in suum proprium commodum. *v.g. se velle ire Romam pro Beneficio, vel dispensatione impetranda: velle petere eleemosynam a tali divite &c.* poteritne remittere sibi ipsi? Negat *Suar. lib.2. de juram. c.12.* & ante ipsum Abbas *in c. Quanto de jurejur. nu.8.* post alia dicens: *Secus puto, ubi quis simpliciter juraret ad proprium commodum. Nam non poterit sibi ipsi remittere juramentum, ne auctorizet in facto proprio*. Sed placet Sententia Tambur. *l.3. Dec. c.7. §.2. n.5.* iis verbis: *Profecto discrimen non inspicio cur recipiens juramentum alterius in suum commodum remittere possit, non possit autem remittere recipiens juramentum suum. Et mirabile mihi est, Patri juranti se empturum equum in commodum filii, licere non emere, filio remittente: at juranti eundem se empturum in commodum suum, non licere, se volente commodum illud renunciare. Puto igitur, propter paritatem rationis licere. Neque id est auctorizare in facto proprio; sed sua sponte suam utilitatem negligere. Confirmatur. Quia supra docuimus ex Sanch. lib.3. Dec. c.9. nu.15. Juramentum de non vendendo minoris posse remitti ab ipso jurante, quando in utilitatem propriam est emissum: ergo & universaliter in casu nostro*. Hæc Tamb. cui assentior. 109

II. Universaliter quævis vota, & juramenta, etiam pia & principaliter in honorem Dei facta, attamen in hominis vel Ecclesiæ utilitatem determinate edita, præstandi nimirum aliquid certæ personæ, vel Ecclesiæ, ab altera parte cognita, & acceptata, ut *si vovisti, vel jurasti ob amorem, & honorem Dei huic pauperi eleemosynam, huic Ecclesiæ calicem dare &c.* eaque acceptata sint ordinario jure nulla potestate ordinaria, vel delegata, dispensari, vel commutari posse, multo minus propria voventis, vel jurantis auctoritate, etiam in quodvis melius converti, communis, probabilissima, & securissima est Sententia Doctorum apud *Sanch. & Lay.* sæpe *cit.* Ratio enim supra data videtur etiam hic urgere universim. Quia per ipsam acceptationem altera pars acquisivit jus, quo privari nequit nolens: omnis enim promissio etiam jurata, relaxari, vel commutari potest cum consensu ejus, cui, vel in cujus gratiam, & utilitatem facta est: atqui Deus quidem semper contentus esse censetur, si votum, vel juramentum ipsi principaliter factum in aliud melius, aut, legitima auctoritate, in quodvis aliud commutetur: homo autem certe non censeri potest esse contentus, si promissio, vel juramentum in suam utilitatem factum, & acceptatum, in aliud, etsi absolute præstantius, at non ipsi commodius, sed secus, commutetur: ergo si post acceptationem, eo non volente relaxetur, vel commutetur in aliud, quantumvis absolute melius, verum patitur præjudicium, quod in omni hujusmodi dispensandi, vel commutandi facultate exclusum esse diximus. Excipiendi tamen rursus hic sunt casus *n. præced. designati*. Verum non ita certa est hæc generalis resolutio, sicut præcedens particularis, ut mox videbitur *nu.*113. 110

¶. Dubium hic incidit: utrum ejusmodi votum, vel juramentum piam principaliter editum in honorem Dei, & 111
simul in utilitatem certæ personæ, vel Ecclesiæ, possit ab illa persona remitti, eaque remissione vovens, vel jurans obligatione sua liberari; Ut si quis ob honorem, & amorem Dei vovit, vel juravit hunc pauperem alere: ob amorem Beatæ Virginis hanc pauperem puellam dotare &c. certum est, promittentem liberari, si pauper, vel puella promissum positive nolit acceptare, aut jam acceptatum renunciet, & respuat. At si promissum Beneficium quidem non respuat, vel recuset, tanquam sibi non acceptum, sed solum nolens promittentem obligare, in ejus gratiam remittat, eique liberum relinquat, tunc promittentem liberari negant sane probabilius cum aliis Suar. *lib.2. de Juram. c.39. n.8.* Laym. *tr.3. c.9. n.5.* ea ratione: quod Deus ejusmodi promissionem acceptet, sicut & facta est, principaliter ad suum honorem, & secundario ad utilitatem hominis: adeoque etsi homo non obliget, acceptare tamen velit, servanda erit: secus, si acceptare nollet. Contra tamen tunc promittentem liberari satis probabiliter affirmant Navar. *c.22. n.25.* Sanch. *l.1. de Matr. disp.52. a n.6.* Tambur. *lib.3. Dec. c.7. §.2. alii apud ipsos*. Ratio est, quia tali juramento, licet principaliter in honorem Dei facto, vere tamen in commodum hujus pauperis juratur, & Deus ipse acceptat ejusmodi juramentum, vel votum in ordine ad hunc hominem, in cujus utilitatem fit: ergo si homo ille te obligare nolit, neque Deus te obligare volet, & si illius hominis voluntati satisfactum sit, etiam divinæ voluntati, & obligationi erga Deum satisfactum erit. Sed declaro rem amplius vero casu facto, & proposito a P. Gobat. *Alphab. 1. cas.16. de Juram. n.499.*

¶. *Quod vult Deus Juramento promisit, se ad honorem Dei esse donaturum certo Monasterio quinquaginta scuta, aut imperiales taleros: at postmodum pænitens promissi efficit per intercessionem cujusdam alterius Prælati, ut Abbas cum Conventu remittat promissum, reddatque syngrapham, qua se obstrinxerat. Quæsitum fuit, an quod vult Deus possit secure stare illa condonatione?* Certe probabilius negabit *Suar. l. cit.* ob rationem datam. At certe etiam probabiliter concedet Sanch. *l. c. ac rursus l.3. de juram. c.20. n.7.* ac practice tutum censent *Tamb. & Gobat. ll.cc.* Ratio iterum est; 112

est: quia licet juramentum illud sit principaliter factum ad honorem Dei, attamen habuit necessarium respectum ad Monasterium, ejusque utilitatem, ac voluntatem: ergo si Monasterium sine vi, vel fraude juri suo cedat, cessat essentialis dependentia a Monasterio: ergo cessat & ipsa obligatio, ipsumque jus divinum. Sane; qui ita vovet, non intendit se obligare Deo in casu, quo Monachi, vel recusabunt donationem tanquam fortassis sementem discordiarum, vel oblocutionum, aut alias sibi incommodam, vel remittent non inviti ad instantiam mediatam, vel immediatam, promissoris: eadem autem est ratio de tali juramento pio. Secus esset, si in casu nostro *supra*, nullus certus pauper, vel puella designata fuisset, sed quis indefinite vovisset, vel jurasset alere aliquem pauperem, vel dotare aliquam honestam puellam; aut si vovisses, vel jurasses ad honorem Dei dare centum aureos pauperibus indeterminatis: tunc enim etsi hic pauper, vel ista puella, vel aliqui ex pauperibus remitterent, non esses idcirco liber, quia hi non repræsentant alios, qui sine dubio acceptabunt, neque ullus hic determinatus promissarius assignari potest, nisi ipse Deus loco omnium pauperum acceptans.

113 III. Insuper ejusmodi vota, & juramenta pia etiam post acceptationem pauperis, vel Ecclesiæ, in cujus utilitatem propter Deum facta est promissio, posse non solum auctoritate Superioris, sed etiam proprio promittentis, vel jurantis arbitrio in melius commutari, dando scilicet rem promissam pauperi, vel Ecclesiæ egentiori, post *Rodriquez*, & alios docent Fagundez *tom.* 1. *in Decal. l.* 2. *cap.* 49. Rationes adferens his omnino verbis. I. *Quia hæc vota, & juramenta principaliter, ac ultimate in Deum diriguntur tamquam finem* Cujus, *& solum pauper est finis* Cui, *atque adeo accessorius, ac minus principalis: cum ergo accessorium sequatur principale, si potest votum propter respectum, ac principale commutari in melius propria auctoritate, nil obstabit acceptatio ejus, qui fuit finis accessorius.* II. *Quia etiamsi dirigas intentionem ad hunc peculiarem pauperem, id fit propter Deum, & sic tota ratio promissionis est Deus, & per accidens est, quod pauper acceptaverit, & quod jus aliquod acquisierit, acquisivit enim dependenter a beneplacito Dei, cui non potest non esse gratius, quod melius est.* III. *Quia in omni voto illa conditio est, voveo hoc, nisi in melius voluero hoc votum commutare, quam conditionem alterius minus principalis acceptatio tollere nullo modo potest.* IV. *Quia qui in aliqua Religione profitetur, eum Religio acceptat, & tamen potest ad meliorem transire, petita, etsi non obtenta, venia a suo Prælato, adeoque invita Religione, juxta sacros Canones. Cujus rei rationem reddens Cajetanus* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 12. *dicit in eo capite nihil novi Juris statui, sed declarari naturam ipsius voti, nempe posse quempiam votum suum etiam acceptatum in melius sua propria auctoritate commutare. Et ratio, cur possit in tali casu præjudicari Prælatis, ac Religioni priori, est (inquit Cajetanus) quia non propter illos, sed propter Deum Prælatis, ac Religioni data est Potestas, & propter hoc solius Dei ratio habetur in hujusmodi commutatione.* Hæc & plura Fagundez. Vides quam probabiliter, ac prope efficaciter. Noli ergo damnare ita practicantes, etsi subinde displiceat, vel doleat.

114 IV. Ex hac probabili opinione, idem a fortiori dicendum esset, si votum, vel juramentum pium initio factum sit in utilitatem hominis indeterminate, postea primum facta sibi intimatione, acceptantis. Casum proponit, & resolvit Tamb. *lib.* 3. *Decal. c.* 7. *§.* 6. *num.* 3. Petrus propter amorem, & honorem Dei vovit, juravitque ducere, vel dotare aliquam pauperem puellam indeterminate. Item Paulus vovit, juravitque alimenta, vel eleemosynam propter DEUM præbere alicui pauperi indeterminate: uterque postea significat certæ puellæ, certo pauperi; & illa, & iste acceptavit gaudens. Poteritne Petrus ducere, vel dotare aliam puellam? Paulus alimenta, vel eleemosynam dare alteri pauperi? Non tantum habentem potestatem, Episcopum, vel Privilegiatum, hic posse dispensare, vel commutare, sed ipsummet Petrum, ac Paulum id posse propria auctoritate. Quia cum hæ promissiones directe non nisi Deo factæ sint, non potest puella, vel pauper ille valide acceptare, ut ei soli debeatur. Illud enim legitime, & valide acceptat aliquis, quod ei promittitur: iis autem determinate, nihil promissum est, sed solum intimata promissio facta Deo, ut supponitur: ergo eorum acceptatio non potest præjudicare libertati voventis. Ita quidem *Tambur.* meo judicio probabiliter. Sed standum videtur communi, & tutiori Sententiæ *num.* 10. propositæ.

§. III. *Causa rationabilis commutandi.*

115 Regula generalis bene traditur a P. March. hic *q.* 4. *dub.* 3. *resol.* 5. *Ad commutationem voti in melius sufficiens causa est sola voluntas voventis: in æquale, propensio major voluntatis, ac devotio voventis ad illud aliud: in minus, gravis molestia in exequendo voto, aut voventis fragilitas, aut periculum illud non implendi.* Reddo breviter explicatius.

116 I. Ad commutationem voti in opus manifeste melius, nulla alia requiritur causa, nisi bona voluntas voventis. Si quidem opus ipsum Deo gratius esse, sufficientem causam præbet commutandi voluntas. Optima autem causa erit, si illud opus melius subrogatum sit conducibilius saluti, maxime ad finem particularem a vovente intentum: ut sapienter observat P. Gobat. *hic casu* 11. *n.*356. declarans hoc exemplo. *Qui pro obtinendo dono castitatis per intercessionem Deiparæ vovit se quotidie oraturum parvum Officium de Conceptione Immaculata, licite commutabit in votum de faciendo quotidie accurato examine circa castitatem, & facienda bona disciplina, quoties cogitatione, verbo, vel opere deliquerit deliberate venialiter contra illam Angelicam virtutem. Ratio est, quia si placuisti Deo, offerendo ipsi rem minus conducibilem tuæ saluti, & consequenter minus hic, & nunc gratam illi, cujus voluntas est Sanctificatio nostra, utique magis placebis offerendo ipsi aliquid, spectatis omnibus circumstantiis, manifeste magis futurum ad tuam perfectionem.* Sic ille.

II. Ad commutationem voti in aliud non manifeste melius, sed quomodolibet etiam æquale, vel quasi æquale, sive fiat ab habente potestatem, sive in probabili Sententia ab ipso vovente, requiritur aliqua causa rationabilis. Communis DD. *Suar. Sanch. Laym. cit.* Ratio est, quia in tali commutatione semper aliqua obligatio remittitur, ut scilicet votum, vel non in propria materia, vel non in eadem quantitate fiat, ad quam vovens se ex virtute Religionis, ac fidelitatis Deo obstrinxerat, sed vel in alia materia, vel minori quantitate: quod ut sine omni causa concedatur, ac fiat, Deus non potest rationabiliter censeri esse contentus. 117

III. Ad commutationem voti in aliud evidenter æquale, sufficit quæcumque rationabilis causa, etiam levis ad Dei honorem, vel utilitatem, aut consolationem voventis spectans: immo sufficiens causa est, si vovens majori cum promptitudine, ac solatio voti sui debitum in alia materia impleturus sit: aut si instanter commutationem petat, ut ejus fragilitati consulatur, etsi nulla adferatur causa gravis executionem voti impediens, vel aggravans notabiliter. Ac proinde ad commutationem voti in aliud æquale raro sufficiens causa deesse poterit. Communis DD. apud cit. Cum enim in tali commutatione nulla sit absoluta voti obligantis remissio, sed illius obligationis in aliam materiam translatio, quæcumque etiam levis causa satis superque esse debet: idque etiam verum est, etiamsi votum (sed per habentem potestatem, non propria voventis auctoritate) commutetur in non evidenter æquale, sed quasi æquale, & non notabiliter minus. Quia & parum pro nihilo reputatur, & in his æqualitatem attingere difficile est: ergo ad Dei benignitatem spectat, & hanc commutationem ex quacumque rationabili, etiam levi causa fieri posse. Certe quando dubitatur, an opus sit æquale, sufficit notabilis molestia in exequendo, vel magna fragilitas cum periculo violandi, vel repugnantia Patris, vel mariti, etiam circa vota non præjudicantia eorum potestati. Lessius *lib.*2. *c.*40. *nu.*105. 118

IV. Ad commutationem voti in aliud opus aliquanto notabiliter minus, requiritur, & sufficit causa gravior, aut impediens, aut notabiliter aggravans executionem voti. Et generaliter, cum commutatio voti in minus sit dispensatio partialis, & a nemine, nisi habente facultatem dispensandi, concedi possit, ideo ad eam requiruntur, & sufficiunt eædem omnino causæ *Assert.*3. §. 1. *a num.* 38. positæ: nimirum, *imperfecta deliberatio, difficultas exequendi, damnum spirituale vel corporale voventis, majus bonum speratum*; tali nimirum servata proportione, ut, quo causa apparet gravior, eo minor fiat commutatio, seu eo minus opus bonum subrogetur, quo vero minus gravis apparet causa, eo commutatio major fiat, seu opus bonum majus subrogetur, quæ tamen omnia prudentis judicio necessario relinquuntur. Cæterum palam est, nunquam requiri tantam causam ad voti commutationem, quæ obligatio voti non relaxatur totaliter, sed in aliam materiam, etsi minorem, transfertur; quanta requiritur ad dispensationem totalem, qua obligatio voti absolute, & totaliter tollitur, ideoque omnino gravem requirit causam, & non adeo frequenter occurrentem. 119

COROLLARIUM.

Commutare votum in melius, validum, licitum, & meritorium est. Commutare votum in æquale, vel non notabiliter minus absque omni causa etiam validum, & non nisi venialiter illicitum est, quia est abusus potestatis in re levissima: ut post *Suar. Sanch.* alios, etiam habet Diana *p.*2. *tr.*16. *resol.*8. Commutare votum in notabiliter inæquale, & minus, v. gr. jejunium unius diei, in quinque Pater, & Ave, absque justa causa, sine dubio mortaliter illicitum est, quia hoc est abuti potestate in re gravi, immo potius usurpare potestatem non concessam: cum nulla data sit potestas dispensandi sine justa causa; commutatio autem in minus partialis sit dispensatio: hoc ipso autem, quod sic commutans partialiter tantum abutatur potestate, rectius dicitur talem commutationem adhuc esse validam, conjunctam tamen cum gravi obligatione supplendi id, quod deest ad æqualitatem materiæ subrogatæ ad materiam voti: ducta nimirum similitudine a contractu permutationis, aut venditionis, qui non annullatur ex inæqualitate rei, vel pretii cum re, sed solum est onus sup- 120

plen-

plendi id, quod ad æqualitatem deest. Ita Sanch. *l.4. mor. c.51. §......* Dicta hactenus eadem ratione intelligenda sunt in commutatione Juramentorum piorum, quando ab habente potestatem, vel ipso jurante commutari possunt juxta dicta §. *præced. Regula* 3.

§. IV. *Modus competens commutandi.*

121 Difficultas non est, quando votum commutatur in notabiliter minus, cum nimirum & adest causa gravis commutandi, & commutans simul potestate dispensandi pollet, sed gravis certe difficultas est, quando commutatio debet fieri in æquale, quippe cum aliqualis quidem, sed non gravis adest causa commutandi, aut commutans nullam dispensandi, sed tantum commutandi vota facultatem habet; prout concedi solet in Jubilæis, iis ordinarie verbis, *Possint approbatos Presbyteros eligere, qui valeant vota quæcumque ab eis emissa, Castitatis, & Religionis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare.* Audis: *commutare: nihil dispensare.* Pro re satis difficilis praxis, pono aliquot velut regulas.

122 *Prima.* Commutatio Regulariter debet fieri in rem æqualem, vel quasi æqualem, aut saltem non notabiliter minorem. Communis DD. Ratio est, quia ex una parte *commutatio* vi vocis apud omnem significat æqualitatem. Jura autem, & privilegia non debent extendi ultra verborum proprietatem, & communem acceptationem. Ex altera autem parte, quia commutatio non tantum est actus justitiæ respectu voti commutandi exigens æqualitatem, sed etiam est actus benevolentiæ in favorem, & aliquam alleviationem voventis; hinc non requiritur æqualitas stricta, & physica (& quis hanc attingat?) sed moralis tantum, scilicet in aliud non notabiliter minus, sed juxta prudentis arbitrium, æque bonum, ac gratum Deo, etsi reipsa aliquantulum minus. Certe, cum quilibet propria auctoritate commutare possit votum suum in manifeste melius, & secundum probabilissimam sententiam, etiam manifeste æquale: ne facultas commutandi vota tantum frustra videatur concessa contra rationem *c. si Papa, de privilegiis in 6.* omnino concedendum est, ea facultate pollentem, ob aliquam rationabilem causam quamcumque, posse commutare vota in aliquanto minus, dummodo non ita notabiliter, ut moraliter æquivaleat alicui dispensationi. Ita Lessius *l.2.c. 40.n.109.* aliisque multis cit. Diana *p. 1. tract. 11. resol.* 40. Tambur. *lib. 3. Decal. c.16. §. 5. nu.* 20. Gobat. *de Jubil. num. 296.* Neque aliud velle videntur Sanch. *l.4. moral. c.54. num.* 13. *& alii communiter* docentes, vota commutari debere in æquale, vel quasi æquale, non in minus: quid enim est *quasi æquale*, nisi non notabiliter minus, ut moraliter, Prudentis judicio, dispensationi æquiparentur? Est quidem ea commutatio quasi contractus inter commutantem nomine Dei, & voventem, non tamen in eo requiritur tanta æqualitas, qualis requiritur in politica commutatione rerum inter homines: quia in hac commutatione nulla intervenit potestas Jurisdictionis, sicut in nostra commutatione votorum. Unde a fortiori, quando dubitatur de qualitate rei subrogandæ voto, nihilominus commutatio optima fide fieri potest: nam tam parum minus, ut de æqualitate dubitetur, merito pro nihilo reputabitur, cum alioquin æqualitatem in rebus his moralibus attingere perdifficile sit.

123 *Secunda.* In commutatione voti non est spectanda sola excellentia virtutis in materia subroganda, quasi melior esset commutatio, quæ fieret in opus excellentioris virtutis, sed tantum id spectari debet, quod ad honorem Dei, & ad salutem animæ est melius ipsi voventi hic, & nunc, seu in his circumstantiis personæ, loci, temporis, v. gr. Vovisti disciplinam ad edomandam carnem: melius commutabitur tibi in jejunium, quam in Orationem: magis enim ad carnis mortificationem conducit jejunium quam Oratio, licet hæc sit excellentioris virtutis. Sed neque commutatio fieri debet necessario in opus æque difficile, asperum, austerum: nam longæ peregrinationes convenienter commutantur in jejunia, vel Orationes, & maxime confessiones, Communiones, cum eleemosynis: magis enim hæc conducunt saluti. Atque adeo omnia fere vota personalia regulariter commutari in frequentiam Sacramentorum consultum est: quia Sacramenta ad salutem voventis magis sunt efficacia, quam cetera opera.

124 *Tertia.* In commutatione votorum, præscindendo a vinculo voti (quippe quod non aufertur, sed transfertur tantum in materiam subrogandam) solum attendenda est ipsa materia voti commutandi, non tantum nuda secundum se, sed etiam secundum difficultatem implendi, v. g. in peregrinatione labor, & molestiæ itineris, atque expensæ faciendæ in eundo, & redeundo, ut illæ jubeantur dari pauperibus, aut certe in aliud opus commutentur, si majores erant faciendæ in itinere, quam domi. Ita expresse *cap. Magnæ de voto.* Ubi dicitur: *Tibi pro te, & famulis tuis concedimus licentiam, votum peregrinationis* (Hierosolymitanæ) *taliter commutare, ut expensas, quas fueras in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui Religioso committas in necessarios usus Terræ illius sine diminutione aliqua transferendas.* Docetque communis Doctorum Suarez *lib. 6. de voto cap. 19. num. 19. fine*, Sanch. *lib. 4. Moral. cap. 56. nu.* 11. Et quoad expensas in itu consentiunt omnes Theologi, & Canonistæ. Nam certe illæ expensæ cadunt intra votum peregrinandi, nisi expresse quis excluserit, vel mendicando ire voverit. At quoad expensas in reditu negant *Graffis, Henriquez, Rodriq. Angles* apud Sanch. *citat.* eo quod vovens peregrinationem voveat itum, non reditum: ergo expensæ in reditu faciendæ non indigent commutatione. Dicto autem *cap.* Pontifex in favorem Terræ Sanctæ extraordinario rigore usus videri potest. Audebisne huic Sententiæ gravium DD. denegare probabilitatem? Hinc ulterius in commutatione voti pænalis simplicis quidem, v. g. *si lusero, voveo eleemosynam dare* &c. solius pœnæ, seu eleemosynæ promissæ quantitas attendenda est: At vero in commutatione voti pænalis duplicis, v. g. *voveo non ludere, & si lusero, dare tantum eleemosynæ &c.* utriusque voti materia, nimirum & bonitas non ludendi, & bonitas eleemosynæ promissæ attendenda erit, & quidem ad æqualitatem moralem, si facto lusu, pæna jam contracta fuit: si nondum contracta pæna fuit, adhuc sane habenda pænæ ratio, sed longe inferior, vix ad dimidium, cum enim nondum incursa sit, sed ab eventu futuro pendeat, multum a sua gravitate deficit in morali æstimatione.

Quarta. Convenientius plerumque est vota personalia commutari in personalia, & realia in realia. Quia nimirum in votorum commutatione, quoad fieri potest, servari debet materiæ æqualitas, idemque finis, seu intentio voventis, quæ plerumque melius servantur pariformiter commutando votum personale in personale v. gr. votum gestandi cilicium mortificationis gratia, in jejunium: & reale in reale, v. gr. votum ædificandi Ecclesiam, vel Altare, in eleemosynas, vel alias fundationes pias. Item mixta in mixta: v. gr. votum peregrinationis in jejunium æquivalens fatigationi itineris, &c. in eleemosynas respondentes expensis eo itinere faciendis, juxta dicta *num.* 119. Non tamen necessarium est servare hunc modum pariformem in commutandis votis, quin votum reale in personale, & contra personale in reale rite commutari possit: ut patet *cap.2. de voto.* Ubi votum peregrinationis solis eleemosynis redimitur. Nam ut provide advertit Lessius *l. 2. c. 40. num.* 109. in commutandis votis principaliter attendendum est, quid sit conducibilius saluti voventis, & æqualitas moraliter tantum æstimanda, habito respectu ad Dei gloriam, spiritualem voventis utilitatem, consolationem, fragilitatem, ne plus æquo gravetur. Quin sæpe expedit (maxime tempore Jubilæi, quo laxatur sinus Misericordiæ, & Benignitatis Divinæ) ut vota commutarentur in res, quas vovens solebat ex devotione facere: v. g. quotidianam recitationem Rosarii, auditionem Sacri, Confessionem, & Communionem menstruam alias solitam. Proderit etiam relinquere libertatem, ne determinato tempore, vel die obligetur, sed in alium diem differre, vel supplere possit, aut plura opera proponere pœnitenti, ut loco sui vori, modo hoc, modo illud faciat, modo illo, modo alio die &c. ut sic facilius, & promptius vota sua exequantur homines infirmi: uti observant communiter DD. *Sanchez, Layman, Gobat ll. cc.* Tandem ut Confessarii, præsertim tempore Jubilæi expositi, aliquibus regulis practicis potius, quam speculativis se juvare queant, ne vel nimis gravent suos pœnitentes, vel non sint fideles dispensatores, adfero aliquot 125

Exempla authentica commutationum Votorum.

I. Ex Jure, *Tit. de Voto, & voti redempt. c. Venientes.* 126
Votum peregrinationis Hierosolymitanæ cujusdam in pueritia emissum, ita (sane rigidus, quam hoc tempore fieret) commutat Pontifex. *Nos autem ipsum a voto, quod in ætate tenera facilitate potius, quam ex arbitrio discretionis promisit, absolvimus: ita tamen, quod idem votum eleemosynis redimat, & juxta consilium nostrum, toto vitæ suæ tempore uni pauperum Christi (dummodo ad hoc suæ facultates sufficiant) debet providere.* Item votum Hierosolymitanum Episcopi Trecensis *eodem c. magnæ* commutat Pontifex, ut expensas eundo, redeundo, ibique commorando faciendas, integre in subsidium Terræ Sanctæ mittat, laboremque itineris compenset solicitius instando vigiliis, Orationibus, jejuniis. 127

II. Votum Castitatis ad effectum Matrimonii solet a Pontifice commutari in perpetuum jejunium certi diei, v. g. feriæ sextæ cum competente eleemosyna, vel alio pio opere, sed sine dubio cum admixta dispensatione. Nam votum absolutum Religionis, & Castitatis numquam posse proprie commutari, cum omne aliud opus subrogandum minus sit; ideoque semper admiscendam dispensationem, cum aliis notat Sanch. *lib. 4. Moral. cap. 56. num.* 41.

III. Votum non ineundi Matrimonium, commutari potest in Confessionem singulis mensibus biennio, aut triennio faciendam, & novem Sacra extra ordinem facienda. Ita *Sanch. cit. num.* 42. At certe merito alii censent, addendum aliquod opus pium in perpetuum, sicut & votum erat perpetuum. Quamquam alioquin voto perpetuo non necessario opus perpetuum subrogandum esse, dummodo alioquin servetur æqualitas, consentiant DD. communiter. 128

IV. Voto

129 IV. Voto suscipiendi Sacerdotii subrogari potest quotidiana recitatio officii Beatissimæ Virginis, vel Rosarii, præterea Communio decimo quinto quoque die obeunda, procurandaque unius Sacri quot mensibus celebratio, & insuper faciendum votum castitatis in statu laicali, vel certe singulis hebdomadibus semel jejunandum. *Viri docti apud Sanch. cit. cap.* 43.

130 V. Votum peregrinationis pedestris ita comutari potest, ut labor itineris compensetur totidem dierum jejunio; equestris vero, quatuor dierum iter, unius diei jejunio: una cum expensarum saltem eundo faciendarum (juxta dicta supra) in pauperes erogatione. Ita post *Sayrum*, *Azorium*, *Angles*, *alios*, *Sanch. cit.*

131 VI. Voto jejunandi omnibus per vitam feriis sextis rite substitues Communionem annuam singulis quindenis obeundam, triumque Sacrorum procurationem, vel si mavis recitationem Rosarii cum moderata eleemosyna sextis quibusque feriis per totam vitam. Ita viri docti apud eundem Sanch. *ibid. num.* 44.

132 VII. Votum jejunandi in pane, & aqua pro una vice iidem Viri docti *ibid.* commutandum censent in recitationem integri Rosarii genibus flexis, cum verberatione corporis, vel eleemosyna competente facultatibus: aut melius in Confessionem, Communionem &c. P. Gobat. *Alphab.* 1. *de voto*, *Casu* 13. *num.* 414. idem votum solo pane, & aqua transigendi singulas ferias sextas cuidam Sacerdoti debili magnam inde difficultatem patienti commutavit in prandium cum aqua, & collationem vespertinam cum vino, & examen conscientiæ vespertinum eo die faciendum, ac per octo sequentes dies, si in feriam sextam incidat jejunium Ecclesiasticum. Prudenter, & salubriter.

133 VIII. Voto non admittendi peccatum adversus Castitatem, non fornicandi, non se polluendi amplius &c. siquidem voventi multum prosit ad vitandam impuritatem, recte succedat confessio menstrua per totam: si vero tale votum non multum prosit, sed potius obsit, ideo quod illo obstrictus crebro ex fragilitate labatur in peccata carnis, substituatur recitatio calculorum Virgineorum semel quolibet mense per triennium. Ita sapienter idem P. Gobat. *de Jubilæo cap.* 42. *num.* 326. Hæc pro exemplari attulisse satis esto. Facile prudens Confessarius applicabit ad plures ejusmodi commutationes.

Observationes Corollariæ.

134 PRima. Votum & absolutum, & pœnale etiam post transgressionem, vel pœnam contractum, commutari potest, v. g. vovit quis quotidie Rosarium dicere vel eleemosynam dare &c. & longo tempore intermisit: Confessarius privilegiatus, pœnitentia pro prioribus transgressionibus imposita, votum deinceps in aliud commutare poterit, immo, comperta jam hominis fragilitate, etiam debebit. Item vovit quis se non lusurum, non vinum bibiturum, si secus faciat, eleemosynam certam daturum, vel jejunaturum in pœnam: interea sæpius transgrediendo pœnæ obligationem ex voto incurrit, nec persolvit: Confessarius vel habens potestatem commutandi vota ob justam causam, non tantum commutare potest votum quoad obligationem facti, & pœnæ in futurum, sed etiam potest commutare obligationem pœnarum præteritis transgressionibus incursarum. Sic contra Navar. & alios Suar. *lib.* 6. *de voto cap.* 20. *num.* 19. Sanch. *lib.* 4. *moral. cap.* 52. *num.* 10. *&* *cap.* 56. *num.* 33. Laym. *cap.* 8. *num.* 26. Ratio est, quia votum prius magis obligat ad directam materiam, in quam cadit, quam ad pœnam: si ergo possum commutare votum quoad materiam directe promissam, cur non possim quoad pœnam? Quando tamen absolute dispensatur, vel commutatur tale votum pœnale, non censetur dispensata, vel commutata simul obligatio præteritæ pœnæ, nisi exprimatur.

135 *Secunda*. Facta commutatione voti etiam a potestatem habente, liberum est voventi, aut prius votum exequi, aut opus, in quod prius votum commutatum est, quin etiam ejusdem operis novam commutationem ob causam petere, & obtinere poterit, remanente eadem libertate. Ex communi Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 11. *n.* 97. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 55. *n.* 26. *&* *lib.* 8. *de matr. disp.* 9. *n.* 21. Laym. *cit. num.* 27. Ratio est, quia quomodocumque commutatio facta sit, semper facta est in favorem voventis. *Quivis autem favori suo renunciare potest, & quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*. Regul. 61. *in* 6. Et quamvis facta commutatione ab habente potestatem prius votum fuerit extinctum, tamen ex benigno interpretativo consensu benignissimi Dei præsumimus hanc libertatem esse nobis concessam, saltem per modum arbitrariæ commutationis, cum fere melius sit exequi ipsum votum, quam materiam subrogatam. *Hinc sequitur* (ait Lessius *loc. cit.*) *si sæpius facta sit commutatio, posse servari quidvis illorum, in quæ facta fuit, v. g. votum peregrinationis annuæ commutatum est in Menstruam Confessionem: Menstrua Confessio in jejunium hebdomadarium: jejunium hebdomadarium in certas preces quotidianas, potest vovens satisfacere voto, vel precibus, vel jejunio, vel Confessione, vel peregrinatione*. Hæc Lessius.

Tertia. Facta commutatione voti a potestatem habente 136
legitime in aliud, si istud opus subrogatum postea fiat impossibile, vel inutile, etsi per culpam voventis, vovens tamen omnino liberatur, neque tenetur redire ad prius votum suum, quippe quod per legitimam commutationem jam extinctum est: obligatio enim semel extincta non reviviscit. *L. Qui res* §. *aream ff. de solut.* Docet communis DD. apud cit. Ut si peregrinatio annua commutata sit in jejunium certorum dierum: iisque diebus, sive ob justam causam excusantem, sive ex causa culpabiliter contracta, jejunare nequeas, immo etiam si culpabiliter jejunare negligas, atque pecces, non teneris iterare peregrinationem. Idque etiam locum habet in votis sæcularis commutatis in votum solemne Professionis, quæ professus, sive sine, sive cum culpa a Religione dimittatur, non tenetur resumere, quia semel vere extincta non reviviscunt.

Quarta. Qui propria auctoritate votum suum commu- 137
tavit in aliud opus, aut aliud opus subrogatum jam implevit, aut nondum implevit, aut implere amplius non potest. Si jam implevit opus subrogatum majus, vel æquale, voto jam satisfactum est. Quod si commutasses in minus, teneberis supplere, quod defuit, nisi malis reassumere prius votum. Si nondum implevisti opus subrogatum voto, idque vel majus, vel æquale, poteris præstare quodlibet, aut opus subrogatum, aut prius votum exequi. Sin autem minus subrogasti, v. g. jejunio votivo Rosarium, jam teneberis aut addere aliquid operi subrogato ad æqualitatem, aut ipsum prius votum reassumere. Si non potes amplius exhibere opus subrogatum voto v. g. jejunium subrogatum voto peregrinationis &c. possis autem adhuc exequi ipsum votum, omnino teneberis redire ad prius votum. Ratio est, quia per commutationem propria auctoritate factam non transfertur vinculum voti ad rem subrogatam, sed solum per æquipollens satisfit benignissimo Deo: cum ergo ei jam non possis amplius satisfacere per materiam subrogatam, quæ tibi impossibilis facta est, consequens est, adhuc urgere vinculum voti tui, quod per tuam commutationem nunquam corruit, sicut corruisset per commutationem legitimam potestatis Superioris ordinariæ, vel delegatæ.

¶ Dicta quoad modum subrogationis, & materiam subroga- 138
tam pariformiter intelligenda sunt etiam in commutatione juramentorum piorum, quando juxta dicta legitime fieri potest. Attamen quoad peccatum in omissione materiæ subrogatæ differentia aliqua est notanda. Quod nimirum omittens materiam subrogatam voto, semper vere peccet contra votum: quia ex eo, quod qui acceptat materiam subrogatam voto commutato, censetur promittere Deo illam servare, atque adeo consentit transferri vinculum, seu obligationem Religionis ex voto in materiam subrogatam: at vero qui omittit materiam subrogatam juramento legitime commutato, eo ipso per se non peccat contra juramentum, neque perjurus est, quia rem subrogatam neque juravit, neque, ut suppono, sub novo juramento acceptavit, sed simpliciter loco rei juratæ servare promisit: non autem eo ipso, quo promitto aliquid loco rei juratæ, immo in vim, & vicem juramenti (vulgo *an Undstatt*) id sub juramento censeor promittere, ut palam est. Tenetur ergo talis implere rem juramento subrogatam ex pacto cum commutante, quo rem illam loco materiæ juratæ obligatorie implendam consensit. Unde si res subrogata gravis erat, graviter contra pactum peccabit omittens: quod si levis, & loco rei juratæ levis subrogata, venialiter tantum, *secundum communem*. At quid si res levis loco rei juratæ, vel devotæ gravis subrogata sit: v.g. Quinque Pater, & Ave pro jejunio? Adhuc probabile est venialiter tantum peccaturum omittentem: supponitur enim ex justa causa rem levem subrogatam, & suadet paritas a Pœnitentia Sacramentali, quæ si levis sit, licet pro peccatis gravibus imposita, ex probabili opinione non obligat, nisi sub veniali. Hæc de juramentis, & votis finio tandem in monito divino: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*. Psalm. 75. vers. 11.

CAPUT IV.

IN TERTIUM PRÆCEPTUM DECALOGI.

De observatione Festorum.

TEXTUS.

Memento, ut diem Sabbati Sanctifices.
Exodi 20.

EXPLICATIO.

PRæceptum hoc tertium, adhuc ordinans hominem ad Deum ultimum finem suum, partim Divinum, partim naturale est.

I. Hoc præceptum, quatenus Divinum, naturale, ac mo- 1
rale est, substantialiter præcipit, Deum aliquo tempore, & aliquo tandem cultu esse colendum. Quod sane ipsa ratio

tio naturalis, seu lumen naturæ homini inditum dictat, adeo ut nulla unquam Gens fuerit tam barbara, quæ non cognoverit Deum, vel Deos suos aliquando, & aliquo cultu esse colendos: ac proinde ipsum illud præceptum naturale tria importat. Primo, ut aliquis dies colatur, seu ad colendum Deum applicetur. Secundo, ut aliquo cultu, ac opere positivo illo die Deus colatur, & honoretur. Et consequenter: Tertio, ut eo die ab operibus profanis, seu servilibus cessetur. Quæ omnia clare indicat ipsum verbum (*sanctifices*) quod non tantum cessationem otiosam ab omni opere designat, sed etiam cultum aliquem positivum Sanctificationis Dei importat, ac proinde hoc præceptum in terminis quidem affirmativum est, præcipiens diem certum in Dei cultum sanctificandum, vel potius ipsum die sibi sanctificato colendum, implicite simul negativum est, prohibens illum diem violare, vel profanare, atque hac ratione, hoc præceptum semper idem, & immutatum mansit in veteri, & nova lege.

2 II. Idem præceptum tertium, quatenus positivum est, & cæremoniale solum determinat, & diem certum sanctificandum, qui fuit dies Sabbati, seu septimus hebdomadæ institutus ob memoriam absolutæ creationis omnium rerum, quo nimirum die *requievit Deus ab omni opere, quod patrarat, eique benedixit*, Genesis 1. Et modum, quo nimirum Deus die septimo colendus erat in Veteri Lege, qui varius erat per varias leges descriptus, præsertim in Exodo. Et hac ratione hoc Præceptum, quatenus hic positivum, & cæremoniale erat, una cum Veteri Lege cessavit, & in Nova Lege gratiæ immutatum est, tam quoad diem, quam quoad modum Deum colendi.

3 III. Loco diei Sabbati in Nova Lege ad Deum colendum instituta est dies Dominica, idque ipso jure divino, ut colligitur ex Scriptura, & certissime constat traditione Apostolica, & Ecclesiastica: nam primo D. Joannes Apoc. 1. testatur visiones suas initium sumpsisse die Dominica propter honorem Dei: *Fui in Spiritu in Dominico die, & audivi vocem magnam post me, tanquam tubam, dicentis, quod vides, scribe*. Secundo. Passim dicuntur fideles convenisse ad divina Officia, Verbum Dei, & fractionem panis: *Una Sabbati*: idest, phrasi hebræa, prima die post Sabbatum. Ut Actorum 20. *Una autem Sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis*. Et 1. ad Corinth. 16. Hortatur Paulus, ut populus collectas eleemosynarum faciat Sabbati, quo nimirum conveniebant ad divina Mysteria. Tertio. Idem late docent SS. Patres, quos videre potes apud *Matth. tom. 2. tract. 4. tit. 1. quæst. 1. initio*. Unum, & alterum exscribo. Clemens I. Lib. 2. constitutionum Apostolicarum *cit. c. 63.* dicit. *Dominico die diligentius convenite, laudem Deo laturi, qui per Jesum cuncta condidit, & illum ad nos misit, atque mori permisit, & a mortuis excitavit*. Et lib. 5. cap. 20. *Festum diem agite, quo Jesus a mortuis est excitatus, idque sit vobis legitimum, solemneque in perpetuum &c.*

4 IV. Quoad modum colendi diem Dominicum, loco cæremoniarum Sabbati, in Nova Lege jure humano Ecclesiastico multa sunt ordinata opera ad cultum divinum. De quibus Clemens I. Lib. 2. Constit. Apost. cap. 63. *Quam excusationem afferre potest Deo, qui in hoc die non convenit ad audiendum salutarem de Resurrectione sermonem? in quo tres orationes stantes concipimus, in memoriam illius, qui tertio die resurrexit. In quo Prophetarum lectio habetur, & Evangelii prædicatio, & Sacrificii oblatio, atque Sacri Cibi dispensatio*. Et Justinus martyr Apol. 2. pro Christianis ad Antonium Pium loquens de die Solis inquit, *Illo die Urbanorum, ac Rusticorum cœtus fiunt, ubi Apostolorum, & Prophetarum litteræ, quoad fieri potest, præleguntur. Deinde cessante Lectore Præpositus facit verba adhortatoria, ad imitationem tam honestarum rerum invitans. Post hæc consurgimus omnes, & preces offerimus. Quibus finitis profertur panis, vinum, & aqua, scilicet ad Sacrificium, & Communionem*. Ex quibus liquet olim ad cultum Dei, & solemnitatem diei Dominicæ illa opera usitata fuisse, scilicet sacras Lectiones, & Prædicationes, Orationes communes, Missarum solemnia, & sacram Communionem, utique cum feriis religiosis. De quibus omnibus etiam frequenter loquitur *Concil. Trid. præsertim sess. 22. in Decreto* de observandis, & evitandis in celebratione Missarum. Item *sess. 24.* & alibi. Unde quæstio est, ad quidnam teneantur fideles die Dominica ex tertio Præcepto, ut modo in Nova Lege determinato, an scilicet ad omnia illa opera olim in Constitutionibus Apostolicis, & antiquis Ecclesiæ consuetudinibus præscripta, utpote ad Missam, Concionem, Communionem, Orationes publicas, Vesperas &c.

Resolutio III. Præcepti.

5 TErtio Præcepto Decalogi modo in Nova Lege, quoad diem, & modum Deum colendi ab Ecclesia determinato, omnes Christifideles, impedimento cessante legitimo, obligantur sub mortali ad audiendam Missam, & feriandum, seu abstinendum ab operibus servilibus (horum obligatio mox probabitur, & declarabitur distinctis sectionibus) non item ad audiendam Concionem, Sacram Communionem, vel Orationes alias publicas. Ad hæc enim neminem obligari per se die Dominico, inde sufficienter probatur, quod nullum existat præceptum obligans fideles in conscientia. Quod enim de Concione audienda decernit Concil. Trid. *Sess. 24. c. 4.* de Reformatione dicens: *Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei: ly teneri* non accipitur stricte per modum præcepti obligantis per se ad audiendum Verbum Dei omnibus diebus Dominicis, sed accommode per respectum ad necessitatem cujusque. Utpote quia quilibet fidelis jure divino naturali obligatur ad acquirendam sibi notitiam necessariam Fidei, & salutis suæ, utique tenetur interdum audire Verbum Dei, quando commode potest, & offertur occasio, dum scilicet prædicatur diebus Dominicis, & Festis. Unde aliquis conscius ruditatis suæ in rebus necessariis ad Fidem, & salutem suam, & tamen ordinarie negligens Conciones audire, peccabit quidem mortaliter: non tamen præcise ratione illius statuti Ecclesiæ, sed principaliter ratione præcepti divini naturalis ex virtute Fidei comparandi sibi scientiam necessariam, cujus occasionem negligit, negligendo Conciones. Quoad Sacram Communionem cum præceptum Ecclesiæ semel in anno pro tempore Paschali obliget, certum est, non obligare singulis Dominicis. Quoad Vesperas, aliasque Orationes publicas nullum præceptum, sed consuetudines piæ sunt, merito urgendæ a Parochis, præsertim pro juventute alioquin otiosa &c.

Eadem porro ratione, qua de Dominicis, etiam dicendum est de Festis, quibusdam præceptis sive universalibus totius Ecclesiæ, sive Diœcesalibus, triplici tamen adverso discrimine. 1. Diei Dominici institutio fundamentaliter est Juris divini naturalis in Decalogo, & formaliter est Juris divini positivi ex traditione Apostolica, ut supra *n.* 5. indicatum est: Festorum autem institutio, & observantia est ex mero Jure positivo humano Ecclesiastico. Et hinc 2. Ecclesia potest abolere omnia Festa, eorumque observantiam pro libitu mutare, non item Dominicas. Unde ulterius. 3. Cum quis Missam non audit die Festo, non tenetur ad alium cultum Dei positivum, sicut teneri die Dominico probabimus infra in fine *Sect.* 2. 6

SECTIO I.

Missæ audiendæ Obligatio.

SUMMARIUM.

7 *Tertio Præcepto modo ab Ecclesia determinato obligatur quivis fidelis adultus sub mortali audire Sacrum,*
8 *Exhibendo præsentiam moralem.*
9 Usque ad n. 13. *quando quis censeatur moraliter præsens, quando non.*
13 *Non sufficit præsentia materialis tantum, & corporea, sed*
14 *Requiritur præsentia religiosa, & devota.*
15 Usque ad num. 19. *Qualis requiratur intentio, & attentio ad audiendam Missam.*
19 *Audienda est Missa integra.*
20 Usque ad n. 23. *Quando quis censeatur omittere partem notabilem, ideoque peccare mortaliter, quando non.*
23 *Non satisfacit præcepto, qui duas Missæ partes simul a diversis celebrantibus audit.*
24 *Qualis, & quo loco audienda sit Missa.*

ASSERTIO I.

TErtio præcepto modo determinato ab Ecclesia obligatur omnis homo fidelis adultus sub mortali audire Sacrum, exhibendo præsentiam moralem religiosam ad Missam integram, quamcumque tandem. 7

Quoad obligationem sub mortali, consentiunt omnes Doctores Catholici (contradicente solo, quem sciam, nostro Angelo V. *feriæ n.* 42. Ubi etiam perperam censet Sacram Concionem præferendam esse Missæ, si utraque audiri non possit.) Estque sententia modo damnata *n.* 52. sub Innocentio XI. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus*. Et probatur in primis ex traditione Apostolica, uti refert Clemens I. supra citatus. Ubi ait: *Quam excusationem afferre potest Deo, qui hoc die non convenit?* Deinde ex consuetudine, & consensu totius antiquitatis Ecclesiæ. Et desumitur in Concilio Agathensi *c.* 31. relato de consecratione *dist.* 1. *c.* Missas. *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordinatione præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat: quod si fecerint, publice ab Episcopo confundantur*. Estque hoc præceptum, & mandatum receptum usu Ecclesiæ universalis absque ulla contradictione. Ratio est, quia præceptum est de re gravi ex objecto, nempe debitissimum naturali jure divinum cultum concernente: unde licet hoc præceptum de audiendo Sacro die Dominico, formaliter, & explicite sit Ecclesiasticum tantum, fundamentaliter tamen, & implicite est de jure divino naturali, quo omnis homo adultus tenetur aliquo actu posi-

positivo Deum quandoque colere, quod de se indeterminatum ex institutione Christi, Ecclesia determinavit quoad modum, & tempus, scilicet ad audiendum Sacrum die Dominico, ut recte notat Filliucius *Tract.* 27. *cap.* 8. Cæterum adulti tantum hoc præcepto obligari possunt, & incipiunt, quamprimum ad eum usum rationis perveniunt, ut bonum a malo discernere, Deum suum agnoscere, vel alias mortaliter peccare possunt: antea enim sicut peccati, ita etiam obligationis sub peccato incapaces sunt, juxta communem doctrinam in materia de legibus. Jam vero termini præcepti in assertione positi explicandi sunt.

§. I. *Exhibendo præsentiam moralem.*

8 AD satisfaciendum præcepto audiendi Sacrum requiritur in primis præsentia moralis, ut nimirum quis moraliter æstimando rem, vere censeatur præsens assistere, & audire Sacrum, ut nimirum corpore sit, vel intra Ecclesiam, vel in proximo loco tali, ex quo judicatur moraliter posse videre, audire, vel aliquo modo percipere: immo nec requiritur, ut sacrificantem videas, vel audias, modo ita præsens sis moraliter, ut ex signis quibusdam colligere possis, quid in Sacrificio agatur. Hinc cœci, & surdi non excusantur, sed tenentur, & censentur Missæ interesse moraliter, si sint in loco, unde alias possent videre, audire, vel advertere celebrantem, si earum potentiarum usu gauderent. Comm. Doct. Navar. *cap.* 21. *n.* 8. Tol. *lib.* 6. *c.* 6. Laym. *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 3. Diana *part.* 4. *tract.* 6. *cap.* 6. *resol.* 154. Atque hinc inferendum.

9 I. Moraliter præsens satisfacere censetur etiam extra Ecclesiam, vel locum Sacri existens, ut in atrio exteriori Ecclesiæ, in Cancellis, Oratoriis, vel Cameris annexis Ecclesiæ, aliove loco etiam profano contiguo per fenestras: item extra Ecclesiam non omnes capientem, in publica platea, vel campo, ita tamen associando se ad alios præsentes, & audientes Missam, ut ex signis, & gestibus, quid in Missa agatur, colligere possit, & ad multitudinem assistentium censeatur moraliter pertinere.

10 II. Non censetur moraliter præsens, nec satisfacere, qui in magno templo Missa celebrata existeret in Sacello, Sacristia, ambitu omnino separato. Quia tanta distantia, & divisio inter te, & celebrantem nullis aliis intermediis tollit præsentiam moralem. Contra vero satisfaceres, si adesset magna eadem Ecclesia, quia tunc moraliter faceres unum cum ea multitudine præsentium. Fagundez, & alii cum Tambur. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 4. §. 1. *num.* 12.

11 III. Si e fenestra tuæ domus possis advertere ad Sacrum in Ecclesia vicina celebratum, & parva sit distantia, etiamsi via publica intermedia, adhuc te posse satisfacere censet Cardin. de Lugo, gravis, & accuratus Doctor, *de Euchar. disp.* 22. *sect.* 2. quia sic adhuc censeris moraliter præsens Sacro. Negant alii Recentiores cum Tamburin. *opusc. de Sacr. Missæ lib.* 3. Et videtur magis habere pius sensus fidelium. Et certum est, non satisfacere, si magna sit distantia arbitrio prudentis æstimanda, propter oppositam rationem.

12 IV. Non censetur moraliter præsens, nec satisfacere, qui Sacramentaliter confitetur, dum Missa celebratur, majori, vel magno tempore. Quia ad assistentiam moralem Missæ non satis est pietas actionis, si hæc distrahat, seu excludat moralem assistentiam: distrahit autem in casu proposito, quia ipsa actio externa confessionis ipsum externum cultum attendendi ad Missam impedit, nedum internam attentionem communi Sententia requisitam.

13 Denique Universaliter non sufficit, vel satisfacit præsentia materialis tantum, & corporalis, qualis est non tantum toto tempore dormientis, ebrii, nugantis, verum etiam illorum, qui vere, ut ajunt, solo corpore Missæ intersunt, utpote propter honestum tantum consortium, curiositatem, pompam, propter solum civile obsequium: quomodo fere faciunt, qui solum Dominos suos comitantur, aut solum veniunt, ut videant, quæ agantur, quæque personæ conveniant, vel ut solum cœtus funebres honorent absque ulla devotione, vel intentione Missæ, ac cultus divini. Item qui quidem animo audiendi Missam, accedunt, tamen toto, vel pleroque tempore Missæ fabulantur, litteras, nova, libros impertinentes legunt, & cætera hujusmodi. Quales præterquam quod propter irreverentias, & alia peccata Deum offendant, præcepti audiendi Missam in Dominica, vel Festo die minime satisfaciunt in omni Sententia, etiam lata illa non requirente attentionem internam. Tenentur ergo ulterius exhibere

§. II. *Præsentiam Religiosam.*

14 AD satisfaciendum præcepto Missæ audiendæ requiritur ulterius præsentia, seu assistentia religiosa, & devota, ut nimirum cum pio motu in Deum, seu animo Deum colendo Missæ intersis. Ad quod duo requiruntur, intentio ex parte voluntatis, & attentio ex parte intellectus. Quoad intentionem omnes consentiunt: Quoad attentionem vero est communis, & apud me omnino vera sententia DD. atque eadem ratione probatur, sicut probatur de Horis Canonicis, utrobique enim Ecclesia determinat præceptum divinum naturale colendi Deum: adeoque sicut Clericis præcipiendo Horas Canonicas, præcipit veram Orationem devotam, ac religiosam, verumque cultum Dei: ita & Laicis præcipiendo audire Missam, vel assistere Missæ, præcipit omnino præsentiam, ac assistentiam religiosam, piam, devotam, quæ sit verus cultus Dei, veraque Oratio cum Sacerdote celebrante: atqui de essentia veræ Orationis, verique Dei cultus necessaria est interna devotio, nimirum interna voluntatis intentio ad colendum Deum, atque intellectus intentio ad rem præsentem; ut pluribus explicatum habes *Theol. Sacrament. part.* 1. *in appendice a n.* 75. & rursus *part.* 1. *Decal. cap.* 3. *a n.* 41. Ergo.

I. Intentio audiendi Missam non tantum debet esse materialis spectandi gratia cæremoniam aliquam, sed formalis, & religiosa, quatenus actio sacra, & cultus Dei est, ut nimirum quis intendat, vel explicite ea actione Deum colere, vel saltem implicite facere id, quod hic facere intendit Ecclesia. Quia, ut dictum est, auditio Sacri præcepta ab Ecclesia essentialiter debet esse actus humanus, religiosus, seu verus cultus Dei: talis autem non est, nisi quis voluntarie Deum illo actu colere intendat, non tamen requiritur intentio formalis præcepti, ut nimirum quis explicite, vel positive intendat eo actu satisfacere præcepto Ecclesiæ: hoc enim ipso, quo quis facit, quod Ecclesia præcipit, satisfacit præcepto Ecclesiæ, dummodo expressam voluntatem contrariam saltem non habeat. Ut si quis audiret Missam Dominico die pia consuetudine, non advertens omnino esse Dominicam, vel Festum, tamen statuens postea audire aliam Missam, utpote Sacrum solemne, nihilominus jam satisfecit, nec tenetur audire aliam, quia fecit, quod præceptum est. Pluribus, & plura huc spectantia in specie habes, *Tract.* 1. *in Decal. de Actibus hum. c.* 3. *n.* 41. *cit.* 15

II. Attentio hic requisita, & sufficiens triplex esse potest; *prima*, & minima est, ad ipsam Missam, seu verba, & acta Sacerdotis, animo tamen, & intentione eo modo Deum colendi. Neque enim tenetur audiens Sacrum, formare preces proprias, sed solum devote assistere Sacerdoti celebranti, & oranti in persona omnium præsentium, & totius Ecclesiæ. *Secunda* est attentio ad sensum, & mysteria per verba, & actiones sacras Missæ significatas, & repræsentatas, præsertim vero Passionis, & Mortis Christi: & hæc perfectior, sed non nisi intelligentium, & magis instructorum est. *Tertia* est attentio generalis finis, durante Missa, ad ipsum Deum colendum, orandum, deprecandum, laudandum, per orationes, meditationes, aliosque pios mentis motus, & affectus. Consulunt tamen DD. nominatim Suar. & Laym. hic, tales privatim orantes saltem ad partes essentiales Sacrificii, scilicet Consecrationem, & sumptionem specialiter attendere debere. Infra Sacrum insuper non solum licet preces privatas voluntarias, sed etiam obligatorias, utpote Horas Canonicas, pœnitentiam a Confessario injunctam, aliasque preces ex voto, vel quacumque obligatione debitas persolvere juxta communem DD. Navar. Tolet. *loc. cit.* Filliuc. Laym. March. hic contra Angelum, & Sylvest. Ratio est, quia attentio ad audiendam Missam requisita æque stat cum orationibus obligatoriis, ac cum voluntariis, & nihil prohibet duobus præceptis uno eodemque actu, & tempore satisfieri: maxime vero cum illæ duæ obligationes nullo modo sibi opponuntur, sed simul stant; immo se mutuo adjuvant. Multo maxime vero scrupulus eximendus ministrantibus ad Sacrum solemne, dum occupantur circa cæremonias etiam sæpius abeundo, quærendo, vel disponendo ea, quæ ad ministeria spectant: dummodo non desit intentio colendi Deum: idemque dic de Musicantibus, qui omnino satisfaciunt, quia ipsi Missæ cooperantur, & quia omnia, quæ agunt, ad Sacrificium aliquo modo spectant, moraliter, & Religiose assistere censentur. 16

III. Sicut intentio, ita nec attentio requiritur formaliter, & actu semper continuata, sed sufficit attentio virtualiter continuata, nunquam scilicet revocata, atque excludens voluntarias distractiones tam internas, quam externas, seu actiones incompossibiles cum actu religioso cultus divini saltem per notabile spatium. Quare licet reprehendendi, non tamen statim peccati mortalis condemnandi sunt aulici, mercatores, & alii, qui inter Missarum solemnia modo attendunt ad partes principaliores maxime, modo vero confabulantur per spatium in actione Missæ non adeo notabile, uti etiam monent Sotus *in* 4. *dist.* 12. *q.* 2. *art.* 1. Suar. *disp.* 88. *de festis Sect.* 3. Layman *tr.* 7. *cap.* 3. Ratione hujus conditionis peccant mortaliter, quotquot per notabile tempus, vel per notabilem Missæ partem, utpote in mea sententia plus, quam quartam, vel tertiam circiter occupantur, tam internis voluntariis distractionibus in communi, & veriori sententia, quam distractionibus externis, seu actionibus quibuscumque a divino cultu alienis, jam in præcedenti enumeratis. 17

IV. Quamvis autem hanc sententiam de interna attentione requisita contra distractiones voluntarias omnino verissimam judicem, sicut in Horis, ita etiam in auditione Missæ: monendus tamen Confessarius pro pœnitentibus (non pro se) non esse condemnandam oppositam sententiam sane gravium Doctorum, *S. Antonini, Sylvest. Medinæ*, & ex Recentioribus *Coninch. Hurtad. Dianæ*, *Caramuel.* & novissime 18

vissime bonis rationibus suadet Card. de Lugo *dist. 20. de Eucharist. sect. 2.* nimirum ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam citra peccatum mortale non requiri internam, sed sufficere externam attentionem, quæ consistat in negatione distractionis externæ, hoc est cujuscumque negotii, vel occupationis externæ, quæ ex se distractiva sit mentis ab auditione Missæ, & colendo Deo, qualia essent a nobis prædicta, confabulari, legere novas historias, scribere, pingere, ludere, &c. Fundamentum est, quod Ecclesia non possit præcipere actum mere internum ad essentiam actus externi moralis præcepti per se non requisitum, in hoc consentimus omnes: atqui ad essentiam veræ orationis, & cultus Dei requiri attentionem internam, asserimus nos cum communiori, & veriori: (negant Adversarii sane non improbabiliter, saltem speculative, uti tassus sum jam supra *tr.1.c.3.n.43.*) Interim pœnitenti oppositam sententiam sequi volenti absolutionem non deneges.

§. III. *Ad Missam integram.*

19 AD satisfaciendum præcepto audiendi Missam requiritur assistentia integra: ut quis nimirum integram Missam præsens audiat ab Introitu usque ad Benedictionem Sacerdotis. Habetur in Jure variis locis *cap. Missas de Consecr. Dist. 1. ex Concil. Agatensi sup. cit.* Ibid. *c. omnes fideles, ex Canone 9. Apostolorum, Et c. cum celebrandus ex Concil. Aurelianensi I. Can. 28.* quibus semper prohibetur, ne ante Benedictionem Sacerdotis discedatur. Adeo ut omnium consensu peccetur mortaliter omittendo partem notabilem, secus, venialiter tantum, cum certum sit hic dari parvitatem materiæ, juxta regulas *tract. 1. Decal. cap. 5. n. 24.* assignatas. Dicendum igitur.

20 I. Terminus Missæ sub mortali audiendæ est ab Evangelio usque ad Communionem Sacerdotis: ita ut quis culpabiliter ultra Evangelium, vel ante Communionem Missam omittens censeatur omittere partem notabilem, & peccare mortaliter. Ante vero Evangelium, & post Communionem omittere communi consensu censetur pars non notabilis, & venialis culpa. Navar. *c. 20. n. 1.* Tol. *lib.6. c.6.* Layman. & March. *cit.* alii apud ipsos. Sumitur ex cap. *omnes fideles*. Ubi specificatur: *Scripturas Apostolorum, & Evangelium audiant, & non egrediantur ante perceptam Communionem.* Et licet ibi per Scripturas Apostolorum videatur intelligi moderna Epistola, tamen & hæc particula censetur levis esse respectu totius. Insuper & Evangelium citra peccatum mortale omitti, si illud postea privatim legas, putat *Navar. loc. cit. Suar. & Laym.* tamen potius volunt suppleri audiendo ultimum Evangelium S. Joannis, ante quod, post benedictionem Sacerdotis alioquin egredi potuisses. Imo, absolute post Evangelium, vel Credo ad Offertorium accedentem (ibi enim incipit Missa Christianorum, priora enim dicebantur olim Cathecumenorum) non esse condemnandum gravis peccati docet Amalarius *lib.3. de Ecclesiast. officiis c. 36.* Saltem talem peccati mortalis damnare, duriusculum videri fatentur Laym. *cit. cap.3. n.3.* & Diana *par. 4. tr. 5. resol. 196.* Ego assentior, quamvis a communi sententia non recedendum censeam: de futuro quidem nulli consulo, de præterito tamen neminem peccati gravis damno.

21 II. Etiam intra Sacrum principale definitum per partem non notabilem abesse, non nisi veniale erit. Quod maxime verum est, quando pars illa non adeo pertinens est ad substantiam Missæ: utpote, dum post recitatum Credo, vel Canonem, cantus nimium prolongatur, vel dum Sacerdos in Memento, vel intra Sumptionem nimis diu orat, certe contra ordinationem Ecclesiæ in Rubricis. Erat alicubi Sacerdos, qui infra Memento, & Communionem solebat fere orare per horam: tempori assuetus minister interim in vicinum hortum digressus tubo aves jaculabatur, tempestive semper regressus ad ministerium. Utique talis etiam die Dominico, vel Festo præcepto audiendi integram Missam satisfecit. Similiter absolute satisfaciunt, qui tempore Missæ ministrantes subinde abeunt quærendo, vel disponendo ea, quæ ad Sacrum pertinent, ut supra dictum, immo etiam, qui tempore Missæ confitentur, quando non ita occupentur per magnam partem Missæ in enarrandis peccatis, ut ad Sacrificium attendere commode non possint, tunc enim non satisfacere jam supra *n. 12.* dictum est. Quia actus ipse Missam audiendi, & intentio necessaria, tantam, & tam disparatam actionem moraliter non compatitur, quantumvis aliqui de hoc disputent. Similiter etiam non satisfaceret, qui abesset tempore partis substantialis Sacrificii, utpote tempore Consecrationis, & sumptionis: talis enim nullo modo assisteret Sacrificio, ut cum aliis monent Lugo *cit. d. 22. sect. 1.* Diana *p. 5. tr. 13. resol. 41.* Quod si tamen quis abesset aut a sola Consecratione, aut a sola Sumptione, posset adhuc videri satisfacere citra peccatum mortale, quia posset adhærere opinioni asserenti, essentiam Sacrificii consistere vel in Consecratione sola, vel etiam in sola Sumptione; ut cum Lugo cit. advertit Tamburin. *lib. 3. cap. 2. §. 1. nu. 3.*

22 III. Ille, qui sive culpabiliter, sive inculpabiliter venit ad Sacrum prima sub Præfatione, vel Canone adhuc ante Consecrationem, omnino tenetur reliquum Missæ audire. Quia tunc adhuc pars principalis Missæ, eaque a Præcepto potissimum intenta, audiri potest; ut cum Suarez, & aliis contra nonnullos recte docent Lugo *cit. Sect. 1. nu. 6.* Diana *part.3. tract. tract.6. resol.6.* Non ergo audiendus *Joan. Sanch.* oppositum tenens, & dicens esse communem usum fidelium etiam timoratorum, sed dicens tantum, non probans. Contrarium habet proborum fidelium usus. Contra vero, qui primo post Consecrationem accedit, non obligatur ad assistendum parti reliquæ. Tunc enim deficit pars principalis, & substantialis Missæ. Quemadmodum feria 6. Parasceve, licet in Missa adsit Communio, & quædam alia, quia tamen non adest Consecratio, non tenemur audire, etiamsi tunc incideret dies festus: ita ergo in casu nostro.

IV. Probabile, & tutum erat antehac, satisfieri huic præcepto audiendo duas partes Missæ a duobus Sacerdotibus successive: v. g. si audivisti unius Sacerdotis Missam a Consecratione usque in finem, sufficiebat, si postea audisti Missam alterius Sacerdotis usque ad Consecrationem. Quia talis totam Missam in substantia audivit: ergo satisfacere visus est præcepto quoad substantiam, etsi non quoad modum, & perfectionem præcepti, ideoque si absque omni rationabili causa, vel necessitate fiebat, non sine culpa veniali: erat sane communior. Navar. *cap.22. n.2.* Tolet. *lib.6. cap.7.* Sa *verbo Missæ auditio n. 2.* Laym. *cit. cap. 3. in fine.* Marchant. *cit. tr. 4. tit. 2. quæst. 1. dub. 2.* Merito tamen aliqui apud Dianam *cit. par. 5. tract. 13. resol. 41.* limitant, dummodo partes essentiales, scilicet Consecratio, & Sumptio non dividerentur, sed ab uno Sacerdote audirentur, quia alias non assistitur uni Sacrificio. Alii tamen communiter non distinguebant. Insuper *Azor. Bonac. Hurt. alii cum* Diana *in summa V. Missam audire n. 13.* concedebant etiam satisfacere præcepto eum, qui duas partes Missæ simul audivit a duobus Sacerdotibus simul celebrantibus, utpote uno incipiente ab Introitu, altero versante circa Consecrationem, & sic utrumque audiendo usque ad finem hujus, & Consecrationem prioris: eo quod audiatur adhuc tota Missa quoad substantiam, & quoad attentionem, potest quis ad utramque animum intendere. Et consequenter quidam apud eundem Dianam concedunt, obligatum eodem die audire tres Missas, unam ex præcepto, alteram ex voto, tertiam ex pœnitentia injuncta, satisfacere, si omnes simul a tribus Sacerdotibus simul celebrantibus audiat: eodemque modo fieret in Natali Domini, si esset obligatio audiendi tres Missas. Sed quidquid sit de hoc: illud certe de una Missa mihi omnino videtur improbabile, & merito absurdum reputat Suarez *de festis disp. 88. sect. 2.* saltem longe probabilius, & tutius id negant DD. communiter. Tambur. *cit. n. 10.* March. *cit. d. 2.* Et jam certum esse debet, damnata ab Innocentio XI. hac ipsa propositione 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Ratio est, quia auditio Missæ ex natura, & institutione sua, ac etiam ratione mysteriorum repræsentatorum, est res successiva, quæ suas partes simul habere non potest: duæ vero meditatæ Missæ, simul celebratæ unius successivæ partes non sunt, & consequenter ad eandem auditionem Missæ spectare non possunt. Idemque sentiendum judico in altero casu non satisfieri audiendo illas Missas simul, nisi ex intentione aliud constaret. 23

§. IV. *Missam quamcumque tandem.*

PRæcepto audiendi Missam satisfit audiendo Missam quamcumque, dummodo Catholico Romano ritu celebratam, sive solemnem, sive privatam, sive ordinariam de tempore, vel festo, sive votivam, vel pro defunctis, sive in Ecclesia Parochiali, sive in alia quacumque Ecclesia, Sacello, Oratorio per se loquendo. Communiter Doctores *S. Antoninus, Sotus, Sylvest. Navar. Tolet. Laym. Marchant. Lugo cit.* Ratio est, quia præceptum de audienda Missa per se omnino abstrahit a tali: vel tali particulari Missa, & a loco publico, vel privato. Neque Sacri Canones quidquam de hoc definierunt. Quamquam omnino conveniens sit, & consulendum fidelibus, ut aliquando saltem Dominicis, & Festis principalioribus Parochiales suas Ecclesias adeant, Missæq; solemni, & Parochiali intersint, ut monet Concil. Trid. *Sess.22. in Decreto de observandis, & vitandis in celebratione Missarum.* Et in Jure *cap. 2. de Parochis*, reprehenduntur, & puniri jubentur, qui, contempto proprio Parocho, vel ex injusta indignatione erga ipsum, Divina apud ipsum non frequentant. Insuper addunt Doctores citati, Episcopos, vel Parochos non posse præcipere, talique præcepto non obligari subditos, ut Missas audiant tantum in propria Parochia, & non in Ecclesiis Regularium, aut alio Sacello, vel Oratorio. Quia (ita *Navar. cit.*) Episcopus non potest tollere Jus commune, & generalem consuetudinem totius Orbis, atque ita in favorem Regularium declaratum a Congregatione Cardinalium Sacrorum Rituum, refert Card. de Lugo citatus *d. 22. de Euch. sect. 1. n. 3.* Tandem quod in Brevibus Pontificiis excipiantur Festa Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Nativitatis Domini, & Assumptionis B. V. Mariæ 24

riæ, quibus alias conceditur facultas legendi, & audiendi Missam in Oratoriis privatis, & domibus. Et quod alii præter domesticos illius, cui facultas concessa est, ibidem Missam audientes, non censeantur liberi a præcepto audiendi Sacrum diebus Dominicis, & Festis, commode explicat noster Marchant. *cit. tit.* 2. *q.* 1. *dub.* 1. mentem Pontificis non esse proponere novam, vel augere obligationem audiendi Missam, præcepti alioquin indeterminati ad quemlibet locum, sed solum ad Parochiæ, ut Parochialibus juribus per tale privilegium non derogetur, sive ne fiat cum præjudicio Parochiæ, vel Parochi: utpote si exinde Parochia magna parte populi destituatur, si oblationes tam Parocho, quam pauperibus fieri solitæ, ideo deficiant &c. Alioquin præcepto Missæ satisfieri in illis Oratoriis cum aliis docet Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 6. Sed contrarium mihi plane verius, & apertis verbis brevibus conformius docent Bonacina, & alii cum Diana, & Tamb. *lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.* 3. *de Sacrif. Miss.* ex professo. Ideo soleo suadere in praxi, nolentes tamen non urgere.

SECTIO II.

Causæ excusantes ab auditione Sacri.

SUMMARIUM.

25 *Causæ ab auditione Sacri excusantes generatim sunt quatuor.* 1. Impotentia. 2. Charitas. 3. Officium, & 4. Consuetudo.
26 Impotentia *alia est spiritualis, ut excommunicatio, interdictum &c.*
27 *Alia* naturalis, *seu* Physica: (*ubi qui ea excusentur.*)
28 *Alia* moralis: *hæc ubi, & quando adesse censeatur.*
29 Usque ad n. 33. *an, & quando quis possit, vel non possit impedimentum ponere auditioni Missæ, v. g. suscipere iter, vel aliud negotium.*
33 *Quando ab auditione Missæ excuset* Charitas.
34 *Quando, & quos excuset* Officium; *ac*
35 *Quando, & quos consuetudo.*
36 *Ab auditione Missæ, etiam legitime impediti, & excusati, probabilius sub mortali adhuc aliquo alio cultu Deum colere obligantur illo die.*

ASSERTIO II.

25 *Causæ excusantes ab auditione Sacri die Dominico, vel Festo omnes commode revocantur ad has quatuor:* Impotentia, Charitas, Officium, Consuetudo: *sic in re omnes, etsi varie varient in terminis.*

§. I. *Impotentia, eaque triplex, Spiritualis, Naturalis, Moralis.*

26 *Impotentia Spiritualis*, qua excusantur ab audiendo Sacro, qui excommunicationi, vel interdicto subjacent, quamdiu per eos non stat, quominus ab excommunicatione, vel interdicto liberentur: quin etiamsi per ipsos stet dummodo non ex intentione, & directo fine non audiendi Sacrum, absolutionem procurare negligant, juxta communem DD. apud Suar. *disp.* 88. *de festis sect.* 6. *Laym.* supra. Quin etiam (ut hoc obiter hic advertam) si Sacerdos, a quo solo quis Missam audire posset, sit notorie excommunicatus, vel concubinarius notorius, potes ab ipsius Sacrificio abstinere, ob justam scelerum detestationem, *cap. Vestra de cohabitatione Clericorum, & mulierum.* Et *cap. præter dist.* 32. ubi id videtur præcipi. Attamen jure novo post Concil. Constantiense nemo ad id tenetur, nisi Sacerdos esset notorius Clerici percussor, vel nominatim denunciatus, tanquam excommunicatus vitandus. Communis DD. apud Laym. *cap.* 4. *n.* 4.

27 II. *Naturalis*, seu Physica, & simpliciter dicta impotentia: hac excusantur ab audiendo Sacro in primis, qui gravi infirmitate lecto defixi sunt. Quin etsi talis privilegium haberet Sacrificii celebrandi in domo sua super Altare portatile, tamen ad id non obligatur, quia nemo Privilegio suo adversus legem communem uti cogitur, *Suar. & Laym.* paulo ante citati. Alii apud Dianam *p.* 9. *tr.* 1. *resol.* 19. Item qui mare navigant, qui carceribus includuntur, aut justo Superioris mandato, vel pacto domi se continere coguntur. Item qui habitant in locis, ubi nullus Sacerdos, nulla audiendi Sacri commoditas. Quoad illos autem, qui voluntarie eligunt habitare, negotiari, servire in locis iis infidelium, vel hæreticorum, in quibus non possint audire Missam, recte resolvit *March. hic q.* 2. Quod si id faciant absque justa causa, non excusari a præcepto Ecclesiæ, & consequenter esse in continuo statu peccati mortalis, quamdiu in tali loco voluntarie permanent. Justam autem causam hic excusantem esse, aut spiritualem pro eorum conversione, aut temporalem, ad conservanda bona temporalia, & familiam: ad necessaria vitæ suæ, vel familiæ procuranda, quæ quis alibi obtinere non potest pro mercatura justa, & rationabili, Reipublicæ, necessaria, vel utili. Excusari etiam poterunt juvenes opifices ex consuetudine peregrinandi ad proficiendum in arte sua, maxime si apud Catholicos, non æque bene proficere possint, ut modo est persuasio (certe indignatus sum, etiam apud Catholicos minus æstimari, & in Matrimoniis postponi illos, qui non laborarunt in civitatibus imperialibus hæreticis.) Eo tamen semper salvo, ut ne quis periculo fidei se exponat, & alias sub obedientia Ecclesiæ in aliis præceptis servandis permaneant, attendentes, nihil prodesse, immo immensum nocere, si universum mundum lucrentur, animæ vero suæ detrimentum patiantur.

III. *Moralis impotentia* ab auditione Missæ etiam excusans 28
dicitur, cum quis Missam audire non potest, nisi cum magna difficultate, & labore, ut qui ruri degentes, nimis longe distant a loco, ubi Missa audiri potest, habita ratione quidem itineris, sed certe non solius, (frustra hic aliqui terram mensurant) sed etiam magis personarum, sexus, ætatis, tempestatis, consuetudinis &c. sicut bene respondet Nav. *l.* 1. *Cons.* 3. *de feriis*: aut nonnisi cum gravi detrimento, damno, periculo: Aut ipsius vitæ, ut quia hostis timeur in via, quia pestis grassatur, cujus incurrendæ magnum est periculum in communi populo ad Templum confluente. 2. Aut sanitatis, ut cum probabiliter timetur recidiva, aut tardior convalescentia, aut qui infirmæ sunt valetudinis, ratione intemperiei aeris novum aliquod accidens timent; hac etiam ratione mulieres gravidæ, dum partui appropinquant, a Missa excusantur. 3. Aut famæ, vel honoris sui: ut quando personæ quædam non possunt prodire in publicum, nisi cum magno suo pudore, dedecore, vel periculo, ob crimen commissum, vel criminis suspicionem. Hac ratione excusantur personæ honestæ, præsertim nobiles, quæ non possunt præ inopia se decenter, & statui suo convenienter vestire. Item mulier ex occulta fornicatione prægnans, &c. ut ex communi notant *March. & Laym. cit.* 4. Aut bonorum fortunæ, qua ratione excusantur rustici ruri habitantes, præsertim solitarie, ut saltem in familia mutatis vicibus Ecclesiam adeant pro audiendo Sacro. Item quando milites, vel prædones in via grassantur. Item quando quis ducem, vel comitem itineris valde utilem, vel commodam navigandi occasionem amissurus esset, dum interim Missam audiret. Alioquin autem si nulla accelerandi necessitas urgeat, omnes die Dominico, vel Festo iter acturi prius Missam audire debent, nisi existiment se alibi, vel in itinere audiendi Missam occasionem habituros. Sic etiam de cæteris. Doctorum omnium. Ratio est, quia Ecclesia pia Mater non censetur voluisse filios suos obligare cum tanta difficultate, vel onere.

IV. Verum circa hanc impotentiam audiendi Sacrum spe- 29
cialis est difficultas, qualiter quis obligetur non ponere impedimentum audiendi Sacrum: seu an quis sponte, & absque urgente causa alios ab auditione Missæ excusante, possit suscipere iter, vel aliud aliquod, unde prævidet fore, ut die Dominico, vel Festo Sacrum audire non possit: duo hic certa sunt, tertium valde ambiguum, & perplexum.

Primo certum est, posse quempiam tale impedimentum 30
ponere tempore remoto a die Festo V. G. ante 3. vel 4. dies etiam directe eo fine, ne audire tenearis Sacrum. Ratio est quia tunc præceptum non obligat, neque est in proximo, ut obliget: ergo tu uteris jure, & libertate, & ponendo etiam cum illa intentione impedimentum, non tam censeris velle impedire executionem præcepti, quod non urget, quam te eximere a præcepto seu effugere, ne obligeris ad præceptum, quod certe in his præceptis humanis de audienda Missa, feriando, jejunando, & similibus nullibi habetur prohibitum.

Secundo certum est, non posse quempiam impedimentum 31
ponere ipso die Festo, vel tempore proximo, quo posito non valeat interesse Sacro. Ratio est, quia eodem die, vel tempore proximo, quod moraliter ad eundem diem pertinere videtur (ut omnium sensu, & consensu est vespera præcedens) urget præceptum audiendi Sacrum, & consequenter tollendi impedimenta præcepti executioni per se obstantia: qui enim obligatur ad finem, etiam obligatur ad media per se, & proxime necessaria ad illum finem; ergo multo magis urgebit præceptum ad ejusmodi impedimenta de novo non ponenda. Et sane moraliter quis non censeat te nolle audire Sacrum, & obedire præcepto, si videat te eodem die, vel pridie vesperi a loco, ubi Missa habetur, recedere, atque ad alium locum, ubi nulla erit Missa, te conferre?

Tertio ambiguum, & maxime perplexum est, quodnam 32
sit censendum tempus præcise proximum diei festo. Certe tempus proximum toto die proximo ante Dominicam, vel festum extendere, satis arctum: contra tempus remotum intra eundem diem proximum concludere, satis laxum videtur universaliter loquendo. Ergo in casu particulari id ex circumstantiis variis varie dijudicandum erit, attenta nimirum gravitate præcepti, praxi piorum, ac operis necessitate, honestate, utilitate, & sufficiet tunc sequi judicium probabile quodcumque in re tam perplexa. Certe audivi semel studiosis nobilibus pro pridie festi ad venationem profecturis, ideoque Sacrum neglecturis, plane opposita ratione licere, & non licere respondisse Præfectum Congregationis, & Præfectum Scholarum. Et quod tunc non intellexi, nunc judico utrumque probabiliter. Vide Tambur. *lib.* 4. *Decal. c.* 2. §. 2.

§. II. *Chari-*

§. II. *Charitas*.

33 HÆc etiam censetur excusare a Missa audienda, quando quis Missam audiens operi Charitatis, & misericordiæ alias ex communi præcepto Charitatis debito satisfacere non posset. Qua ratione excusantur, qui serviunt infirmis graviter laborantibus, aut qui soli sine periculo relinqui non possunt, aut quibus tali tempore medicina aliqua est ministranda. Item qui incendio, periculo proximi, & maxime communitatis, avertendo, vel quovis necessario opere misericordiæ occupantur. Item fœminæ, quæ ad vitandum alienum peccatum, aut viri zelotypiam domi se continent, juxta latius dicenda in materia de scandalo. *Ratio horum, & similium est*, quia cum concurrunt eodem tempore duo præcepta incompossibilia, majus præferendum est: majus est præceptum divinum Charitatis exercendæ, quam Ecclesiasticum Missæ audiendæ.

§. III. *Officium*

34 ETiam excusat ab audienda Missa, quando officium alias honestum, & licitum non potest debite exerceri, si Missa audiatur. Quo modo apud omnes excusantur milites stationarii, vigiles, custodes oppidorum, pagorum, Pastores gregum, Cursores veredarii. Item laborantes in fusoriis vitriaris, quorum opera semel cœpta sine damno interrumpi non possunt, nec absentiam patiuntur operariorum, saltem diebus festis infra septimanam occurrentibus: imo etiam sæpe diebus Dominicis, de quo infra iterum. Item Matres, & ancillæ, quæ infantibus assistere debent. Item famuli, & ancillæ in actuali, & necessario obsequio Dominorum occupati: dummodo impedimentum non nascatur ex eorum negligentia, & incuria. Quando Domini vero injuste eos detinent, vel occupant, ne Sacrum audiant, illi quidem peccant mortaliter per se loquendo, famuli autem, & ancillæ erunt innocentes, dummodo id non fieret in Religionis contemptum, quo casu nullo modo parere possent. Item si frequenter, & quasi ordinarie sic fieret sine justa causa, tenebitur famulus, vel ancilla, cum primum commode potuerit, absque scilicet suo gravi detrimento sub impotentia comprehenso, ministerium, vel servitium relinquere, alium Dominum adire, apud quem præcepta Ecclesiæ servare possit. Ex communi *Suarez*, *Laym. Marchant. citati*.

§. IV. *Consuetudo*

35 ETiam excusat interdum ab audiendo Sacro, rationabilis tamen, & scientibus Prælatis introducta, qua juxta morem patriæ certæ personæ se domi certo tempore continent: ut in aliquibus locis viduæ tempore luctus, puellæ nubiles tempore sponsaliorum, puerperæ post partum communiter sex septimanis domi se continent, etsi jam ante satis convaluerint, usque dum a Sacerdote benedicantur: & si quæ sunt similes. Vide Suar. *3.port. T.3. dist.*88. *de Festis sect.6.* per totam. Quibus tamen omnibus satis late patentibus excusationum titulis, monendi sunt fideles, ut iis in veritate utantur, ne mentiatur iniquitas sibi. Arguit S. Joannes Chrysostomus quodam loco negligentiam, & ingratitudinem Christianorum, quod centum sexaginta sex habente septimana horas, unam tantum horam suo cultui postulet Deus, & tot excusationes prætendat homo.

36 Denique verissima mihi videtur sententia nostri Patris March. *Tom.*2. *tract.* 4. *tit.* 2. *quæst.* 3. nimirum eos, qui etiam legitime impediti, & excusati Missam die Dominico audire non possunt, teneri tamen sub peccato mortali Deum aliquo alio speciali cultu externo, vel interno colere: non quidem ex vi præcepti Ecclesiastici, quo plus non præcipitur, quam Missam audire, & feriari; sed ex divini præcepti naturalis vi, ac tertii Decalogi: *memento, ut diem Sabbati sanctifices*, quod licet Ecclesia determinarit ad certum illum cultum, scilicet auditionem Missæ, & si hæc audiri non possit, cesset obligatio præcepti Ecclesiæ, non tamen ideo censetur etiam cessare præceptum divinum naturale de sanctificando illo die, seu Deum colendo aliquo cultu religioso, etsi nullæ certæ preces, vel modi præscripti sint. Unde D. Augustinus *serm.* 251. de tempore dicit: *Observemus diem Dominicum, & sanctificemus illum, sicut antiquis præceptum est de Sabbato, &c.* & infra agens de iis, qui non possunt venire ad Ecclesiam illo die, dicit. *Qui vero hoc non potest, saltem in domo sua oret, & non negligat Deo solvere votum, & reddere pensum servitutis suæ.* Hæc ille. Et hinc non adeo improbabilis est sententia Scoti *in 3. distin.37. quæst. unic.* nimirum hominem die Dominico teneri ad actum amoris Dei super omnia. Quod si intelligatur de quocumque pio motu dilectionis, cultus, vel conversionis mentis ad Deum, in ratione, Patribus, & Conciliis omnino fundata est opinio. Secus dicendum est de diebus festis, in quibus non tantum modus colendi, sed ipsum etiam tempus præcise est juris positivi Ecclesiæ.

SECTIO III.

Obligatio feriandi ab operibus servilibus.

SUMMARIUM.

38 *Laborare die festo quando peccatum mortale, quando veniale.*
39 & 40 *Feriatio, seu vacatio ab operibus servilibus qualiter debeat esse religiosa; quæ*
41 *Durat toto die naturali, scilicet, a media nocte ad mediam noctem.*
42 *Quænam censeantur opera servilia, quæ non.*
43 *Licita sunt omnia opera non servilia: qualia etiam sunt*
44 I. Scribere, transcribere,
45 II. Pingere, *& similia. Item licet*
46 III. Iter facere, *pedibus, equo, curru, navi, &c. ac etiam*
47 IV. Venari, aucupari, piscari, bellare, *saltem si non fiant cum magno apparatu, & tumultu.*

ASSERTIO III.

TErtio Præcepto Ecclesiæ, ut modo determinato ab Ecclesia etiamnum obligantur omnes fideles sub mortali feriari, seu religiose vivere, & vacare integro die Dominico, vel festo ab omnibus operibus servilibus ad quotidianum usum, ac necessitatem vitæ humanæ non pertinentibus, quæque commode non possunt, vel solent differri, vel prætermitti. Omnes. 37

§. I. *Omnes obligantur sub mortali.*

HAbetur in variis Conciliis, & sacris Canonibus, 38
*Conc. Aurel. tertium, cap.*21. *Conc. Suession. Conc. Triburiense, & Cap. omnes de feriis*. Ratio obligationis est, quia est obligatio ex virtute Religionis ad Dei debitum cultum, & venerationem instituta: adeoque est gravis ex genere suo, ejusque in quantitate notabili transgressio mortalis. Absque dubio autem hic admittitur materiæ parvitas excusans a mortali. Una hora laborare serviliter secluso scandalo veniale tantum esse, recte sentit Suar. communiter receptus *tom.*2. *de Relig. lib.*2. *de festis cap.*31. maxime si labor non sit nimis servilis, & fatigans corpus, ut notat Laym. *l.4.tr.7.c.2.* Immo communis jam sententia duas horas permittit citra mortalem culpam. Filliuc. *Tract.*26. *c.*11. *qu.*1. Diana *p.5.tr.5. resol.6.* Tambur. *lib.4. Decal. c.3.§.2.nu.*1. Quia nimirum labor unius, & alterius horæ comparatione totius diei naturalis viginti quatuor horarum, non videbitur pars notabilis, aut ita officiens fini religiosæ vacationis, ut culpæ mortalis damnari possit. Scio etiam aliquos tres, etiam quatuor, & non neminem sex horas, quartam nimirum partem permittere. Sed probare non possum, quia dempto tempore quietis, quod in religiosa feriatione moraliter computandum non videtur, certe tres, vel quatuor horas serviliter laborare, pars valde notabilis emergit, & notabiliter officiens fini religiosæ vacationis ad cultum divinum. Excipe, nisi paupertas, vel alia justa causa excuset, de quo infra.

§. II. *Feriari, seu religiose vacare.*

FEriari hoc loco nihil aliud est, quam vacare, vel abstinere ab operibus servilibus: Opera autem servilia dicuntur, quæ & corpore exterius exercentur, & corporis usui, & commoditatibus potissimum deserviunt: sic dicta quod per servos exerceri soleant: sicut e contra opera liberalia dicuntur, quæ vel mente exercentur, vel licet corpore exerceantur, tamen ad animum excolendum potissimum spectant, ideoque homini libero digna censentur: ut studere, orare, docere, cantare, cæterique actus, & exercitia artium liberalium, scientiarum, virtutum, &c. 39

Vacatio ergo, seu feriatio hæc debet esse religiosa, quippe ad colendum Deum, & ad sanctificationem illius diei ordinata. Otiositas enim inhonesta, sicut alias, ita maxime diebus festis, & Dominicis peccaminosa est. Cæterum sacros dies lusibus immodicis, comessationibus, compotationibus, aliisve operibus malignis insumere, etsi accidentalis inordinatio sit contra honorem Dei, non tamen inducere novam peccati speciem in confessione necessario exprimendam, communis doctrina est in materia de actibus humanis, ubi de circumstantiis speciem mutantibus. 40

§. III. *Die Dominico, vel Festo.*

FEriatio debet esse, vel dicitur esse totius diei naturalis viginti quatuor horarum a prima media nocte Dominicæ, vel festi, usque ad alterius noctis dimidium. Sic enim festa in Europa observari testantur Abbas *in c.*1. *de festis n.*1. Navar. *c.*13. *Suar. Laym. cit.* Olim tamen mos fuit feriari a primis Vesperis Dominici, vel festi, ut habetur cit. *c. omnes de feriis. Omnes dies Dominicos a Vespera in Vesperam cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere.* Hinc ubi talis consuetudo vigeret inchoandi ferias a primis Vesperis ex obligatione (prout in nostris 41

partibus plerique ab hora saltem quinta ferias laudabiliter incipiunt tunc adveniente altera Vespera laborare concessum erit, quia festum unius diei viginti quatuor horarum spatium excedere non debet. Cæterum parvitatem temporis a mortali excusantem jam supra assignatam habes.

§. IV. *Ab omnibus operibus servilibus.*

42 SCilicet ad quotidianum usum, & necessitatem vitæ humanæ non pertinentibus, uti sunt omnia opera artium illiberalium: ut lignariæ, ferrariæ, &c. Item omnia opera ruralia, ut expresse specificant Canones, & Concilia. In Concilio Suessionensi sic habetur: *Statuimus, secundum quod in lege Dominus mandavit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, nec viri ruralia exerceant, nec vineta colendo, nec in campis arando, vel metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, nec in sylvis scirpando, &c.* licita autem ipso jure, & consuetudine sunt etiam opera servilia, quæ ad quotidianum usum ac necessitatem vitæ humanæ pertinent, quæque vel commode non possunt, vel non solent differri, vel anticipari, utpote, quæ requiruntur ad quotidianum victum, & dispositionem corporis, habitus, domus, v. g. coquere cibos eo die comedi solitos etiam in furno, utpote placentas, tortas, mundare domos, lectos sternere, vestimenta purgare, corpori aptare, etiam si aliquid assuendum sit. Quibus omnibus consentit *Concilium Aurelianense III. sub Vigilio*, ubi habetur. *Quia persuasum est populis cum caballis, & bobus, & vehiculis die Dominico itinerare non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem ullatenus exercere. (Quæ res, quia ad Judaicam magis, quam ad Christianam observantiam pertinere probatur) id statuimus die Dominico, quod antea licuit, licere.* Cæterum opera servilia, quæ commode possunt, & solent communi usu differri, vel præveniri, quantumvis ad quotidianum usum, ac necessitatem vitæ spectent, ut vestes, vel calceos consuere, & sarcire, panes pinsere, acquas comportare, &c. diebus Dominicis, ac festis prohibita manent, cum non sint ex se quotidiana, nec eorum confectio, sed solum jam confectorum usus requiratur, ut notant *Marcant. & Laym.* citati. Quantum autem hic consuetudo ulterius permittat, videbitur §. sequenti inter causas excusantes, & partim mox dicetur.

Licita ergo sunt omnia opera non servilia.

43 GEneraliter diebus Dominicis, & festis licitum est exercere omnia opera non servilia, sed spiritualia, vel liberalia, uti sunt opera omnium virtutum ac artium liberalium, ut studere, docere, concionari, cantare, organa pulsare, &c. Insuper (ut hic generatim præmoneam) eadem opera suapte natura liberalia jam enumerata, ac mox enumeranda, non servilia, ac illicita die festo, eo quod propter lucrum, & mercedem exerceantur. Uti contra Abbatem, & alios Canonistas *in cap.* 1. *de feriis*. Angel. Sylvest. *V. feriæ*, docet jam communis, & recepta Doctorum sententia. Cajet. 2. 2. *Q.* 122. *art.* 4. *Navar. Medin. Lop. Suar. cum Laym. cit.* Ratio est, quia lucrum, & merces non facit opus servile, cum enim opera liberalia, seu homine libero digna, pretio æstimari possint: sicut e contra opera servilia, non ideo cessant esse servilia, & in festo illicita, quia sine mercede fiunt: merces ergo, vel lucrum omnino per accidens se habent, ad opus servile, vel non servile. Alioquin damnare oporteret Professores, & Causidicos, qui iis diebus in scribendis suis lectionibus, &c. occupantur: quod licet affirment *Abbas, & Angelus*, repugnat tamen consuetudo, & praxis piorum. Cæterum hic aliqua opera dubia, sintne servilia, adeoque prohibita, nec ne, examinanda breviter sunt.

I. Scribere, transcribere.

44 SCribere præsertim ex proprio conceptu, non est opus servile, juxta communem Doctorum sententiam. Cajet. *supra*, Navar. *c.*13. *n.*13. Medina, *Lopez alii cum Suar. & Laym. cit.* Confirmat praxis, & ratio est: quia scribere ad artem grammaticam pertinet, quæ prima est inter artes liberales. Eademque omnino est ratio de transcriptione: adeo ut Notarii, Commissarii, Officiales Curiæ, aliique scribæ, etiam mercede, vel salariis conducti diebus festis transcribentes non peccent, saltem mortaliter, quia tam scribere, quam transcribere, per se est actio liberalis; & per accidens est, quod ex proprio conceptu, vel alieno, ex hac vel illa intentione fiat: ut contra *Cajet. Navarr. Azor.* relatos docent alii Doctores communiter cum *Laym. cit.* Diana *p.*2. *tr.*15. *resol.* 35. Eademque, vel major est ratio de scribendis, vel describendis notis musicis; pertinet enim ad artem liberalem Musices. At vero lineas pro iisdem notis serio, & per se ducere non audet permittere *Tambur. l.*4. *c.*3. §.1. *n.*7. eo quod sit mechanicum, & apparatus ad scribendum, at non ipsum scribere. Sed Germani non ita anguntur merito scrupulis Italicis; & mirum, quod ipse *Tamb.* postea nobiscum sentiat de pictura.

II. Pingere, & similia.

PRobabilissimum est, quod, etsi contra communem, docent *Medina, Lopez*, eosque citans *Laym.* hic, & approbat Tamb. *cit. c.* 3. *n.* 8. etiam pingere in tabula sine apparatu, & magno labore, non esse opus servile, ideoque nec prohibitum in die festo per se loquendo, & secluso scandalo. Quia talis pictio æque ac scriptio consistit in ducendis lineis, & figuris. Deinde æque pingentes, ac studentes animi voluptate in opere detinentur, quod signum est artem pingendi liberalem esse. Denique *Angelus, Armilla, Sa V. festum*, concedunt licitum esse pingere recreationis animi, temporis fallendi, vel artis addiscendæ gratia. Ergo fatentur, pingere non esse opus servile: alioquin etiam opera servilia exercere, ligna findere, ferrum cudere liceret die festo, ob similem causam, quapropter damnandi non sunt pictores, si postquam rei divinæ satisfecerunt, artem suam sine magno apparatu privatim, ac sine scandalo exerceant ob probabilem ipsorum persuasionem artem suam esse liberalem. Sed dictum est *sine magno apparatu* puta quo teruntur, ac miscentur colores, parantur, extenduntur tabulæ, &c. ut bene observat *Tamb.* §.1. *n.*9. Idemque probabiliter sentiendum de quibusdam aliis operibus picturæ, vel scripturæ valde similibus. Uti sunt acu pingere in tela, opere (ut vocant) Phrygio. Id enim licere saltem nobilissimis Matronis, ac puellis concedunt *Azor. cit. Pellizarius, apud Dianam.* Qui tamen non omnino affirmat. *Tamb. cit.* suadet, ut faciant talia pro necessitate pauperis Ecclesiæ vel egenorum. Item Typographos die Dominico, vel festo licite posse ordinare characteres, etiam concedit *Laym. tr.* 7. *c.*2. ipsa autem impressio sine dubio opus servile, & quidem valde fatigativum est, ideo die festo prohibitum manet. Similiter sculpere, horologia conficere, auro cælare: quantumvis artificiosum sit, & liberale jactent, reipsa tamen opera servilia sunt, & ad artem fabrilem spectant: ideoque prohibita die festo, ita interpretante consuetudine, & usu hominum. Exciperem tamen, quando in materia modica valde subtilia sculpunt, ut nullus fere corporis, totus autem animi, & ingenii labor esse videatur. Idem censendum est de calcographis ob paritatem rationis ex dictis.

45

III. Iter facere.

PEdibus, equo, curru, navi, &c. non est opus servile, quia naturale, & omnibus hominibus commune, ideoque nec prohibitum die Dominico, vel festo. *Cajet. in summ. V. festum, Navar. c.* 16. *Suar. Laym. Diana.* Et consequenter licebit opera ad ejusmodi itinera necessaria præstare. V. G. equos parare, currum jungere, remigare in aqua, onera convehere, &c. quia accessorium sequitur naturam principalis. At vero currus, equos, mulos onustos agere opus servile est, & die festo inchoare absque justa causa non licet. Antea tamen inchoatum continuare licebit: si commode desisti non possit, ut notant *Cajet. Angel. Suar. Laym. cit.* Insuper merito *Diana* eos vectores excusat a mortali, qui audito Sacro curribus, vel jumentis onustis iter ineunt, quod in labore servili imponendi onera non multum temporis insumatur, & sic excusat levitas materiæ. Diana *p.* 2. *tr.* 2. *resol.* 36.

46

IV. Venari, Aucupari, Piscari, Bellare.

HÆc quidem esse opera servilia, negant *Navar. Lopez.* alii: affirmant tamen Doctores communius. Et sine dubio prohibita sunt die Festo, cum fiunt cum magno apparatu, tumultu, gravi labore servili in comportandis, & deponendis instrumentis. Secluso tamen ejusmodi tumultu, & labore, consuetudo jam obtinuit, ut licitum sit venari, piscari, aucupari diebus Dominicis, & festis, saltem recreationis, & animi causa, ut ex communi docent Laym. cit. *tr.*6. *c.* 2. *n.* 6. March. *cit. Qu.* 4. *ante finem*. Imo etiam lucri causa, juxta superius dicta, Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 222. Similiter & bellare per se opus servile est, & per se illicitum saltem olim fuit extra casum urgentis necessitatis, ut habetur *cap.* 4. *extra de Regulis juris. Quod non est illicitum in lege necessitas facit licitum. Nam & Sabbathum custodire præceptum est: Macchabæi tamen sine culpa sua in Sabbatho pugnabant.* Consuetudo tamen etiam artem militarem jam cohonestavit: ut saltem sine peccato mortali, seclusa necessitate, liceat diebus festis & pugnare, & militares exercitationes, lustrationes, & similia instituere, *juxta L. Divus ff. de feriis*, Vide Molinam *tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 111. Becan. 2. 2. *c.* 25. *qu.* 17. Laym. *cit. c.* 2. *n.* 6.

47

Denique quatuor opera, etsi de se minime servilia, tamen speciali jure positivo prohibita sunt in die festo *juxta caput Omnis de feriis*. 1. Mercatus, præsertim publicus, & cum strepitu. Nam semper licuit distractio rerum ad victum quotidianum necessariarum, sicut & privati contractus emptionum, & venditionum, etiamsi fiant solemniter coram Notariis: quia necessitas illos excusat: cum aliis diebus homines plebeji operi intenti convenire tam facile non possunt, maxime rustici. Ex privilegio excusantur nundinæ solemnes.

48

lemnes. Denique consuetudine hoc præceptum fere usque ad tempus divinorum officiorum videtur esse restrictum 2. Placita, seu actiones forenses. 3. Judicium ad mortem, 4. Juramenta in Judicio præstanda, de quibus videre potes Laym. *cap.2. num.7.*

SECTIO IV.

Causæ excusantes a feriis.

SUMMARIUM.

49 *Causæ excusantes a feriatione sunt generatim quatuor.* 1. Necessitas. 2. Charitas. 3. Officium, & 4. Consuetudo.
50 *Quæ, quando, & quos a feriatione excuset* Necessitas, *ita ut ob eam laborare liceat die festo.* & 51.
52 Usque ad n.55. *Quando excuset a feriatione* Charitas *seu pietas.* 1. *erga Deum.* 2. *erga proximum, &* 3. *erga seipsum.*
55 *Quale, & quos excuset* Officium, *&*
56 *Qualis, & quos excuset consuetudo.*
57 *Circa prædicta* quædam bene notanda.

ASSERTIO IV.

49 *Causæ excusantes a feriis, propter quas liceat Dominicis, & Festis diebus serviliter laborare, commode etiam ad quatuor capita revocantur, scilicet,* Necessitas, Charitas, Officium, Consuetudo.

EXPLICATIO.

§. I. *Necessitas.*

50 Excusat necessitas aut publica V.G. reficiendi fontes, pontes, aggeres fluminum, imminente hoste valla extruendi, muros reparandi, &c. Item piscandi certum genus piscium, nominatim halecum, quod non nisi diebus opportunis capitur, aliquando in Dominicas, vel festa incidentibus *Cap. Licet de feriis.* Item parandi aliqua ad communem populi festivitatem, V.G. in adventum Principis, & quæcumque sit necessitas publica, vel justum Magistratus imperium: aut privata, qua excusantur pauperes, qui si tot festis occurrentibus ferientur, se suamque familiam sustentare non possunt: similiter pauperes, præsertim famuli, & famulæ, qui diebus festis suas vestes resarciunt, quantocumque etiam tempore, cum aliis diebus non possint, vel non permittantur, ut notavit Laym. *c.4. n.1.* Item agricolæ, qui ob diuturnam pluviam præteritam, vel superventuram diebus Dominicis, & festis, fruges, & fœnum metere, secare, congregare coguntur, vel ob aliud grave damnum cavendum ruri laborant. Item aurigæ, nautæ, vitriarii, salinarii, laborantes in fusoriis, &c. quorum opera semel cœpta, sine damno interrumpi non possunt, ut etiam superius quoad Missam notatum est. Item qui superveniente hoste debent muros munire, &c. Vide similes casus *cit. c. licet de feriis.* Item Medici, Chirurgi, cum pro infirmis laborare debent. Item fabriferrarii, dum equos soleant, & curruum rotis laminas imponunt ob necessitatem iter facientium. Item sartores, cum diebus festis quandoque post mediam noctem in multum diem laborare coguntur, ut vestes promissas expediant, præsertim si aliis diebus bona fide absolvere non poterunt. Laym. *c.4. n.2.* Diana *p. 2. tr.15. resolut.34.* Quod etiam famuli Magistris parere debent: quod si autem absque juxta causa fieret semel quidem, & iterum parere poterunt causa vitandi odii, contentionis, incommodæ dimissionis, si autem frequenter, & per consuetudinem fiat, si alium Magistrum acquirere possunt, tenebuntur alterum deserere; alioquin excusabuntur a præcepto Ecclesiæ piæ Matris. Similiter excusantur quilibet famuli, & ancillæ, & uxores, si a Dominis, vel maritis ad laborandum coacti (modo id non fiat in contemptum Religionis) sine incommodo imperium detrectare non possunt, neque servitium mutare: certe consortium non possunt uxores. Laym. *proxime cit.*

51 Denique universaliter quivis serviliter laborare poterit, ne aliquod notabile damnum patiatur, secundum omnes: immo etiam, ne magno aliquo extraordinario lucro privetur: nam revera etiam notabile lucrum amittere, damnum grave est, ut si opportuna, & lucrativa sit occasio vendendi ut notant cum Tambur. *cit.* §.3. *n.8.* Diana, *& alii.* Neque enim existimandum est, Ecclesiam piam Matrem velle obligare fideles suos ad rem sane difficillimam, qualis esset abstinentia servilium operum, lucrum multorum aureorum, alias non ita facile obvium, amittere. Idque maxime fatendum, quando lucrum alias ab aliis caperetur, v. g. in locis diversarum Religionum. Et favet Pontifex *cit. cap. licet de feriis.* Quod licet communiter trahatur ad necessitatem publicam, ab aliis tamen etiam reducitur ad necessitatem lucri privati capiendi.

§. II. *Charitas.*

Seu pietas etiam hic excusat, eaque triplex. I. Erga Deum 52
ac cultum divinum: ut si Altaria ornanda, templum verrendum, parietes aulæis ornandi, aliave ad festivitatem ordinanda sint. Idque etiamsi præcedenti die fieri potuissent, ideoque non sine veniali peccato, vel culpa neglecta, & in diem festum translata sint: ut cum aliis observat Diana *p.2. tr.5. ref.8.* Ratio facilis est: quia præceptum hoc, quo divinus cultus attenditur, non debuit prohibere ea, quæ & ipsa ad divinum cultum proxime spectant (*Nota proxime*) non item ea, quæ remote nimis ad divinum cultum referuntur. Quis enim dicat, licere ligna secare, laborare, in ordine ad Ecclesiam, vel Aram construendam, nisi notabilis Ecclesiæ necessitas id exigeret? similiter sepulchra Christi pro Hebdomada Sacra, præsepe pro Festo Nativitatis, Aras, ac moles artificiosas ad exponendam Eucharistiam? item vias publicas ad eum finem ornare, scenam ad repræsentationem Sacram erigere, die Festo, saltem sine mortali, etsi non sine veniali, si potuissent ante fieri, Doctores concedunt communiter, & praxis obtinuit. Attamen non poterunt eadem de novo fabricari die festo: intellige semper, seclusa necessitate. Ratio patet: quia illa erigere proxime, eadem vero ædificare se remote habent ad actualem Dei cultum. II. Charitas erga proximum; ut Lucæ 14. ad extrahendum bovem, vel asinum proximi e puteo in Sabbatho. Ad extinguendum incendium, aliudve malum proxi- 53
mi avertendum. Item ad tumbas, ac vestes funebres faciendas, insignia, aliave paranda pro funere. Item ad succurrendum proximo in extrema, vel gravi necessitate laboranti, cum aliunde succurrendi media non suppeditant, licet serviliter laborare: certum apud omnes. Addunt communiter etiam licere ad eleemosynam pauperi dandam. Et soleo permittere juvenibus opificibus, simul in ordine ad otium, ac aliorum peccatorum occasiones evitandas: alioquin in sola communi necessitate pauperum id licere rectius negant Diana, & alii cum Tamburino *cit. c.3. §.2. n.16.* Ratio est, quia obligatio hujus præcepti gravis est, ideoque non videtur rationabiliter vinci posse a quovis proximi communi necessitate, sicut vinci censetur in necessitate gravi, vel extrema. III. Charitas erga seipsum quandoque etiam ex- 54
cusare potest, non tantum in necessitate corporali, sic enim excusat causa præcedens, sed etiam in necessitate spirituali. Qua ratione *Sylv. Sa, & alii apud Laym. cit.* excusant eos, qui post divina moderate laborant ratione otii, vel probabilis periculi peccati evitandi, præsertim puellas die festo nentes, vel acu pingentes, ne otio vacent, vel ad fenestras conspiciendas se præbeant. Jam supra monui consulendum semper, ut talia laborent ad pias causas pro Ecclesia, vel proximo egente. Alioquin inde raro accidere, ut peccatum aliter evitari non possit, & sic per se vix sufficientem causam esse, recte cum aliis notat *Laym. c. cap.* 4.

§. III. *Officium.*

Excusat generaliter illos, ad quos ex officio pertinet 55
prædicta, aut aliqua eorum facere: etiamsi alii adessent, qui sponte facere vellent. Item Officiales militiæ, dum in die Dominico, vel festo exercitus disponunt, aliaque quantumvis servilia per milites curant fieri ad officium militiæ pertinentia. Item barbitonsores, quibus diebus Dominicis, vel festis tondere, & radere licitum est ex multiplici capite. 1. Ex parvitate materiæ, si unum, aut alterum tonderent. 2. Ratione lucri cessantis, si negent eo die petentibus. 3. Ratione necessitatis rusticorum, vel aliorum, qui per occupationes aliis diebus accedere non possunt. 4. Eadem ratione consuetudinis jam ubique fere toleratæ. Fernandez hic, & alii cum Diana *p.2. tr.15. resol.34.* Eadem fere est ratio de coquis communibus, pistoribus, cauponibus, lanionibus, quorum opera servilia die festo, aut aliorum necessitas, aut propria indigentia, seu lucrum cessans notabile, aut denique consuetudo tolerata a consciis Prælatis plerumque excusant, adhibito semper prudenti judicio. Quamquam de iis Auctores, præsertim aliarum nationum, & sæpe nimis rigide loquantur.

§. IV. *Consuetudo.*

Et hæc tandem excusat, cum in aliquibus locis aliqua so- 56
lent fieri, etiam præter necessitatis rationem sola consuetudine approbata, vel tolerata, aut quod mercatores diebus festis, ac Dominicis publice vendant, saltem post tempus Sacrorum, & merito alicubi post Concionem meridianam primo: quod opifices festis diebus ad vesperam materiam præparent sequentibus diebus laborandum, ut notant *Laym. & March. cit.* Item quod diebus Dominicis, & festis etiam molant, partim necessitas, partim parvitas materiæ in labore hominum, partim etiam consuetudo excusat. Item quæ paulo supra de barbitonsoribus, coquis, &c. & superius de venatione, piscatione, bello, annotata sunt. Item de gladiatione recte ita censet *Fagundez* apud Dianam cit. *Consuetudo facit actionem hanc licitam: addiscunt enim Juvenes artem digladiandi diebus Dominicis, videntibus, & consentientibus Prælatis.* Deni-

Denique Sanch. lib. 5. Conf. dub. 18. cap. 2. num. 12. Ita habet. *Etiam cessante necessitate ex consuetudine antiquissima, sunt licita aliqua minuta, quæ solent facere Agricolæ in vere, & dum habent segetes in area: scilicet trituram vertere, extendere, aut separare, & idem est de consuetudine hortulanorum rigantium olera in die festo, &c.* Hæc Sanch. simile ergo judicium est in similibus innumeris, quæ recensere nimis longum foret.

Advertenda circa prædicta.

57 I. Causæ excusantes hactenus explicatæ semper præsupponunt, ut prædicta, & similia bona fide fiant, non in fraudem festi, minus in contemptum: & scandalum vitetur. Alioquin peccari mortaliter nimis certum est. Unde. II. Si opus præcedenti die fieri potest, minime licet differre in Dominicam, vel festum ex intentione, eo ipso enim fieret in fraudem: si tamen per oblivionem, vel negligentiam jam dilatum sit, & non possit commode differri ulterius, tunc die festo sine culpa fieri poterit: urgebit enim necessitas aliqua, non obstante culpa præcedente. III. Si causa excusans est manifesta, non opus est petere licentiam, vel dispositionem a Superiore, Episcopo, vel Parocho, nisi ex condecenti, vel ad majorem securitatem, ad cavendum scandalum. *Omnes.* Si vero causa dubia sit, vel patenter non sufficiens, dispensatione opus erit, quam ex consuetudine recepta seu generali commissione conferre potest Episcopus, & in ejus absentia Parochus proprius: Confessarius autem solum pro foro conscientiæ declarare poterit, an causa justa, & sufficiens sit, nec ne, juxta Regulas prædictas. IV. Regulares, eorumque Prælati respectu sæcularium, etiam famulorum, vel domesticorum suorum potestate ordinaria nihil possunt, nisi quatenus haberent rationem Parochorum: cum alioquin sæculares sub illorum jurisdictione spirituali non sint. Per Privilegium modicum quid nobis concessum habes apud nostrum Portellum in dubiis Regularium V. *laborare*, his verbis: *Eugenius IV. concessit, quod sæculares absque peccato possint laborare in nostris Conventibus in die Sanctæ Crucis Septembris, in die Sancti Michaelis, Sanctorum Innocentium, S. Sylvestri, quando non incidunt in Dominicam. Unde videant Prælati se peccare mortaliter, & facere peccare mortaliter alios, si contra prædictam explicationem invitent, vel patiantur, quod in suis Conventibus sæculares laborent, etiam gratis.* Hæc Portellus.

APPENDIX.

De Observatione Jejuniorum.

Post tertium Præceptum, alias satis breve, & quoad modum, & tempus ab Ecclesia determinatum, aptissimus locus est tractandi, & a plerisque tractatur de Præceptis communibus Ecclesiæ. Quinque autem sunt generalia Præcepta Ecclesiæ omnes Christianos sub mortali obligantia. *Primum:* statutos ab Ecclesia Dies Festos celebrandi. *Secundum:* Missam Diebus Dominicis, & Festis reverenter audire (de his duobus jam hic satis actum.) *Tertium:* indicta ab Ecclesia certis diebus jejunia, & a quibusdam cibis abstinentiam observare. *Quartum:* peccata Sacerdoti proprio, aut alicui approbato singulis annis confiteri (de hoc in materia de Pœnitentia.) *Quintum:* Sacrosanctam Eucharistiam ad minus semel in anno, idque circa Festum Paschæ sumere (de hoc item jam actum *p.2. Theol. Sacram. c.6. Sect.7.*) Addunt aliqui *Sextum:* de nuptiis tempore prohibito non celebrandis, aut de Decimis solvendis: verum quia, nec omnes fideles nubunt, nec omnes agros, vel bona decimata habent, ideo hæc duo inter universalia Præcepta Ecclesiæ censenda non sunt. Manet ergo nobis explicandum solum Tertium Præceptum Ecclesiæ de observatione jejuniorum. Sit ergo

SECTIO I.

Quid, & quotuplex Jejunium.

SUMMARIUM.

1 *Ethymologia, & divisio jejunii generatim sumpti.*
2 *Jejunium Ecclesiasticum.*
3 *Est* I. Religiosa observatio (*ideoque actus Religionis.*)
4 II. Abstinentiæ a cibo, & certa ciborum qualitate (*ubi quid nomine cibi intelligatur.*)
5 III. Statuto tempore (*quodnam illud.*)
6 IV. Ab Ecclesia ordinata. *Ideoque*
7 & 8. *Jejunium Ecclesiasticum requirit, vel præcipit abstinentiam a carnibus: &*
9 *In quadragesima ab ovis, & lacticiniis, nisi privilegium, vel consuetudo contraria hæc admittat, ut est in Germania. Ubi*
10 *Licet ova, & lacticinia comedere liceat, probabilius tamen non licet hoc ipso etiam vesci sagimine, seu pinguedine e lardo, nec adipe, vel sanguine, &c.*
11 *Obligatio jejunii est sub mortali, toties quoties, nisi parvitas materiæ, vel alia causa excuset. Insuper*
12 *Jejunium Ecclesiasticum requirit etiam* unicam tantum refectionem
13 Moraliter continuatam, *nisi paupertas, officium, vel negotium excuset. Adeoque*
14 *Excludit alias refectiones iteratas, veras tamen non alias sumptiones per modum medicinæ. Resolvuntur varii casus.*
15 *Vinum, cervisia, mustum &c. etiam ad sedandam famen sumpta, non frangunt jejunium.* usque num. 17.
17 *Obligatio unius refectionis est pariter sub mortali, ex genere suo.*
18 *Probabiliter tamen, qui sæpius in die reficitur, tantum semel peccat mortaliter, in prima scilicet iterata refectione.* usque ad num. 20.
20 *Hora refectionis modo est meridies, seu hora undecima.*
21 *Quæ hora tamen non est, de essentia jejunii Ecclesiastici, sicut est abstinentia a carnibus, & unica refectio, ideo ex justa causa mutari potest.*
22 *Sine justa causa autem eam horam mutare, vel notabiliter anticipare peccatum mortale esse, volunt aliqui:*
23 *Probabiliter tamen solum veniale est.*

Jejunium quoad vocem dictum est a *jejuno* intestino quodam animalis, quod semper vacuum, & subtile est, quod nimirum jejunium hominem cibo vacuum, & consequenter non pinguem, sed macrum, & subtilem reddat: adeoque secundum hanc ethymologiam jejunium proprie significat abstinentiam ab omni cibo, & potu. Illi enim propriissime dicuntur jejuni pro tali die, vel tempore, qui eo die, vel tempore nihil omnino gustarunt, comederunt, vel biberunt, quod jejunium naturale vocant. Verum latius extensum nomen jejunii varie accipitur, & potissimum quatrupliciter, & vulgo quatruplex jejunium distinguitur *spirituale, naturale, morale, & Ecclesiasticum.* I. Jejunium *spirituale* improprie, metaphorice dicitur abstinentia a vitiis, & voluptatibus quibusvis in Scriptura passim. Isaiæ 58. *Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis.* Unde D. August. tract. 17. in Joan. *Jejunium magnum, & generale, est abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi.* Similia habent alibi, & alii Patres, & pulcherrima D. Bernard. *serm. 1. in Quadr.* II. Jejunium *naturale* dicitur abstinentia ab omni prorsus cibo, & potu in stomachum transmisso, quale jejunium a tempore mediæ noctis gravissimo Ecclesiæ præcepto requiritur ad dignam celebrationem, & sumptionem Eucharistiæ. Nam ut ait D. August. Epist. 118. *Placuit Spiritui Sancto, ut propter honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani Dominica Caro intraret, quam cæteri cibi.* Quale etiam erat jejunium Ninitivarum Jonæ 3. indicente Rege. *Homines & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant.* III. Jejunium *morale*, ac Philosophicum dictum, est actus temperantiæ moderantis appetitum, & usum cibi, ac potus secundum regulam rectæ rationis, cujus velut partes sunt abstinentia & sobrietas. Abstinentia enim moderatur affectum, & usum ciborum: sobrietas vero moderatur affectum, & usum potus potentis inebriare. Cæterum hoc jejunium morale, aut est *generale*, prædictam scilicet actus temperantiæ, seu abstinentiæ moderans abstinentiam, & appetitum ciborum secundum rectam rationem: ne scilicet excedatur, vel deficiat: aut est *speciale*, scilicet actus abstinentiæ specialis subtrahens alimenta corpori magis, quam ratio temperantiæ alioquin requireret in ordine ad certos fines, utpote ad cultum Dei, mortificationem carnis &c. Et hoc rursus, aut est *arbitrarium*, ac liberum, quoad modum jejunandi, & abstinendi a cibo, & potu pro cujusvis libitu affectu, devotione, de quo varia & mira habentur in libris, & Vitis Sanctorum: aut est *ordinarium*, vel regulare, scilicet certa lege, vel consuetudine constitutum quoad modum jejunandi, & abstinendi pro certa hominum communitate, societate, Religione, qualia fuerunt jejunia Judæorum in veteri lege, & etiam est jejunium in Nova Lege: præterea specialia jejunia diversorum Ordinum, seu Religionum. Jam vides jejunium Ecclesiasticum etiam esse jejunium morale, & speciale. IV. Jejunium Ecclesiasticum ergo definitur communiter: *Abstinentia cibi secundum Ecclesiæ regulas assumpta:* apud Bellarm. lib. 2. de bonis oper. cap. 1. Aut *Abstinentia ciborum secundum modum ab Ecclesia omnibus fidelibus præscriptum:* apud Filliuc. tract. 27. part. 2. cap. 1. quæst. 1. Aut *Abstinentia a carnibus, & prandii, ac post cœnam cujuslibet cibi subtractio usque in diem sequentem.* Sic Canonistæ communiter apud Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 8. quæst. 1. Teneatur definitio, quæ magis placet: sed explicemus accuratius. 1

§. I. Quid est Jejunium Ecclesiasticum?

ASSERTIO I.

Jejunium Ecclesiasticum, prout de facto in Ecclesia Romana indicitur, recte definitur: *Religiosa observantia abstinentiæ a cibo, & certa ciborum qualitate, designato tempore ad Deum colendum, & carnem propter Deum mortificandam ab Ecclesia ordinata.* Est in ore omnium, & in terminis March. *to. 1. tr. 12. tit. 3. q. 1.* Explico particulatim. 2

I. Reli-

3 I. *Religiosa observantia abstinentiæ*. Indicatur vera natura jejunii Ecclesiastici: etenim jejunium Ecclesiasticum non est præcise actus temperantiæ, vel abstinentiæ, sed etiam actus Religionis, spectans ad observantias sacras, quippe ad cultum Dei, & carnem propter Deum mortificandam, ordinata tamquam ad suum proprium finem: nullum enim est jejunium in Ecclesia Dei institutum, quod singulari Dei cultui dedicatum non sit, ut de jejunio Quadragesimæ, quatuor temporum, Vigiliarum mox patebit §. *seq.* Excluditur ergo a jejunio Ecclesiastico in primis jejunium necessitatis, qui vel non habet, quod manducet, vel ex morbo cibos abhorret, abstinet &c. Item jejunium avaritiæ, quo quis solum parsimoniæ causa abstinet: item jejunium medicinale, quo quis solum sanitatis gratia abstinet: item jejunium mere morale & Philosophicum, quo quis solo temperantiæ motivo abstineret, etiamsi alioquin servata forma ab Ecclesia præscripta: talis enim tantum necessitatis, avaritiæ, sanitatis, vel temperantiæ gratia jejunans absque ulla prorsus expressa, vel implicita intentione DEUM honorandi, aut carnem propter DEUM mortificandi, jejunium Ecclesiasticum revera non celebrat: immo si haberet voluntatem expressam tali jejunio DEUM non colendi, aut Præceptum Ecclesiæ non implendi, etiam affectu Præcepto Ecclesiæ non satisfaceret, sed peccaret mortaliter in foro conscientiæ, quamvis in foro externo condemnari non posset ab Ecclesia, de occultis non judicante.

4 *Abstinentia a cibo, & certa ciborum qualitate*: scilicet carnibus, & in Quadragesima omnibus, quæ ex carne procedunt, utpote lacticiniis, & ovis, de quibus *infra*. Nomine autem cibi intelligitur, quidquid sumitur, & in stomachum trajicitur ad finem corporis alendi, seu nutriendi, sive deinde sumatur per modum potus sorbendi, ut lac, mel, juscula. Jejunium ergo non comprehendit abstinentiam alicujus non ad nutriendum corpus, sed solum ad concoctionem juvandam, restinguendam sitim, refrigerandam naturam, ut aqua, vinum, cervisia, quamvis enim vinum, & cervisia etiam nutriant, tamen per se non ad nutriendum, sed ad alios fines prædictos sumuntur: neque comprehendit abstinentiam a medicina, seu pharmacis, seu iis, quæ sumuntur non per se ad alendum corpus, sed ad morbos pellendos, vel evitandos tanquam suum proprium finem. Jejunium ergo Ecclesiasticum solius cibi abstinentiam per se requirit, juxta communem Ecclesiæ sensum, & sententiam DD. cum D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 6. Rationem indicat Divus Leo *serm. de jejun. septimi mensis* dicens: *Licet jejunium generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur, proprie tamen ad edendi diminutionem cibi refertur, ut prosit nunc voluntate non sumere, quod ab initio contra vetitum nocuit usurpasse, & sicut illic concupiscentia vulneri, ita hic abstinentia sit saluti*. Hæc ille.

5 III. *Statuto tempore*. Triplex hic tempus statutum est: Primum tempus jejunii observandi, seu dies, quibus jejunandum est: ut sunt dies Quadragesimæ, quatuor Temporum, Vigiliarum, & quoad solam abstinentiam, Feria sexta, & Sabbato. Secundum est tempus inchoandi, & finiendi statuto die, & est tempus a media nocte præcedenti usque ad mediam noctem sequentem illius diei, ita ut ante mediam noctem præcedentem, & post mediam noctem sequentem jejunii quis omni lege jejunii solutus sit. In dubio tamen ex alibi dictis hic obiter distinguendum est: ante mediam noctem præcedentem jejunii, v. gr. Feriæ quintæ, vel Feriæ tertiæ ante Cineres, si tunc dubitatur, an sonuerit duodecima, stante dubio, non teneris abstinere, sed potes pergere, & comedere carnes, quia possessio stat pro tua libertate, cum certum sit, te libere posse tota illa die comedere carnes; incertum autem, an ille dies omnino finitus sit per mediam noctem: at vero nocte sequenti jejunium, cum dubitatur, num sonuerit duodecima, teneris adhuc abstinere, nec potes comedere, præsertim carnes, donec de tempore constet, quia tunc e converso possessio stat pro lege jejunii, cum certum sit te obligari toto die Sabbati v. g. jejunare, incertum autem, an ille dies per mediam noctem finitus sit. Tertium est tempus refectionis in jejunio, ut scilicet fiat hora competenti, non ante tempus meridianum, sed ab hora undecima incipiens, de quo ex professo infra.

6 IV. *Ab Ecclesia ordinata*: scilicet quoad tempus, & modum abstinendi. Dicitur autem *ordinata* non *præcepta*: quia jejunium Ecclesiasticum dicitur non illud tantum, quod ab Ecclesia præcipitur, sed omne illud, quod observatur, vel assumitur secundum formam ab Ecclesia ordinatam, seu præscriptam, sive dein observetur tali tempore ex ipso præcepto Ecclesiæ, sive ex voto, vel Regula, sive omnino libere ex voluntaria devotione. Ex hac definitione ita explicata, & communi DD. Sententia apud Azorium *cit. lib. 7. c. 8.* Less. *l. 4. de justit. c. 2. dub. 2.* Filliuc. *cit. c. 2.* tria essentialiter requiruntur ad omne jejunium Ecclesiasticum. 1. Unica refectio continua. 2. Ut una illa refectio fiat hora competenti, seu sit cœna, & non prandium. 3. Ut habeatur delectus ciborum, seu abstinentia a carnibus, de quibus per distinctos §§. Et incipiendo ab hoc ultimo sit.

§. II. *Quis delectus ciborum habendus, seu a quibus abstinendum in Jejunio Ecclesiastico.*

ASSERTIO II.

7 *Jejunium Ecclesiasticum de præcepto requirit delectum ciborum, specialiter abstinentiam a carnibus, & in Quadragesima etiam ab ovis, & lacticiniis, secluso privilegio, & consuetudine contraria: idque sub mortali toties quoties*. Est omnium Catholicorum contra Hæreticos nostri temporis, qui jejunia Sanctorum, & veteris Ecclesiæ solum explicant de abstinentia generali a cibis nimiis, vel nimis lautis.

8 I. *Requirit delectum ciborum, specialiter abstinentiam a carnibus*. Jejunium Ecclesiasticum antiquissima lege, & consuetudine requirere delectum ciborum, seu abstinentiam particularem a certis in specie cibis amplissime probant Exempla Scripturæ, & PP. omnium, ut late videre potes Controversias apud Bellarm. *lib. 2. de bon. oper. in particulari*. Specialiter autem requirere abstinentiam a carnibus, testantur omne fere SS. PP. quos late congerit idem *Bellarmin. ibid.* Idque statuitur variis Can. & CC. *Cap. statuimus dist. 4. cap. utinam, dist. 76. Concil. Tolet.* VIII. *cap. 9. &c.* Confirmat perpetua, & universalis consuetudo Ecclesiæ. Et denique ratio naturalis eamdem persuadet; nam finis jejunii est corporis concupiscentias edomare, & in servitutem redigere, ut docet D. August. *lib. 30. contra Faustum cap. 5.* & omnes etiam Adversarii fateri debent: atqui non poterat certa, & communis regula constitui circa quantitatem, & lautitiam ciborum in genere, in ordine ad mortificandam carnem, hæc enim infinitis modis variantur, & quod uni est multum, alteri est parum: quod uni est lautum, alteri non est lautum: ergo debuit constitui certa regula circa abstinentiam specialem ab aliquo genere cibi, qui ex genere suo, & ut plurimum magis nutrit, & magis delectat: talem cibum esse pecorum carnes, & volucrum, omnes fatentur: recte ergo in jejunio Ecclesiastico indicta est abstinentia specialis a carnibus.

9 II. *Et in Quadragesima ab ovis, & lacticiniis*. Jejunium Ecclesiasticum tempore Quadragesimæ, non item aliis diebus jejuniorum, quando jure communi etiam requirit abstinentiam ob ovis, & lacticiniis, videlicet lacte, buthyro, & caseo, & quidquid ex lacte conficitur, hanc enim abstinentiam tempore Quadragesimæ tam Clericis, quam Laicis severe præcipit *Synodus 6. Trullana Can. 56. Et cap. denique dist. 4. D. Gregorius ad August. Anglorum Episcop.* ait: *Par est, ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omni quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, lacte videlicet, caseo, & ovis*. Quam quidem abstinentiam de jure communi pro solo tempore Quadragesimæ, non item pro aliis diebus jejuniorum obligare, advertunt DD. communissime cum S. Th. 2. 2. *qu.* 147. & alii apud Castro-Palaum *p. 7. disp. 3. pu. 2. §. 1.* Qui etiam observant, quoad hoc non esse consuetudinem eamdem Ecclesiarum particularium: in quibusdam enim Ecclesiis esus ovorum, & lacticiniorum omnibus jejuniorum diebus æqualiter prohibetur: in aliis autem etiam tempore Quadragesimæ permittitur, & ideo dictum,

10 III. *Secluso privilegio, vel consuetudine contraria*: quali de facto gaudemus Germani in omnibus Provinciis superioribus, nimirum ob penuriam ciborum quadragesimalium, præsertim olei, & piscium. Sed hic quæstio gravis est utrum in nostra Germania, vel aliis locis, ubi lege, consuetudine, vel speciali privilegio licitum est comedere ova, & lacticinia, hoc ipso etiam liceat vesci sagimine, seu pinguedine expressa e lardo porcino, item adipe anserum, ac aliorum animalium, item sanguine animalium, sarciminum &c. Ita affirmant graves DD. Gloss. *in c. Presbyter dist. 82. v. sagimine*. Hostiensis *in summa Rub. de observat. jejunii*. Abbas *in c. consuluit num. 2. de Judæis*. Sylv. *V. Jejunium q. 5. n. 26.* Ubi hanc Regulam tradunt: Cui conceditur usus ovorum, casei &c. intelligitur etiam usus sanguinis, seu lardi concessus. Et aliis cit. consentit Diana *p. 1. tr. 9. resol. 21.* Nec improbat Azor. *p. 1. lib. 7. cap. 10. q. 18.* Ratio est: quia, ut etiam docet Aristoteles, talis pinguedo non est caro, licet ex carne originem trahat, perinde ac ova, buthyrum, ac alia lacticinia, consequenter quando licet unum, licebit & alterum, & quidem a fortiori: mirum enim videtur licere vesci buthyro longe meliori, & non licere vesci sagimine porcino, vel alia animalium adipe longe deteriori: & si liceat vesci lacte, quod substantialiter sanguis est, accidentaliter tamen mutatus, & melioratus, cur non liceat etiam vesci ipso sanguine? Quæ Sententia quamvis speculative, & Philosophice omnino probabilis sit, practice tamen, & Theologice opposita negativa longe probabilior, & tutior est, quam tenent Medina *lib. 1. instruct. c. 14. §. 10.* Filliuc. *tr. 27. c. 3. q. 9.* Tabiena V. Jejunium §. 8. dicens *nullo jure probari, ea comprehendi sub lacticiniis, quia cum sit adeps carnis, potius ad carnes pertinet*. Et Laym. hic c. 1. n. 5. qui recte advertit quod consuetudo in nostris partibus, consentientibus Prælatis, inducta, ideoque pro lege tenenda, in diebus Quadragesimæ, & jejuniorum, permittat quidem usum ovorum, & lacticiniorum, non tamen ita usum sangui-

guinis, lardi, &c. cum ergo jure communi talia non liceant in Quadragesima saltem, nec in nostris Regionibus vi consuetudinis introductæ licita fieri possunt. Accedit, quod magnum subsit periculum, ne data semel facultate utendi sanguine, & lardo, homines facile extendant ad similia, v. g. farcimina sanguinis, & alia ob similem causam, quod quidem ab aliquibus concedi, & a doctissimo quodam Patre Societatis Jesu in aula Viennensi fortiter defendi audivi, sed certe non sine gravi scandalo, & jejunii Ecclesiastici detrimento. Nihilominus prædicta sententia affirmativa, quia speculative probabilis est, ad tria Confessariis servire potest. *Primo*, ut pauperibus eam licentiam vescendi ejusmodi sagina diebus jejuniorum facile concedere possint ob causam paupertatis, & defectum buthyri. *Secundo*, quod ancillis, coquis, aliisque famulis, & servis facile permitti possit, ut & coquant, & cocta comedant de sagimine, aliave pinguedine animalium, cum a Dominis jubentur, eisque comedenda proponuntur. *Tertio*, ut etiam ditiores propter usum ejusmodi sagiminis in cibis condiendis diebus jejuniorum non facile peccati mortalis condemnent, ne nihilominus utantur, & gravius peccent contra conscientiam. *Ratio est*, quia etsi consuetudo in nostris Regionibus non ita permittat usum sagiminis, sicut usum ovorum, & lacticiniorum, est tamen etiam communis persuasio, minorem esse prohibitionem sagiminis, quam ipsiusmet carnis, ut proinde in his Regionibus, quibus esus ovorum, & lacticiniorum concessus est, propter magnam æquiparationem, vel similitudinem, esus sagiminis censeri possit non ita gravis, & sufficiens ad peccatum mortale, ut recte observat *Laym. cit. c.* 1. *n.* 5. Denique plane divitibus absque prorsus rationabili causa simpliciter esus sagiminis nunquam permitti, sed semper dissuaderi debet ob rationem dictam: multo minus esus jusculi carnium, aut farciminum ex sanguine.

11 IV. *Itaque sub mortali toties quoties*. Ita communis sensus, & consensus Ecclesiæ, & DD. ac fidelium omnium, ut alia probatione vix indigeat: nam grave peccatum alioquin mortale ex genere suo esse sine justa causa diebus jejuniorum comedere carnes, constat ex Can. 18. *Apost. Synodo. Trullana. Can.* 56. & *Tollet.* 8. & *Can.* 9. Ratio est: quia materia præcepti gravis est. Toties autem committi peccatum mortale, quoties quis sine justa causa diebus jejuniorum carnes comedit, docet communis Doctorum cum Nav. *c.* 21. *n.* 14. ubi ait: quoties quis edit cibos vetitos, toties peccat mortaliter: secundum omnes. Et ratio est: quia præceptum abstinentiæ a carnibus in diebus jejuniorum negativum est, obligans ad semper, & pro semper, cum sine dubio mens Ecclesiæ sit diebus jejuniorum absolute prohibere carnes, ut sensus sit, nunquam die jejunii comedentur carnes: ergo toties quoties quis carnes comedit, contra præceptum, peccat mortaliter. Sed dixi *ex genere suo*. Nam sine dubio in hoc præcepto non edendi carnes in die jejunii datur aliqua parvitas materiæ a mortali excusans, sicut & in præcepto negativo non furandi: ut cum aliis docent Dian. *cit. p.* 5. *tr.* 5. *ref.* 32. Tamb. *lib.* 4. *c.* . §. 3. Volunt autem eam censendam esse parvam quantitatem excusantem a mortali, qualis coquo ad gustandum vel dapiferis Principum ad prælibandum sufficit: sed certe nimis stricte, & scrupulose. Ego non damnarem peccati mortalis eum, qui absque ulla necessitate, etiam ex mera levitate, curiositate, vel gulositate die jejunii modicum frustillum carnis, v. g. instar nucis communis, mediam aviculam, vel quid simile devoraret, quia præceptum Ecclesiæ piæ Matris non obligat cum tanto rigore. Quod si rationabilis causa accedat, omni culpa vacabit, ut in coquis tunc diebus jejunii cibos carnium prægustantibus. Addit bene *Diana cit. fin.* etiam infirmorum ministros posse quandoque licite aliquid de carnibus edere, non tantum ad prælibandum, sed etiam ad excitandum infirmorum appetitum, & tollendum fastidium, si ita commodum videatur: nam in his est urgentior ratio charitatis, quam Ecclesia non intendit impedire, quam in coquis, & dapiferis, ut ex Navarro, & aliis etiam docet Sanch. *in opusc. tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 1. *d.* 22. *n.* 10.

§. III. *Qualiter in Jejunio Ecclesiastico requiratur una tantum refectio.*

12 JEjunium Ecclesiasticum ex Veteri Lege, & consuetudine *requirit unam tantum refectionem moraliter continuatam, excludendo refectionem iteratam sub mortali, sed probabiliter prima tantum refectione iterata incurrendo*. Est itidem communis DD. Unicam enim refectionem requiri essentialiter ad jejunium Ecclesiasticum omnes consentiunt, & ita universali consuetudine Ecclesiæ interpretatum est præceptum jejunii, ut non liceat, nisi semel in die comedere, ut patet passim in Conciliis, Sanctis Patribus, & Doctoribus. Rationem assignat D. Th. *cit. c.* 7. Quia jejunium Ecclesiæ institutum est, ut corpus dometur, & non destruatur: domatur autem, & non destruitur corpus, si assuetum bis sumere, semel tantum sumere debeat: non domaretur, si nihil omitteret, & destrueretur, si nihil sumere deberet; ergo recte indicta est unica refectio: sed in hac unica refectione, hoc ipso, quod unica sit, & alia sequi non debeat, plus cibi accipi potest licite, quam alias ordinarie sumitur, intra tamen limites temperantiæ, ut omnes vere consentiunt. Quod si quis in ea refectione limites temperantiæ excederet, nimirum bibendo, vel edendo, peccaret quidem contra virtutem temperantiæ pro ratione excessus, plerumque venialiter, at non contra legem Ecclesiasticam jejunii, quia revera unica refectione contentus fuit, etsi ageret contra finem jejunii, scilicet mortificationem carnis, finis enim præcepti non cadit sub præcepto: & meritum jejunii amittet saltem ex parte, si excessus comedendi, vel bibendi tantum venialis fuit: in toto autem, si fuit excessus mortalis, ut optime admonet etiam S. Thomas. Et jam reliqui termini specialiter explicandi sunt.

I. Requirit unam tantum refectionem moraliter continuatam.

PRæceptum Jejunii Ecclesiastici eo ipso, quod requirat refectionem unicam, etiam necessario requirit continuam refectionem, non quidem mathematice continuam absque ullo temporis intervallo, sed moraliter continuam absque notabili intervallo: si enim notabili mora interrumpatur, non unica, sed duplex refectio esset contra præceptum jejunii: idque non tantum verum est, quando utraque, vel alterutra refectio, se sola sufficiens est homini ad cibandum, tunc enim frangeretur jejunium quoad substantiam peccato mortali secundum omnes, sed etiam, quando neutra refectio est de se sufficiens: tunc enim adhuc frangitur jejunium quoad modum refectionis unicæ ab Ecclesia præceptum: idque si absque rationabili causa fiat, peccato saltem veniali, si mora modica sit, vix mortali, nisi nimia esset mora, v. g. aliquot horarum. Cæterum multa hic excusare possunt a peccato, potissimum paupertas, officium, negotium. 1. *Paupertas* quidem, qualis est eorum, qui ostiatim mendicant, & omnium aliorum, qui non habent, quo unica refectione sufficienter reficiantur, utique poterunt refectionem suam interrumpere, & iterare, ut cum D. Thoma omnes admittere debent. 2. *Officium*, quomodo in Monasteriis lectores, & ministri mensæ, & alias famuli ministrantes mensæ, qui licite possunt offam, vel aliud prius accipere, tum ad confirmandas vires, ut commodius serviant, vel etiam famem non nihil sedent, ut notant *Azor. Navar. Diana p.* 4. *tr.* 4. *res.* 142. Tum etiam, quia sumptio illa prævia censetur inchoatio moralis cœnæ, quam postea justa de causa ad implendum servitium interrumpunt, ut notant Less. Laym. *cit. n.* 6. 3. *Negotium* denique, ut si refectione, seu cœna nondum finita, ob occurrens negotium discedere cogaris nondum satur, & absque intentione finiendi, confecto negotio reverti potes ad eam finiendam, præsertim intra modicum tempus, v. gr. unius horæ: censetur enim moraliter unica refectio propter intentionem, consideratis etiam circumstantiis negotii, loci, temporis: *communis apud cit.* Quin etiam si quis, etsi utcumque, non tamen abunde satur, animo refectionem finiendi a mensa recedat cum, vel sine negotio, adhuc mutata intentione durante adhuc cœna, redire posse, & comedere absque fractione jejunii, probabiliter docet Less. *l.* 4. *c.* 2. *dub.* 2. *nu.* 11. *Filliuc. hic*, qui addit insuper, etiamsi cœna finita fuisset, si tamen non omnino satis edisses intra modicum tempus, v. gr. unius quadrantis, posse te refectionem instaurare, quia moraliter censeretur unica refectio: nec dissentit Diana *p.* 2. *tr.* 9. *res.* 32. Oppositum tamen docent Nav. *c.* 21. *n.* 14. Valentia, & alii cum Laym. tamen non posse redire citra peccatum saltem veniale, quia in hoc casu repetitio comestionis non fit per accidens, nec una intentione unitur moraliter, sed fit ex nova intentione contra priorem, adeoque respectu hujus hominis non una moraliter, sed plures comestiones sunt. Sed tu elige sententiam quæ magis placet. 13

II. Excludendo refectiones iteratas.

JEjunium Ecclesiasticum ita requirit refectionem unicam continuam, ut solum excludat alias iteratas veras refectiones, seu sumptiones alicujus per modum cibi ad nutriendum corpus. Minime vero excludit alias sumptiones non per modum cibi, vel refectionis, sed vel per modum medicinæ, vel per modum potus: ut etiam *sect.* 1. in definitione jejunii generaliter prolatum, & hic particularius explicandum est. In primis ergo non frangit jejunium, quidquid sumitur extra tempus refectionis pure per modum medicinæ, ut non tantum sunt ipsa medicamenta, seu pharmaca præcise ad avertendos morbos ordinata, sed etiam quidam veri cibi, alioquin ad nutriendum corpus apti, cum tamen in paucitate modica sumantur extra, vel ante tempus refectionis, non ut cibi ad nutriendum, sed ut medicina solum ad fovendam naturam. Ut si quis ad confortandum stomachum, debilem, vel præ vacuitate defectionem metuens, vel ad tollendum oris fœtorem, vel similem causam, mane sumat offam, frustum panis, electuarium, aromata, saccarum &c. Item si musicus ad conservandam vocem mane sumat ovum recens, offulam, confectiones saccarias. Eadem ratio est de Professore publico, de Concionatore, qui plus a jejunio excusantur, ut *sect. ult.* videbitur. 14

bitur. Item cum quis extra tempus refectionis bibit quacumque de causa, licite addit bolum panis, amygdala, vel aliud quid: quia id rationem medicinæ potius habet, ne noceat haustus, etsi per accidens nutriat, ut notant communiter DD. apud Laym. *cit. l.4.tr.8.c.1.n.7.* Item universaliter electuaria, seu confecta sumere, non frangit jejunium, cum principaliter non sumantur ut alimenta, sed ut medicamenta, ut docet communis DD. cum ipso S. Thoma *cit.2.2.q.147.ar.6. ad 3.* qui merito excipit omnes, nisi in magna quantitate accipiant, adeoque plus per modum cibi quam medicinæ, & consequenter in detrimentum jejunii. Eadem denique ratione sumere fructus aliquos extra tempus v. g. uvas, ficus, poma domestica, vel peregrina in quantitate non magna, & non per modum cibi ad satiandum, sed potius per modum medicinæ, vel per modum potus ad refrigerandam naturam, vel sitim restinguendam &c. non frangere jejunium, recte notat Diana *p.9. tr.7. resol. 24.* Excipe rursus, nisi in magna quantitate, adeoque per modum cibi saturantis potius accipiantur.

15 Deinde non frangit jejunium extra tempus refectionis bibere quemcumque purum potum, etiam vinum, cervisiam, mulsum: uti contra nostrum Alensem docet communissima DD. cum *D. Thom. cit. art.6.* Ratio est, quia tantum est in præcepto una comestio, non autem una potatio, uti communis jam usus interpretatur, & licet veteres Christiani diebus jejuniorum etiam vini usu abstinere debebant, ut late probat Bellar. *lib. 2. de operibus*, modo tamen id Christianis consuetudo a tempore immemorabili concedit, ut licitus sit vini usus, etiam extra tempus refectionis, sive ante, sive post; ut habet communis Theol. & Canonist. cum Azor. *l.7.c.10.q.7.* Laym. *cit. c.1. nu.1.* Idque certum videtur, si bibatur vinum, vel alius potus præcise per modum potus ad sedandam sitim. At quid, si sumatur vinum, cervisia, mulsum, non ad sedandam sitim, sed etiam aliqualiter ad famem sedandam, & nutriendum (cum revera aliqualiter nutriant cervisia rubra, & mulsum) extra tempus refectionis? Frangere jejunium, & illicitum esse docent S. Anton. Ricard. Rosella, alii, cum Azorio modo *cit. c.10.q.4. in fine*. Oppositum tamen longe probabilius docent DD. communiter cum D. Thom. *cit. artic.* 7. Navar. *c.21.n.13.* Laym. *cit. nu.* 7. & plurimis citatis Dian. *p.1.tr.9. resol.23.* Ratio a S. Thoma data est etiam: quia Ecclesia diebus jejuniorum tantum prohibet ea, quæ per se ordinantur ad nutriendum corpus, potus autem quicumque purus per se non ordinatur ad nutriendum corpus, sed potius ad sitim extinguendam, naturam refrigerandam, & cibi concoctionem adjuvandam: & quamvis vinum, cervisia, mulsum, per accidens aliquantulum nutriant, eorum tamen Ecclesia rationem non habuit: ergo si quis diebus jejunii bibat vinum, cervisiam, mulsum &c. famis sedandæ gratia, adeoque quasi per modum cibi, non agit contra præceptum Ecclesiæ, etsi agat contra finem præcepti, quem non tenetur assequi. Alia est ratio de lacte, melle, pulte amygdalina, jusculo carnium &c. quæ ad nutriendum principaliter ordinantur, adeoque pota sine dubio jejunia violant, secundum omnes.

16 Insuper vinum, cervisiam, mulsum &c. immoderate, & excessive bibens, puta usque ad ebrietatem, vel vomitum, peccat quidem contra virtutem temperantiæ pro ratione excessus, mortaliter, vel venialiter, non tamen contra præceptum jejunii, quippe quo potus non prohibetur, ut dictum est: etsi deficiat a fine præcepti, scilicet mortificatione corporis, alioquin pro ratione excessus mortalis, vel venialis, meritum jejunii in toto, vel in parte perdat (ut supra de una refectione excessiva dictum est) unde dici solet potum excessivum jejunium non frangere, sed submergere tantum. Ita communiter DD. apud sæpe citatos: etsi contrarium doceat noster March. *Trid. p.2.tr.12. tit.3. quæst.1.* quem vide, &, si placet, sequere.

III. *Sub mortali ex genere suo.*

17 COmmunis DD. apud Bellarm. *lib.2. de bonis operibus cap.7.* Laym. *hic c.1.n.12.* Ratio est: quia hæc est vera lex, & præceptum Ecclesiæ in materia gravi, adeoque juxta rationem materiæ obligans sub peccato gravi ex genere suo: adeo ut extra tempus competentis refectionis sumere aliquid cibi in quantitate notabili sit peccatum mortale, in quantitate vero modica, & non notabili, veniale tantum, nisi rationabilis causa omnino excuset: etenim in hoc præcepto dari parvitatem materiæ a mortali excusantem, omnes consentiunt, quamvis in assignanda illa parvitate materiæ maxime discrepent.

Placet judicium Dianæ *p.5.tr.5. res.11.* Materiam parvam hic censeri circiter duarum unciarum, quæ est pars quarta collationis, seu refectiunculæ vespertinæ: adeo ut sicut pro collatione vespertina damus quartam partem cœnæ ordinariæ, ita ejusdem collationis quartam partem admittimus pro parva materia, veniali culpa in fractione jejunii: ita ut ejusdem collationis quantitatem totam, vel plus, quam mediam comedere, absque omni causa extra tempus refectionis, ascenderet ad peccatum mortale in fractione jejunii. Ubi tamen nota ex materia de peccatis: multas materias parvas distinctis vicibus extra tempus refectionis sumptas, tandem concrescere in materiam gravem, & frangentem jejunium mortaliter, quia continuantur in affectu refectionis, nec opus est, ut fiant ex prævia intentione voluntatis, sed sufficit, quod quis sæpius extra tempus quid modicum comedens advertat tandem se notabilem quantitatem congregare, quo animadverso, sumpta adhuc bucella, peccabit mortaliter, eadem ratione, sicut in materia furti communiter explicant DD.

IV. *Sed probabiliter prima tantum refectione iterata incurrendo.*

QUæstio hic præcipua est; an sicut de præcepto abstinentiæ a carnibus dictum est, ita etiam in præcepto refectionis unicæ peccet mortaliter, toties quoties, qui extra tempus refectionis aliquid sumit in quantitate notabili, an vero in prima sumptione tantum? 18

Resolutio pendet ex mente Ecclesiæ. Potuit enim Ecclesia ita præcipere unam refectionem, ut simpliciter prohibeat omnes alias (quemadmodum præcipit unam tantum in die communionem, vel celebrationem) adeo ut, quoties quis ultra eam reficitur, toties peccet contra præceptum negativum, & ita quidem esse affirmant *Medina, Covarruvias, & alii nonnulli*. Vel potuit Ecclesia ita præcipere unam refectionem, ut alias refectiones solum excludat limitate, quatenus nimirum destruunt formam jejunii quoad unitatem refectionis: & sic certum est sola secunda comestione notabili peccari mortaliter, & non aliis sequentibus. Atque ita affirmat jam communis, & verior sententia DD. Navar. sæpe cit. Cajet. Sylvest. Angelus, aliique plurimi apud Less. cit. *lib.4. cap.2. dub.3.* Laym. *cap.1. nu.13.* Diana *part.1. resol.44.* Ratio est, quia eatenus peccatur contra præceptum jejunii, quatenus frangitur jejunium: atqui jejunium, quatenus consistit in una refectione, semel tantum potest frangi, scilicet in secunda refectione, non item in alii sequentibus: postquam enim semel altera vice sufficienter refectus fuisti, jam periit forma jejunii quoad unicam refectionem: & sicut non potest amplius resarciri, ut sit una refectio, cum altera præcesserit, ita etiam non potest amplius frangi per subsequentes refectiones, ut evidens est: ergo in sola secunda refectione notabili peccatur mortaliter contra præceptum jejunii, consequenter, postquam quis semel secunda vice refectus, jejunium fregit: non tenetur amplius abstinere a comedendo (exceptis carnibus) saltem sub mortali (probabiliter enim Filliuc. cit. censet in aliis refectionibus adhuc peccari venialiter, quia videntur secundario adhuc prohibitæ.) Addunt Laym. & Diana cit. eandem esse rationem, sive quis scienter justa, vel injusta ex causa, sic & ignoranter, vel inadvertenter, v. gr. non recordatus jejunii, altera vice reficiendo jejunium fregit, non teneri amplius abstinere, nec peccare ulterius comedendo: semper enim verum est dicere, jejunium fractum esse quoad unicam refectionem, & cessat finis præcepti, scilicet mortificatio carnis, ut talis deinceps servari non possit, secundum formam Ecclesiæ. Eandem rationem esse de eo, qui vovisset jejunare in pane, & aqua, & jam semel vinum bibendo votum fregit, jam audivisti supra in materia voti.

§. IV. *Qua hora debeat fieri refectio in Jejunio Ecclesiastico.*

JEjunium Ecclesiasticum ex antiqua Ecclesiæ institutione & consuetudine requirit, ut refectio illa unica sit cœna, non prandium, adeoque fiat hora competenti, qualis olim fuit in Quadragesima quidem vespertina, in aliis jejuniis hora 9. post meridiem. Ita exemplo Scripturæ affirmant, & probant testimonia Sanctorum PP. passim, quos late videre potes, apud Bellar. *cit.cap.2.* & meum March. *loc. cit.* Instar omnium sit D. Bern. *serm.3. Quadr. Hactenus usque ad nonam jejunavimus soli: nunc autem usque vesperam jejunabunt nobiscum universi, Reges, & Principes, Clerus, & populus, nobiles, & ignobiles simul in unum dives, & pauper.* Et negari non potest olim horam determinatam illam, tamquam quid substantiale requisitum ad jejunium obligasse sub peccato mortali, atque ut observat Laym. *cit. cap.1. num.11.* olim peccatum mortale fuisse tempus refectionis notabiliter anticipando jejunium solvere, seu cœnam in prandium commutare sine justa causa. Verum nunc de jejunio Ecclesiastico, prout moderno tempore observari debet, pono breves 19

RESOLUTIONES,

I. HOra competens refectionis capiendæ in omnibus jejuniis Ecclesiasticis in, & extra Quadragesimam ex recepta jam consuetudine, & indulgentia Ecclesiæ, cui omnino standum est, est hora sexta proxima meridiei; apud nos undecima. *Omnes*. Cum enim homines ob corporis, & naturæ semper magis declinantis infirmitatem, amplius tam diu in jejunio non perseverarunt, Ecclesia pia Mater jus commune relaxavit, & refectionem alias tamquam cœnam hora vespertina, vel nona sumendam, hora 20

sexta

sexta sumi indulsit: & reipsa quidem in prandium commutavit: attamen ob memoriam antiquitatis edendo nomine cœnæ. Unde & ordinavit, ut in ipsa refectione meridiana dicantur preces mensales pro cœna assignatæ, & ut in Quadragesima Vesperæ, & aliis diebus jejunii Nona semper ante refectionem meridianam dicantur. Cœpit ea consuetudo in meridie reficiendi fere temporibus S. Thomæ Aquinatis circa annum Christi 1270. Ut insinuat ipse S. Thomas sæpe *c. q.* 77. *a.* 7. & referunt DD. communiter etiam *cit.* &c. Observandum autem est, horam meridianam nunc ad jejunium Ecclesiasticum requiri, & præcipi negative tantum: nimirum, ne ante illam horam cibus sumatur, ut mox declarabitur, non vero positive, quasi necesse sit hora meridie cibum sumere, & non liceat diutius abstinere, & jejunium protrahere. Non enim tantum licitum, sed sine dubio sanctum, & meritorium, longeque præstabilius est, jejunium veteri more protrahere usque ad Vesperas, vel saltem Nonam: Tum quia conformius est veteri Ecclesiæ, & Sanctorum jejunio: Tum quia est major mortificatio carnis; adeoque conformius intentioni Ecclesiæ, & fini jejuniorum, ut recte monent *Navar. Lessius, & Filliucius citati.*

21 II. Hora determinata refectionis, scilicet modo meridiana, non est de essentia jejunii Ecclesiastici, sicut est abstinentia a carnibus, & unica refectio. Communio, & probabilior sententia DD. *cum Less. Fill. Laym. cit.* Ratio est, quia Jejunium Ecclesiasticum hactenus semper perseveravit idem, & immutatum, quoad abstinentiam a carnibus, & unicam refectionem, at quoad tempus comestionis hactenus sæpius mutatum fuit, nam in primis hora vespertina mutata est in nonam, modo utraque retracta est in sextam, seu meridianam, ejusque signum est, horam determinatam non esse ita de essentia jejunii, sicut est abstinentia a carnibus, & unica refectio. Deinde illud non est de essentia jejunii, quo prætermisso non frangitur, sed adhuc potest, & debet observari jejunium, sed si quis reliqua servavit, scilicet abstinentiam a carnibus, & unicam refectionem, etsi horam competentem notabiliter præveniret, is non frangeret jejunium, sed posset, & teneretur adhuc jejunare reliquo die: quis enim dicat, eum, qui cum, vel sine causa horam refectionis una, vel aliquot horis anticipavit, non teneri amplius eo die jejunare, sicut eum, qui secunda vice refectus est, jejunium fregit: ut perperam docuit quidam: ergo hora determinata refectionis non est de essentia jejunii, sed solum conditio accidentalis, cum cujus violatione substantia jejunii Ecclesiastici consistere potest, ipsumque jejunium non quoad substantiam, sed quoad modum tantum secundarium præceptum violatur, & hoc solum probant Canonistæ, & DD. num. seq. adferendi &c. Itaque qui sive voluntarie cum, vel sine justa causa, sive involuntarie, & inadvertenter scilicet ignorans, vel non recordans esse diem jejunii, & uno verbo, qui cum, vel sine culpa ante horam determinatam meridianam se reficit v. g. mane sumit jentaculum (dummodo carnes, vel cibos vetitos non comedat) sicut potest adhuc præceptum jejunii quoad substantiam servare, sic etiam tenetur observare, & sic deinceps. Aut enim sumptum mane jentaculum fuit sufficiens refectio, & tunc contentus esse potest, & debet vespertina collatione intra admittenda, aut non fuit sufficiens refectio, & tunc justam causam habet, vel circa meridiem moderate prandendi, aut intermisso prandio vesperi cœnandi, jentaculo illo matutino pro collatiuncula vespertina reputato, & commutato. Communis DD. Nav. *c.* 21. *nu.* 23. Less. *l.* 4. *c.* 2. *dub.* 3. Laym. *cit. n.* 14. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *res.* 48. Quare non placet Sententia Palud. Sylv. & aliorum, quod si quis nesciens, aut immemor esse diem jejunii, mane jentaculum sumpsit, posse nihilominus absolute cum aliis prandere, ac si nihil omnino sumpsisset, propterea quod jejunium non voluntarie, & formaliter, sed materialiter tantum violetur. Non placet, inquam. Talis enim sumendo jentaculum, vel comedendo ante tempus refectionis, adhuc nullo modo jejunium violavit, cum possit adhuc servari quoad substantiam: postea autem, si sumpto bono jentaculo iterum prandeat, violavit jejunium omni modo, & formaliter, & materialiter, ac quoad substantiam, iterata scilicet tantum refectione notabili.

22 III. Jejunium Ecclesiasticum quoad horam determinatam in Ecclesia modo meridianam, seu undecimam, obligare sub peccato, omnes agnoscunt, & quidem etiam hodie obligare sub mortali, adeo ut peccatum mortale sit, eam horam notabili tempore, saltem unius horæ præveniendo sine justa causa reficere, docent sane gravissimi Doctores Nav. *c.* 21. *n.* 37. *Covar. Palud. Sancius*, & alii, & mordicus noster Marchan. hic *tr.* 12. *tit.* 3. *q.* 2. asserens esse communem Ecclesiæ sensum, a quo recedere temerarium sit. Rationem dant. Quia qui Ecclesiasticum jejunium notabiliter violavit, peccat mortaliter: sed notabili anticipatione refectionis ante horam determinatam notabiliter violatur jejunium; nam & olim præveniens reficiendo horam vespertinam, vel nonam non censebatur jejunare, adeoque simpliciter violare jejunium: nunc autem refectio meridiana successit veteri refectioni vespertinæ, consequenter & hanc notabiliter sine justa causa præveniens censebitur non jejunare, sed frangere jejunium. Deinde præscriptio horæ meridianæ facta est tanquam notabiliter conducens ad finem jejunii, scilicet mortificationem carnis, atque augens jejunii difficultatem, & jejunantis meritum, atqui notabiliter præveniendo horam præscriptam tollitur iste finis, adeoque violatur jejunium: ergo notabiliter præveniens horam præscriptam peccat mortaliter. Cæterum omnes consentiunt, notabilem præventionem esse unicam horam, & amplius, ante horam ordinariam: præventionem autem non notabilem, adeoque venialem tantum, esse unius quadrantis, vel mediæ horæ circiter ob parvitatem materiæ, ut fatetur ipse March. *l. c.* Sententia utique probabilis, tutior, & magis pia, adeoque in praxi consulenda.

IV. Nihilominus æque probabilis est sententia negativa 23
nimirum horam præscriptam etiam notabiliter, & sine etiam justa causa prævenire reficiendo, esse solum peccatum veniale. Ita communior DD. *Innoc. Angel. Tolet. Medina, alii cum Lessio, & Laym. supra cit. & plurimis citatis.* Diana *part.* 1. *tr.* 9. *res.* 33. Ratio est: Quia sic præveniendo non violatur jejunium quoad substantiam, ut N. II. probatum: sed solum quoad conditionem accidentalem ex præcepto requisitam: & quamvis hæc ipsa conditio non reficiendi, nisi hora statuta, scilicet vespertina, vel nona, olim obligarit sub mortali, quin etiam dato, quod tunc fuerit de substantia jejunii Ecclesiastici, ut volunt Auctores oppositæ Sententiæ, erat enim gravissima mortificatio, quæ semel anticipata notabiliter hora, posteriori abstinentia non poterat compensari: attamen, spectata hodierna Ecclesiæ consuetudine, qua cœna in prandium, seu tempus meridianum, quo homines communiter prandere solent, translata est in tempus ordinarium, non videtur amplius admodum ad substantiam pertinere jejunii, neque ad ejus finem, cum mortificatio, seu difficultas, quæ minuitur anticipando refectionem ante meridiem, e contra postea augeatur, & compensetur ulteriori dilatione collatiunculæ vespertinæ: adeoque tempus statutum esse solum quid accidentale, & secundario requisitum ad jejunium Ecclesiasticum: cujus proinde prætermissio, seu anticipatio etiam notabili tempore facta sine justa causa censeri debeat tantum culpa venialis: ut recte infert Laym. *c. n.* 11. In hac ergo probabilissima sententia horam refectionis meridianam prævenire per tempus non notabile, utpote quadrantem, vel mediam horam circiter, nullum omnino peccatum erit; cum enim neque notabili tempore prævenire sit culpa gravis, tempore non notabili prævenire nulla esse potest culpa. Prævenire autem tempore notabili horam v. g. jam incipit esse culpa venialis, eoque gravior, quanto ab eo longius receditur; nunquam tamen pertinget ad culpam mortalem ob causam dictam. Intellige semper *absque causa legitima*; quod si enim causa justa, & rationabilis interveniat, nulla omnino culpa erit, tempus refectionis etiam notabiliter prævenire: Cujusmodi causæ sunt, 1. Iter inchoandum ex justa causa etiam liberæ devotionis, peregrinationis. 2. Impedimentum, vel negotium urgens, quod refectionem meridianam impediat, ut quando Concio habenda, lectio frequentanda, aliudve negotium in meridie. 3. Item infirmitas corporis, quæ non permittit tantum temporis expectare, & manere jejunum. 4. Hospitalitas, seu Urbanitas, ut si amicus, viator, vel alius veniat ad te, qui causa itineris, vel alterius negotii debeat anticipare comestionem, & ei condescendere, vel se coaptare conveniens sit &c. In his, & similibus nullum agnoscunt peccatum Doctores communiter, etiam Marchant. *cit. q.* 2. *n.* 3.

SECTIO II.

Qualiter licita sit Collatio, seu refectiuncula vespertina, in qua quantitate, & qualitate ciborum.

SUMMARIUM.

25 Collatio vespertina licita est *ex consuetudine.*
26 In quantitate tamen modica; *quæ communiter censetur esse quarta pars cœnæ ordinariæ*, Usque ad 30.
30 Usque ad num. 33. Et in quantitate ciborum: *ubi, quos cibos sumere liceat in collatione.*
33 *Tempus vespertinum collationis ex rationabili causa cum prandio commutare licet.*

ASSERTIO III.

Licita modo est collatio, seu refectiuncula vespertina in 24
quantitate modica, & qualitate ciborum competente: tametsi ex rationabili causa eam cum refectione meridiana commutare liceat. Comm. DD. Explico breviter.

§. I. *Licita est collatio &c.*

Nullo quidem Jure communi, cum de Jure communi 25
ipsa refectio unica jejunii Ecclesiastici debuerit sumi tempore vespertino: post quam nihil omnino cibi licebat amplius sumere (unde Jejunium definiri solet: *Prandii & post cœnam cujuslibet cibi subtractio;*) sed solum consuetudine

dine legitima præscripta, licita est modo illa collatio; ut observat *communis DD. apud citatos*. Nam postquam ipsa refectio unica jejunii a tempore vespertino translata est in horam meridianam: quia fideles, si post tam maturam refectionem toto reliquo die nihil amplius cibi sumere deberent, difficulter possent somnum capere, & potus ad refrigerandam naturam, sitimque sedandam necessario sumendus, facile nocere posset valetudini. Simili consuetudine rationabili jam ubique recepta, & præscripta, introducta est illa cœnula, seu refectiuncula vespertina, non tantum per modum medicinæ ad conciliandum somnum, vel ne potus noceat, verum etiam per modum cibi sumenda. Quia etiamsi illa consuetudo a principio incœperit ex necessitate, ne somnus impediatur, & potus noceat, tamen consuetudo ita invaluit, ut absolute liceat per modum cibi reficientis, etiamsi hic, & nunc non esset necessaria ob somnum, vel nocumentum potus, ubi observant DD. communiter cum Nav. *Less. lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 2. Porro sicut illa ipsa collatiuncula vespertina precise introducta, & licita facta est per consuetudinem, ita etiam ejusdem quantitas, & qualitas licita secundum consuetudinem, & æstimationem piorum, & DD. regulanda, & definienda est, ut ex Abbate recte notat *Laym. cit.*

§. II. *In quantitate modica.*

26 Modicam debere esse quantitatem, omnes conveniunt, quo minor, eo melior: at vero quantum, & in quanam quantitate modica liceat cibum capere in refectiuncula illa, tot sunt Sententiæ, quot capita. Aliqui mensuras mathematicas præfigunt. Nam *Graffis* permittit tres uncias, *Homobonus* permittit quatuor, *Villalobos* concedit sex, *Fagund. & Tamb.* infra citandi octo uncias admittunt, idest, fere mediam libram nostram in refectiuncula vespertina. Alii alia comminiscuntur. Alii rectius docent, non posse unam generalem pro omnibus quantitatem secundum pondus, & mensuram determinari, sed variam esse posse pro varietate personarum, & ætatis, educationis, occupationis; item regionis calidioris, vel frigidioris, & sane verissimum est, sine dubio enim plus indiget, & sumere potest homo provectæ ætatis, quam puer; homo nobilis pluribus, & delicatioribus assuetus, quam vulgaris; homo pluribus occupationibus, vel laboribus exercitatus, quam vacans: homo degens in his regionibus frigidioribus, quam in regionibus calidis Italiæ, Hispaniæ &c. Ad hoc tamen, ut aliqualis recta regula assignetur pro omnibus, placet Sententia Reginaldi in praxi sua *tom.* 2. *l.* 4. *nu.* 185. Filliuc. *tr.*2. 1.*p. c.* 2. *q.* 7. & Laym. *hic c.*1. *n.*9. Quantitatem modicam pro collatione vespertina licite, & sine scrupulo, censeri quartam partem cœnæ ordinariæ, quam quis alias, spectata sua persona, ætate, conditione, occupatione, regione, ordinarie ad sufficientiam naturæ sumere solet. *Ratio est*, quia etiam in aliis præceptis, ut auditione Missæ, & recitatione horarum, semper quarta pars censetur modica, & non notabilis (nisi totum esset valde notabile magnum) cum ergo homo pro cœna ordinaria non ita magnam quantitatem edere soleat, merito quarta pars cœnæ ordinariæ censeri potest quantitas modica, quam quis pro refectiuncula vespertina ad confortandam naturam licite sumere possit, v. g. Si in cœna ordinarie solas sumere libram, poteris in collatiuncula sumere quadrantem libræ, ex qualitate competente infra assignanda. Et hæc regula plana, & universalis, ut cuivis hominum statui, & conditioni facillime applicetur, estque hæc recepta opinio DD. in Germania: quamvis Auctores *cit. Diana*, *Turrianus*, & alii nimis laxam, improbabilem, & minus tutam in praxi proclament. Mittant illi Germanis tempore jejunii suum calidum cœlum, cibum, & vina pinguia, fructus, & confecta &c. & jejunabimus cum ipsis.

27 Nec etiam nimis recedit a nostra sententia opinio Villalobi, & Tamb. *l.*4.*c.* 5. §. 3. qui ait receptam esse RR. opinionem, cœnulam vespertinam ascendere posse ad octo circiter uncias, idest, mediam circiter libram ex consuetudine legitime introducta, idque universaliter respectu omnium, sive alias magna, sive modica cœna utentium, sive robustorum, sive infirmorum, etiam eorum, quibus octo unciis fames omnino extinguitur. Et sane si constaret de ejusmodi consuetudine legitime introducta, hæc Sententia multum faceret ad eximendos scrupulos religiosioribus. Atque in particulari convenit cum nostra regula: si quis enim in cœna soleat sumere ad triginta uncias, duas circiter libras, quarta pars licite ascendet ad octo uncias, mediam circiter libram.

28 Itaque in hac nostra probabili, & tuta sententia tunc demum in cœnula nocturna excedi, & jejunium frangi censebitur, quando id, quod sumitur, notabiliter excedit quartam partem ejus quantitatis, quæ ad integram cœnam sufficit, seu ultra mediam libram, nisi & hoc aliqua causa excuset a peccato, uti est corporis teneritudo, assuefactio &c. qua ratione personis nobilioribus plus permitti potest. Item occupatio diurna, qua ratione assiduo studio occupatis plus permittitur. Item occupatio futura nocturna: qua ratione in Vigilia Nativitatis Domini permissa est collatio duplo major propter Officium nocturnum, cui omnes fideles interesse solent: ut observat *Filliuc. cit. Turrian.* & aliis cum Diana *punct.* 5. *tract.* 5. *resol.* 12. Eadem est ratio de aliis similibus casibus.

§. III. *In qualitate ciborum.*

Exclusis carnibus, vel aliis cibis vetitis, insuper in collatione etiam quoad cibos esuriales delectum habendum, ut non liceat quemcumque sumere, docet sane communis Doctorum Sententia, & oppositum falsum, & improbabile censet *Diana p.* 1. *tract.* 9. *ref.* 1. 29

I. Communis ergo est sententia Navarri *c.* 21. *num.* 13. 30
Toleti *l.* 6. *c.* 2. Filliuc. *c.* 2. *dub.* 6. & aliorum cum Diana *cit. & p.* 10. *tr.* 14. *ref.* 57. collatiunculam sumendam esse in modico pane, fructibus arborum, herbis bellariis tantum, quæ nimirum solum in jentaculis, vel merendis apponi solent, vel in refectionibus præmitti ad excitandum appetitum, vel postponi ad sigillandum cibum, ait *Diana cit.* adeo ut jejunans etiam in refectiuncula vespertina teneatur abstinere ab omnibus cibis proprie dictis, qui nimirum ad sustentandam naturam, in ipsis refectionibus, ut fercula apponi solent, ut sunt omnes pisces cocti, ova, lacticinia, legumina cocta, aliique cibi substantiales, idque (ut plerique docent) sub peccato mortali ex genere suo: nisi parvitas materiæ excuset. *Ratio est*, quia consuetudo, quæ ipsam collationem introduxit, etiam quantitatem, & qualitatem cibi licite sumendi præscripsit, atqui (ait Azor. *l.* 7. *c.* 8. *qu.* 7.) communi usu receptum est, ut parum panis edatur, vel seorsim, vel una cum fructibus, herbis, vel aliis cibis levioribus, ut sunt ficus, uvæ passæ, nuces, pira, poma, vel saccaro, & melle confecta, vel pisciculus parvus (intelligit non coctum, sed fumo duratum, vel maceratum aceto, qualis etiam inter leviores cibos numeratur in Jure, ut observat Laym. *cit. n.* 9.) & *q.* 8. postea ait Azor. *corruptelam esse, si ii cibi sumantur, qui potissimum ad nutriendum valent, qualia sunt legumina, & pisces.* Hæc ille.

II. Plerique tamen, præsertim pro nostris partibus aliquantulum plus indulgent. Modicum casei, butyri, lactis, 31
pultis amygdalinæ concedunt *Filliuc. & Laym. cit.* hic addit placentas nostras. Panem coctum cum amygdalis concedunt *Azor.* & alii cum Diana *p.* 1. *tr.* 9. *ref.* 34. quamvis alii non pauci negent apud eundem. Graviter autem controvertunt: an in collatione saltem liceat sumere jusculа cocta, ex ipsis illis, quæ licita sunt in collatione, v. g. ex vino, vel cervisia, pane, herbis, fructibus, oleo, vel butyro condita. Affirmant multi, Azor. *cit. q.* 8. Drexelius *suo Aloe*. Bassæus *de Jubilæo q.* 4. *casu* 18. & probabile censet Laym. *cit. n.* 9. Quod si enim in collatione licitum est seorsim bibere vinum, vel cervisiam, & comedere panem, fructus, herbas, ac modicum butyrum, cur non liceat ex ejusmodi commixtis, & calefactis confectum jusculum, vel pultem comedere? cum nihil referat, calidumne, vel frigidum sumat.

Verum negant licere æque multi, Filliuc. *cit. q.* 6. alii- 32
que cum Diana proxime *cit.* & mirabile dictu! ipse Laym. *cit. n.* 8. Ratio est, quia tunc fieret aliud genus ferculi, quod non ingredi solet jentaculum, sed apponitur in mensis ad alendum: negari enim non potest, quod ignis concoctio plurimum mutet materiam subjectam, ut alium ex eo cibum efficiat, nutritioni magis inservientem. Hæc, & similia plura disputant DD. quilibet in suo sensu abundans. Et sine dubio in rigore loquendo, & spectata antiqua consuetudine collationis introductæ, verissima sunt, & omnibus probis consulenda, cessante necessitate, vel causa legitima. At vero spectata moderna consuetudine, præsertim in nostra Germania jam diu tolerata, & plane invalescente, censeo, non tantum omnia prædicta licitissime absumi in collatione, sed etiam omnino probabilem, & tutam esse sententiam oppositam, nimirum in collatione vespertina jejunii non esse attendendam qualitatem ciborum, sed quantitatem tantum: adeo ut ex omnibus cibis, qui die jejunii licite possunt sumi in prandio, etiam piscibus, leguminibus, placentis, ovis, lacticiniis &c. in quantitate modica ante determinata, etiam liceat sumere in cœna; ita expresse docent Cajet. *V. Jejunium c.* 1. *fin.* dicens: *non referre, quid quis in serotino jentaculo sumat, si modum non excedat.* Et aliis citatis Bonac. *de legibus disp. ult. pu.*3. *q.* 1. & novissime noster Petrus March. *Trib. p.* 2. *tract.* 12. *tit.* 3. *q.* 3. *dub.* 1. his omnino verbis: *Respondeo ego, in collatiuncula vespertina de qualitate cibi non esse altercandum, sed de quantitate dumtaxat:* fundor: *quia collatiuncula illa tolerata, vel permissa est ad aliquam confortationem naturæ propter infirmitatem humanam: quid igitur refert, quo cibo illa confortatio fiat? modo non excedatur, & cibus abstinentiæ jejunii sit accommodatus, &c. Ideo censeo qualitatem cibi (modo ex prohibitis in diebus jejuniorum non sit) collationem non vitiare, si in quantitate non excedatur.* Hæc ille.

Ego miror Patrem Paulum Layman, alias tam bonum Germanum in hac sola materia patriotis suis fuisse tam austerum.

§. IV.

§. IV. *Quam ex rationabili causa cum refectione meridiana commutare licet.*

33 REfectiunculæ vespertinæ tempus ordinarium sine dubio est vespertinum: adeo ut absque omni causa pro mero libitu eam commutare, mane sumendo, & vesperi cœnare non licere citra veniale, doceat communis, & vera sententia DD. *Cajet. Navar. Tolet. Filliuc. Laym. ll. cc.* quia violaretur aliqua circumstantia jejunii per consuetudinem inducta, idque contra modernam uniformitatem Ecclesiæ. At vero si quæcumque causa rationabilis accedat, licitum esse, omnes uno ore concedunt: etiam noster Marchant. *cit. q. 3. dub. 3.* dicens: *Ratio mihi clara est: quia si Mater Ecclesia cum comedente in meridie dispensat, ut collatiunculam vesperi sumat ad confortationem, ne deficiat, in hoc condescendens humanæ infirmitati: potior sane dispensationis ratio est in eo, qui ut in die iter agat, aliudve negotium commode exerceat, ad vesperam usque suam cœnam transfert, & mane collatiunculam sumit, & in eo est majus periculum deficientiæ. Ubi igitur eadem ratio militat, idem omnino secura conscientia concludi existimo. Et hæc praxis communi usu timoratorum in dies confirmatur.* Hæc Marchantius verissime.

SECTIO III.

Quinam obligentur ad jejunium Ecclesiasticum, & qualiter.

SUMMARIUM.

34 Usque ad num. 37. *Qui, quando, & qualiter obligentur ad Jejunium.*
37 *Transgressus Jejunium accidentaliter tantum, illud adhuc servare tenetur de reliquo.*
38 *Transgressus autem illud semel quoad substantiam, id amplius servare non tenetur, nisi quoad carnes.* Unde
39 *Qui illud fregit comedendo carnes, etiam semel tantum, tenetur deinceps abstinere a carnibus, non vero ab aliis cibis.*
40 *Dispensatus ad carnes ob* infirmitatem, *censetur etiam dispensatus ad alteram refectionem: non vero si dispensatus sit ad carnes ob alias causas.*
41 *Obligatio Jejunii ita affixa est diei statuto, ut privata auctoritate transferri non possit.* Unde
42 *Qui stato die non jejunavit, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, non tenetur supplere alio die. Aliud est de Jejunio ex voto, vel Pœnitentia debito.*
43 *Qualiter transgressio jejunii explicanda in Confessione, &*
44 *Quando ea unum numero peccatum, vel multiplex.*
45 *Quando, & qualiter peccent alii proxime cooperantes ad frangendum Jejunium: ut Patres, & Matresfamilias, Domini, Superiores, Caupones, &c.*

ASSERTIO III.

34 OMnis *Christianus adultus rationis compos, obligatur sub mortali servare jejunia Ecclesiastica, quoad essentialia statis diebus, neque aliis ad frangendum jejunium proxime cooperari.* Hæc tota sequitur ex hactenus dictis, ideoque breviter explico, & ad praxim applico.

§. I. *Omnis Christianus adultus rationis compos.*

35 INfideles enim, sicut non subjiciuntur Ecclesiæ, ita non possunt obligari ejus legibus, qualis est etiam præceptum jejunii. Item infantes ante septimum annum completum: cum adhuc censentur rationis impotes: similiter, & perpetuo amentes, sicut non possunt obligari, præsertim positivis legibus, & præceptis, ita neque obligantur lege Ecclesiastici Jejunii: adeoque eis licite possunt dari etiam carnes, & refectiones toties quoties, (intellige per se, nisi ex parte dantium scandalum oriatur, aut contemptus præcepti intendatur,) Comm. DD. cum Sanch. *l. 1. in Decal. c. 12. nu. 9.* Fill. *c. 3. d. 7.* Diana *p. 1. tr. 9. ref. 42.* Addit Sancius hic *d. 41. num. 31.* etiam verum esse, etiamsi puer ante septennium rationis, & doli capax sit, nam per accidens est, quod usus rationis in aliquo acceleretur: Jus autem positivum non intendit obligare, nisi in illa ætate, in qua communiter usus rationis acquiritur, qualis fere esse solet septennium completum. Adde etiam, nec posse demum obligari jejunio etiam quoad carnes, si certo constet, eos usum rationis nondum accepisse, ob rationem datam, qua revera manent incapaces præcepti. At vero post septennium quamprimum pueri usum rationis consecuti sunt (quod etiam in dubio præsumitur) etsi nondum teneantur jejunio, quoad unicam refectionem, tenentur tamen abstinere a carnibus, quia ita testatur communis consuetudo, optima legum interpres: nisi aliunde excusentur: iis ergo exceptis, & seclusa causa legitima excusante aliqua (de quibus *qu.* statim *seq. & ult.*) omnes Christiani adulti cujuscumque status, vel conditionis obligantur præcepto jejunii Ecclesiastici, ut docent unanimiter DD. cum D. Th. *qu. 147. a. 4.* Canonistæ, Rubrica de observatione jejunii. Summistæ *V. Jejunium.* Et habetur Canone 68. Apostolorum, & Synodo 6. *Can.* 56. Et Divus Leo serm. 11. de quadrages. *Adest dilectissimi maximum sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denunciat &c.* Ratio est; Quia finis hujus præcepti, & jejunii Ecclesiastici est mortificatio corporis, ad subjiciendum spiritum, & satisfaciendum Deo pro peccatis, atqui finis omnibus communis est: ergo & medium præscriptum jejunium omnibus commune esse debet, quod licet non omnibus sit æque necessarium, est tamen omnibus valde utile, & meritorium: quia, ut inquit S. Leo *loco citato. Nemo sanctus est, ut non sanctior; nemo tam devotus, ut non debeat esse devotior.* Consequenter Ecclesia potuisset pro omnibus præcipere, & de facto præcepit. Sermo ergo tantum est de jejuniis Ecclesiasticis communibus toti Ecclesiæ indictis; jejuniis autem particularibus Diœcesis, vel territorii, solummodo obligantur cives subjecti præsentes, non ipsi cives absentes, neque extranei, vel advenæ, & hospitantes tantum, ut docetur in materia de legibus. Sed neque Religiosi exempti, hoc ipso, quod exempti, seu subjecti non sint: quod etiam tacite insinuat Conc. Trid. *sess. 25. c. 12. de Regular.* ubi obligans Regulares ad Festa Episcopalia, nullam facit de jejuniis mentionem, ut cum Suarez observat Diana *cit.* Sed iterum intelligo per se, & secluso scandalo, quod sane facile intervenire potest ut aliqui experti sunt; item secluso speciali statuto Ordinis.

§. II. *Obligantur sub mortali servare Jejunia Ecclesiastica quoad essentialia.*

NImirum quoad abstinentiam a carnibus, & unicam refectionem, in quantitate tamen notabili; uti probatum est supra *Sect.* 1. §. 2. Item quoad horam refectionis servandam, & notabiliter non præveniendam; secundum communiorem, & sanctiorem sententiam, sed nobis probabiliter solum sub veniali, ut diximus ibidem §. 4. Etiam quoad collatiunculam non excessive faciendam, quia esset contra voluntatem Ecclesiæ, & limites refectionis, adeoque mortale ex genere suo, ut *Sect.* 2. §. 2. est dictum. Atque ex ibidem sparsim dictis patet ad quæstionem, quomodo, qui præceptum jejunii transgressus in uno, adhuc teneatur, vel non teneatur, servare jejunium de reliquo. Pono tamen adhuc breves aliquot 36

RESOLUTIONES, & velut Regulas.

I. UNiversaliter *transgressus Jejunium non quoad substantiam, sed accidentaliter tantum, tenetur adhuc servare jejunium de reliquo.* Ut si quis ob parvitatem materiæ modicum quid comedendo extra tempus etiam pauxillum carnis, solum venialiter jejunium violat, secundum omnes sine dubio sub mortali tenetur deinceps servare jejunium quoad omnia substantialia. Item qui horam refectionis notabiliter præveniendo, sive mortaliter, sive secundum nos venialiter, jejunium violasset, tenetur adhuc servare jejunium quoad substantialia: scilicet non tantum abstinendo a carnibus, sed etiam ab altera refectione, *ut sect.* 1. §. 4. *num.* 3. probatum est. Similiter qui extra Germaniam nostram, ubi jus commune viget, in Quadragesima ova, vel lacticinia comedisset, etsi peccasset mortaliter contra præceptum Ecclesiæ, jejunium tamen totaliter, & substantialiter non fregisset, teneretur deinceps servare quoad substantialia, scilicet abstinendo a carnibus, & altera refectione, quia præceptum de abstinendo ab ovis, & lacticiniis est quid accidentale distinctum a præcepto jejunii, cum extra Quadragesimam sine illa abstinentia vere servetur substantia jejunii: ut docet communis DD. 37

II. *E contra universaliter transgressus semel jejunium Ecclesiasticum quoad substantiam, scilicet comedendo carnes, vel secundo reficiendo, non tenetur amplius servare jejunium de cætero:* cum semel fractum iterum resarciri, & consequenter denuo servari impossibile sit (excepta semper abstinentia a carnibus distincte, & individue præcepta:) Qui ergo secunda vice refectus jejunium fregit, non tenetur amplius jejunare, ut probatum est *Sect.* 1. §. 3. tenetur tamen adhuc abstinere a carnibus. Similiter legitime excusatus, vel dispensatus ad binam refectionem, non ideo etiam excusatus, vel dispensatus est ad carnes, si iis carere possit, quia præceptum abstinendi a carnibus est negativum, & dividuum a jejunio: ut patet in juvenibus ante vigesimum primum, seu tertium septennium completum, qui excusantur, vel dispensantur a jejunio quoad unam refectionem, non item quoad abstinentiam a carnibus, ut pluribus patebit *Sect. seq.* 38

III. *E converso, qui Jejunium fregit comedendo carnes, etiam semel tantum, tenetur quidem deinceps abstinere a carnibus, quia hoc est præceptum negativum obligans pro semper, & toties quoties sub mortali, non tamen tenetur deinceps jejunare, seu abstinere ab ulteriori refectione.* Quia abstinentia a carnibus essentialiter includitur in jejunio Ecclesiastico: adeoque comedendo carnes voluntarie substantialiter fregit jejunium æque, ac si bis refecisset: ac perinde secundum formam substantialem resarciri, ac servari nequit, ut omnes fatentur. Intellige semper, si quis culpabiliter, ac volunta- 39

luntarie comedit carnes, adeoque formaliter fregit jejunium. Quod ſi vero ignoranter, vel inadvertenter, adeoque inculpabiliter comediſſet, mane v. gr. ignorans eſſe diem jejunii, quia tunc jejunium non formaliter, ſed materialiter tantum fregit, utique tenebitur deinceps jejunare, ne ſimul etiam formaliter frangat, ut probabilius docet *Diana cit.* etſi oppoſitum etiam ſit probabile: ſicut de eo, qui etiam ignoranter, & inculpabiliter bis ſe refeciſſet, non teneri amplius jejunare, diximus *ſect.* 1. §. 3. *num.* 4. Eſt tamen aliqua diſparitas ratione mortificationis; ideoque prior ſententia tenenda, ut tenet praxis omnium proborum.

40 IV. Utrum autem legitime excuſatus, & diſpenſatus jam in jejunio ad comedendas carnes, hoc ipſo etiam cenſeatur excuſatus, vel diſpenſatus ad alteram refectionem ſumendam, non conveniunt DD. abſolute: affirmat communior DD. quos citat, & ſequitur Azor. Diana ſæpe *cit. tr.* 7. *reſol.* 25. & probabiliorem cenſet Fil. *cit. c.* 3. *q.* 4. Ratio eſt, quia abſtinentia a carnibus eſt de eſſentia jejunii: ergo ſublata illa neceſſario aufertur ipſum jejunium, ut amplius ſervari ſecundum formam Eccleſiæ non poſſit, & conſequenter non debeat. Abſolute vero negant *Medina, Sotus, Nugnus*, & alii apud *Azorium citatum*: eo quod ſint duo præcepta dividua, quæ ſeorſim ſervari poſſunt, conſequenter debent. Sed placet ſententia media ita diſtinguens. Quando quis excuſatus, vel diſpenſatus ad carnes abſolute, cauſa debilitatis, vel infirmitatis naturæ ut ordinarie fit; cenſetur etiam excuſatus, vel diſpenſatus ad binam refectionem: quia ad conſervationem naturæ non tantum facit quantitas, ſed etiam repetitio cibi. Quando vero quis diſpenſatur ad carnes reſpective tantum, ut quia alii cibi eſuriales nocent, vel quis ab iis abhorret, vel tempore bellorum haberi &c. non poſſunt, non ideo excuſatus, vel diſpenſatus cenſebitur ad binam refectionem, ſed jejunium quoad unam refectionem adhuc ſervare tenebitur: quia excuſatio, vel diſpenſatio non debet extendi ultra caſum neceſſitatis, & finem ſuum bonum. Ita *Graffis, Toletus, Leſſius*, alii cum Layman *c.* 3. *num.* 8. Filliuc. *cit. cap.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 53.

§. III. *Statis diebus*.

41 I. OBligatio jejunii ita affixa eſt ſtatis diebus, ut illud de uno die transferre in alterum privata auctoritate nunquam liceat, quacumque etiam ex cauſa. *Omnes*. Quod autem Leo X. Fratribus Minoribus privilegium dederit, ut itinerantes poſſint ſuum jejunium transferre in alium diem, videtur potius factum ad ſedandos ſcrupulos, quam ex neceſſitate, vel enim itinerans ob itineris labores, & incommoda excuſatur a jejunio; & tunc non eſt opus diſpenſatione, vel translatione jejunii: vel non ſunt tanti labores itineris, quin ſimul commode jejunare poſſit; & tunc ſervet ſuum jejunium: ſi tamen voluerit uti hoc privilegio, utatur in nomine Domini. Addit Marchant. *cit. q.* 3. *dub.* 4. Superiores ex cauſa rationabili poſſe in translatione jejunii diſpenſare: quemadmodum Eccleſia anticipat jejunia Vigiliarum incidentium in Dominicam, & Epiſcopi jejunium Vigiliæ S. Mathiæ incidentis in Bacchanalia anticipare ſolent in Sabbatum præcedentem.

42 II. Qui ſtato die jejunii non jejunavit, ſive ignoranter & involuntarie, ſive ſcienter, & voluntarie, cum, vel ſine peccato, non tenetur poſtea jejunare alio die ſequenti ſimili jejunio non obligato (ſecus enim eſt in Quadrageſima, ubi uno vel pluribus diebus non jejunans ſine dubio tenetur jejunare reliquis diebus, quibus poteſt) *Omnes*. Ratio eſt, quia jejunium eſt onus auctoritate Eccleſiæ publica ſtatuto diei alligatum, quod ſi non ſervetur, præceptum jam violatum eſt, ut amplius ſervari non poſſit, nec conſequenter debeat. Eadem eſſet ratio, ſi quis voviſſet certo die jejunare ratione ipſius diei, ut diebus Sabbati in honorem B. V. in Vigilia certi S. Patroni ſui &c. adeoque dies ſtatuta eſſet ad finiendam obligationem: tunc enim eo die neglecto jejunio, ceſſaret omnino obligatio. Alia vero eſt ratio, ſi dies ſtatuta eſſet ſolum ad implendum votum, & non differendam obligationem: uti ſi quis voviſſet pro unica ſeptimana ter jejunare: tunc enim ſi ea ſeptimana neglexit, tenetur ſequenti, ut latius dictum in materia de votis. Idemque dicendum, ſi cui in pœnitentia Sacramentali injunctum eſſet feria ſexta una, vel aliquot jejunare; tunc enim jejunium imponitur principaliter non in honorem diei, ſed in ſatisfactionem pro peccatis: adeoque dies ſolum ſtatuitur ad non differendam obligationem, & ideo ſi ſtatuto die negligatur, alio die ſervandum erit; ut ex communi notat Filliuc. *q.* 5. *n.* 85.

43 III. Qui ſtato die jejunium violavit totaliter; ſeu quoad omnia requiſita, ſcilicet & carnes comedendo, & ſæpius reficiendo, ſine dubio longe gravius peccat, quam qui violat quoad unum tantum requiſitum, v. g. vel tantum carnes comedendo, vel tantum reficiendo ſine carnibus, vel tantum refectionem notabiliter anticipando, quia in priori caſu peccatur contra diſtincta præcepta, ideoque ea circumſtantia, ſeu modus in violatione jejunii neceſſario exprimenda eſt in Confeſſione. Similiter, qui in Quadrageſima pluribus diebus jejunium violavit, numerum dierum explicare tenebitur, quia præceptum Quadrageſimæ fertur ſupra totam Quadrageſimam, & ſingulos dies diviſim, adeo ut jejunium cujuslibet diei ſit in diſtincto per ſe præcepto: ideo peccatur toties quoties uno die non jejunatur, diſtincto per ſe peccato mortali. Quod ſi quis autem unico voluntatis actu ſtatuiſſet tota Quadrageſima nunquam jejunare, & reipſa nunquam jejunaſſet, equidem unum tantum peccatum contra committeret, ſed adeo grave, ut æquivaleat quadraginta numero peccatis diſtinctis, adeoque adhuc neceſſario exprimendum in confeſſione, juxta dicta ſuo loco.

44 IV. Tranſgreſſio jejunii Eccleſiaſtici qatenus talis, ſemper manet idem numero peccatum mortale, etiamſi plura præcepta Eccleſiaſtica eodem die ſtatuto occurrant: ut ſi Vigilia S. Mathiæ incidat in feriam quatuor temporum Quadrageſimæ, concurrunt tria diſtincta præcepta Eccleſiæ; tranſgreſſio tamen manebit idem numero peccatum mortale, adeoque ea circumſtantia non erit neceſſario confitenda. *Communis DD. in Materia de peccatis*. Quia peccata multiplicantur numero ad multiplicationem præceptorum tunc tantum, quando plura præcepta reſpiciunt diverſas virtutes, & fines diverſos, non item quando reſpiciunt eundem finem, eamdemque virtutem: at vero præcepta illa diverſa Eccleſiæ jejunandi in Quadrageſima, in quatuor temporibus, & in Vigiliis, ſingula reſpiciunt eundem finem, eandemque virtutem, ſcilicet abſtinentiam religioſam, & mortificationem carnis propter Deum: ergo tranſgreſſa non multiplicant peccata. Idemque dicendum de Fratre Minore, qui feria ſexta in regula præcepta occurrente in Vigilia, quatuor temporibus, Quadrageſima, non jejunaret; nimirum unum tantum peccatum committeret: ut contra plures alios bene probat noſter March. *Trib. p.* 1. *tr.* 3. *tit.* 3. *qu.* 4. nam licet Frater Minor voveat ſervare Regulam, non tamen vovet omnia contenta in Regula ſervare tanquam vota, ſed eo modo, quo in Regula proponuntur: non autem omnia contenta in Regula proponuntur ſervanda ut vota, ſed aliqua quidem ut vota, nimirum tria eſſentialia, *vivere in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate*: alia ut nude præcepta, inter quæ eſt etiam præceptum jejunii feriæ ſextæ, & utriuſque Quadrageſimæ: alia vero ut conſilia, & monitiones ſalutares tantum. Atqui jejunium in Regula eodem plane fine præcipitur Fratri Minori, quo ab Eccleſia præcipitur omni fideli: nimirum abſtinentiæ, & auſteritatis religioſæ ad mortificationem carnis propter Deum: ergo illa diverſitas præceptorum non multiplicat peccata tranſgreſſionis jejunii. Alia vero eſſet ratio, ſi quis ſtatuto die violaret jejunium Eccleſiaſticum præceptum, ad quod ſimul etiam teneretur ex voto ſpeciali, ut Carthuſianus, vel Minimus; aut ex pœnitentia a Confeſſario injuncta: tunc enim concurrerent præcepta diverſa, reſpicientia diverſos fines, & virtutes; ſcilicet etiam Religionis, & Pœnitentiæ: adeoque committeretur duplex ſpecie, & numero peccatum eodem actu, utique neceſſario exprimendum in Confeſſione. Idemque dicendum, ſi ad violationem jejunii Eccleſiaſtici accederet ſcandalum, vel contemptus, tunc enim accederet nova ſpecies peccati contra Charitatem, & obedientiam.

§. IV. *Neque aliis ad frangendum jejunium proxime cooperentur*.

45 PEccant ergo mortaliter non tantum ipſi, qui ſtatutis diebus jejunium violant, ſed & omnes, qui ad violandum jejunium aliis proxime cooperantur, inducunt, aut cum poſſint, & debeant, non impediunt: utpote. I. Patres, & Matres Familiæ, Domini, Superiores, die jejunii ſuis domeſticis cœnam, vel carnes miniſtrantes ſine cauſa excuſante; aut abſque neceſſitate ſic laborare cogentes, ut jejunium ſervare nequeant, item ſuos ad jejunium ſervandum non compellentes, vel impedientes &c. *Communis*. II. Quiſquis alium obligatum ad jejunium, invitat ad cœnandum, vel cibos vetitos comedendum, etiamſi is alioquin jejunium frangere paratus ſit. *Communiſſima DD.* Ratio eſt, quia licet talis non ſit cauſa mali propoſiti, eſt tamen cauſa ipſius mali actus, ut hic, & nunc fit, qui te non invitante, potuiſſet etiam non fieri. Quamquam a mortali excuſent eum, qui certo ſciens alium violaturum jejunium alibi, ipſum ſolum urbanitatis, vel amicitiæ gratia invitat, ut apud ſe comedat. Filliuc. *cap.* 3. *q.* 7. *n.* 94. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *reſolut.* 3. III. Caupones, ſeu Cauponarii in locis Catholicis miniſtrantes carnes, vel cœnam iis, quos ſciunt a jejunio non excuſari, & quando ſine ſuo gravi incommodo, & ſpe fructus recuſare poſſent. Ita Tolet. *l.* 6. *c.* 5. Leſſ. *l.* 4. *c.* 2. *dub.* 4. alii paſſim. Excuſantur autem a peccato, ſi cœnam, vel cibos vetitos miniſtrant ei, quem credunt a jejunio excuſatum, ut vere ſunt itinerantes: item cum ſine gravi incommodo recuſare non poſſunt, ut ſi Caupo ideo eſſet ab hoſpitibus deſerendus. Item in locis permixtis hæreticis, ubi communia jejunia non ſervantur, & hoſpites petunt, neque tunc tenetur Caupo ex eis requirere, cujus Fidei ſint. *Communis DD. Filliuc. Diana cit.* IV. Similiter famuli, ancillæ, coqui, dominis ſuis eorum juſſu cœnam, vel carnes coquentes, miniſtranteſque excuſantur a peccato ſecundum commu-

muniorem sententiam, apud Dianam *par.* 5. *tr.* 7. *ref.* 13. Quia nimirum solum materialiter concurrunt ad peccatum, exhibendo materiam de se indifferentem, idque ex officio, quod Dominis præstare solent, & si ipsi nollent, infallibiliter fieret ab aliis; ergo non possunt censeri vera causa cooperans ad peccatum, nec consequenter peccare; idque maxime cum justam habent causam necessitatis, vel utilitatis perseverandi in tali servitio.

SECTIO IV.

Quænam sint causæ excusantes a Jejunio.

SUMMARIUM.

46 *Causæ a jejunio excusantes particulatim sunt quatuor*, 1. ætas. 2. infirmitas. 3. labor, & 4. pietas.

47 & 48 *Ratione ætatis excusantur quoad* secundam refectionem tantum non quoad carnes *a jejunio Ecclesiastico. I. Omnes ante completum annum* 21.

49 *Non tamen ab aliis jejuniis ex voto, Professione, vel Pœnitentia debitis.*

50 *Item II. Senes omnes post annum* 60. *completum, non tantum a jejunio Ecclesiastico quoad secundam refectionem: sed*

51 *Probabiliter etiam ab aliis jejuniis ex voto, vel Professione debitis.*

52 Usque ad n. 57. *Quando, qualiter, & quinam excusentur ratione infirmitatis; item*

57 Usque ad n. 62. *Quando qualiter, & quinam excusentur ratione* laboris.

62 Usque ad n. 69. *Quando, qualiter, & quos excuset* Pietas.

Regula Generalis.

46 O*Mnis, & sola vera necessitas, seu impotentia moralis excusat a præcepto jejunii Ecclesiastici, pro modo necessitatis, aut ad binam refectionem tantum, aut etiam ad comedendas carnes, ut cum alii cibi esuriales haberi nequeant, vel ratione temporum, vel ratione locorum inter hæreticos v. g.* &c. In particulari autem quatuor communiter assignantur causæ excusantes a jejunio, *ætas, infirmitas, labor, & pietas*. Ratio generalis est, quia Ecclesia pia Mater suis legibus, & præceptis non intendit obligare fideles cum magno suo gravamine, & incommodo: magnum autem gravamen, & incommodum, adeoque moralem impotentiam, seu necessitatem non jejunandi communiter adferunt illa quatuor *ætas, infirmitas, labor, & pietas*: ergo &c. Nunc explico sigillatim.

§. I. *Ætas.*

47 PRima causa excusans a jejunio, sed quoad binam refectionem tantum, non autem quoad comedendas carnes, est *Ætas* minor tertio septennio, seu viginti unius, & major nono septennio, seu sexaginta annorum. Itaque

48 I. Adolescentes minores tertio septennio, id est, ante vigesimum primum ætatis annum completum, a jejunio Ecclesiastico excusantur, ut sæpius reficere possint, abstinendo tamen a carnibus, nisi alia causa excusans accedat. *Sic omnes Theologi, Canonistæ, & Summistæ* cum D. Th. *sæpe cit. dist.* 147. Ratio est, quia juvenes tunc sunt in via augmenti, & crescentis corporis, ideo frequentiori, & abundantiori alimento indigent, & ideo Ecclesia pia Mater indulsit, ut non obligarentur præcepto Ecclesiæ, & quidem hi excusantur absolute etiamsi ante dictum terminum impletum, scilicet, vigesimum primum annum, essent satis robusti, & potentes sufferre jejunium. Quia ordinarie censentur esse inhabiles ob dictam rationem, ut contra Durandum docet *Communis DD.* Et excusantur usque ad vigesimum primum annum mathematice completum, quia favores non debent restringi, sed ampliari. Unde Juvenis ætatis annum vigesimum primum complens in ipso die jejunii, etiam summo mane, manet tamen exemptus illo die, quia præceptum respicit totum diem, ut advertit Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disp.* 17. *cum aliis*. E contra autem si juvenis compleat vigesimum primum in media Quadragesima, sequentibus diebus, etiamsi unus tantum dies superesset, quia jam pervenit ad debitam ætatem, & præceptum Ecclesiæ obligat pro singulis diebus Quadragesimæ divisim, ut recte observat Fill. *cap.* 4. *qu.* 4.

49 II. Excusantur autem Juvenes prædicti a Jejunio Ecclesiastico, seu ab Ecclesiæ præcepto tantum. (Idemque est de jejuniis particularibus Diœcesis ex lege, consuetudine, vel voto communitatis inductis) non autem excusantur ab aliis jejuniis, ad quæ aliunde obligantur secluso præcepto Ecclesiastico: utpote ex proprio voto, vel professione Regulæ, ut Juvenes in ordine Fratrum Minorum a die professionis obligantur ad jejunia Regulæ, ut observant omnes DD. communiter. Ratio est. Quia Ecclesia pia Mater connivens adolescentibus, non intendit eos obligare ea ætate, cum tanto eorum gravamine, cui indulgentiæ, & quasi privilegio suo juvenis jejunium vovens, aut emittens professionem Regulæ ad jejunia obligantis voluntarie cedit, adeoque voto suo, & obligatione Regulæ professæ obligatus manet. Similiter si Confessarius post annos pubertatis, præsertim ad petulantiam carnis compescendam in Sacramento Pœnitentiæ jejunium injungat, tenebitur is sub præcepto implere. Item ex suppositione, quod si ejusmodi juvenis vellet acquirere indulgentias Jubilæi alicujus, utique tenebitur implere jejunia in forma Jubilæi præscripta, ut observat *Filliucius citatus*.

III. Senes majores decimo septennio: hoc est, septuaginta annorum, secundum antiquos communiter, aut nono septennio, hoc est, sexaginta tribus, secundum alios, immo absolute sexaginta annorum completorum, secundum communem jam DD. sententiam excusantur a jejunio. Navar. *c.* 21. *nu.* 16. Tolet. *l.* 6. *c.* 4. Sanch. *cit. c.* 3. *nu.* 1. Diana, & March. *cit.* Ratio est: quia juxta Psal. 89. *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*: cum ergo anno sexagesimo jam incipiat denarius ultimus ætatis, & vitæ communiter humanæ, eo anno censetur jam incipere, vel incepisse vera senectus, senectus autem ipsa est morbus, ac morborum omnium, & infirmitatum congeries: ut natura tunc deficiens necessario corroboranda sit modica quidem, & crebra refectione. Cæterum senes post sexagesimum ætatis annum completum, etiam excusari a jejunio absolute, ita ut etiamsi quis post sexagesimum, immo septuagesimum ætatis annum satis adhuc firmo corpore existens, jejunii difficultatem facile perferre posset (quales sæpe reperiuntur senes: nam & Navarrus de seipso testatur, quod 80. annorum tam facile jejunet) nihilominus tamen jam excusetur a jejunio: ita affirmat probabilius, satis tuta, & a me hactenus in Confessionali practicata sententia. Sanch. *cit. t.* 2. *l.* 7. *de matr. d.* 32. *n.* 17. Angles *de jejunio q.* 6. *dub.* 6. Suar. & alii apud Dian. *p.* 1. *tr.* 9. *ref.* 20. March. *cit. q.* 4. §. 1. addens hanc ætatem esse declaratam a S. Pio V. vivæ vocis oraculo. Et in Bullis Cruciatæ prohibens Regulares ab earum privilegio, quoad usum ovorum, & lacticiniorum in Quadragesima, excepit sexagenarios, quos declaravit ad jejunium non teneri: ut sub asseveratione infallibili tamquam testis oculatus refert Hier. Lamas, *p.* 3. *methodi c.* 5. §. 20. addens: *Gratias Deo, quod regula deinceps certa a summo Ecclesiæ Pastore decreta*. Ratio est, quia generatim expedit legis obligationem ita definitam esse, ut sciatur, quinam ea comprehendantur, vel non: ne ex una parte facile humana negligentia, ex altera vero nimia sollicitudo, & anxietas oriatur: ergo sicut Juvenibus certa ætas definita est, ante quam jejunii lege non obligantur: ita etiam sane senibus definienda erat, ultra quam non obligantur, idque sane potiori ratione, cum majus sit periculum deficientiæ in senectute, quam juventute: ætas autem illa rectissime definitur 60. annorum: nam ejusmodi robur senum est illusivum, & ambiguum, & crebra sustentatione indiget, nec est expectandum ulterius, ne omnino deficiat. Nec obstat, quod aliqui ultra eam ætatem robusti, & ad jejunia habiles reperiantur, quia Ecclesia pia Mater intendit obligare secundum communem cursum roboris, & deficientiæ humanæ. Nihilominus negare non possum, æque probabilem, & magis piam, & tutam esse oppositam sententiam negativam, nimirum senem ultra dictam ætatem satis robusto corpore existentem, non excusari adhuc a jejunio, Nav. Cajet. Tolet. Sylv. Azor. uterque Medina, Valent. Less. Laym. apud Dianam cit. nullam rationem firmam adferunt præter disparitatem inter juvenes, & senes. Itaque priori sententiæ adhærens secure maneo. 50

IV. Senem ultra sexagenarios non tantum excusari a jejunio Ecclesiastico, sed etiam a jejuniis debitis ex voto, ut si vovisset toto tempore vitæ suæ jejunare feria sexta, & post sexagesimum annum adhuc satis valens esset ad jejunium, docet quidem Sanchez *l.* 4. *moral. cap.* 11. *nu.* 54. eo quod votum obliget instar legis Ecclesiasticæ de jejunio: Lex autem Ecclesiastica non obligat sexagenarios ad jejunium: ergo nec votum. Sed recte refutat Laym. *cit. c.* 3. *n.* 2. Quia licet votum jejunii obliget instar Legis Ecclesiasticæ, quoad modum, & formam jejunii, non tamen quoad personas, & durationem: nam personæ, quæ pro tali tempore non obligantur jejunio, possunt se sine dubio ad jejunium obligare voto voluntario: ut patet in juvenibus saltem post annum pubertatis: ergo etiam senex post annum sexagesimum manebit obligatus suo voto jejunandi perpetuo sexta feria, posito quod satis robustus sit ad jejunandum, esto tempore Lege Ecclesiastica jejunii non obligaretur. Cæterum idem videbatur dicendum de senibus ultrasexagenariis, si adhuc sint sufficientis valetudinis ad jejunandum. Attamen universim omnes senes sexagenarios a jejuniis regularibus excusat ipsemet March. *cit. tr.* 12. *tit.* 3. *qu.* 4. §. 1. consentit Diana *p.* 9. *tr.* 6. *resol.* 16. Ratio est, quia jejunia regularia, ut supra dictum est, non sunt vota, sed præcise præcepta Regulæ, ad modum aliorum præceptorum Ecclesiæ obligantia, & ob easdem causas dispensabilia. Cum ergo Pontifex absolute declaraverit, sexagenarios ad jejunium non obligari ob communem naturæ deficientiam, eademque sit ratio deficientiæ senum in sæculo, & in Religione, eadem quoque erit ratio excusationis. 51

nis. Inter juvenes autem, & senes ea est disparitas: quia juvenis manens in sæculo excusatur a jejunio, non ratione infirmitatis, vel deficientiæ, sicut senes, sed ex mera indulgentia Ecclesiæ indulgentis binas refectiones propter naturæ incrementum. Et hinc voluntarie emittens professionem Regulæ obligantis ad jejunia, sponte renunciat suæ libertati, & indulgentiæ concessæ ad non jejunandum; maneat ergo obligatus: at senex sexagenarius non potest ita renunciare infirmitati, & deficientiæ imminenti naturæ suæ, ut patet; maneat ergo cum cæteris excusatus. Vide latius *Marchant. & Diana cit.* Probabilis opinio, non tamen ita consulenda senibus satis valentibus, nec a viginti annis ab ullo vidi practicari, nisi aliunde excusentur ratione infirmitatis, adeoque non tam senectutis, vel ætatis, quam sequentis.

§. II. *Infirmitas*.

52 Secunda causa excusans a jejunio Ecclesiastico in toto, vel in parte proportionaliter est *infirmitas*, qua excusantur omnes de facto ægroti, & a morbo primum convalescentes, idque pro modo infirmitatis, debilitatis naturæ vel exigentiæ morbi, aut ad solam iteratam refectionem, aut etiam ad carnes, vel alios cibos vetitos juxta consilium prudentis, & conscientiosi Medici, aut alterius boni viri, aut evidentiam ipsius necessitatis, in quo omnes conveniunt, quia Ecclesia dicta lege jejunii intendit solam mortificationem carnis rebellis, non oppressionem vel destructionem naturæ.

53 Cæterum infirmis excusatis a lege jejunii adnumerandi sunt. I. Qui infirma admodum sunt complexione, debili stomacho laborant, ut jejunium in toto, vel in parte tolerare nequeant, quive ob jejunium molesta insomnia pa-
54 tiuntur, ut notat Laym. *cit. n.* 3. II. Prægnantes, seu lactantes, seu nutrientes parvulos, quia indigent pleniori cibo pro se simul, ac fœtu, vel prole sua, juxta communem Doctorum apud Azor. *l.* 7. *cap.* 15. *q.* 6. Filliuc. *cit. q.* 5. Lay. *n.* 3. Diana *cit.* alii passim. Solent enim sæpe appetere aliqua, quæ si negentur, periculum proli imminet, adeoque etiam vetita die jejunii permitti poterunt, teste Fill.
55 *cit. n.* 114. III. Pauperes, & mendici ostiatim mendicantes, & quicumque non habent, quo semel sufficienter reficiantur, excusantur utique a lege jejunii, quoad unam refectionem: *quia bis male comedisse, sufficienter est jejunasse*, ait germanicum proverbium, quod si nihil aliud occurrat sedandæ fami, etiam ad carnes dispensabit necessitas, quæ non habet legem, secundum omnes. Diana cum aliis *p.* 10. *tr.* 14. *resol.* 59. putat, quod si pauperes homines rusticani, vel alii, pani assueti, habeant sufficientem panem ad sustentandam naturam, eos non excusari ad comedendas carnes, secus dicendum de Magnatibus, aliisque hominibus de-
56 licatis, qui solo pane vitam alere non assueverunt. IV. Laborantes, & famulantes in oppidis hæreticorum in diebus jejuniorum possunt etiam carnibus vesci, quamdiu rationabilem quampiam causam habent in illis locis perseverandi, dummodo curent scandalum impedire, si v. g. dicant se in tali casu necessitatis, cum alii cibi non suppetant, Ecclesiæ præcepto non obligari, uti notat Laym. *cit. num.* 3. addens ad majorem securitatem, Societatem a Summo Pontifice privilegium accepisse, quoad hoc in his partibus, dispensandi, quod per communicationem etiam aliis Religiosis Mendicantibus commune est. Addit iterum tolerari apud nos consuetudinem, ut finitis diebus Bacchanaliorum carnium reliquiæ a ditioribus dentur pauperibus adsumendæ. Addo ego, utinam divites hanc consuetudinem servarent, ut non ipsi carnes reliquas, etiam studio copiosius in bacchanalibus præparatas, in Quadragesima devorarent, ut experimur Confessarii.

§. III. *Labor*.

57 Tertia causa excusans a jejunio Ecclesiastico, vel quolibet alio, sed regulariter tantum ex parte, ad iterandam scilicet refectionem, est labor, isque gravis, corporalis, vel spiritualis, necessarius, vel utilis, debitus, indebitus, immo etiam inutilis, vel illicitus, tamen semel factus, a jejunio excusat.

58 I. Labor gravis fatigativus, seu debilitativus virium ut cum jejunio commode exerceri, vel consistere non possit. Cujusmodi, secundum omnes, est labor fabrorum ferrariorum, lignariorum &c. sutorum, textorum, & similium laboriosorum opificiorum. Item labor omnium agricolarum, sua opera ruralia exercentium: item labor vehementior, & diuturnus famulorum, & famularum, præsertim, ut tota die in publica caupona ministrare, coquinam, cellariam agere, quorum omnium diuturna fatigatio non facile consistit cum jejunio, ut ab Ecclesia pia Matre excusati haberi censeantur. Item cursores, & omnes iter agentes laboriose, & cum fatigatione, sive deinde pedites, sive equo, sive curru. Quamvis enim Doctores communiter, cum de iter agentibus agunt, solos pedites a jejunio excusatos censeant, recte tamen monent Recentiores, ut Fill. *cit. c.* 6. *qu.* 8. Laym. *cit. cap.* 3. *nu.* 4. March. *cit. q.* 4. §. 4. interdum equo, vel curru itinerantes pro ratione circumstantiarum, personæ, viæ, & temporis, tantum fatigari, quantum alius pede itinerans, & e contra. Neque etiam ex longitudine viæ certa regula statui potest, cum pro diversitate circumstantiarum personæ, viæ, naturæ aliqui duabus horis peditantes magis fatigentur, deficiant, & restauratione alimenti egeant, quam alius quatuor, vel sex horis ambulans. Quare ait Laym. *cit.* in hac re certa regula tradi non potest, nisi quam sæpius dedi: Ecclesiasticam legem nunquam per se obligare cum magna difficultate, & incommodo. Marchant. *cit.* hanc commodam assignat regulam. ***Quandocumque iter ita hominem alterat, ut absque aliquo detrimento suo, vel negotii rationabilis, pro quo vadit, jejunium servare non possit commode, excusari a jejunio.*** Una ergo generalis mensura excusationis a jejunio in quovis labore, vel itinere est ***fatigatio***, vel ***deficientia*** naturæ reficientiam postulantis, in quo sibi ipsi quis bonus sit sincerus arbiter, aut, si non possit, credat bono viro. Ait recte Marchant. Ratione ergo laboris non excusantur a jejunio opifices, & artifices, quorum opera quieta sunt, nec multum fatigant corpus, ut pictores, sartores, sericorum textores, ut notant Lessius *citatus cap.* 2. *n.* 43. Lay. *cit. n.* 3.

II. Labor gravis excusat, sive corporalis sit, ut in dictis 59
exemplis, sive etiam spiritualis, & ingenii, ut in continuo studio vacantibus, Concionatoribus, Professoribus: sæpe enim labor spiritualis excedit corporalem. Etsi enim labor corporalis fatigando corpus magis consumit spiritus vitales labor tamen spiritualis magis consumit spiritus animales, qui magis ad vitam, & valetudinem corporis sunt necessarii. Unde corporali labore vacantes vegetiores sunt, quam qui continuis studiis occupantur. Unde Concionatores integræ Quadragesimæ simpliciter excusantur a jejunio. Itemque Professores, quorum labor improbus est, & complexio debilis, uti ex communi notant Cajet. *quæst.* 147. *art.* 3. Bonac. *de legibus disp. ult. qu. un.* Laym. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *res.* 10

III. Labor gravis excusat, corporalis, & spiritualis sive 60
debitus sit ex officio, sive non debitus, sive pro mercede fiat, sive gravis, sive necessarius sit, sive utilis, utpote ad bonum commune corporale, sive ad bonum privatum: utpote ad suam, suæque familiæ sustentationem, ad lucrum honestum capiendum &c. dummodo eatenus necessarius, vel utilis sit, ut commode non patiatur jejunium absque aliquo detrimento personæ, operis, rei domesticæ, boni communis, vel alicujus tertii, in cujus gratiam laboratur. Quia Ecclesia non intendit sua lege obligare cum tali aliquo detrimento, vel incommodo. Communis. Laym. *cit. num.* 4. March. *cit. q.* 4. §. 3.

IV. Quin etiam etsi labor gravis, & fatigans esset omni- 61
no non necessarius, nec utilis, sed omnino inutilis, ut lusus pilæ, palestræ, gladiatoriæ, aut etiam illicitus, & inhonestus: adeoque exercens talem laborem peccet non tantum in illo genere peccati, sed etiam contra præceptum jejunii, si nimirum taliter laborans prævideret, se impotentem futurum ad jejunandum, & maxime si faceret in fraudem jejunii, nimirum directe intendens, se tali labore ad jejunandum impotentem reddere, postquam tamen ejusmodi labore exercito vere fatigatus, & ad jejunium sufferendum moraliter impotens factus est, manet a jejunio excusatus, ut non peccet amplius non jejunando. Quia tunc revera sufficiens causa excusationis jejunii adest, scilicet defatigatio, quamvis ex alia mala causa processerit, uti cum Paludan. Medina, & aliis docent Laym. *cit. c.* 3. *num.* 5. Diana *p.* 1. *tractat.* 9. *resolut.* 40.

§. IV. *Pietas*.

Quarta causa excusans a Jejunio Ecclesiastico, sed regu- 62
lariter etiam quoad iteratam refectionem tantum, est *Pietas*: ut nimirum quis operi præstantioris virtutis, & majoris momenti incumbere possit, quod cum jejunio non facile consistit, nec commode differri possit. *Communis omnium*. Ratio est: quia jejunium præcipitur, ut promotivum ad bonum, & non ut impeditivum majoris boni, & mens Ecclesiæ est, ita jejunium præcipere, ut tamen alia pietatis exercitia, quæ pro tempore, & loco occurrunt, non impediat: ergo. Hujusmodi autem opera pietatis a jejunio excusantia sunt. *Primo*, opera misericor- 63
diæ corporalia, & spiritualia, propter quæ commodius exercenda excusantur Concionatores, Lectores, Ludimagistri, Confessarii, Cantores, &c. si suum officium agere nequeant cum jejunio, etsi ejusmodi propter mercedem fierent. Cajet. Less. Navar. Filliuc. Laym. *cit.*

Secundo, opera justitiæ: ut si maritus jejunans uxori 64
conjugii debitum reddere non posset, quia infirma complexione, excusatur, ut notant Cajet. & Sa. Tolet. *l.* 6. *c.* 4. Less. *cit. n.* 44. Filliuc. *cit. c.* 6. *q.* 7. Laym. *c.* 3. *n.* 4. Sanch. *lib.* 9. *de matrimonio disp.* 3. *num.* 10. addens eo casu etiam obligari maritum ad solvendum jejunium, si intelligat, uxorem debitum instanter exacturam, aut si negetur, incontinentiæ periculum subituram.

Tertio, opera Charitatis: ut si uxor mariti iram, & 65
contentionem effugere non possit, nisi cum ipso cœnet:

modo jejunium non prohibeat ob Religionis contemptum, sed aliam ob causam. Cajet. & Sylv. Nav. *c.* 21. *n.* 19. Medi-
66 na, Less. Filliuc. Laym. *cit. nu.* 4. *Quarto*, opera Religionis, & devotionis, sic peregrinationem longinquam, licet inchoare, & continuare, etsi per accidens dies jejunii intercurrat, quod ob defatigationem servari non posset, secundum omnes. Quia etiam eodem die jejunii non servandi liceret instituere peregrinationem, si videatur valde utilis ad cultum divinum, & ædificationem populi, ut notat Cajet. *cit.* aut si peregrinatio debeatur ex voto, vel pœnitentia a Confessario injuncta, & alioquin jejunii die commode institui, atque cum jejunio impleri non possit: uti observat Nav. *cit. cap.* 21. *nu.* 18. Cæterum peregrinationem omnino liberam, neque multum utilem non esse sufficientem causam solvendi jejunium, ex communi DD. recte docent Cajet. Nav. Filliuc. Laym. *cit.* Nam opus jejunii fere salubrius est animæ, quam ejusmodi peregrinatio voluntaria, & Ecclesiæ præcepto satisfacere ad obedientiæ virtutem pertinet, adeoque melius opus est, quam voluntaria peregrinatio. Ubi iterum observa, quamvis illicitum sit ejusmodi peregrinationem instituere die jejunii, quod commode servari non posse prævidetur, postquam tamen jam cepta peregrinatione vere fatigatus es, ac refectione indigeas, excusatus manebis a jejunio: ut supra de labore dictum est. Hæ omnes causæ, & similes excusant a lege jejunii per rationabilem epikiam, & per benignam interpretationem mentis S. Ecclesiæ. Adeo ut, si de ejusmodi causa existente certo constet, nulla opus sit dispensatione, vel recursu ad Superiorem. In dubio autem justæ causæ ad Prælatum recurrendum est pro dispensatione, qui in universa Ecclesia est Pontifex, in Diœcesi Episcopus, in ejus absentia Parochus in sua Parochia, in Religionibus Superior localis: ut dicitur in materia de Epikiis. Ultimo hic admonenda sunt aliqua.

67 Unum ex Toleto *l.* 6. *c.* 4. Nav. *c.* 21. *nu.* 20. Sylv. & Cajet. Laym. *c.* 3. *nu.* 6. Tametsi ex prædictis causis excusantibus, reipsa nulla adsit, si tamen bona fide, & probabili ratione adesse existimetur, & ideo aliquis non jejunet, vel in collatione quantitatem excedat: non debet peccati saltem mortalis condemnari, moralia enim præcepta moraliter sunt interpretanda, neque mens Ecclesiæ est, grave jugum conscientiis fidelium injicere. Alterum: in dubio Prælatos in dispensando non debere esse scrupulosos, & difficiles ob eandem rationem. Sanch. *l.* 8. *de matrim. disp.* 2. Laym.
68 *cit. c.* 3. *in fine*. Ultimum: Confessarii pænitentes, non nimis urgeant, si rationem, vel causam sibi visam probabilem afferant, ac non jejunent, vel in Quadragesima tantum bis, vel ter in septimana jejunent: ne alioquin, vel omnino non jejunent, vel ob conscientiam non jejunando gravius peccent, qui alioquin sine culpa saltem mortali fuissent. Cajet. *v. jejunium*. Quoad tertium Laym. *cit. nu.* 6. qui addit a Pio IV. concessum esse privilegium Societati JESU ad dispensandum cum iis in his partibus, qui ad jejunium tota Quadragesima adduci non possunt; ut nimirum aliquoties saltem ter in septimana eis jejunare sufficiat. Hæc de jejunio dicta sufficiant ad honorem Christi, qui quadraginta diebus, & noctibus jejunavit in deserto.

CAPUT V.

IN QUARTUM PRÆCEPTUM DECALOGI.

De Obligatione Pietatis, & observantiæ erga MAJORES.

Absolutis tandem DEI Gratia tribus prioribus Decalogi Præceptis, quæ dicuntur primæ Tabulæ, & ordinant hominem ad Deum *in Sanctitate* per actus virtutum Theologicarum Fidei, & Spei, Charitatis, & Religionis: progredimur nunc ad Præcepta secundæ Tabulæ ordinantia hominem ad Proximum *in Justitia*: late sumendo justitiam, prout etiam comprehendit non tantum pietatem, & observantiam erga Majores, sed etiam Charitatem erga Proximum. Meretur quidem hæc materia proprium Titulum, seu *Tractatum*: quia tamen supra in primo præcepto agentes de Charitate, & odio DEI, jam statim etiam egimus de odio, & inimicitia Proximi, ac de scandalo, & annexis acturi sumus Tractatu V. ideo ob majorem horum opusculorum uniformitatem, reliquam hujus quarti præcepti materiam sub hoc tertio Tractatu per duo sequentia Capita breviter explicare libuit.

TEXTUS.

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus DEUS tuus dabit tibi. Exod. 20.

EXPLICATIO.

1 I. Præceptum hoc: *Honora Patrem &c.* formaliter, & terminis quidem affirmativum est: debitum honorem, & cultum præcipiens exhiberi parentibus: virtualiter vero, & implicite simul negativum est: quasi dicat. *Non inhonorabis Patrem tuum, & Matrem tuam*, prohibens scilicet omnem irreverentiam, vel injuriam, parentibus irrogandam.

II. Nomen *Patris* in S. Scriptura tripliciter accipitur. 1. 2
Proprie significat Parentes, qui nos secundum carnem genuerunt. 2. Suppletive Pater significat eos, qui in parentum jus, locum, & officium erga filios succedunt, ut adoptantes, patrini, Tutores, Curatores. 3. Similitudinarie Patres dicuntur, qui se respectu nostri quoad aliquid per modum parentum habent, utpote aut ratione ætatis, ut senes omnes 1. Timoth. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem, Juvenes ut fratres, anus ut Matrem, Juvenculas ut sorores in omni castitate.* Aut ratione generis, vel gentis, ut avi, proavi, abavi, ac primi gentis. Ut Exodi 3. *Dominus DEUS Patrum vestrorum apparuit mihi, DEUS Abraham, DEUS Isaac, & DEUS Jacob.* Ubi Patres appellantur remotissimi, aut ratione spiritualis doctrinæ, vel educationis. 1. ad Corint. 4. *Si decem millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres: nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Aut ratione potestatis, quo modo olim Reges, & Principes vocati sunt Patres, etiam in Scriptura 4. *Reg.* 5. Nahaman Syrus Princeps militiæ vocatur a suis Pater: sic quoque apud Romanos dicti sunt Patres conscripti.

III. Quamquam omnia Præcepta Decalogi pro primo 3
principio, & ultimo fine habeant Charitatem: ex illo enim magno mandato: *Diliges Dominum Deum tuum &c.* & altero: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum;* tanquam ex principio conclusionis inferuntur omnia Præcepta Decalogi primæ, & secundæ Tabulæ, ut intuenti patet, omniumque Præceptorum finis est, ut eorum observatione homo conjunctus maneat Deo ultimo fini suo per Charitatem, & Gratiam, ut in primo præcepto explicatum est; specialiter tamen Præcepta primæ Tabulæ ordinant hominem ad Deum *in Sanctitate*, scilicet per virtutes Theologicas Fidem, Spem, ac Charitatem, & virtutum moralium præstantissimam Religionem, Deo cultum debitum exhibendo: præcepta vero secundæ Tabulæ ordinant hominem ad Proximum *in Justitia*, dirigendo nimirum hominem ad reddendum cuilibet, quod suum est.

IV. Justitiæ virtus reddens unicuique, quod suum est, 4
duplex est, una perfecta reddens alteri suum secundum æqualitatem exigentiæ debiti, & hæc habetur respectu proximi ut nobis æqualis, spectatque ad sequentia Præcepta. Altera imperfecta, reddens etiam alteri, quod suum est, sed non secundum æqualitatem exigentiæ debiti, sed pro facultate debitoris. Nam juxta sapientis dicta: *Deo, & Majoribus nemo par reddere potest.* Et hujus sunt quatuor species, seu virtutes annexæ justitiæ. 1. *Religio*, virtus inclinans ad Deo debitum suum cultum reddendum, & hanc dirigunt tria priora præcepta primæ Tabulæ. 2. *Pietas*, virtus, qua Parentibus principaliter, aliisque Majoribus carnalibus debitum cultum, honorem, obsequiumque impendimus. 3. *Observantia*, virtus, qua Superioribus potestatem super nos habentibus debitum pro ratione superioritatis cultum, obsequiumque impendimus. 4. *Gratitudo*, virtus, qua Benefactoribus pro acceptis beneficiis grati sumus, & cultum exhibemus, puta beneficia agnoscendo, laudando, & cum possumus etiam recompensando. Et hæc omnia comprehenduntur hoc quarto Præcepto. Et hinc brevis esto

RESOLUTIO.

Quarto hoc Præcepto, ut affirmativo, præcipitur princi- 5
paliter, & 1. pietas in parentes carnales. 2. Secundario, & ex consequenti pietas in eorum locum tenentes, & Majores nostros. 3. Observantia erga Superiores spirituales, & temporales. 4. Gratitudo erga Benefactores. Ex consequenti autem prohibentur omnia his opposita, de quibus per decursum. Eodem fere modo ex Conc. Colon. enumerat *Tolet. l.* 5. *c.* 1. Nimirum hoc præcepto nomine Parentum comprehendi quatuor genera Personarum. 1. Parentes, qui nos secundum carnem genuerunt. 2. Superiores spirituales, Episcopos, Pastores, Confessarios. 3. Superiores sæculares, Reges, Principes, Magistratus, Dominos. 4. Omnes eos, qui super nos aliquam potestatem vel eminentiam habent, ut Tutores, Magistros, Benefactores. Ratio autem sumenda est ex ordine Decalogi. Sicut enim tribus prioribus præceptis per virtutem Religionis ordinatur homo ad Deum Auctorem, & Superiorem divinum increatum: ita quarto Præcepto ordinatur homo ad Superiores, & Majores suos creatos, quorum primum locum obtinent Parentes, deinde alii enumerati, per virtutem justitiæ secundum illius species, pietatem, observantiam, & gratitudinem. Reliqua denique sex Præcepta ordinant hominem ad proximum, ut æqualem per justitiam secundum speciem perfectam.

SECTIO

SECTIO I.

Pietas, & obligatio filiorum erga Parentes, & e contra.

SUMMARIUM.

6 *Quarto hoc Decalogi Præcepto filii obligantur Parentibus* 1. *ad* amorem, 2. obedientiam, & 3. reverentiam, & 7.
8 *Obligatione* Amoris *obligantur*. I. *eis bene velle, saltem negative, nihil male volendo, optando, imprecando &c. (qualiter hic peccent.)*
9 *II. Etiam bene velle* positive, *benefaciendo, succurrendo, spiritualiter, & corporaliter, &*
10 *III. Malum avertere: ac*
11 *IV. Post mortem eorum debita relicta, Sacra, & non Sacra, juxta vires hæreditatis, quam citius commode possunt solvere. Item*
12 *Obligatione* obedientiæ *filii debent Parentibus*,
13 *Sub mortali ex genere suo*, Usque ad n. 17.
17 *Obedire in omnibus licitis, & honestis ad eorum curam pertinentibus: non in aliis malis, illicitis, & inhonestis, seu etiam licitis ad curam paternam non pertinentibus*, & 18.
19 *Unde quoad certum vitæ statum eligendum, vel capessendum, simpliciter eis obedire non tenentur, &*
20 *Graviter peccant Parentes I. filios, vel filias ad Religionem compellentes: aut*
21 *II. Ab ejus ingressu injuste impedientes, aut*
22 *III. Sine* justa causa *ad matrimonium compellentes.*
23 *Vel IV. e contra ab eo impedientes.*
24 Usque ad n. 29. *Quando, & qualiter peccent filii, vel filiæ matrimonium contrahentes, Parentibus invitis, & juste contrariantibus.*
29 Usque ad nu. 34. *Quam* reverentiam *filii debeant*, verbis, signis, & factis.
34 Usque ad n. 38. *Quando, & qualiter peccent filii, vel filiæ agentes aliquid ex odio, injuria, irreverentia, vel contemptu erga parentes.*

Pietas, & obligatio filiorum erga Parentes, & e contra.

ASSERTIO I.

P*Ræcepto hoc quarto Decalogi, & ex virtute pietatis obligantur filii honorare parentes exhibendo amorem, obedientiam, reverentiam: & cavendo, quidquid his adversatur, affectu, signo, opere.* Ita reipsa omnes. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 1. Marchant. *tom.* 2. *tractat.* 5. *q.* 1.

§. I. *Exhibendo Amorem, Obedientiam, & Reverentiam.*

7 HÆc tria sub titulo honorandi Parentes ubique inculcat S. Scriptura. Ecclesiast. 3. *Fili, suscipe senectam Patris tui, & non contristes eum in vita illius, & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua.* Ibidem: *Qui timet Dominum, honorat Parentes, & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt.* Ibidem: *In opere, & sermone, & omni patientia honora Patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat.* Ibidem Eccles. 7. *Fili, honora Patrem tuum, & gemitum Matris tuæ ne obliviscaris: Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & ipsi tibi.* Alibi sæpissime, & in nova Lege Christus frequenter in Evangelio, & Apost. ad Ephes. 6. *Filii obedite parentibus in Domino, hoc enim justum est.* Adverte ibi, *Retribue illis: & hoc justum est*: significari obligationem hujus præcepti de honorandis parentibus per amorem, obedientiam, & reverentiam, non tantum fundari in virtute Charitatis, sed etiam in virtute justitiæ (specialis unius scilicet, quæ dicitur pietas) ex eo enim, quod cum Deo nobis dederint esse, alimenta, & omnem solicitudinem in conservatione, & educatione naturali, & morali impendant, obligatione justitiæ tenemur eis rependere amorem, præstare obedientiam, & reverentiam exhibere. Consequenter omnia peccata contra honorem parentum non sunt tantum contra Charitatem, sed etiam contra justitiam illam specialem, & quandoque etiam contra justitiam proprie dictam. Nunc ergo hæc triplex obligatio pro frequentissima praxi, accurate explicanda est.

§. II. *Amorem.*

8 OBligatio amoris filiorum erga Parentes in tribus consistit.

I. *Eis bene velle*, saltem *negative*, scilicet nihil male volendo, optando, imprecando: adeo ut ex hoc capite peccent mortaliter, & gravissime, quicumque odio, malevolentia, gravi indignatione, vel quovis affectu pravo in parentes feruntur deliberate, v.g. Qui ejus mortem, vel aliud grave malum optant: qui de notabili eorum malo gaudent: quicumque opere, vel signo externo odium, indignationem, malevolentiam, vel pravum erga eos affectum ostendunt, v. g. alloquio duro, aspectu torvo, gestu protervo eos affligunt, vel contristant: qui contemnunt, subsannant, irrident, despiciunt: qui verbis injuriosis, contumeliis, maledictis afficiunt: qui quidvis eis ad insultandum faciunt. Intellige semper deliberate, & serio, & in materia notabili, ut infra notabitur. Patet Exodi 21. *Qui maledixerit Patri suo, vel Matri, morte moriatur.* Prov. 20. *Qui maledicit Patri suo, & Matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Prov. 23. *Audi Patrem tuum, qui genuit te, & ne contemnas, cum senuerit Mater tua.* Ibid. c. 30. *Oculum, qui subsannat Patrem, & qui despicit partum Matris suæ, effodient illum corvi de torrentibus, & comedent eum filii aquilæ.* Alibi sæpissime. Vide Nav. *c.* 14. *nu.* 11. Tolet. *l.* 5. *c.* 1. Marchant. *cit. tr.* 5. *tit.* 1. *q.* 2.

II. *Eis etiam positive bene velle*, ac reipsa benefacere, atque succurrere, cum facultas adest, in quavis eorum necessitate: Aut *spirituali*: ut in articulo mortis curando, ut confiteantur, & necessariis Sacramentis muniantur, ut testamentum utile condant, &c. adeo ut peccent mortaliter, qui negligunt eos Sacramentis necessariis provideri: qui eos a Testamento condendo, a piis legatis, vel eleemosynis faciendis, aliisve disponendis pro salute animæ suæ sine justa causa impediunt: qui eorum legata, aliaque Testamento, vel ultima voluntate ordinata, cum primum fieri potest, non implent; non dicam, omittunt: Nam etiam sine justa, & gravi causa differre, mortale est, ipsisque Defunctis justo DEI judicio in altera vita sæpe damnosum. Navar. Tol. cit. Filliuc. *tr.* 28. *c.* 1. Aut *corporali*, ut in infirmitate, aliisque occurrentibus adversis casibus, visitando, consolando, eis assistendo, per se, vel per alios opitulando, necessaria providendo, e carcere liberando, in paupertate alimenta præbendo, domi suæ excipiendo, &c. Denique in quacumque necessitate non tantum extrema, cum ipsa vita, vel fama periclitatur, v. g. si ob debita parentes essent ad perpetuos carceres damnandi: sed etiam in gravi, cum scilicet absque gravi incommodo etiam tenuiter vitam sustentare non possunt, ut si cogerentur mendicare, aut servitio, vel laboribus suæ sortis, & ætatis hominibus incompetentibus victum quærere, eis etiam ex propriis bonis, pro facultate, & seclusa semper sua æquali necessitate, subveniendo. *Omnes* cum S. Thom. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. Atque eam obligationem parentibus alimenta præbendi, & opitulandi non tantum esse de jure gentium, sed etiam de jure naturæ, contra Filliuc. & alios, recte ostendit Marchant. *cit. q.* 2. *dub.* 2. ex illis verbis Eccl. 7. *Retribue illis, quomodo & illi tibi.* Et Tobiæ 4. *Honorem habebis Matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo.* Idque naturale jus ostendit ipsa natura in ciconiis, aliisque brutis animantibus, parentes suos in senectute alentibus. In dictis ergo, & similibus omnibus filii, & filiæ culpabiliter, & notabiliter deficientes, vel omittentes succurrere parentibus, citra dubium peccant mortaliter contra Legem DEI naturalem, & naturam ipsam. Immo, parentibus in ejusmodi extrema necessitate existentibus, peccat mortaliter filius Religionem ingrediendo, vel profitendo; etiam ex voto prævio. Idque contra jus divinum naturale, quod antecedit omne opus voluntarium, & liberum quantumvis sanctum. Etiam jam ingressus, vel professus, invitis quoque parentibus sub peccato mortali egredi tenetur, si necessitas sit extrema. Si vero gravis sit necessitas jam existens tempore ingressionis, adhuc tenetur egredi, petita licentia Superioris: dummodo spes sit egrediendo posse succurrere, aut manendo in Religione non æque succurrere possit. Si post professionem primo in gravem necessitatem inciderint, non tenetur egredi per se; at semper justissime dari poterit licentia. Sic Doctores late, præsertim noster March. *tr.* 5. *q.* 2. & superius *tract.* 2. *tit.* 4. *sect.* 2. *qu.* 1. *propos.* 6. in corollario optime, & solide.

III. *Etiam omne malum, omnemque injuriam notabilem a Parentibus propulsare*; necdum ab injuria propria inferenda abstinere sub mortali eadem Lege divina naturali obligantur filii pro posse. Lege, & huc applica late dicenda in materia de Justitia. 10

IV. Ad prædicta refertur etiam, debita parentum relicta, sacra, & non sacra juxta vires hæreditatis, fideliter, & quantum commode potest, citius solvere, ne Defunctorum fama in mundo, & subinde etiam animæ in altera vita patiantur. Unum hic dubium, & apud Juristas controversum est: An, si Pater nulla bona reliquit filio, teneatur filius de suo proprio solvere ejus debita, v. g. pecuniam mutuo acceptam, & specialiter illam, quæ expensa fuit pro alimentis filii, domi, vel foris, in studiis, &c. Respond. negative ex communiori Juristarum, & communi Theologorum Sententia. *Ratio est*: Universaliter quidem; quia mutuum repetendi obligatio personalis est: atqui non filius, sed Pater pecuniam illam mutuo accepit: ergo &c. Specialiter vero: quia Pater jure naturæ tenetur alere filium: isque jus habet adversus Patrem exposcendi alimenta; ergo mutuum illud acceptum a Patre pro alendo filio semper cadit contra Patrem, nunquam contra filium. Quod, ut habetur in Jure L. *His solis, ff. de conditionibus indebiti*, statuitur. *Si quis rem alienam acceperit, & res illa in utilitatem alterius conversa fuerit, teneri hunc tertium ad solutionem, si is*, qui 11

qui accepit, solvendo non fuerit. Hoc intelligi debet, ac verum est, quando hic tertius accepit titulo gratuito, seu lucrativo, verb. grat. per donationem, legatum, &c. non item si accepit titulo oneroso, seu tanquam aliunde sibi debitum. At filius a parente alimenta accipit titulo oneroso, ac tanquam jure naturæ sibi debita, ut dictum est.

§. III. *Obedientiam.*

12 OBligatio obedientiæ filiorum erga Parentes exigit universaliter, ut in omnibus licitis, & honestis ad eorum curam pertinentibus filii perfecte obediant parentibus, idque sub mortali ex genere suo: adeo nimirum, ut omnis inobedientia, rebellio, contumacia contra expressa, & seria mandata Parentum, sit peccatum mortale, nisi levitas materiæ, inadvertentia, vel humana quædam negligentia excuset. Communis DD. Tolet. *cit. c.* 1. March. *cit. tr.* 5. *tit.* 2. *q.* 1. 2. *&* 3. Eam obligationem obedientiæ sæpe inculcant S. Scripturæ. Ad Eph. 6. *Filii, obedite Parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est*. Ad Coloss. 2. *Filii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino*. Eccl. 3. *Filii sapientiæ, Ecclesia justorum, & natio illorum, obedientia, & dilectio, Judicium Patris audite filii, & sic facite, ut salvi sitis*. Ratio fundamentalis sumitur ex jure naturali correlativo. Cum enim parentes teneantur filios instruere, & educare in iis, quæ sunt honestatis, & salutis, adeo ut parentes pro filiis sæpe puniantur, ut Heli 1. *Reg.* 2. ita ex correlativo filii tenentur obedire parentibus in omnibus curam parentalem concernentibus; ut exprimit Scriptura citata. *Hoc enim justum est: Hoc enim placitum est in Domino*: id est; hoc exigit jus ipsum naturale, & voluntas DEI. Verum termini hujus obligationis latius explicandi sunt.

I. *Sub mortali ex genere suo.*

13 EAm obligationem esse de se gravem, & sub mortali, indicat ipsa Scriptura. *Eccl.* 3. *Et sic facite, ut salvi sitis*. Quasi dicat, alioquin salvi esse non poteritis. Et deinde confirmat gravissima pœna a DEO Lege lata, qua filii inobedientes olim puniebantur. Deut. 21. *Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audiat Patris, aut Matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad Seniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos: Filius noster iste protervus, & contumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat, & luxuriæ, atque conviviis: lapidibus eum obruet populus civitatis; & morietur, ut auferatis malum de medio vestri*. Denique Apost. ad Rom. 1. Inter gravissimos peccatores traditos a DEO in reprobum sensum, numerat etiam parentibus non obedientes. Et 2. *ad Tim.* 3. Inter gravissima peccata recenset: *In novissimis diebus erunt homines se invicem amantes, cupidi, elati, blasphemi, parentibus non obedientes*.

14 Dixi autem notanter 1. *Contra expressa, & seria mandata*. Agere enim solum contra voluntatem, monitiones, vel ordinarias directiones parentum, etsi aliquando peccatum sit, non est tamen speciale peccatum contra obedientiam parentibus debitam, v. g. hortatur Pater filium, ne frequentet tabernas, ob pravas conversationes, ebrietates, aliaque pericula: filius contra tabernam intrans, etsi peccet exponendo se periculo ebrietatis, vel luxuriæ, v. g. non tamen peccat peccato speciali inobedientiæ. Si autem expresse ipsi fuisset prohibitum a Patre, peccaret duplici peccato mortali, & ebrietatis, v. g. vel luxuriæ, & inobedientiæ contra præceptum parentis in re gravi.

15 2. *Nisi levitas materiæ vel inadvertentia excuset*. Nam etiam expressum præceptum parentis, tamen in re levi, vel omnino indifferenti, quæ scilicet, nec peccatum sit, nec ad peccatum inducat, non potest obligare ad peccatum mortale; hoc enim commune est omni Legi, Præcepto, Voto, de quo suis locis: adeoque filius in his contrave-

16 niens non peccabit plus, quam venialiter, secluso semper contemptu formali præcepti, vel parentis. 3. *Vel humana quædam negligentia*. Nam ad peccatum mortale inobedientiæ requiritur, ut quis omnino deliberate, & ex proposito præcepto paterno contraveniat cum virtuali aliquo contemptu, vel contumacia: idque peccatum mortale tanto gravius erit, quanto gravior erit contemptus, vel contumacia, & maxime si formalis, cum quis ex professo ideo contravenit, quia Pater præcepit. At vero ex aliqua negligentia, vel socordia fragilitatis humanæ, juvenilis præsertim, præceptum paternum transgredi, semel, iterum, aut sæpius, non tamen sæpissime, & ordinarie (tunc enim accederet virtualis saltem contemptus, & pertinacia) non censetur peccatum mortale inobedientiæ: cum obedientia paterna tali modo non censeatur lædi graviter: quamvis etiam sic merito paternæ punitioni subjacere debeant, quæ recte notat March. *cit. q.* 3. 4. Termini quoque ejus obedientiæ filiorum erga parentes, quousque se extendant, supra expressi, attendendi, & pro re maxime practica, ac late patente, accuratius explicandi sunt.

II. *In omnibus licitis, & honestis ad eorum curam pertinentibus.*

I. MInime enim debent, vel possunt filii obedire parentibus in iis, quæ manifeste quomodocumque mala, illicita, inhonesta, vel injusta sunt. Sicut enim Pater tale quid imperans peccat, ita filius in iis obediens peccabit pro ratione materiæ. In his debent filii odisse parentes juxta præceptum Christi *Matth.* 10. *& Luc.* 14. de quo vide D. Gregor. *Hom.* 37. *in Evang.* Et servandum est illud axioma Apostoli Actorum 5. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. De his quoque intelligendum est *Deuter.* 33. *qui dixit Patri suo, & Matri suæ, nescio vos, & fratribus, ignoro vos, &c. hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt*. Et principaliter conversione ad veram Fidem, vel Religionem, non tenentur filii obedire parentibus contrarium præcipientibus, vel suadentibus, quin iis invitis, ad eam transire, & in ea perseverare, & possunt, & debent, exemplo plurimorum Sanctorum: & illustre est illud apud S. Gregorium *lib.* 2. *Decal. c.* 13. de S. Hermenegildo Martyre, & Rege. Denique recte approbat Marchant. *cit. q.* 4. sententiam Scoti 4. *dist.* 4. *q.* 9. licere Principibus pueros infidelium subditorum etiam invitis parentibus curare baptizari: modo eorum debita, & sufficiens cura deinceps geratur, ne in infidelitatem relabantur, aut alia gravia damna incurrant. Per hoc enim non tam a patria potestate, quam a parentis tyrannide eripiuntur, ut libertati filiorum DEI, & fini, ad quem creati sunt, restituantur, merito omni paternæ potestati, ac juri præferendum. 17

II. Non tamen in omnibus licitis, & honestis, sed tantum *ad curam paternam pertinentibus*, obedire tenentur filii. Ad curam autem paternam tria tantum pertinent, in quibus obedire tenentur. 1. In omnibus, quæ sunt de necessitate salutis, & observantia Mandatorum Dei, in quibus, si expressum accedat præceptum paternum, filius inobediens semper duplici peccato peccabit juxta rationem malitiæ, mortali, vel veniali, ut jam supra notatum est. 2. In omnibus pertinentibus ad morum honestatem: ut si pater præcipit vitare certam conversationem, domum, lusum immoderatum, filius transgrediens juxta rationem malitiæ transgressionis iterum peccabit mortaliter, vel venialiter. 3. In omnibus, quæ pertinent ad familiæ administrationem, & disciplinam domesticam; tam in temporalibus, v. g. quod certo tempore filii domum redeant, præsertim vesperi non vagentur, de rebus domesticis nihil destruant, vendant, donent, in domum aliquas personas non inducant, &c. quam in spiritualibus, v. g. ut certo tempore orent, Missas audiant, litteras, Fidei, & pietatis rudimenta addiscant, &c. In quibus omnibus non obedire parentibus ex proposito, adeoque cum aliqua contumacia, vel contemptu virtuali, iterum peccatum erit pro ratione materiæ mortale, vel veniale a prudentis Confessario æstimandæ, eaque inobedientiæ paternæ circumstantia semper in confessione mortalium explicanda erit. Præter enumerata, alia quædam sunt, in quibus filii puberes sunt sui arbitrii, nec tenentur sequi paternam voluntatem. Ut in eligendo vitæ statu, in studiis honestis, & maxime in vocationibus salutaribus capessendis: in quibus filiorum est divinam inspirationem, & ductum primario attendere, quamvis etiam in his parentum consilium audire filialis sit reverentiæ. Unde ulterius hic specialiter examinanda occurrunt duo. 18

III. *Quid in electione Status.*

QUamvis parentibus competat suadere, & consulere filiis de statu vitæ eligendo, puta Religione, Clericatu, vel Matrimonio: & etiam decens, rationique consentaneum sit, filios eos super hoc consulere, consiliumque rationabile sequi: attamen simpliciter eis obedire, vel acquiescere non tenentur. *Omnes*. Ratio est: quia in eligendo vitæ statu filius naturaliter liber est, & esse debet: ut proinde parentes cogentes filios ad quemvis statum mortaliter peccent, utpote 19

I. Peccant mortaliter parentes, si filios, vel filias invitas compellant ad ingrediendam Religionem, vel statum Clericalem assumendum, quocumque modo, metu, vi, vel fraude, etiam indirecte, ut si Pater male agat cum filiis in victu, vestitu, verbis, signis, eo animo, ut tædio affecti ad Religionem, vel Clericatum confugiant. Ratio est: quia contra justitiam, & gravis ex genere suo injuria est aliquem ad id cogere; ad quod non tenentur, quandoque DEUS ipse liberum cuique esse voluit. Insuper causa fiunt omnium malorum consequentium, heu! sæpissime gravissimorum. Unde merito a Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 18. *de Regularibus*, rigidissima prohibitione lata est sententia excommunicationis contra eos, qui fœminas ad religionem cogunt, ut nimirum Religionis ingressus liber sit omnino. 20

II. Similiter e contra peccant mortaliter parentes (sicut quicumque alii) si filios, vel filias a Religionis ingressu attentato injuste impediant: non tantum cum, sed etiam sine vi, 21

ne vi, vel fraude, importunis precibus, suasionibus, blanditiis, &c. Communis DD. apud *Molin. to.* 5. *tr.* 4. *de Justitia, disp.* 51. *n.* 2. cujus formalia juvat exscribere: *Graviter peccant parentes, qui solo carnali affectu permoti, absque omni causa, nullum non movent lapidem, ut filios a Religione, quam ingressi sunt, extrahant, lachrymis, & aliis viis conando a tam sancto proposito illos avertere: soletque Deus illos, ac filios ita extractos graviter, etiam in hoc sæculo, punire*. Sic Molina de jam ingressis in Religionem loquens: eadem autem sed paulo minor est ratio de ingressuris: quia nimirum proximum, præsertim filium sine justa, ac rationabili causa impedire a meliori bono, ac majori Dei obsequio, ordini Charitatis divinæ directe repugnat, & graviter nimis, ideoque mortale est ex genere suo, nisi fieret ob justam, & rationabilem causam, qualis præcipua est etiam, si ipsi parentes extrema, vel gravi necessitate laborantes utilis prolis ope egerent, ut paulo ante dictum est. Verum de his impedientibus generalius disserendum in materia de justitia.

22 III. Etiam mortaliter peccant parentes, si filios, vel filias absque justa causa compellunt ad Matrimonium ineundum, neque hi tenentur obedire. Ratio generatim est dicta. Addo verba Sanch. lib.4. de Matr. disp.22. n.4. *Non possunt parentes cogere filios ad Matrimonium, vel ad tales nuptias, sed libere contrahere filii debent, vel alium statum eligere*. Sic fatentur omnes cum S. Thoma, qui rationem hanc insuper reddit. *Quia Matrimonium est servitus quædam perpetua: & ideo cum homo liberæ conditionis sit, nequit a Patre ad hanc servitutem compelli. Quod si arguat, posse filium a parente in necessitate constituto vendi, & ita sua libertate privari: Dic, disparem esse rationem. Quia hæc servitus non exigit mutuum amorem, neque est perpetua, potest enim redimi, quæ secus se habent in matrimonio*. Hæc Sanchez. Jam subsume: atqui in re tam gravi alterum invitum privare jure suo, mortale est: ergo &c. Dictum semper intelligendum est de coactione sine justa causa. Fatendum enim cum *Bellarmino*, & aliis, posse parentes non quidem absolute cogere, sed paterne filium, vel filiam ad nuptias invitare, inducere, persuadere ob justam causam, puta familiam propagandi, nepotes procreandi, facultates amplianandi, aut inopiam familiæ sic sublevandi, &c.

23 IV. Denique etiam sine dubio graviter peccant parentes, si filios, vel filias absolute a Matrimonio contrahendo impediant, & abstinere cogant, sive fiat animo compellendi ad Religionem, vel Clericatum, sive ob finem alium. *Communis*. Ratio est: quia sane gravissima est injuria velle hominem, proprium præsertim filium, vel filiam contra voluntatem privare libertate eligendi statum a DEO, & natura institutum, non tantum ad propagationem humani generis, sed etiam ad remedium incontinentiæ. Unde merito Sanch. *supra cit.* concedit eo casu filiam etiam minorem, invitis quoque parentibus, etiam indigno licite nubere posse, ne detur infirmis occasio occulte delinquendi. Sic etiam recte notat D. Th. 2. 2. q. 104. ar. 3. *In iis, quæ ad propriam sustentationem, prolisque generationem pertinent, omnes homines esse pares, atque adeo neque filios quidem in his duobus subjacere parentibus*. At vero, si parentes solummodo impediant a talibus nuptiis, cum tali, vel tali, relicta libertate ad alias nuptias, quoad peccatum parentum nihil gravius definiunt Doctores. Sed quid tum de obligatione filiorum, vel peccato? Hic nodus, hic saltus est.

IV. Quid in electione talis Matrimonii.

24 Electo ergo statu Matrimonii, proles debent petere consilium, & assensum parentum, atque etiam expectare, & obtinere, nisi illi injuste contrarientur, vel nimium suspendant, adeo ut peccent filii, ac filiæ maxime si inconsultis parentibus, ac juste contradicentibus tale ineant Matrimonium. In his terminis sane omnes consentiunt. Et ratio clare sumitur ex patria potestate, cui jure naturæ impositum videtur, ut nuptui tradant filios, & filias. Idque eis aperte tribuunt S. Litteræ. Eccl. 7. *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam*. Et S. Paulus expresse docet 1. *ad Corinth.* 7. a parentibus tradendas esse filias nuptiis. Idque palam demonstrant Exempla S. Scripturæ, præsertim *Gen.* 24. & 28. Ubi Patriarchæ præcipua quadam cura curarunt Matrimonia filiorum. Accedit Jus Canon. c. 7. *Aliter* 30. *q.* 5. ubi statuit Evaristus Papa, *ut pro nupta nequaquam habeatur puella, quam Pater ipse non desponsat*. Ibidem *cap. qualis*. S. Leo Papa, & *c. Honorantur* 32. *q.*2.S. Ambrosius, dicunt: *Non esse virginalis pudoris maritum eligere, sed judicium parentum esse expectandum*. Ex quibus omnibus satis rigide loquuntur DD. in hac materia, præsertim quoad puellas, seu filias: quæ omnino operæ pretium est distincte proponere.

25 I. Filios, ac filias peccare mortaliter, nisi in Matrimoniis eligendis consilium, & consensum parentum exposcant, cum aliis docet Sanch. *lib.* 4. *de Matr. disp.* 23. *n.*9. Sed profecto tantam obligationem ad consilium petendum, quod nemo sequi tenetur, nec hactenus allata convincunt, nec ratio urget ulla. Aut enim digne contrahere volunt, aut indigne, aut dubie. Si digne contrahere volunt, parentes, nec juste contradicere poterunt: & si contradicant, illi non tenebuntur obedire. Ad quid ergo tantum peccati mortalis onus ad petendum? si in dubio consilio opus sit, an non poterunt petere ab alio prudentiori (sed hic Confessarius caveat scandalum pusillorum frequentissimum:) & sic non egeret paterno? Ad quid ergo obligatio sub mortali? Si indigne contrahere volunt, adeoque peccare, si sub mortali obligamus filios ad patris consilium postulandum, an non regulariter eos conjiciemus in pericula rixarum? Cum certum sit Patrem contradicturum, quia agitur de suæ familiæ dedecore. Idque maxime, si filius, vel filia in arrepto proposito contra Patris consilium constans supponatur, & certe contra solum consilium Patris filium in proposito licite perstare posse, fatetur ipse *Sanch. loc. cit.* An non ergo satius erit curare, ut ignoret Pater, quam ut consultus rescіat, & ejus auctoritas coram despiciatur? Certum ergo mihi videtur, non esse obligationem sub mortali, quidquid sit in communi apprehensione hominum.

II. Filios, ac filias peccare mortaliter, si invitis, dissentientibus, ac contradicentibus parentibus, Matrimonium cum indignis ineant, est sane communis, & sine dubio probabilior Sententia DD. *Navar. Soti, Cordubæ*, aliorum cum Sanch. *cit. n.* 9. Et late, ac optime Bellar. *lib.* 1. *de Matr. cap.*19. *Proposit.*3. Et sine dubio verissimum est, quando ultra parentum dissensionem alia gravia mala sequuntur, ut scandala publica, grave dedecus parentum, ac familiæ: si connubium ipsis filiis damnosum sit corporaliter, vel spiritualiter: si parentes ipsi graviter, & diu exacerbandi, contristandi, affligendi, aut peccaturi, &c. tunc enim peccari mortaliter saltem contra Charitatem nimis certum est. Quomodo graviter peccasse censetur Esau *Gen.* 26. quia quadragenarius accepit uxores de filiabus Chanaam cum gravi offensione parentum Isaac, & Rebeccæ. Quia vero ejusmodi mala regulariter eo casu occurrunt, cum filii invitis parentibus indigne contrahunt, ideo hæc sententia in praxi regulariter vera est. 26

III. At vero seclusis illis aliis malis ratione solius involuntarii, dissensionis, vel contradictionis parentum, non peccare mortaliter filios, vel filias, si indigne contrahant, utpote si filius ducat indignam, & filia nubat indigno, probabilissimum est. Ratio fundamentalis, & invicta est: Quia in electione status, & maxime Matrimonii, filii ipso jure naturæ omnino liberi sunt, & nemini subjiciuntur: ergo quamvis tales invitis parentibus indigne contrahentes valde indecenter agant, & a veniali paternæ irreverentiæ saltem culpa vindicari non possint; (unde ob id etiam dote, vel hæreditate privari jure possunt) at peccati mortalis diram necessitatem imponere naturalis eorum libertas probabilissime non permittit; neque sane convincunt supra initio allegata, ut intuenti patet. A fortiori ergo 27

IV. Certum, exploratumque est, si filii invitis parentibus ineunt Matrimonium cum dignis, & alioquin nullum sequatur grave incommodum, nisi aliqualis indignatio parentum, non peccare mortaliter, immo ne venialiter quidem, si prius a parentibus modeste facultatem petierunt, tametsi nequaquam impetrarint. Ratio rursus eadem: tenetque communis DD. Ac tandem universaliter quoties parentes injuste contrariantur, filiosque privare contendunt optato bono, ac Matrimonio sibi utili, ac salutari, sufficere eis reverenter assensum petiisse, de cætero sui juris esse, non teneri obedire, adeoque neque peccare Matrimonium ineundo invitis parentibus, omnes fere consentiunt. Nav. *cap.* 14. *n.* 15. Tolet. *lib.* 5. *c.* 1. alii cum Sanch. *cit.* Marchant. *cit. concl.* 4. 28

§. IV. *Reverentiam.*

Obligatio reverentiæ filiorum erga parentes universaliter exigit, ut eis juxta regulas honestatis, & morem gentis, debitam, seu competentem reverentiam exhibeant. Contra quam quatuor fere modis, & juxta rationem materiæ mortaliter, vel venialiter peccare possunt filii, *verbo, signo, facto, & defectu*. 29

I. *Verbo* irreverentiam exhibent Parentibus filii, qui duris, asperis, inurbanis, contumeliosis verbis, jocis, maledictionibus eos afficiunt in præsentia, vel absentia, ut §.1. de amore parentibus debito exemplificatum est. Nam hæc, uti & sequentia omnia, quatenus exterius parentibus exhibentur, peccata sunt contra reverentiam parentibus debitam: quatenus vero etiam internam malevolentiam, aversionem, contemptum adjunctum habent interius, spectant ad peccata contra amorem parentibus debitum. Hoc quoque adde, longe gravius sit peccari in præsentia, quia accedit species contumeliæ. 30

II. *Signo* Parentibus irreverentiam exhibent, quicumque risibus, subsannationibus, gesticulationibus, simulatis eorum actibus, illis illudunt, præsentibus, vel absentibus, gravi utique peccato, juxta illud supra *cit. Prov.* 30. *Oculum, qui subsannat patrem, &c.* Item, qui evecti ad dignitates, vel divites facti, parentes despiciunt, recognoscere nolunt, abnegant, quocumque modo, vel signo, ex superbia, & cum aliquo contemptu, peccatum mortale gravissimum: asserit 31

asserit communis DD. *Nav. Tol. Filliuc.* alii, & nemo excusat. Excusat autem si ex nullo contemptu, optimo in parentes affectu retento, fieret ob justam causam, puta ad vitandum aliquod suum incommodum (etiam erubescentiam a mortali vindicat *Tamb. lib. 4. cap. 2. §. 2. nu. 17.* non audeo assentiri) grave, inquam, incommodum, ut si aliquod damnum notabile filio immineret in vita, honore, fortuna, ex eo, si parentes noscerentur: aut si gravissimi criminis, præsertim hæresis, vel proditionis infecti essent, aut publico supplicio affecti, aut infideles: tunc enim non erit peccatum negare parentes, dummodo eos corde cum contemptu non neget filius.

32 III. *Facto* Parentibus irreverentiam exhibent, in primis, qui eos verberant, etsi levissime fiat percussio: etiam, qui solum levant brachium, vel instrumentum ad percutiendum, non secuta percussione, idque deliberate, & cum plena advertentia, omnino peccant mortaliter. Et merito *Exod. 21.* reus mortis pronuntiatur talis. Hæc enim omnia deliberate moliri, esto in æquales levem injuriam contra justitiam contineat, at in parentes gravissimam malitiam contra pietatem continet. *Communis.* Item qui accusat patrem in judicio, sive civiliter, sive criminaliter, peccat mortaliter. Neque filius auditur, exceptis duobus casibus læsæ Majestatis divinæ, & humanæ, per proditionem: *Omnes.* Potest tamen injuste offensus a patre filius, v. g. alimentis privatus, &c. judicis officium nude, & simpliciter, implorare ipso jure naturæ, & notat *Toletus cit.*

33 IV. *Defectu* denique irreverentiam exhibent parentibus, qui eis juxta morem patriæ consueta reverentiæ paternæ signa, & cæremonias non exhibent, v.g. non assurgunt, caput aperiunt, locum cedunt, non salutant, certis temporibus non bene precantur, in quibus tamen secluso pravo affectu plerumque inadvertentia a mortali excusat. In his vero omnibus confitendis exprimendum, & a Confessario examinandum est, utrum processerint ex interno maligno affectu, odio, vel contemptu in parentes: tunc enim etiam peccant contra amorem parentibus debitum, utique mortaliter. Videre potes, & huc applicare dicta de obligatione Charitatis quoad signa exhibenda proximo, & distinctionem maxime notandam, quoad intentionem internam, & significationem externam.

Corollarium, & Regula universalis.

34 Omne odium, injuria, irreverentia, contemptus, quæ in alium proximum censetur mediocris, vel levis, gravis est in parentes, & quæ censetur gravis in alium proximum, est summa in parentes: (excipitur sola materia furti.) Ratio sumitur ex ordine graduum. Quia post Deum primus gradus conjunctionis ad nos est parentum. Adeoque odium, injuria, & irreverentia ipsis illata, semper cæteris paribus, gravior est, quam illata aliis proximis, etiam propinquis. Porro (summopere hic notandum, præsertim in confessionali) ad gravitatem peccati odii, irreverentiæ, injuriæ in parentes mensurandum, non sufficit æstimare ipsum actum secundum se præcise, odium scilicet, irreverentiam, &c. ex natura, & objecto suo, atque intentione agentis, sed debet insuper attendi effectus exacerbationis, contristationis, vel afflictionis, inde merito causatus in parentibus, dummodo prævisus fuerit, juxta has tres Regulas.

35 *Prima.* Quandocumque filius, vel filia absque justa causa deliberate aliquid agit, vel omittit, etiamsi alioquin per se malum non sit, ex quo tamen scit, parentes graviter offendendos, vel contristandos, aut forte etiam peccaturos nimia ira, indignatione, blasphemiis, &c. ipso facto peccat mortaliter contra amorem, obedientiam, reverentiam parentibus jure divino naturali debitam. Ex. g. sciebat Esau Patrem suum Isaac graviter contristandum, si accepisset uxorem de filiabus Chanaam: etsi per se malum non esset, peccavit tamen mortaliter ex communi Patrum, ac Interpretum sensu, accipiendo sibi talem uxorem, quia faciebat id sine omni justa causa; unde sciebat parentem merito graviter offendendum. Quod valde notent filii: in his enim sæpissime contingit eos peccare mortaliter, etsi res ipsæ alioquin malæ, vel saltem graviter malæ non sint, v.g. sine licentia domo exire, aliquid auferre, &c. neque ipsi offensionem parentum formaliter, & expresse intendant, quod plane deterrimum, non tamen rarissimum est, ideoque subinde a Confessario interrogandum.

36 *Secunda.* Etiam in dubio, an sit justa causa agendi aliquid, ex quo parentes offendendi, vel contristandi sint, tenetur filius abstinere: immo etsi quandoque justa causa subsit, si tamen nulla urgeat necessitas tale aliquid agendi, decebit, & adhuc laudabiliter, poterit parentibus condescendere: idque etiam in operibus sanctis, etiam in ingressu Religionis aliquandiu differendo. *Ratio est*: quia in tali dubio stat possessio, & obligatio reverentiæ debitæ, quæ necessario exigit, ne filii Parentes sine necessitate contristent.

37 *Tertia.* Quando tamen justa causa omnino urget aliquid agere, & constat, offensionem, vel contristationem parentum ex mera eorum morositate, melancholia, apprehensione, vel etiam malitia irrationabiliter, vel inique orituram, non peccant filii illud agentes; idque maxime in sequenda vocatione divina, exemplo ipsius Christi in Templo remanentis, insciis, & tristissimis parentibus: Jonathæ, ægerrime licet ferente Patre Saul, tamen justo, & tenerrimo amore David adhærentis, &c. Recte tamen monet March. *cit. quæst. 2. dub. 2.* Videant filii ne mentiatur iniquitas sibi, attendantque præceptum sapientis Eccles. 3. *Ne contristes Patrem in vita sua, & cum defecerit sensu, veniam da ei.*

SECTIO II.

Pietas, & obligatio Parentum erga filios.

SUMMARIUM.

38 *Parentes naturali jure debent filiis* naturaliter amorem, & educationem, *corporalem, & spiritualem.*
39 *Quoad* amorem, *tenentur eis benevelle, benefacere, & omne malum avertere.*
40 *Quoad* educationem corporalem *debent eis.* I. providentiam vitæ, *nihil agendo, quod vitæ, vel sanitati prolis conceptæ, vel jam natæ, obesse possit. (Ubi quomodo in hoc peccent parentes.)*
41 II. Providentiam victus, *seu alimenta, vestitum, instructionem in disciplina, vel honesta arte Addiscenda, &c. Et*
42 III. Providentiam status *in futurum.*
43 Usque ad n.47. *Quoad* educationem spiritualem *parentes debent filiis.* 1. doctrinam *in rebus ad salutem necessariis.* 2. Exemplum, & 3. correptionem.
47 Usque ad num. 52. *ad quid teneatur* Pater *filiis illegitimis, seu spuriis.*
52 Usque ad num. 57. *ad quid* Mater *teneatur spuriis.*
57 *De hæreditate, seu portione legitima filiis debita: ubi* Usque ad num. 61. *resolvuntur tria dubia.*
61 *Causæ negandi hæreditatem, vel alimenta filiis.*

ASSERTIO II.

Jure divino naturali obligantur parentes filiis exhibere amorem, & educationem duplicem, corporalem, & spiritualem. Ita in re omnes. Quamvis enim varie enumerent officia parentum erga filios, omnia tamen sub his tribus capitibus comprehenduntur. *Ratio* assertionis, & obligationis sumitur ex ipsis visceribus naturalis legis, qua omnia animantia, etiam bruta, fœtus suos diligunt, & educant. Homini autem rationis compoti, seu creaturæ rationali ad finem supernaturalem creatæ duplex debetur educatio: una corporalis ad esse naturæ: altera spiritualis ad esse gratiæ, in ordine ad ultimum finem suum Deum. Agnovit id Heva *Genes. 4.* Quæ primogenitum suum appellavit Cain, dicens: *possedi hominem per Deum.* Quod hebraice sonat. *Acquisivi hominem Deo.* Unde est illud D. Chrysostomi l. 2. contra vituperatores vitæ Monasticæ: *Tunc maxime, & verissime habemus filios nostros, cum Deo nostro illos tradiderimus.* Jam termini explicandi sunt: & deinde specialia aliqua ex jure positivo addenda. 38

§. I. *Amorem, seu dilectionem.*

Obligatio amoris parentum erga filios tria requirit. 1. Filiis bene velle, saltem negative, excludendo omne odium, aversionem, rancorem, omnemque pravum affectum deliberatum. 2. Etiam quantum opus, & possibile est, iis benefacere. 3. Omne malum ab iis, vel damnum corporale, vel spirituale avertere. Peccant ergo parentes pro ratione materiæ, etiam mortaliter, qui filios gravi, & injusto odio prosequuntur: iis male volunt, maledicunt, seu mala imprecantur serio, seu animo, ut eveniant: qui in gravi, vel extrema necessitate eis non benefaciunt, non succurrunt, vel mala, & damna eorum corporalia, vel spiritualia non avertunt, cum possint: qui nimis dure tractant, sine causa verberant, affligunt, &c. sicut supra de amore filiorum erga parentes specificatum est. Majori enim, & strictiori jure obligantur parentes amare filios, quam e contra; unde nec speciale præceptum datum est parentibus de amore filiorum, sicut datum est filiis. Quia juxta commune dictum: *Amor descendit, non ascendit.* Parentes enim filios suos tamquam aliquid sui, naturali prorsu instinctu, & impulsu diligunt, tantoque affectu, ut sæpissime excedant: ideoque non fuit opus expressionis de hoc præcepto: quemadmodum ob eamdem rationem etiam non fuit datum speciale mandatum homini de diligendo seipso. 39

§. II. *Educationem corporalem.*

Etiam hæc tria requirit: triplicem nimirum providentiam *vitæ, victus, & Status.* 40
I. *Providentia vitæ.* Ut nimirum ab ipso conceptu parentes sedulam curam gerant, nec quidquam agant, quod prolis vitæ, sanitati, & naturali perfectioni obesse possit

ante,

ante, & post nativitatem: præsertim usque ad triennium. Peccant ergo mortaliter parentes. 1. Qui tempore menstrui, aut alias impuris, & importunis commixtionibus vacant cum evidenti periculo abortus, aut prolis vitiatæ, monstruosæ, infirmæ, fatuæ concipiendæ, vel generandæ. 2. Patres crudeles in uxores, qui eas prægnantes vexant, exasperant, percutiunt, in gravissimum damnum fœtus in utero existentis. 3. Matres, quæ prægnantes currunt, saltant, noxia edunt, vel bibunt: nimium laborant, portant, onera levant, extra urgentem necessitatem; vel quidquid faciunt cum prævisio, vel prævideri debito periculo abortus, vel prolis vitiandæ. 4. Eædem matres, quæ negligunt filios per se lactare: quod quidem per se non nisi veniale est: quia dummodo infans commode nutriatur, per se non apparet gravis defectus: immo ab omni culpa liberat rationabilis causa, utpote matris imbecillitas, vel mos patriæ, vel gentis. Contra vero mortalis peccati labem non effugient, si nutrices adhibeant infecti sanguinis, pravorum humorum, & morum, in periculum vitæ, sanitatis, & morum infantis. Quibus occini potest illud Thren. 4. v. 3. *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto*. Item quæ tempore lactationis seipsas non observant: quæ infantes in lecto incaute penes se collocant periculo oppressionis, (quod alicubi valde frequens comperi.) Ex quibus omnibus, si, prævisio, vel prævideri debito periculo, mors sequatur, vere homicidii rei, vel reæ erunt, immo parricidii: quod bene observandum in confessionali.

41 II. *Providentiam victus, seu alimenta*. Ubi 1. nomine alimentorum quinque comprehenduntur; scilicet pertinentia ad cibum, & potum; ad vestitum, & lectum, seu habitationem: ad medicinas tempore morbi: disciplinas, vel honestas artes addiscendas, de quibus infra. Cujusmodi omnia ad vitam humanam necessaria tenentur præstare filiis parentes, quousque ad robustam ætatem pervenerint proles, ut seipsas arte, opificio, officio vel servitio alere possint pro ratione status sui: per accidens autem etiam toto vitæ tempore, quoties extrema, vel gravis necessitas urget. Quod si tamen filius apud alium educatus fuerit, pater quidem in foro conscientiæ non tenetur postea filio compensare alimenta, nisi filius debita contraxisset: at in foro externo potest filius alimentorum compensationem petere a patre, aut in divisione hæreditatis sibi deducere; quod juste ita statuitur, ne parentes tam facile filios aliis alendos relinquant. 2. Eadem debentur filio, etiamsi auctoritate Principis fuerit proscriptus: etiamsi fuerit excommunicatus: etiamsi dissipaverit ea, quæ pater eidem assignaverat pro alimentis: etiamsi filius potuisset sibi suo labore, industria, vel aliunde providere, de facto tamen non providit. *Ratio omnium est*: quia adhuc filius, vel filia est, & pars patris, & jure naturæ patri commendata. Excipe justas causas exhæreditandi, de quibus infra. 3. Quod si Pater bonis careat, polleat autem mater, ea succedit in hac obligatione: utroque deficiente, Avi, aliique progenitores paterni: & his deficientibus, Avi, ac progenitores materni: & in horum defectum consanguinei proximiores, sic enim ipsa natura dictat, & ordo Charitatis exigit. 4. Peccant ergo mortaliter parentes, qui filiis in ætate infirma, aut alia gravi, vel extrema necessitate pressis, alimenta, vel alia necessaria denegant, nisi filius aliunde se alere possit: qui comessationibus, & potationibus omnia dilapidant, ut filii mendicare cogantur: qui, seclusa necessitate vera, ac æquali propria, filios captivos non rediмunt: qui insuper vendunt: qui in viis publicis, aut in hospitalibus publicis, alendos exponunt. De peccato mortali hic omnes consentiunt. Insuper, sive culpabiliter ex avaritia, v. g. sive inculpabiliter ex vera necessitate, vel timore infamiæ ita exponant proles in hospitalibus alendas, eidem hospitali (non aliis pauperibus, ut male Bassæus Cappuccinus *in floribus v. adulterium n. 9.*) parentes tenebuntur ad restituendas impensas in educandis liberis expositis, secundum communiorem DD. cum Sanch. *cons. t.* 1. *lib.* 1. *c.* 5. *d.* 4. *& d.* 5. *n.* 74. Etsi alii negent. Sed mihi placet distinctio Laym. *lib.* 3. *de just. tr.* 3. *cap.* 14. *n.* 4. Id omnino verum esse, si hospitale non dives sit, secus, si sit opulentum. Tunc enim rationabiliter præsumpta voluntas Fundatorum censetur fuisse in ejusmodi hospitalium erectione, cujuscumque generis hominum necessitatibus voluisse consulere: atqui infantes ipsi expositi in vera necessitate sunt, quocumque tandem statu expositi sint a parentibus, ergo &c.

42 III. *Providentiam Status, scilicet in futurum*. 1. Si plebejus sit, curet filios addiscere honestam artem, opificium, vel disciplinam statui eorum competentem. 2. Si filius talentum, & animum habeat studendi, pro facultatibus expensas præbeat, aut saltem non impediat. Quia filius rationabiliter eligit talem statum: consequenter parentes debent ipsi ad hoc opem ferre, & non impedire. 3. Tenentur filiis thesaurizare. 2. *ad Corinth.* 11. quantum potest fieri, salva justitia, in futurum, ut honeste secundum statum suum vivere possint. In quo dupliciter fere peccant parentes: aut per defectum, in neglectu, & dissipatione bonorum temporalium, quo filiis sunt causa paupertatis, & multorum inde consequentium malorum: aut per excessum, nimia cupiditate bonorum temporalium per fas, & nefas pro filiis congregandorum, quæ ipsis filiis postea fiunt in laqueum, scandalum, ac ruinam: atque ita sibi ipsis, & filiis æternam damnationem thesaurizant. Specialia huc facientia, præsertim ex jure positivo, consulto rejicio in §. 4.

§. III. *Educationem spiritualem*.

OMnibus gravius tenentur parentes filiis educationem spiritualem, seu diligens regimen, & instructionem filiorum in bonis moribus, observatione mandatorum Dei, & omnibus ad salutem necessariis. Ad hoc autem rursus tria requiruntur: Scilicet *Doctrina*, *Exemplum*, *& Correptio*: juxta illud *Eccli.* 7. *Filii tibi sunt? erudi illos, & curva illos a pueritia illorum*. 43

I. *Doctrina*. Ut nimirum parentes instruant, vel instrui curent, in primis in omnibus necessariis ad salutem, nimirum in rebus Fidei, & Sacramentorum, mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sacrisque exercitiis communibus omnibus fidelibus: deinde etiam in honestate morum, & virtutum, & iis, quæ in humana societate, & consuetudine necessaria sunt, juxta morem patriæ, & conditionem status. 44

II. *Exemplum*. Ut nimirum parentes curent ipsis filiis exemplo bonorum morum, & operum præire, & summe caveant malo exemplo, & scandalo eis causam, vel occasionem præbere ruinæ, peccati, & malorum morum. De hoc vide passim S. Scripturam, præsertim *lib. Tobiæ*. Ecclesiasticum *cap.* 13. 30. 41. ac *SS. PP.* D. Hieron. *Epist. ad Lætam, ubi inter* cætera dicit: *Mementote vos, parentes, magis exemplo docere filios, quam voce* (& infra de filia) *Nihil in te, & patre suo videat, quod si fecerit, peccet*. Pro quot peccatis scandalorum hic se intricant mali, & incauti parentes! 45

III. *Correptionem*. Ut nimirum parentes serio, directe tamen, & prudenter emendent peccata filiorum, & vitia. Prov. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit, & c.* 32. *Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis*. Lege *Eccl. cap.* 30. Discretam tamen, & prudentem oportet esse correctionem, ut nec severitate nimia in odium, pusillanimitatem, & desperationem adducantur proles; nec indulgentia nimia neglectui, contemptui, ac vitiis filiorum occasionem præbeant. Unde monet Apostolus ad Ephes. 6. *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate eos in disciplina, & correptione Domini*. Et ad Coloss. 3. *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant, &c.* Juxta dicta ergo ratione hujus officii parentes peccant mortaliter, qui filios in bonis moribus, & necessariis ad salutem instruere, vel instrui non curant. Qui malo exemplo eis causa ruinæ, & occasio peccatorum sunt. Qui vitia filiorum corrigere notabiliter negligunt: in his enim parentes non tantum peccant contra virtutem Charitatis, sicut alii quivis proximos scandalizantes, vel corrigere negligentes, sed etiam contra virtutem justitiæ, qua parentes jure divino naturali obligantur educare filios ad bonum. Addit exempla Navar. *cap.* 14. *num.* 18. nimirum peccare mortaliter parentes, qui permittunt, filias habere amatores ad malum finem: frequentare suspecta consortia, vel alias turpem vitam agere. Item omnium consensu peccant mortaliter, si filios, vel filias contra voluntatem suam cogant, vel ad Religionem ingrediendam, cum vellent nubere, vel ad Matrimonium ineundum, cum vellent Religionem ingredi, uti propter connexionem jam supra insertum habes. 46

§. IV. *Specialia quædam, præsertim ex Jure positivo.*

I. Quoad filios illegitimos.

FIlii *illegitimi* generatim dicuntur, qui extra legitimum Matrimonium generantur; alii naturales, alii spurii vocantur. Filii *naturales* dicuntur, qui nascuntur ex copula, nec reprobata per leges positivas: nimirum ex solutis, qui ad invicem nubere possunt, unde & secuto Matrimonio, eo ipso legitimantur. *Spurii* dicuntur, qui nascuntur ex copula damnata per leges, puta ex adulterio, incestu, sacrilegio: & generatim a talibus, qui secundum leges ad invicem nubere non potuissent. De his ad propositum breviter aliqua adnota. 47

I. Filiis naturalibus omnium consensu tenetur præbere alimenta pater: immo, deficiente prole legitima, iis omnia bona sua donare, vel hæreditate relinquere potest. Ut fuse probant DD. cum Sanchez *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 7. *dub.* 16. 48

II. Etiam spuriis tenetur pater præbere alimenta proportionata suo statui. Communis Theol. cum Laym. lib. 3. part. 3. cap. 14. *Ratio est*: quia de jure naturæ est, ut pater alat filium, quocumque tandem modo sit genitus. Unde quod Leges civiles prohibentes patrem spurio aliquid dona- 49

nare mortis causa, vel hæreditate relinquere, ne scilicet legitimis hæredibus decrescat hæreditas, insuper etiam alimenta prohibere videatur, quoad hoc correctæ sunt a Jure Canonico.

50 III. Pater etiam filiæ spuriæ tenetur dotem constituere, (hæc enim succedit loco alimentorum) sed ipsis alimentis respondentem juxta conditionem status, ut honeste nubere possit. Non enim potest excessive dotare, quia excessum ejusmodi ipsa filia spuria, ac ejus maritus tenebuntur, etiam ante Judicis sententiam, legitimis hæredibus restituere; nisi forte hi liberius remittant. Vide late Molinam *tom. 2. de Justit. disp. 168.* Sanchez *supra, & lib. 4. de Matrim. disp. 16.*

51 IV. Pater tenetur spuriis alimenta, & filiæ spuriæ dotem prædictam constituere non tantum ex bonis propriis patrimonialibus, sed etiam ex fructibus redditum Ecclesiæ a patre perceptis; idque saltem, si spurii aliunde ali non possint. Qua ratione intelligenda est constitutio S. Pii V. prohibentis ejusmodi spuriis alimenta præberi, intellige, si aliunde ali possint. Eademque est ratio de Religiosis, qui bonorum liberam administrationem habent. Secus de aliis; tunc enim improba Berta sibi imputet, quod consenserit illi, quem scivit, neque se ducere, neque prolem alere posse.

II. *Quoad Matrem.*

52 Mater debet filium etiam spurium alere, lac præbendo usque ad triennium, reliquæ impensæ omnes sunt a patre faciendæ, etiam ipsius lactationis, si mater ipsa lactare nequeat; & patre impotente secundario tantum a matre, ut supra dictum est. Ergo si sine patre potente alere filium, vel tutore existente, mater alat, poteritne postea repetere impensas factas a patre, filio, vel in divisione bonorum? an etiam æstimationem laboris sui? Dicendum breviter.

53 I. Si vivente patre alioquin divite, vel existente tutore, mater filium aluit, & protestata est se alere animo repetendi expensas, omnino repetere potest, ut jura decernunt *L. Nesennius, ff. de negotiis gestis*. Ratio patet: quia pro re utiliter gesta impensæ debentur. Quia etiam eo casu mater, si aliter expensas facile impetrare nequeat, poterit occulte compensare de bonis patris, vel hæreditatis auferendo.

54 II. Si tunc mater nihil protestata est, præsumitur amore patriis, aut filii potius liberaliter fecisse, & sic impensas repetere non poterit in foro externo: at in foro conscientiæ adhuc repetere poterit, vel occulte compensare: si hæc duo concurrant; *unum*: si positivo animo repetendi impensas, aluit: *alterum*: ut omissio protestationis non fuerit causa damni in patre, vel tutore, puta quia alioquin ipsi aluissent nullis, vel paucioribus expensis. Vide Azorium apud Tambur. *lib. 5. cap. 3. §. 2. num. 4.*

55 III. Si mortuo patre, nulloque tutore existente, mater filii bona administrans, animo positivo se compensandi, filium aluit, (quod maxime præsumitur: si bona jam divisa fuerant, & cuique sui rationum libri respondebant) iterum poterit impensas repetere. Si autem non habuit ejusmodi animum positivum se se compensandi, reputatur id amore filii liberaliter fecisse, idque in dubio præsumitur, si bona Matris, & filii non erant divisa. Dicta hactenus etiam intelligenda sunt de patre viduo in Jure Canonico.

56 IV. Æstimationem sui laboris in alendo filio nequit mater repetere. Quia Mater pro filio laborem suum gratis impendere jure præsumitur, immo fortasse jure cogitur, ait Tambur. *cit. num. 6. in fine.*

III. *Hæreditas, seu portio legitima filiis debita.*

57 Filiis legitimis jure debetur tota hæreditas relicta a patre dividenda ex æquo per capita in filios, filiasque, aut his mortuis in nepotes per stipites. Quod si pater de bonis suis aliter disponat, tenetur tamen illis relinquere integram legitimam nullo aggravatam onere, eodem modo dividendam ex bonis relictis, deductis tamen ære alieno, ac expensis funeris. Pars autem, seu portio legitima debita Filiis, Jure Cæsareo est tertia pars, seu triens bonorum æqualiter distribuenda inter liberos, si sint quatuor, vel pauciores: si vero sint quinque, vel plures, est pars dimidia, seu semissis; unde sunt versus,

Quatuor, aut infra dant natis jura trientem:
Semissem vero dant natis quinque, vel ultra.

Una, & altera difficultas hic breviter expedienda.

58 *Prima*: Quid si pater vivens sua bona prodige dissipaverit cum præjudicio legitimæ filiorum, poteritne filius nihilominus integram legitimam petere, quantam fuisset consecuturus, si dissipatio facta non fuisset? Respond. cum distinctione: Posse, si pater mala fide, ac eo animo, ut filio suo legitima decrescat, bona sua dissipavit. Si non mala fide, non posse. *Ratio est*: quia existente mala fide, pater peccavit in jus debitum filiis; ergo injuriam propellere poterunt: at non peccavit, si bona fide diminuit pater: ergo tunc filius non habet jus contra bona patris sine fraude diminuta.

Secunda: Quid si pater vivens postulanti filio, vel filiæ suam legitimam integram tradidit juxta facultates, quibus 59
tunc fruebatur, potestne deinde filius, vel filia patre mortuo, petere aliquid amplius, si postea amplificatum fuerit patrimonium patris? Respond. posse, quia legitima debetur filiis omnino ex bonis, quæ mortis tempore parentes relinquunt: neque hoc jure se privasse censentur filii, exacta, & accepta prius aliqua portione legitima. Sic ex communi Navar. *in cap. Quamvis de pactis, in 6. part. 3. §. 1.*

Tertia: Quid si filius, vel filia renuntiaverit futuræ patris 60
successioni? Certe contingere solet, ut filii, & maxime filiæ, dum matrimonium ineunt, vel Monasterium ingrediuntur, & pactum ineant cum parentibus, ut contenti sint sua dote, & sic renuntient cuicumque juri, quod alias haberent in parentum bonis, poteruntne adhuc regressum habere postea ad bona paterna? Resp. sine dubio posse, si vi, metu, dolo, importunis persuasionibus inducti, vel inductæ ita renuntiavere, etiam cum juramento, quippe tunc facile relaxando, ut patet ex dictis suo loco. At vero, si voluntarie absque vi, vel fraude renuntiarunt sine juramento, irritam ejusmodi renuntiationem ipsa jura decernunt. Si vero juramentum accessit, valebit renuntiatio, atque a jurante servari debebit, nisi ipse pater, quippe in cujus gratiam juratum est, remittat. Quia omne juramentum homini præstitum servari debet, quoties sine peccato servari potest: at potest servari in casu nostro: neque enim filia, v. g. peccat, si sua dote contenta velit reliqua parentibus cedere; ergo &c. Nec obstat lex irritans ejusmodi renunciationem. Rationem habes in materia de juramentis. Plura curiosius vide apud citat. *Navar. Molinam, Sanchez, alios.*

IV. *Causæ negandi hæreditatem, vel alimenta filiis.*

Causæ justæ exhæreditandi filium, vel filiam, (item nepotem, aut neptem respectu Avi) quatuordecim enumerantur in Jure, in *Authentica de appellat. cognoscendis, §. causas autem*. 1. Si manus graviter in patrem injiciat. 2. Si contumelia gravi afficiat. 3. Si accuset, extra casum proditionis patriæ, vel Principis. 4. Si cum maleficis se intermisceat. 5. Si insidietur vitæ patris. 6. Si patris uxorem (Novercam scilicet) violet. 7. Si in judicium deferat patrem cum ejusdem gravi detrimento. 8. Si requisitus a patre incluso filius (non autem filia) illum non adjuvet. 9. Si prohibeat patrem testari. 10. Si histrionicam, vel gladiatoriam exerceat, quando pater non est ejusdem artis. 11. Si, patre offerente dotem ad nuptias, filia minor viginti quinque annis luxuriose vixerit. 12. Si parentis forte furiosi curam filius negligat. 13. Si eundem captivum non redimat, cum possit. 14. Si fiat hæreticus, patre existente Catholico. Verum huic ultimo præjudicatum est in novissima pace Germanica. 61

Ob easdem omnino causas licite, ac juste pater (vel in suo casu Mater) filio negare potest alimenta, aut filiæ dotem non constituere. *Communis DD. apud Bonacinam tom. 2. disp. 4. in 4. præceptum, q. unic. Proposit. 6. §. 3. num. 1.* Solum lis est, an tunc pater possit negare omnia alimenta etiam ad vitam sustentandam necessaria. Affirmat Mol. ac alii cum Sanch. *lib. 4. de Matr. disp. 29. num. 1.* Quia tunc filius, vel filia ob suam ingratitudinem non habetur amplius pro tali: solum igitur perinde, ac alii proximi, in extrema necessitate erit a patre adjuvandus. Contra tamen necessaria alimenta eis deberi, docet *Covar. apud eundem Sanch. cit.* eo quod esse physicum re ipsa filii non amittatur, atque adeo semper aliqua major obligatio ad ipsos in patre residet, quam in aliis. Hæc sententia magis pia; utraque probabilis est. An etiam ob alias causas juste possit filius, vel filia exhæreditari, dote, vel alimentis privari, videantur *Auctores cit.* Mihi certe videtur posse in foro conscientiæ, ob alia similia, vel etiam graviora delicta. Legem enim ad similia trahi posse, cum similis, vel gravior causa existit, fatentur DD. communiter. Vide Azorium *par. 2. lib. 2. cap. 19. quæst. 6. vers. Duo hic merito.*

SECTIO III.

Pietas, & obligatio erga Majores, & Collaterales.

SUMMARIUM.

63 *Ad quid filii, & pupilli teneantur I. Tutoribus, & patrinis, & e contra hi illis.*

64 *II. Ad quid consanguineis, Avis, Proavis, aliisque Majoribus, & e contra.*

65 *& 66. Ad quid sibi invicem obligentur consanguinei collaterales, ut fratres, sorores, patrueles, consobrini, aliique consanguinei, & affines.*

67 Usque ad num. 72. *Ad quid sibi invicem obligentur conjuges.*

ASSER-

ASSERTIO III.

62 *Pietas colendi parentes ulterius se extendit ad colendos, 1. Quasi parentes, ut Tutores, & patrinos. 2. Majores, Consanguineos, ut Avos, Avias, &c. 3. Consanguineos collaterales, ut fratres, sorores, &c. 4. Ipsos conjuges ad invicem: quibus omnibus ex eadem pietatis virtute etiam sub mortali debetur amor, reverentia: &, cum præsunt, obedientia, ac in necessitate obsequium, seu beneficentia. Similiter autem e contra proportionaliter.* Assertio omnium, nec indiget nisi explicatione particularum.

§. I. *Quasi Parentes, Tutores, Patrini.*

63 Filii pupilli tenentur Tutoribus suis exhibere amorem, reverentiam, & obedientiam in iis, quæ concernunt tutelam suam, adeo ut in iis deliberate inobedientes peccent etiam mortaliter, eodem modo proportionaliter, quo peccarent non obedientes parentibus, juxta modos supradictos. Tutores autem e contra tenentur pupillis amorem, & curam in corporalibus, & spiritualibus; ut nimirum bona eorum juste, & fideliter administrentur, & ipsi in fide, lege Dei, & bonis moribus instruantur, sicut obligantur parentes. In quibus omnibus notabiliter negligentes peccant mortaliter, & si bona pupillorum aut dissipent, aut culpa sua perire sinant, etiam ad restitutionem obligantur. *Omnia omnes.* Ratio est. Quia Tutores ex officio suo succedunt parentibus, adeoque ex naturæ, & gentium jure æqualem parentibus obligationem contrahunt, tam ex parte sui erga pupillos, quam ex parte pupillorum erga ipsos. Patrini porro, seu compatres, cum ipsi ex officio suo teneantur, aliis deficientibus, sub mortali curam gerere eorum, quos ex Sacramento Baptismatis, vel Confirmationis susceperunt, ut in fide, & necessariis ad salutem instruantur, & conserventur, uti pulchre docet S. August. serm.215. de *tempore*, dicens: *Filios, quos in Baptismo excipitis, scitote vos Fidejussores pro ipsis apud Deum extitisse; & ideo tam illos, qui de vobis nati sunt, quam illos, quos in fonte excepistis, semper castigate, & corrigite, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant.* Hæc Sanctus. Ita ex correlativo filii suscepti ex baptismo, vel confirmatione tenentur patrinis suis amorem, reverentiam, ac obedientiam proportionatam obligationi eorum, nimirum in fide moribus, & necessariis ad salutem addiscendis, & tenendis. Verum hæc obligatio quoad obedientiam modo raro venit ad praxim; at maxime viget quoad amorem, & reverentiam, saltem negative, excludendo contraria, etiam sub mortali, non solum ex charitate, vel justitia, sed etiam ex pietate.

§. II. *Consanguinei, Majores, Senes.*

64 Filii obligantur avis, aliisque Majoribus ascendentibus, sive in linea recta, ut sunt proavus, proavia: sive transversa, ut patruus, amita, Avunculus, Matertera, &c. exhibere amorem, reverentiam, obsequium, & cum ii parentum locum occupent, etiam obedientiam; idque ex genere suo sub mortali, adeo ut omnis gravis indignatio, irreverentia, injuria erga ejusmodi Majores sit peccatum mortale: non tamen æque grave, ac contra parentes ob remotiorem gradum. E contra autem illi Majores, deficientibus parentibus, immediatis, vel eorum locum tenentibus, quantum eorum possibilitas commode permittit, obligantur filiorum minorum, seu nepotum paternam curam gerere. Quia ex natura sanguinis, & lege naturali tunc ea cura ad eos devolvitur. Exempla habentur passim in Scriptura: v. g. de Abraham, quantam curam gesserit de Loth filio fratris sui, &c. Tales peccant ergo graviter, si, deficientibus parentibus, nepotum curam negligunt, eisque in necessitate spirituali, vel corporali non succurrunt. Ut recte monet March. *tr.* 5. *tit.*7. *quæst.*4. &c. Senibus porro etiam tanquam patribus ob senectutem tenentur amorem, & reverentiam servare, juxta legem Dei, Levit. 19. *Coram cano capite consurge, & honora præsentiam senis, & time Dominum, &c.* ad 1. Timoth.5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem, &c.* Et licet hic per omissionem talis amoris, & reverentiæ erga senes raro peccetur plus, quam venialiter, nisi accederet contemptus, vel abominatio ipsius personæ senis, utique mortalis; tamen per commissionem deliberate, & cum contemptu senes irridere, subsannare, provocare, contristari, vel quavis notabili injuria afficere, peccatum mortale esse contra virtutem pietatis, recte concludit March. *loc. cit. in fin.*

§. III. *Consanguinei Collaterales.*

65 Nimirum fratres, sorores, patrueles, consobrini, aliique consequenter consanguinei, & affines tenentur sibi invicem exhibere amorem, reverentiam, & obsequium, seu auxilium in necessitate: nimirum in defectu aliorum, juxta ordinem graduum, ac ordinem Charitatis, suo loco infra explicandum. Adeo ut etiam hi in istis notabiliter contrafaciendo, puta vi, gravi odio, irreverentia, injuria, negatione subsidii in vera necessitate, graviter peccent, non tantum contra Charitatem, vel justitiam communem, sed etiam contra virtutem pietatis: ideoque & ipsi in confessione eam circumstantiam personæ, utpote speciem mutantem, explicare tenebuntur.

Unde ulterius in defectu parentum, vel quasi parentum, 66
ac ascendentium, consanguinei hi laterales etiam succedunt in obligatione præbendi alimenta egenti: adeo ut tunc frater fratri, vel sorori (& sic consequenter de aliis) non tantum extreme, vel graviter egenti, ubi obligatio succurrendi communis est omnibus proximis; sed etiam ordinaria paupertate laboranti succurrere teneatur præbendo convenientia alimenta, quando frater ea, vel soror, vel similis consanguineus aliunde habere non potest. Quia nimirum, vel consanguineo, quam pro aliis. Nec refert: plus urget pietas in tanta propinquitate sanguinis pro fratre, quod frater tuus, vel soror male sua dissipaverint, aut sua culpa in eam necessitatem inciderint, dummodo impræsentiarum vera necessitate laborent: omnino naturalis pietas urgebit ad sucurrendum. Certe contingit alicubi quendam vere prodigum filium totum patrimonium a patre pro se, & fratre suo relictum dissipasse vivendo luxuriose: postea ipse graviter egens ad fratrem, qui propria industria exhaustam hæreditatem sibi feciliter compensarat, pro alimentis recurrit; & adhuc deberi responsum est a Theologis fratri consultanti, in quantum nimirum urgebat actualis necessitas ob rationem datam. Cæterum fatendum est, si frater, vel soror in mala vita perseverent, aut flagitia commiserint cum familiæ dedecore, ob quæ ab ipso Patre exhæredari, ac alimentis privari posse dictum est, ut a malo resipiscant, ut labori, ac industriæ assuescant, salubriter posse illis ad tempus alimenta negari: dummodo fame non pereant, id enim ipsum majoris pietatis opus erit. Unde si soror in turpi prostibulo familiam suam infamavit: si frater per grave, & familiæ dedecorosum flagitium depauperatus est: siquidem in scelere perseverent, deserantur, ut hac medicina sanentur, sin autem de facto satis emendati, & pœnitentes sint, veraque necessitate, quantumvis culpabiliter contracta, laborent, eos deseri pietatis virtus non permittit, præsertim si sine detrimento possit succurrere frater, vel soror similisque consanguineus.

§. IV. *Conjuges ad invicem.*

Conjuges ex quarto Præcepto, virtute pietatis, gravi 67
obligatione tenentur sibi invicem exhibere *amorem, & honorem, fidem, & cohabitationem, debitum conjugale, alimenta, & gubernationem.*

I. *Amorem, & honorem.* Ephes.5. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, &c.* Et infra: *Ita viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.* Ad Colos. 3. *Viri diligite uxores vestras, nolite amari esse ad illas.* Ubi peccant mortaliter conjuges, gravibus odiis, indignationibus, contemptibus, injuriis, maledictionibus, imprecationibus, aut quibusvis injuriis alterutrum afficientes. Huc spectat peccatum zelotypiæ inordinatæ, seu temeræ suspiciones de fide alterius. Item viri graviter, & sine causa sufficiente verberantes uxores: nam ob justam causam ad debitam emendationem moderate uxorem percutere, aut verbis duris increpare, secluso maligno affectu, culpa vacabit, ut notat etiam Filliuc. *tr.*25. *c.*9. Item a fortiori uxores, si viros suos graviter inhonorant, irrident, offendunt, aut, quod enorme est, etiam percutiunt.

II. *Fidem, & cohabitationem.* Fidem scilicet in servando 68
contractu Matrimonii, & ministratione bonorum dotalium ac rei domesticæ: cohabitationem vero quoad thorum, & mensam, ut ajunt, juxta illud Matth.5. *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari.* Peccat ergo mortaliter conjux absque urgentissima causa conjugem deserendo, aut omnino, aut ad longum, & notabile tempus, citra alterius consensum. Justa autem causa censetur, quando vir a Rege, vel Principe in bello, Legationibus, aliisve publicis negotiis diutius occupatur; cum mercaturæ, vel negotiationi Reipublicæ, & familiæ suæ necessariæ in longinquis terris vacare cogitur, & ita in similibus casibus.

III. *Debitum conjugale.* 1. Corinth. 7. *Uxori vir debitum* 69
reddat, similiter autem & uxor viro. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis Orationi, & iterum revertimini in idipsum. Ubi peccat mortaliter conjux conjugi debitum tempestive petenti sine causa denegans. De quo alibi ex professo. Solum peccatum hic annotasse opus erat.

IV. *Alimenta*, & necessaria vitæ status. Quæ quidem 70
obligatio per se, & principaliter incumbit viro, juxta illud Apostoli *ad Ephes.*5. *ita viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua, &c. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam.* Nihilominus etiam concernit uxorem, ut suum etiam præstet, maxime viro impotente, infirmo, captivo &c. ut sic uterque conjux sub mortali teneantur sibi invicem curare alimenta, & mutua onera ferre. Ubi sæpe gra-

graviſſime peccant viri omnia ſua abliguriendo, interim uxorem cum liberis famem pati ſinendo. Specialia hic quoad alendam uxorem ratione dotis utiliter leges apud Sanch. *l.9. de Matr. diſp.4. 5. 6.* & ſequentibus latiſſime.

71 Denique ſpecialiter tenetur maritus uxori *gubernationem debitam* in iis, quæ ſpectant ad obſervantiam Mandatorum Dei, bonos mores, & adminiſtrationem familiæ, ac rei domeſticæ. In quibus e contra uxores tenentur maritis obedientiam proportionatam: adeo ut ſicut peccat maritus mortaliter permittendo Legem Dei transgredi, vel impediendo eam ab obſervantia Mandatorum Dei, & Eccleſiæ, aliiſque ad ſalutem neceſſariis, ita e contra uxor peccat mortaliter, notabiliter non obediendo Marito in his, quæ ad ejus gubernationem ſpectant, modo enumeratis.

Hæc pro examine peccatorum conjugum circa quartum præceptum, hic ſummatim enumerata latius recenſentur in propria materia de magno Sacramento Matrimonii.

SECTIO IV.

Obſervantia, & obligatio erga Superiores, & e contra.

SUMMARIUM.

73 *Ad quid obligentur ſubditi Superioribus ſuis* ſpiritualibus, *& e contra hi ſubditis. &* 74.
74 *Ad quid ſubditi ſuis ſuperioribus* temporalibus, *ac e contra.*
75 *Ad quid famuli, & Ancillæ Dominis ſuis, ſeu Heris, ac hi è contra illis.*
76 *Quid debeant diſcipuli Magiſtris, & e contra.*
77 *De gratitudine, & ingratitudine erga Benefactores.* uſque ad nu.80.

ASSERTIO IV.

72 *Superioribus ex quarto præcepto Decalogi, & virtute obſervantiæ debetur generatim a ſubditis amor, reverentia, & obedientia in omnibus, ad quæ eorum poteſtas, & officium ſe extendit. Quemadmodum, & ipſi viciſſim ſubditis debent amorem, & officii ſui adminiſtrationem.* Eſt nimis certa. Percurro breviſſime.

§. I. *Superiores Spirituales.*

73 Epiſcopis, Prælatis, Paſtoribus, Sacerdotibus curam Animarum gerentibus, ſeu Patribus ſpiritualibus tenentur ſubditi, & filii ſpirituales amorem, reverentiam, & obedientiam in his, quæ ad curam eorum ſpectant: item ſubſidium neceſſarium. Ita præcipit Scriptura, Deuteron. 17. *Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.* Ad Hebræos 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis. Ipſi enim pervigilant quaſi rationem reddituri pro vobis.* 1.Timoth.5. *Qui bene præſunt, Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in Verbo, & Doctrina. Dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Peccata ergo ſubditorum, vel filiorum ſpiritualium erga Superiores, vel Patres ſpirituales, juxta rationem materiæ, mortalia, vel venialia ſunt: odium, malevolentia, irreverentia, contemptus, vel injuria quævis irrogata, inobedientia deliberata in iis, quæ ad eorum curam ſpectant, & negatio ſubſidii, vel mercedis debitæ de jure, vel conſuetudine: notatis etiam hic, quæ hactenus ſemper notavimus. E contra Superiores, vel Patres ſpirituales tenentur ſubditis, vel ſuis filiis, *curam, doctrinam, & exemplum &c.* Quorum proinde peccata ſæpiſſime mortalia ſunt, neglectus Animarum in cura, & adminiſtratione Sacramentorum, in doctrina, & correctione, & ſcandala præbita, quæ hic non tantum contra charitatem, ſed etiam contra juſtitiam, & Officium ſuum committuntur.

§. II. *Superiores Temporales.*

74 Magiſtratibus quibuſvis legitimis tenentur ſubditi amorem, reverentiam, & obedientiam in iis, quæ ad eorum officium pertinent, & juſta tributa, vel obſequia. In quibus omnibus contraveniendo peccant pro ratione materiæ mortaliter, vel venialiter, & accedente contemptu formali, ſemper mortaliter. Quæ requirunt ampliorem tractationem in materia de Legibus. Hic ſolum notanda exceptio. Quod ſi magiſtratus, vel Superiores quilibet ſolum præcipiant, vel prohibeant aliquid ſub pœna, vel mulcta ſolvenda, ſubditi contravenientes, & parati pœnam, vel mulctam ſolvere, ſi deprehendantur, non peccant, quia præſumitur, ipſos non voluiſſe obligare in conſcientia ad culpam, ſed in foro externo ad pœnam tantum. Quod maxime verum debet eſſe his temporibus, in tanta multitudine exactationum, ac onerum. E contra Magiſtratus temporales tenentur ſubditis amorem, ſeu benevolentiam, adminiſtrationem juſtitiæ commutativæ, & vindicativæ, curam indemnitatis, & pacis, ſeu defenſionem ab omni damno. Ubi rurſus frequenter, peccata mortalia committuntur per omiſſionem, negligentiam, conniventiam, & maxime per poſitivam injuriam, oppreſſionem &c. Quidquid ſit de conſuetudine, nunquam potui excuſare venationes, & libertatem ferarum cum tanto damno Agricolarum, ſine ulla compenſatione. De quibus ex profeſſo in 7. & 8. Præceptum, nam, ut jam ſemel monui, hæc ſolum hic ſummarie moneo pro examine pœnitentium ſub 4. Præcepto.

§. III. *Domini, Heri.*

Servi, ſeu famuli, Ancillæ, (nihil hic de mancipiis, ſeu 75
proprie ſervis) tenentur ſuis Dominis reverentiam, obedientiam, & obſequium fidele. Ita expreſſe Scriptura ad Epheſ.6. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto. Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti facientes voluntatem Dei &c.* Ad Tit.2. *Hortare ſervos Dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes; ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes.* Et 1.Pet.2. *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Peccata ergo ſervorum pro ratione materiæ, mortalia, vel venialia ſunt: irreverentia, vel contemptus: infidelitas, vel fraudulentia: inobedientia, irritatio, vel provocatio Dominorum ad iram, blaſphemias &c. E contra Domini tenentur ſervis amorem, ſeu benevolentiam, beneficientiam & mercedem: *cit. cap.6.* Epheſ. *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes, quia & illorum, & veſter Dominus eſt in Cœlis,* peccata erga Dominorum ſunt iracundia nimia, & auſteritas: averſus, & indignabundus animus: percuſſio gravis, & injurioſa: merces defraudata, vel negata injuſte. Moderata percuſſio ad debitam pœnam, vel emendationem juſta eſt: & juſte ſubtrahitur, vel negatur merces proportionate, vel ob fraudem, vel infidelitatem commiſſam, vel neglectum debitum obſequium, vel ob infirmitatem eorum pro rata temporis. Denique neglectus, vel impeditio eorum in ſpiritualibus neceſſariis ad ſalutem: omiſſio correctionis peccantium, de quibus patet ex ſuperioribus.

§. IV. *Magiſtri, Præceptores.*

His Diſcipuli tenentur amorem, reverentiam, & obe- 76
dientiam, ſeu diligentiam in his, quæ ad eorum curam pertinent. Peccata erga Diſcipulorum ſunt injuſta indignatio, contemptus, irritatio Præceptoris: inobedientia in pertinentibus ad eorum curam, v.g. ſtudiis, convicia, contumelioſa verba, aliæque injuriæ illatæ. Quamvis in his pueri plerumque levitate, imprudentia, paſſione &c. a mortali excuſentur, ut non ad infernum, ſed ad fornacem tantum damnandi ſint. E contra Magiſtri, ac Præceptores tenentur ſuis diſcipulis amorem, doctrinam, correctionem, exemplum. Patet ex natura eorum officii, Quorum proinde peccata ſunt odia, indignationes, objurgationes injuſtæ, vel indiſcretæ, negligens, incauta, falſa doctrina, omiſſio correctionis debitæ, ſcandala puſillorum: væ illis, &c. Ad plura adhuc tenentur Magiſtri, ſeu Præceptores Academici, quæ ipſi ex ſtatutis, ac jure communi noverint.

SUBSECTIUNCULA.

De Gratitudine, & obligatione erga Benefactores.

Gratitudo, (uti definit *S. Thomas 2.2. q. 106. a.1.*) 77
eſt ſpecialis virtus, qua gratiæ habentur, & referuntur benefactori. Ejus tres ſunt gradus. 1. Acceptum beneficium agnoſcere, 2. Laudare, & gratias agere. 3. Compenſare, ſeu retribuere pro facultate, loco, tempore, in quibus ſemper magis attendendum ad affectum benefacientis, quam ad effectum beneficii. Quia gratitudo, vel gratia reſpicit beneficium, ſecundum quod eſt gratis impenſum. Beneficium non conſiſtit autem in eo, quod fit, vel datur, ſed in ipſo dantis, vel facientis animo, inquit Seneca *lib.1. de benef. c.7.* Omnis ergo homo benefactori ſuo, accepto beneficio, ſtatim obligatur ad gratitudinem, ut nimirum acceptum beneficium recognoſcat, gratias agat, & compenſandi affectum habeat. Actualis autem compenſatio beneficii non niſi pro facultate, & tempore opportuno præſtanda eſt. Lege Sanctum Thomam *citatum articul.*4. & *Senecam l.4. de benef.*

Ingratitudo ergo eſt ſpeciale vitium gratitudini oppoſi- 78
tum, benefactori debitas gratias denegans. Cujus proportionaliter tres ſunt gradus oppoſiti gradibus gratitudinis, ſed ordine inverſo, quia ultimum in generatione eſt primum in corruptione. Idque dupliciter: 1. Negative, ſeu per omiſſionem: *primo* beneficium acceptum non compenſare, vel retribuere: *ſecundo*, diſſimulare, ſe nullo indicio laudare, vel gratias agere: *tertio*, etiam non recognoſcere, 2. Poſitive, vel per commiſſionem: *primo*, Retribuere mala pro bonis: *ſecundo*, Beneficium acceptum vituperare: *tertio*, etiam maleficium æſtimare, quod omnium extremum eſt.

I. Ingratitudo per omiſſionem tantum per ſe plerumque 79
peccatum veniale eſt: at fit mortale, ſi fiat ex interno contem-

temptu, aut si omittatur aliquid benefactori retribuendum ex necessitate debitum, juxta regulas Charitatis. Ingratitudo vero per commissionem, scilicet retribuendo mala pro bonis, vituperando beneficium, aut etiam maleficium reputando, plerumque peccatum mortale est, quia ordinarie malitiam, & internum contemptum admixtum habet: unde sunt tot in hoc vitium invectivæ Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, ac sapientum Ethnicorum. Et specialiter in gravibus injuriis benefactori illatis, semper explicanda erit circumstantia ingratitudinis, utpote speciem mutans. Cæterum sicut in aliis, ita & hic excusat imperfectio actus, & levitas materiæ. Vide Tanner. *tom.3.disp.6. qu.1. dub.3. a nu.38.*

80 ¶ Denique sermo fuit solum de pietate, observantia, & gratitudine erga hominem, seu creaturam. Nam pietas, observantia, ac gratitudo erga Deum, ut supremum nostrum Parentem, Dominum, ac Benefactorem, spectat ad virtutem Religionis, immo in re cum virtute Religionis, coincidunt, & solum speciali respectu excellentiæ divinæ super nos differunt, ut supra suo loco notatum in primo Præcepto, sic consequenter impietas, inobservantia, & ingratitudo erga DEUM ad peccata contra virtutem RELIGIONIS reducenda sunt.

CAPUT VI.

De obligatione Charitatis, & Misericordiæ erga proximum.

1 CHaritas *est virtus Theologica, & supernaturalis, qua Deus propter se diligitur, proximus autem propter Deum.* Definitio communissima late explicata est in primo præcepto Decalogi *c.5. sect.1.* tam quoad actum principalem amoris Dei super omnia, quam quoad actum secundarium dilectionis proximi propter Deum. §. 4. *toto*. Hic solum de obligatione Charitatis, & dilectionis proximi agendum erit, & necessario aliqua explicanda.

2 II. Præceptum Charitatis, & dilectionis proximi frequentissime inculcatur in Scripturis, sed specialiter expressit Salvator, Matth. 22. ubi post magnum Mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* statim subjungit, *secundum autem simile huic: diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Ubi *sicut te ipsum*, non significat æqualitatem dilectionis, quasi homo sibi æqualiter in omnibus teneatur diligere proximum, sicut seipsum: nam Ordine Charitatis homo tenetur magis diligere seipsum, quam proximum, cæteris paribus, ut *sect.* 4. videbimus, sed significat proportionem, & æqualitatem in modo, & motivo diligendi, ut nimirum in iis, quibus nos ipsos diligere debemus, etiam diligamus proximum, juxta universalia principia Legis Naturæ. *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Et sicut nos ipsos propter Deum, & in ordine ad Deum tantum diligere debemus, volendo nobis ipsum Deum, & ad ipsum ordinata salutaria bona tantum, oppositaque mala fugienda, ita & diligamus proximum.

3 III. Præceptum dilectionis proximi simul affirmativum & negativum, quatruplicem continet obligationem. Ut affirmativum est, obligat, ut proximo bene velimus interius, & cum opus sit, etiam benefaciamus exterius in spiritualibus, & corporalibus. Ut autem est negativum, prohibet proximum odisse, seu ei male velle interius, & non malefacere, vel ei nocere exterius. Præcipitur ergo duplex actus Charitatis erga proximum: unus internus, & elicitus proximo bene velle; alter externus, & imperatus, proximo, cum opus est, benefacere, tam spiritualiter, quam corporaliter. His opponitur duplex peccatum omissionis, scilicet non amare vel bene velle proximo; & non benefacere, cum oportet. Et de his *agimus hoc capite*. Prohibetur autem duplex similiter actus oppositus, nimirum odisse, vel male velle proximo interius, & ei malefacere exterius. Ubi committitur duplex peccatum commissionis, nimirum male velle proximo per odium &c. de quo *tract. præc. c. 6.* Et malefacere, vel nocere proximo, aut in spiritualibus per scandalum, de quo *tr. 5. c. 1.* Aut in corporalibus per injuriam, & injustam læsionem proximi, in bonis vitæ, famæ, fortunæ, & hoc necessario simul est peccatum contra justitiam, de quibus in reliquis omnibus Præceptis secundæ Tabulæ.

4 IV. Charitati denique Theologicæ admodum est affinis alia virtus moralis, dicta *Misericordia*, definitur a D. Aug. *lib.9.* de Civit. Dei *cap. 5. Misericordia est alienæ miseriæ in corde nostro compassio, qua utique si possumus subvenire, compellimur.* Hujus actus externus generatim dicitur græce *eleeimosiny*, quasi *miserans subventio*: & quia homo constans anima, & corpore in utroque miseriam pati potest, & misericordiæ subventione indigere; hinc duplex est misericordia, corporalis, & spiritualis, & opera misericordiæ duplicia, corporalia, & spiritualia, atque utrinque communiter enumerantur septem, & de quibus latissime *S. Thom. 2. 2. qu.32. art.2.* & sequentibus. Opera misericordiæ corporalia sunt: Pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, visitare infirmum, redimere captivos, sepelire mortuos. Versus

Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.

Quæ omnia comprehenduntur nomine eleemosynæ corporalis; de qua mox *sect.2.* Opera Misericordiæ spiritualia sunt: docere ignorantem, consulere dubitanti, consolare mæstum, corrigere errantem, tolerare onerosum, remittere injurias, pro omnibus orare. Versus

Doce, Consule, Castiga, Solare, Remitte, Fer ora.

Inter hæc præcipua est correctio fraterna, de qua *sect. 3. & 4. Sect.* agemus de ordine Charitatis.

SECTIO I.

Obligatio Charitatis quoad actum internum amandi, & externum benefaciendi proximo generatim.

SUMMARIUM.

6 Usque ad num.9. *Amor proximi debet esse supernaturalis tripliciter. I. ex parte principii. II. ex parte motivi. III. ex parte objecti.*
9 *Debet esse amor* amicitiæ, *ei volendo bona salutaria in ordine ad Deum.* 10. *Et*
11 *Non sufficit amor* concupiscentiæ *tantum,* & 12.
13 *Tenemur Præcepto Charitatis diligere omnem proximum, etiam peccatorem,*
14 *Etiam inimicum.*
15 *Præceptum diligendi proximum obligat semper, & pro semper* negative, *excludendo omne odium.*
16 Usque ad nu.22. *Quando obliget* positive.
22 *Quilibet sub mortali obligatur.*
23 *Ex Charitate, & Misericordia,* & 24.
25 *Benefacere proximo corporaliter, & spiritualiter,*
26 *Quando id vera necessitas exigit:* Ubi
27 Usque ad nu.31. *Quæ, & quando sit vera necessitas.*
31 Usque ad n.36. *Quando quis censeatur moraliter posse, teneri succurrere proximo.*

ASSERTIO I.

PRæcepto Divino Charitatis tenetur homo amore supernaturali, & amicitiæ diligere quemcumque proximum, saltem negative excludendo odium, & malevolentiam; positive vero, actu interno, non nisi quandoque per accidens. Ita communis DD. apud citandos. Termini modo explicandi sunt. 5

§. I. *Amore supernaturali.*

AMor proximi hoc Præcepto intentus, debet esse supernaturalis tripliciter ex parte principii, motivi, & objecti.

I. *Ex parte principii.* Scilicet elicitus ex habitu infuso Charitatis, qua nimirum Deus propter se, proximus autem propter Deum diligitur. Idem namque habitus infusus præstantissimus Charitatis inclinans principaliter quidem ad dilectionem, & amorem Dei super omnia, propter se, seu propter sui ipsius intrinsecam, infinitam, & irresferibilem bonitatem, tanquam ad actum principalem, etiam inclinat secundario, & movet ad dilectionem proximi, atque sui ipsius propter eandem bonitatem Divinam, ut participatam in proximo, & nobis ipsis, tanquam ad actum secundarium cum priori connexum, ut suo loco latius explicatum. Et hinc 6

II. Debet esse supernaturalis *ex parte motivi*: ut nimirum diligatur proximus propter Deum, seu propter bonitatem supernaturalem a bonitate divina in proximo participatam; quatenus nimirum est creatura Dei, condita ad imaginem Dei, capax nobiscum gratiæ divinæ, beatitudinis æternæ, & uno verbo: *quatenus est aliquid Dei.* Unde totius Charitatis Theologicæ inclinantis ad dilectionem Dei, & proximi, ac sui ipsius objectum, & motivum formale, & adæquatum est Bonitas Dei. Bonitas enim Dei, quatenus proprie inest ipsi Deo, est objectum formale Charitatis amantis ipsum Deum propter se: eademque Bonitas Dei quatenus suo modo participata est, & velut relucet in proximo, ac nobis ipsis, est objectum formale, ac motivum Charitatis amantis proximum, & nos ipsos propter Deum. 7

III. Debet esset supernaturalis *ex parte objecti voliti*: ut nimirum proximo velimus bona supernaturalia, utpote principaliter ipsum Deum, æternamque beatitudinem, & omnia ad hanc ordinata, ut mox specificabitur. Excluditur ergo omnis amor proximi naturalis tantum ex motivo, vel objecto naturali præcise, quo scilicet diligimus aliquem propter bonitatem naturalem tantum, absque ordine ad Deum. Qui amor, etsi per se malus non sit, non est tamen actus Charitatis Theologicæ, quia non est propter Deum, ideoque nec meritorius, nec consequenter satisfacit præcepto Charitatis divinæ diligendi proximum propter Deum formaliter, & positive: sed tantum satisfacit materialiter, & negative, quatenus excludit transgressionem præcepti dilectionis, odium, malevolentiam &c. 8

§. II. Et

§. II. *Et amicitiæ*.

9 I. TEnemur amare proximum vero amore amicitiæ, ei bene volendo, nimirum volendo, vel desiderando ipsi vera bona salutaria in ordine ad Deum: nimirum principaliter ipsum Deum, gratiam, ac beatitudinem æternam, aliaque bona spiritualia, ac etiam corporalia, quæ ad hæc conducunt, & ordinantur. *Ratio est:* Quia præceptum dilectionis proximi est simile præcepto dilectionis Dei (nimirum non absolute, & quoad modum diligendi, quasi sicut Deus propter se ipsum super omnia, sic etiam proximus amari debeat: hoc enim implicat, sed respective quoad motivum diligendi, ut sicut Deus diligitur propter se, suamque bonitatem infinitam, ita propter ipsum, ejusque bonitatem diligatur proximus) atqui actus Charitatis divinæ est vero affectu amicitiæ Deo velle seipsum, & omne bonum suum: ergo eadem ratione Charitatis Theologicæ in proximum actus debet esse vero affectu amicitiæ proximo velle omne verum, & omne salutare bonum; utpote gratiam, ac gloriam, &c. idque vel amore, vel affectu complacentiæ, congaudendo ei, quatenus talia bona jam habet, aut amore, & affectu desiderii, quatenus aliquid eorum nondum habet, ei desiderando, & cum opus est, & occasio, etiam procurando.

10 II. Non ergo præcepto Charitatis tenemur velle, vel optare proximo ea bona, quæ ei salutaria in ordine ad Deum non sunt, quin potius nociva: immo ex ipsa vera Charitate, ei positive nolle possumus, v. gr. Titio potes nolle divitias, potentiam, dignitatem, scientiam &c. quia vides eum istis contra salutem suam, vel aliorum, aut in aliorum detrimentum abuti. Sic enim non male, sed vere bene vis Titio, cum ei secundum rectam rationem melior sit eorum privatio, quam possessio, prout latius patet ex dictis *tr.2. cap.6.* in explicatione odii.

11 III. Excluditur ergo, & præcepto dilectionis proximi minime satisfacit amor concupiscentiæ tantum, quo nimirum diligimus proximum præcise, quatenus nobis bonus, conveniens, utilis, vel delectabilis est, quia hic amor pure naturalis est omni homini, etiam Ethnico communis. Quod si diligamus proximum quatenus est nobis bonus, vel utilis spiritualiter in ordine ad Deum, vel salutem nostram, v. g. bonus Superior, vel Confessarius, erit sane actus Charitatis Theologicæ: at non quatenus est amor concupiscentiæ erga proximum, sed quatenus est amicitiæ erga nos ipsos, & ipsum Deum. Nam amans proximum, ut bonum sibi spiritualiter in ordine ad Deum, & salutem, magis quam proximum, amat seipsum & seipso adhuc magis amat ipsum Deum. Quia, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale.*

12 IV. Tandem in præcepto dilectionis proximi etiam implicite contineri præceptum dilectionis sui ipsius, notum est ex terminis præcepti. Cum enim dictum est: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum, & tui ipsius dilectio prætermissa non est;* ait D. August. *l. de Doct. Christiana c.2.*

§. III. *Quemcumque Proximum*.

13 I. PRæcepto Charitatis tenemur diligere omnem proximum, etiam quantumvis peccatorem, etiam inimicum nostrum: Certum de fide, & omnium Theologorum cum S. Thom. 2. 2. *quæst.25. art.6.* Scoto *3.distin.30. & 38.* Ratio sumitur ex generali Mandato: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum:* nemine excepto; nisi non proximo, qui scilicet gratiæ Dei, & æternæ beatitudinis nobiscum amplius capax non est, ut sunt soli dæmones, & damnati: Omnis autem proximus noster est creatura rationalis nobiscum capax gratiæ, & beatitudinis, uti sunt in primis Angeli, Beati, ac etiam animæ in purgatorio, quas novimus jam certas gratiæ, ac beatitudinis: & deinde omnis homo viator, tam fidelis, quam infidelis, bonus, malus, etiam quamtumvis peccator, vel inimicus noster. Hos enim novimus adhuc gratiæ, & amicitiæ Dei, atque beatitudinis æternæ capaces. Omnes ergo ex Charitate diligendi sunt propter Deum, eisque bene volendum, prædictis modis.

14 II. Et quoad inimicos speciale habemus mandatum a Christo Matth.5. *Audistis, quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum* (fuit hoc Pharisaica depravatio præcepti divini. Levit. 19. *Diliges amicum tuum:*) *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos: orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.*

15 III. Sed ne terrearis Mandato tanto, notanter dixi in Assert. *saltem negative, excludendo odium, & malevolentiam, &c.* Sic enim sine dubio præceptum divinum Charitatis obligat semper, & pro semper, ita ut nunquam liceat proximo, etiam quantumvis inimico, male velle per odium, aut ei bonum nolle, vel de ejus bonis tristari per invidiam: de quibus late *tr.2. cap.6. sect.1. de odio, & inimicitia,* ubi fuse explicatum, qualiter homo teneatur amare inimicum, offensam remittere, signa Charitatis exhibere &c. Positive vero actu interno formali explicito proximum, præsertim inimicum amare, ei bene velle, bona gaudere, vel desiderare, per se ex professo numquam obligamur ex præcepto affirmativo Charitatis. Nam huic præcepto dilectionis proximi generaliter imbibito in omnibus præceptis divinis circa præceptum, præsertim secundæ Tabulæ, abunde satisfit: dum quis vult servare propter Deum, & data occasione de facto observat præcepta divina circa proximum abstinendo ab omni odio, & injuria, & cum opus est, etiam exhibendo opera externa Charitatis: is sane ipso facto diligit proximum, sicut seipsum: & sæpe etiam actu interno formali amoris, seu benevolentiæ, ipsum diligit, cum illa opera Charitatis sæpe fieri non possint sine aliquo actu interno amoris, & benevolentiæ, ut mox patebit. Et hinc sequitur.

§. IV. *Positive vero, actu interno, non nisi quandoque per accidens*.

POsitivo, & formali actu interno amoris, seu benevolentiæ, ex præcepto Charitatis per accidens solum tenemur quandoque amare proximum, quando nimirum ita exigit, aut periculum odii evitandum, aut opus externum Charitatis exhibendum: adeoque in triplici potissimum casu: 16

Primo. Quod si urget gravis tentatio odii, vel affectus maligni in proximum, quæ prudenti judicio rem æstimando, aliter superari non posse videatur, quam contrario actu amoris proximum prosequendo, teneris tunc positive amare, juxta communissimam DD. Teneris enim tunc resistere peccato contra Charitatem proximi; nec aliter posse supponitur, nisi actu contrario amoris. Ubi tamen, si omisso amore, tentationi odii succumbas, omissio amoris, & commissio odii non duo, sed unum tantum numero peccatum contra Charitatem constituunt, ut in simili alibi sæpius notatum est. 17

Secundo. Quotiescumque homo jam habito odio, & inimicitia erga proximum, tenetur reconciliari eidem, maxime veniam petenti (juxta dicta *tract.2. cap.6.*) Implicat enim fieri reconciliationem veram cum inimico, nisi per elicitum novum actum amoris, ac benevolentiæ erga ipsum: alioquin erit reconciliatio facta, qualem non præcipit, sed prohibet Lex Christianæ Charitatis. 18

Tertio. Quotiescumque tenemur ex Charitate benefacere, vel succurrere proximo, ut in extrema, vel gravi necessitate constituto. Actus enim externus benefaciendi necessario præsupponit actum internum Charitatis, ac bene volendi, sine quo benefacere non Charitas est, sed hypocrisis. Extra hos casus actualiter amare proximum, amicum, vel inimicum, est in consilio pro majori merito, ac perfectione Charitatis. Et sane, quo quis intensius, ac frequentius exercet actus amoris Dei, eo etiam frequentius exercebit actus amoris proximi propter Deum, ut experientia disces. 19

Vides hanc nostram doctrinam nihil commune habere cum propositionibus damnatis ab Innocentio XI. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*, Quod nos nullo modo dicimus, aut sentimus. 20

Patet ergo jam de obligatione Charitatis quoad actum internum amandi, & opposito peccato omissionis: illud nimirum per se vix unquam committi, sed solum per accidens in dictis casibus. De peccatis internis commissionis contra Charitatem proximi, odio, inimicitia, vindicta &c. in commodum Confessariorum jam dixi satis *tract.2. cit. cap.6.* Nunc quoad actum internum Charitatis erga proximum, scilicet benefaciendi corporaliter, & spiritualiter, sequitur 21

ASSERTIO II.

OMnis homo jure naturali, & divino positivo sub mortali obligatur ex charitate, & misericordia proximo benefacere corporaliter, & spiritualiter, seu bonum præstando seu malum injustum impediendo, quando vera necessitas proximi ita exigit, & moralis possibilitas adest, quando nimirum concurrunt hæc: Notitia necessitatis, facultas succurrendi, indemnitas succurrentis, & spes fructus. Certa apud Omnes. Ratio obligationis clara est. Quia præceptum divinum naturale positivum est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum:* Atqui hoc præcepto non solum præcipitur actus internus Charitatis, & benevolentiæ, ut excludat omne odium, & malevolentiam, sed etiam maxime actus externus beneficentiæ erga proximum in necessitate, vel miseria constitutum; hoc enim exigit necessario præstituta mensura diligendi proximum, *sicut seipsum:* juxta principia universalia legis naturæ; *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: &, Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis:* quotusquisque autem vult sibi tantum bonum velle proximum, & non multo magis etiam benefieri in necessitate, vel miseria constituto? Ergo &c. Plenæ sunt hoc præcepto Sacræ Litteræ, maxime apud Evangelistam amoris. 1.Joan.3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas DEI manet in illo?* Quasi dicat, non manet. (Charitatem autem, & gratiam Dei non manere in homine, est effectus peccati mortalis &c.) Ibidem. *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed ope-* 22

opere, & veritate. Et Jacobi 2. dicitur: *si frater, & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Ergo tenemur etiam ipso opere proximo benefacere. Conditiones autem obligationis accurate exprimuntur in Assert. Explico breviter.

§. I. *Obligatur ex Charitate, & Misericordia.*

23 Nimirum etiam seclusa justitia. Nam duplex potest esse obligatio benefaciendi proximo, solius Charitatis generalis, vel specialis, & Charitatis, ac justitiæ simul. *Titulo Charitatis communis*, videlicet ex communi innato affectu, & communicatione naturæ, tenetur homo homini simpliciter benefacere, vel succurrere, sit barbarus, vel Scytha. *Titulo Charitatis specialis*, ratione specialis conjunctionis naturæ, tenetur homo benefacere, vel succurrere præ cæteris sibi speciali ratione conjunctis, ut parentes filiis, filii parentibus, fratres, sorores, cognati, affines invicem; Christianus Christiano, civis civi &c. tam notis, quam aliis extraneis, ut patebit de ordine Charitatis. *Titulo vero mixto Charitatis, & justitiæ simul*, tenetur benefacere proximo, qui ex officio, vel pacto aliis ad benefaciendum, & subsidium adferendum adstricti sunt. Sic Rex, Magistratus populo, Prælatus, Pastor, Superior sibi commissis, tenentur succurrere duplici titulo, & Charitatis, & Justitiæ: quia nimirum vi officii ex justitia Superiores tenentur ad conservationem suorum subditorum, sive quoad temporalia, in Magistratu sæculari, sive quoad spiritualia, in Magistratu Ecclesiastico, vel Religioso: ideoque in his, sicut major, & duplex est obligatio, ita & major, & duplex erit peccatum, scilicet & contra Charitatem, & justitiam, si tales non succurrant proximo, necessitate exigente, v.gr. Magistratus civibus, bello, vel fame periclitantibus, Parochus subdito in peste, vel periculo mortis Sacramenta petenti.

24 Porro quamdiu adsunt, qui vel ex titulo mixto Charitatis, & justitiæ, vel ex titulo speciali Charitatis, tenentur proximo in spirituali, vel corporali necessitate succurrere, atque etiam succurrere posse, & velle creduntur, tamdiu alii titulo communi Charitatis, & Misericordiæ non obligantur succurrere proximo illi, quia tunc respectu illius nulla est necessitas exigens, ut nullus alius succurrat. At vero, quando, vel desunt, qui titulo justitiæ, vel Charitatis specialis teneantur succurrere, vel licet adsint, tamen non possunt, vel non volunt ex malitia succurrere, tunc nimirum omnis homo, cui innotescit vera, gravis, vel extrema necessitas corporalis, & spiritualis proximi, titulo, & præcepto Charitatis communis sub mortali obligatur pro posse succurrere; ut mox patebit amplius. Idque bene explicat Christus *Luc.* 10. Parabola de eo, qui incidit in latrones, cui (forte Judæo) cum Sacerdos, & Levita titulo Charitatis specialis obligati, tamen transeuntes gravi culpa non succurrissent, Samaritanus extraneus solo titulo Charitatis communis opem tulit: concluditque Christus: *Vade, & tu fac similiter*.

§. II. *Proximo benefacere corporaliter, & spiritualiter.*

25 Prout nimirum necessitas, & miseria proximi exigit, seu bonum præstando, sive malum injustum impediendo: æquipollent enim proximo bonum facere, & malum impedire: adeoque sicut omnis, qui potest, tenetur ex Charitate proximo bonum facere, ita & malum ejus injustum, vel injuriam (non item malum justum v.g. justam pœnam &c.) impedire, juxta universalem legem Dei, Eccles. 17. *Et mandavit illis unicuique de proximo suo*. Et olim varias tulit Leges Deus de conservatione rerum proximi, etiam inimici, ut Exodi 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc eum &c.*

Tenetur ergo homo impedire malum proximi non tantum spirituale, videlicet peccatum, vel peccandi periculum, ut patebit infra de correctione fraterna, & scandalo, sed etiam quodvis malum injustum corporale, vitæ, famæ, vel fortunæ: quatenus nimirum *absque proprio detrimento potest*, v. g. Videt quis latronem, vel hostem gladio aggredi proximum, si absque sui evidenti periculo potest clamore, armis, vel alio modo impedire, ne occidatur, tenetur sub mortali. Item potest quis innocentem a morte liberare commode, utpote testimonio, juramento justo, pecunia sibi non multum necessaria, tenetur sub mortali, cum sit vera, & extrema necessitas proximi. Item vides furem domum proximi invadentem, potes commode impedire, clamore, vel alio medio, teneris etiam sub mortali, si æstimes grave damnum inferendum proximo: secus, si leve tantum, v. g. panem, vel fructus ablaturum. Item vides quosdam publice detrahere proximo, atque ex illa detractione eum injuste gravem infamiam, aliudve malum subiturum, potes autem efficaciter, & sine gravi, vel æquali tuo incommodo impedire, teneris eum defendere sub mortali. Secus, si scires, te nihil profecturum; aut, ut contingere solet, te æquale periculum subiturum: tunc enim non teneberis te exponere periculo, juxta ordinem Charitatis. *Ex communi* nominatim Marchant. *hic tract.* 2. *tit.* 4. *sect.* 2. *quæst.* 1. §. 4.

§. III. *Cum vera necessitas proximi exigit.*

Præceptum benefaciendi proximo, ut affirmativum est, 26
præcipiens nimirum actu proximo benefacere, seu malum auferre, utique non obligat pro semper, sed solum certo tempore, vel casu: neque hic aliud tempus, vel casus assignari potest, nisi tempus, & casus veræ necessitatis ita exigentis. Vera autem necessitas censenda est: *Cum homo alieno subsidio necessario indiget ad vitam spiritualem, corporalem, sive moralem, & civilem conservandam*, Quam Regulam bene tradit Marchant. *cit. quæst.* 1. *dub.* 1. Dicitur autem

I. *Cum homo*. Comprehendendo omnem hominem, no- 27
strum proximum, amicum, inimicum, fidelem, catholicum, infidelem, hæreticum, &c. omnes enim proximi intelliguntur, & omnibus in vera necessitate succurrendum, juxta tamen dicta §. 1. & dicenda infra de ordine Charitatis.

II. *Alieno subsidio indiget*. Quocumque corporali, vel spi- 28
rituali. Quamdiu enim homo sibi ipsi succurrere, vel se ipsum juvare potest: ut si pauper mendicans suo labore, industria, vel ministerio aliquo sibi necessaria acquirere potest, tamdiu non censetur veram necessitatem pati, ob quam alieno subsidio necessario egeat. Fieri tamen solet, ut homo, etsi antea potuerit sibi providere labore, & industria, adeoque sua culpa, & negligentia, postea tamen in veram necessitatem incidat, qua durante, ope, & subsidio, vere, & necessario egeat.

III. *Necessario ad vitam spiritualem, corporalem, sive mo-* 29
ralem, & civilem conservandam. In his tribus concluditur omnis omnino vera necessitas, quæ homini contingere potest. Vita spiritualis dicitur vita animæ per gratiam, & alia ad hanc necessaria, ad quam conservandam homo sæpe necessario indiget subsidio alieno, utpote administratione Sacramentorum, necessaria instructione, correctione &c. Vita corporalis similiter indiget alimentis, vestimentis, aliisque necessariis ad sui conservationem, sæpe per alienum subsidium acquirendis. Vita moralis, & civilis consistens in honestate morali, integra fama, honesto statu, sæpe etiam indiget subsidio alieno, ut nimis manifestum.

IV. Quotiescumque ergo occurrit tanta necessitas proxi- 30
mi, ut vitam suam spiritualem, vel corporalem, vel civilem conservare non possit, omnis homo sciens, & potens ex Charitate obligatur succurrere, etiam sub mortali pro ratione materiæ. Patet in allatis exemplis. Sacerdos etiam simplex, vel non curatus, si alius non adsit, qui facere debet, homini ad mortem laboranti sub mortali tenetur Pœnitentiæ Sacramentum ministrare, paratum disponere ad Sacramentum, & bonam mortem; similiter infantem baptizare &c. Homini extrema, vel gravi necessitate laboranti alimento, vel vestimento succurrere quicumque sciens, & potens tenetur sub mortali. Idemque est in exemplis modo dictis supra.

§. IV. *Et possibilitas adest moralis.*

Utique non physica tantum, sed moralis, qua quis 31
hic, & nunc commode possit: Charitas enim ordinata plus non obligat. Ad hoc autem, ut quis vere censeatur moraliter posse, & teneri proximo succurrere, seu ut moralis possibilitas adsit, quatuor requiruntur in Assertione expressa, & sunt sequentia.

I. *Notitia necessitatis proximi*. Ubique enim a lege ex- 32
cusatur ignorans; qui ergo, vel omnino nescit proximum esse in necessitate, aut si hoc sciat, scit tamen alios debere, & posse, & velle succurrrere, ipse non tenetur succurrere, quia non scitur, & revera non est necessitas proximi, ut ab ipso sublevanda. At vero cum primum ei innotescit necessitas proximi vera, ac gravis, & quamdiu non est, vel noscitur esse alius, qui debeat, possit, & velit succurrere, tamdiu tenetur quilibet succurrere pro posse. Attamen vi præcepti Charitatis nullus tenetur inquirere proximos necessitatem patientes, ut eis succurrat, ut insinuatur 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum habere necessitatem &c.*

II. *Facultas succurrendi*. Ut nimirum debens succurrere 33
proximo, habeat, vel possit id, quo succurrere debet. Nam impotentia excusat a Lege; Et *Qui nihil habet, nihil debet*. Sic non potest, nec consequenter debet succurrere pauperi, qui ipse pauper non habet pecuniam, panem &c. Sic Sacerdos excusatur, qui in infirmitate ipse detentus, nequit accedere infirmum ad Sacramenta administranda.

III. *Indemnitas succurrentis*. Ut nimirum quis sine gravi, 34
vel æquali suo damno, aut periculo possit succurrere alteri. Sic nimirum in spirituali, vel corporali necessitate tenetur quis alteri succurrere, ut tamen ipse eandem, vel similem ex hoc necessitatem non incurrat: nam ex ordine naturali Charitatis quilibet tenetur magis amare seipsum, quam alterum in eodem genere. E. g. Proximo extrema necessitate laboranti teneris succurrere, etiam ipse gravi necessitate pressus, sic tamen, ut ipsemet inde extremam necessitatem non incur-

incurras. Vides alterum in periculo mortis, in latrocinio, naufragio, &c. teneris succurrere, dummodo non ipsemet periculum mortis ineas. Sacerdos non curatus tenetur alteri in periculo mortis succurrere, Sacramenta ministrando, non tamen periculo mortis suæ. Secus est de Sacerdote curato, seu Parocho proprio ex justitia obligato: ut infra magis patebit de ordine Charitatis.

35 IV. *Spes, fructus, seu effectus futuri*. Ut nimirum quis sciat, & speret se ope sua proximi necessitatem sublevare posse, vel sublevandam esse. Quod si enim nulla spes sit proximum in necessitate sublevandi, cessat jam possibilitas, & consequenter obligatio succurrendi. V. g. Non teneris pauperi cibum deferre, quem scis jam animam agere, aut si scias a militibus in via rapiendum omne, &c. Et ita in similibus. His ita generaliter positis circa obligationem benefaciendi, vel succurrendi proximum corporaliter, & spiritualiter, nunc ad specialia descendendum.

SECTIO II.

Obligatio Eleemosynæ corporalis.

SUMMARIUM.

36 *Eleemosynæ definitio*.
37 *Est opus summe meritorium, satisfactorium, & impetratorium*.
38 *Ad quod homo ex præcepto divino naturali, & positivo aliquando obligatur juxta rationem necessitatis alienæ, & facultatis propriæ*. Unde
39 *Obligatio dandi eleemosynam pendet, & metienda est a duobus, scilicet* ex facultate propria, & necessitate aliena.
40 Usque ad num.43. *Quæ bona dicantur necessaria, vel superflua, naturæ & statui*.
43 *Necessitas est triplex*: extrema, gravis, communis.
44 Usque ad num.48. *resolvuntur quidam casus*.
49 *Proximo necessitate* extrema *laboranti tenetur quis succurrere sub mortali, non tantum de superfluis, sed etiam de aliquibus necessariis statui. Unde*
50 Usque ad num.55. *resolvuntur varii casus*.
55 *Quando, & qualiter quis teneatur succurrere proximo* in necessitate gravi.
56 Usque ad num.60. *exceptiones, & casus varii*.
60 *Habentes bona simpliciter superflua naturæ, & statui, probabilissime etiam sub mortali teneri quandoque facere eleemosynam pauperibus communem tantum necessitatem patientibus*.
61 *Probatur varie*, Usque ad num.66.
66 Usque ad num.70. *Exceptiones, & casus*.
70 *Corollarium quoad divites*.
71 *Eleemosyna ordinarie solum fieri potest de bonis propriis, & justis*.
72 *Exceptiones, & casus* Usque ad num.75.
75 *Quando, & qualiter eleemosynas facere possint uxores, &*
76 *Qualiter filii familias de bonis parentum. Item*
77 *Qualiter servi, & ancillæ de bonis Dominorum, ac*
78 *Qualiter Religiosi de bonis Monasterii*.
79 *Corollarium*.

36 Eleemosyna definitur a S.Thom. 2. 2. qu.32. art.1. *Opus, quo datur aliquid indigenti ex commiseratione propter Deum*. Non enim consideratur hic eleemosyna, seu beneficentia in proximum, quatenus præcise est actus misericordiæ, virtutis moralis, compatiens miseriis proximi, præcise ratione communicationis naturæ: sed consideratur præcipue, ut est actus imperatus Charitatis Theologicæ proximo benevolentis, ac benefacientis, & consequenter etiam ejus miserias condolentis, ac pro posse sublevantis *propter Deum*, seu quatenus proximus miser est aliquid Dei, divinam bonitatem participans: adeoque quatenus opera misericordiæ a Charitate imperantur, atque apud Deum meritoria sunt. Quod valde notandum, & plebi explicandum est, ne operum misericordiæ meritum, & mercedem amittant. Hic certa aliqua præsupponenda sunt.

Primum certum.

37 Certum est eleemosynam quam maxime esse in consilio, utpote opus summe meritorium, Deo gratissimum, maxime satisfactorium, & impetratorium, quo nihil sæpius in Scripturis commendatur, eique præstantissimi apud Deum effectus tribuuntur, & specialiter etiam remissionis peccatorum. Tobiæ 4. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras*. Ibidem 12. *Quoniam eleemosyna a morte liberat; & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam*. Eccles.3. *Eleemosyna resistit peccato*. Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime*. Et ipse Christus Luc.12. *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Et alibi sæpissime. Ubi tamen sciendum, eleemosynam non habere vim remittendi peccata per se infallibiliter, neque ex opere operato, ut Sacramenta, neque ex opere operantis, ut amor Dei super omnia, & contritio perfecta: ut constat ex illo 1. Corinth.13. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &c. Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Et tandem hæreticum esset dicere, eleemosynam sine pœnitentia remittere peccata. Dicitur ergo eleemosyna remittere peccata duobus modis. 1. Per accidens, & infallibiliter ratione adjunctæ Charitatis, quando scilicet subvenitur proximo ex actuali amore Dei super omnia, seu *propter Deum* super omnia dilectum: ut notant DD. cum *S.Thoma cit.* 2. Impetratorie per se quidem, non tamen infallibiliter; quatenus homo etiam peccator per eleemosynam debite frequentatam, impetrat auxilia gratiæ actualis; quibus plerumque efficaciter juvatur, & movetur ad conversionem, pœnitentiam, & justificationem, juxta illud Christi Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Et constat ex exemplis Sacræ Scripturæ, ut de Cornelio, Centurione, & aliis.

Secundum certum.

Certissimum est de Fide, etiam Præcepto Divino naturali, & positivo obligari hominem ad dandam aliquando eleemosynam juxta rationem necessitatis alienæ, & facultatis propriæ. *Omnes*. Præceptum naturale continetur generali illo principio Legis naturæ. *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Quilibet autem in vera necessitate constitutus optimo jure naturæ, seu, ut vocant, jure poli, vult & exigit sibi subveniri ab habente facultatem: ergo &c. Præceptum positivum autem præter mandatum: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*: frequenter, & severe fertur in Scripturis. Proverb. 21. *Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*. Eccl.4. *Eleemosynam pauperis ne defraudes*: quasi dicat, quia ei jure debes. Ezech.16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia &c. & manum egeno, & pauperi non porrigebant*. 2.Jo:3. in Assert. præcedenti *cit.* ac alibi sæpissime. Sed omnium gravissime Christus ipse Lucæ 16. in Parabola Epulonis: ac Matth. 25. *Venite benedicti &c. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* Et contra. *Ite maledicti in ignem æternum &c. esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*: & consequenter omnes species eleemosynæ, seu misericordiæ corporalis enumerans, pœnam æternam damnationis, utique solis peccatis mortalibus debitam, impiis ob solum defectum eleemosynæ in tremendo judicii die infligendam denunciat. Ergo præcepto divino, naturali, & positivo etiam sub mortali obligatur homo ad dandam quandoque eleemosynam: utiquo tamen, juxta modum facultatis suæ, & necessitatis alienæ. Nam 38

Tertium certum.

Certum est obligationem eleemosynæ corporalis a duobus pendere, & metiendam esse, a *necessitate aliena, & facultate propria*: nimirum ex parte dantis, ut habeat bona aliqua superflua, & ex parte accipientis, ut habeat veram aliquam necessitatem; 39

Ex parte dantis.

Bona possunt esse necessaria, vel superflua dupliciter; quoad naturam, seu vitam, & quoad personam, seu statum. Bona necessaria naturæ suæ, seu vitæ sunt, quæ requiruntur necessario ad conservandam vitam, & naturam suam, ac familiæ suæ. Superflua autem naturæ, & vitæ dicuntur, sine quibus quis suam, familiæque vitam congrue conservare, ac tueri potest. Adeoque bona sufficientia naturæ, & vitæ habere censetur, qui habet congruum victum, vestitum, & domicilium pro se, & familia sua, juxta illud 1. Timoth.6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*. Reliqua bona ultra ista dicuntur superflua naturæ. 40

Bona necessaria personæ, vel statui dicuntur, quæ necessaria sunt ad decentem conservationem status, vel conditionis personæ, utpote honesti civis, Magistratus, Nobilis &c. Hi enim ipso jure naturæ ad statum, vel conditionem suam tuendam plus requirunt, quam privatus civis, plebejus, rusticus &c. secluso tamen abusu moderni temporis, quo nobiles, & potentes summum quemque luxum censent esse de ratione status sui. Bona ergo superflua personæ, vel statui dicuntur, sine quibus talis suum, familiæque suæ statum sufficienter conservare, ac tueri potest; quæ proinde simpliciter dicuntur bona superflua. 41

Ubi tamen advertendum ex communi cum S. Thoma *cit.* q.32.art.1. 1.Sub bonis necessariis vitæ, vel status non tantum intelligi necessaria vitæ, vel statui propriæ personæ, sed etiam propriæ familiæ, utpote parentum, filiorum, conjugis, necessarii famulitii. 2. Non tantum necessaria vitæ, vel statui in præsenti, sed etiam quoad futuram necessitatem, quæ communiter accidere solet, & moraliter certo accidet: ut pro tempore morbi, senectutis, pro educandis, elocandis, & dotandis liberis &c. (non item pr oextraordinariis, vel imagina- 42

ginariis necessitatibus: ut si cæcus fieret, si domus combureretur &c.) 3. Addunt *Vasq. Filliuc.* alii cum Diana *p.1. tr.15. resol.32.* sub bonis necessariis statui, etiam comprehendi illa bona, quæ conservantur pro augendo statu, cum bono communi expediat mutatio status. Merito tamen hic damnata est ab Innoc. XI. inter alias, propositio hæc 12. *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.*

Ex parte accipientis.

43 TRiplex communiter distinguitur necessitas, *extrema, gravis, communis.*

Necessitas extrema dicitur, qua vita ipsa periclitatur, vel certe quid æquivalens: ita ut, vel mors certo secutura sit, vel morti simile malum, puta, gravis, periculosus, vel incurabilis morbus, amissio membri principalis, vel sensus corporis, durissima, ipsaque morte gravior v.g. Turcica captivitas &c. nisi homo ope congrua adjuvetur. *Necessitas gravis* dicitur, qua quis vitam valde difficulter, statum vero omnino tueri non potest: ut si gravi, & diuturno morbo, vel fame labores, ob debita diuturno carceri includendus sis, si notabiliter casurus a statu tuo, ut si Nobilis servire, vel laborare serviliter cogatur, honestus civis mendicare: denique quandocumque subest periculum cujuscumque mali, vel damni emergentis gravis, quo amittas aliquid jam habitum, vel tibi debitum. Secus est de lucro cessante, vel occasione acquirendi aliquid nondum habitum, vel debitum, ut magnam summam, statum nobiliorem &c. hæc enim non est necessitas, sed potius cupiditas. *Necessitas communis* dicitur, qua homo communiter, non decidendo notabiliter a statu suo, laborat, & cui cum aliqua morali sollicitudine, ac industria ipsius patientis, vel alias communi, & ordinario modo succurri potest: qualis est pauperum, qui mendicare solent, & mendicando a suo statu non decidunt. Item aliorum egenorum, qui duro licet labore, ægre tamen se, suosque sustentant: quales necessitates communiores, vere sunt nimis communes hoc tempore apud plebejos. His intellectis, sit

Quartum certum.

44 CErtum denique est, quod habens sola necessaria sibi quoad naturam, vel statum, numquam teneatur facere eleemosynam pro simili necessitate proximo laboranti. Fundatur in naturali Charitatis ordine, quo quilibet quoad bona ejusdem ordinis magis potest, & debet amare seipsum, quam proximum. Et hinc

45 I. Habens tantum necessaria naturæ, non tenetur, nec potest facere eleemosynam proximo, etiam extrema necessitate laboranti: Quia quilibet suam, suorumque vitam potest, & debet aliorum vitæ, & incolumitati præferre. Excipit tamen D. Thom. *cit. quæst.*32. casum his verbis: *Si quis subtrahendo sibi daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentetur: quia pro talis personæ liberatione seipsos, & suos laudabiliter mortis periculo exponeret, cum bonum commune sit proprio præferendum.*

46 II. Similiter habens necessaria statui suo, non tenetur cum æquali, vel simili detrimento sui status, alteri facere eleemosynam in necessitate gravi, vel status, ob eandem rationem, nisi rursus alter egens esset persona publica Reipublicæ necessaria, ut paulo ante dictum.

47 III. Multo minus tenetur quis in communes necessitates pauperum deferre opes, vel bona sua necessaria suo statui pro præsenti, vel futura ordinaria necessitate, vel etiam pro rationabiliter augendo statu: immo non liceret cum notabili detrimento status, vel familiæ, nisi quis velit paupertatem Evangelicam amplecti, juxta consilium Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus &c.* Communissima cum *S. Thom. cit. art.6.* His ut apud omnes certis suppositis, pro generali Regula sit

ASSERTIO III.

48 P*Ræcepto Charitatis, & misericordiæ tenetur sub mortali homo facere eleemosynam, non tantum in necessitate proximi extrema, etiam de necessariis statui, sed etiam in gravi, & probabilissime etiam in communi necessitate, de bonis superfluis: sed propriis, & justis tantum.* Ratio præcepti generalis data est in supposito secundo certo, & satis patet ex dictis. Assertio nunc per partes explicanda, & probanda est.

§. I. *In necessitate extrema.*

49 PRoximo extrema necessitate laboranti sub mortali teneris succurrere, non tantum de superfluis, sed etiam de aliquibus necessariis statui. *Omnes.* Ratio clara est: Quia ordo Charitatis postulat, per se loquendo, & cæteris paribus, ut proximi vitam pluris faciamus, quam dignitatem proprii status, & multo pluris, quam opes simpliciter, etiam statui superfluas. Hic enim verissimum illud Ambrosii: *Pasce fame morientem: si non pavisti, occidisti.*

Exceptiones, & Casus.

50 I. NUllus tenetur inquirere tali extrema necessitate laborantes, sed sufficit succurrere, & juvare notos. *Vasq. aliis cit.* Diana *par.5. tract.8. resol.7.* Qui tamen dubitaret de alicujus proximi extrema necessitate, teneretur sub mortali inquirere veritatem, quia alias relinqueret se in periculo peccandi mortaliter contra præceptum succurrendi proximo in extrema necessitate, ut notant Sanchez aliique cum Laym. *lib.2. tract.3. cap.6.* Quod si, facta inquisitione, dubium perseveret, non teneris succurrere; quia possessio stat pro libertate: *Sanchez, aliique cum Diana cit. resol.9.* Qui recte notant, pauperibus publice expositis, ex nuditate, morbo, defectibus membrorum &c. extremæ necessitatis signa ostentantibus raro debere succurri sub mortali, quia illa signa communiter exaggerantur, si non omnino finguntur. Cæterum, cum plures sciunt extremam necessitatem proximi, omnes tenentur succurrere per æquas partes: si nolint alii, omnes tenebuntur in solidum, omnesque scientes, & omittentes peccabunt mortaliter. Si unus velit totum præstare per se, alii liberabuntur. Quod si vero aliis de contribuendo admonitis, & recusantibus, unus totum præstitit, poterit partes ratas ab aliis jure exigere, vel etiam compensare. Ita multis *cit.* Diana *eod. tract.* 8. *resol.*2. & sequentibus.

51 II. Habens tantum necessaria vitæ, & statui absque superfluo, tenetur quidem sub mortali ad extremam proximi necessitatem sublevandam aliquid detrahere de necessariis suo statui, ut dictum est, non tamen cum gravi detrimento sui status, multo minus tenetur ideo se de suo statu dejicere, seu illa bona expendere, quibus amissis deberet notabiliter a suo statu cadere; ut si Nobilis ideo servire, honestus opifex mendicare deberet: *secundum omnes.* Ratio est: Quia non teneris arctius vitam proximi conservare, quam tuam, sed tuam vitam non teneris sic conservare: non enim teneris v. g. ad sanitatem recuperandam omnes tuas opes expendere, ut postea sanus factus, omnino miser evadas, quia id moraliter morti æquiparatur: ergo minus alienam. Quinimo etiam de bonis simpliciter superfluis nemo tenetur etiam in extrema necessitate proximi expendere magnam pecuniæ summam, ad emendum v. gr. exquisitissimum, & pretiosissimum medicamentum, etsi necessarium, qualem nec ipse infirmus, si pecunias haberet, juxta rationem status sui sibi comparare deberet, ut cum aliis notat Laym. *cit. num.4.* Nec ullo casu pro alicujus privati vita quis tenetur exponere magnas divitias: v. gr. ter, vel quater mille aureos: Quia tantis divitiis in Republica plus boni causari potest, quam sit unius privati hominis vita; ut ex communi notat *Diana cit. resol.6.* Denique ordinariis tantum mediis succurrere præcipit Charitas, non extraordinariis: esto etiam hoc, ut quid perfectius, suadeatur. Excipiendum tamen videtur, si persona esset conjunctissima: ut si filius Patrem, vel pater filium ab injusta morte certo alias inferenda etiam aliquot millibus, statui tamen suo non valde necessariis, vel superfluis redimere possit, omnino videtur ex charitate, & pietate obligandus: quia plus sibi invicem sine dubio debent Pater, & filius, quam alii non ita conjuncti.

52 III. Eleemosyna etiam in extrema necessitate non debetur ex justitia, sed solum ex Charitate, neque enim aliud est *jus populi*, quam naturalis, & generalis obligatio charitatis. Unde qui etiam in extrema necessitate non dedit eleemosynam (nisi aliunde ex justitia obligatus fuisset, ut Magistratus, Pater, &c.) secuta morte, vel damno proximi, non tenetur ad restitutionem ullam. Ita communior DD. Navarrus *cap.24. num.7. Bellarm. Valentia, Filliuc.* aliisque plurimis citatis Diana *ibid. resol.*2. Ratio est: Quia nullum potest assignari idoneum argumentum tam strictæ obligationis. Non tamen licet emere in servum se volentem vendere in extrema necessitate, sed ei ex charitate gratis succurrendum est, ut cum *Azor.* & aliis docet Diana *resol.7.*

53 IV. Pauper extremam necessitatem patiens jure naturæ potest auferre sibi necessaria sufficientia ad tollendam necessitatem a quovis similem necessitatem non patiente: nec postea ad pinguiorem fortunam rediens, tenetur restituere quidquam. *Omnes.* Ratio est: quia jure naturali in extrema necessitate omnia sunt communia, & omnibus debita quoad usum sic necessarium. Similiter non tenetur restituere, qui in extrema necessitate consumpsit id, quod antea acceperat commodatum, vel mutuum, vel emptum nondum solutum: immo quod antea furatus fuerat. *Ex communi Lessius, & aliis citatis Diana ibidem resol.* 8. Secus esset, si quis in ipsa necessitate extrema cum spe certa possibilis aliquando restitutionis accepisset mutuum, vel commodatum, de quo inferius. Hæc obiter hic indicata latius explicabuntur in materia de Justitia in septimo Præcepto.

54 Porro quamvis supra dixerimus, neminem teneri rem pretiosissimam, aut ingentem summam expendere ad sublevandam extremam proximi necessitatem: nihilominus ipsum in extrema necessitate constitutum similem rem pretiosissimam, vel ingentem summam sibi tunc necessariam posse auferre a divite (dummodo per hoc dives non conjiciatur in similem extremam, vel gravissimam necessitatem) probabilissimum est. Id enim omnino probat ratio supra data: si enim in extrema necessitate omnia sunt communia quoad necessarium usum: ergo etiam res pretiosissima, etiam duo, tria, quatuor millia communia erunt, & licite auferri poterunt (dummodo per hoc alter non constituatur in æquali necessitate) etsi alter dives per se non teneatur tunc talem summam erogare: quia nimirum jus extremæ necessitatis est in rem necessariam, & non in personam Domini rei. At poteritne Dominus rei tunc impedire, & prohibere auferentem? Hic nodus difficilis, & mihi nondum liquido solutus. Certum tamen est posse, sequendo oppositam sententiam, etiam probabilem, quod alter tantam summam auferre non possit. Qua ratione datur bellum ex utraque parte justum, non absolute per se, sed per accidens ratione oppositarum opinionum probabilium. De quo in materia de Conscientia, & justitia.

§. II. *In necessitate gravi.*

55 HAbens superflua naturæ, & status, tenetur sub mortali facere eleemosynam proximo gravem necessitatem patienti (si nimirum ipse sciat necessitatem, & alius non adsit, qui debeat, & possit, ac velit succurrere, juxta supra dicta) *Communissima DD. Azorio, Sanch. & aliis congestis, Laym. lib.2. tract.3. cap.6. num.4. & Diana par. 5. tr.8. resol.14.* contra paucos ibidem relatos. Ratio generalis Charitatis, etiam hic militans est: Quia lex Charitatis obligat succurrere proximo in vera necessitate, quando sine nostro incommodo, vel detrimento possumus: tenemur enim diligere proximos, sicut nos ipsos: & non tantum *verbo, & lingua, sed opere, & veritate*, inquit S. Joan. supra allegatus, sed qui habet superflua naturæ, & status, potest succurrere proximo sine gravi suo incommodo, vel detrimento: ergo in vera gravi ejus necessitate etiam tenetur. Adde: Quod si in gravi necessitate nullus succurrat, etiam proximo imminere necessitatem extremam. Unde S. Scriptura tam stricte præcipiens eleemosynas in necessitate proximi, non facit mentionem extremæ tantum necessitatis, ut nimirum intelligatur omnis vera, & gravis necessitas proximi, prout ubique intelligunt SS. PP. Sic D. Ambrosius *lib.1.* de officiis, cap. 13. ait: *Grandis culpa est, si, sciente te, fidelis egeat: si scias eum fame laborare, ærumnam pati, præsertim si mendicare erubescat.* Sic ille. Quin etiam cum S. Thoma, aliisque *cit.* Laym. *cit. num.4.* & Tamb. *lib.5. Decal. cap.1. §.1.* recte docet in valde gravi necessitate proximi teneri divitem succurrere, etiam de aliquibus necessariis, non tamen valde necessariis statui, sic ut ipse succurrens inde deberet incurrere necessitatem: hoc enim lex, & ordo Charitatis nunquam præcipit.

EXCEPTIONES, ET CASUS.

56 I. ETsi gravi, immo etiam extrema necessitate omnimoda laboranti, qui scilicet re, & spe pauper est, habens superflua ex præcepto eleemosynæ teneatur dare gratis, quæ necessaria sunt ad necessitatem sublevandam: quando tamen gravi, vel extrema necessitate laborans non spe, sed re tantum, seu actu hic, & nunc pauper est, puta, quia vel alibi in Patria v. g. habet bona, vel ita constitutus est ut probabiliter credatur postea acquisiturus, vel non ipsa re, sed solum usu rei indiget, ut equo, curru &c. nemo tenetur gratis dare, sed sufficit accommodare, vel vendere cum onere restitutionis, vel solutionis, sub conditione cum aliquando poterit. Ita satis *communis DD.* Navar. *cap. 24.* Less. *lib.2. de justit. cap.16. dub.1. Vasquez, Tannerus*, aliisque citatis Diana *eodem tract. supra.* Ratio: Quia præceptum Charitatis, & eleemosynæ solum præcipit succurrere necessitati proximi: hac autem ratione vere succurritur necessitati proximi, etsi non per simplicem eleemosynam, tamen vero opere Charitatis, & Misericordiæ: idque maxime verum esse debet, quoties notabilis summa pecuniæ, vel res magni pretii v.g. ultra viginti florenos, inter præsentem necessitatem esset expendenda. Nam licet quis in extrema necessitate licite accipiat necessaria, accipienti tamen rem magni pretii non juste imponitur hæc gravis obligatio restituendi aliquando, cum poterit, seu ad pinguiorem fortunam pervenerit, ut notant *DD. cit.*

57 II. Habens ergo superflua naturæ, & status, vidensque proximum gravem necessitatem pati v.g. fame, vel morbo affligi, ob debita diuturno carcere macerari: eum ab hoste raptum &c. tenetur succurrere, saltem mutuando, maxime cum alter petierit, & alius, qui jure possit, & velit, non adsit. Ubi tamen gravitas peccati omissionis ex circumstantiis expendenda est prudenti judicio. Neque (uti jam supra dictum) tenetur quis inquirere de gravi necessitate proximi, sed sufficit misereri occurrentibus: nec tenetur juvare omnes, sed quibus placet, servato ordine Charitatis, neque totam necessitatem sublevare, sed pro facultate, & arbitrio aliquid contribuere, ut ex communi notant DD. *cit.* Et optime *Vasquez Opusculo de eleemosyna.*

III. Ægroto gravi, & maxime extrema necessitate laboranti, tenetur Medicus gratis subvenire, saltem arte, si sumptu nihil possit. Universaliter Advocatus tenetur gratis in judicio patrocinari proximo, non tantum in extrema necessitate, & causa capitali, sed etiam in gravi, ut si putetur injuste damnandus ad gravem mulctam, publicam fustigationem, triremes &c. nisi in judicio defendatur. Ex communi Suar. *de Charitate disp.7. sect. 4. num.4.* Lessius *lib.2. cap.31. dub.7.* Laym. *cit. cap.6. num.5.* 58

IV. Captivum apud Turcas nemo tenetur sub mortali, etiam de superfluis, redimere, quia ad id magna summa requireretur, & facile pretium redemptionis augeretur; tenetur tamen tali petenti, utpote in vera gravi necessitate posito, aliquid dare. Excipe: nisi captivus talis esset injuste occidendus, præ tristitia, vel aliis ærumnis conficiendus: tunc enim vere esset in extrema necessitate, ideoque de superfluis status necessario juvandus: ut cum aliis notat Diana *eod. tract. resol.6.* Cæterum an egens etiam in gravi necessitate licite possit auferre sibi necessaria; suo loco videbitur. 59

§. III. *In necessitate communi.*

PRobabilissimum est, habentes bona simpliciter superflua naturæ, & statui, etiam sub mortali teneri quandoque facere eleemosynam pauperibus, communem tantum necessitatem patientibus. Ita communissima DD. præsertim Antiquiorum. S. Thomas 2. 2. *q.32. art.5.* Navar. *c.24. n.5. Richard. Sotus, Bannes, Covarruvias, Valentia, Arragonius, Azorius, Filliucius*, aliisque relatis Bellarminus *lib.3. de bonis operibus cap.7.* Tannerus *tom.3. disp. 2. q.5. dub.2.* Laym. *lib.2. tract.3. cap.7. nu. 5.* (Etsi contrarium sentiant plerique moderni, ut videbitur.) Est hæc Sententia, uti longe communior, ita sine dubio tutior, Sacræ Scripturæ, & SS.PP. conformior, & ideo paulo latius confirmanda in gratiam mendicantium. 60

I. Sumitur ex S. Scriptura *Lucæ 3.* Joannes Baptista cum dixisset: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*; Quærentibus turbis, quid igitur faciemus? non utique solo consilio, sed præcepto, respondit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.* Ubi per duplices tunicas, & escas, intellexit bona superflua. Nec dixit; *Det frigore, vel fame morienti*, idest, extremam, vel gravem necessitatem patienti, sed simpliciter, *non habenti*, communem scilicet etiam necessitatem concludens. Rursus *cap. 12.* diviti illi habenti plurima bona, & cogitanti de amplificandis conditoriis, dictum est: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te; quæ autem parasti, cujus erunt? Si est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* Quem locum exponens D. August. *l. quinquagint. homiliarum homil. lib.7.* docet; Divitem illum non ob aliud peccatum esse damnatum, nisi quia superflua retinebat, & sic perituros sui similes. Denique 1.Timoth. ultimo. *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in certo divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum; bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* 61

II. Probatur clarissima SS. Patrum auctoritate. D.Basilius in Oratione in illud Lucæ 12. *Destruam horrea mea*: inquit: *At tu nonne spoliator es, qui, quæ dispensanda accepisti, propria reputas? Est panis famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam in conclavi servas: discalceati calceus, qui apud te marcescit: indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus injuriam facis, quot dare valeres.* D.Chrysost. hom. 34. ad populum Antiochenum. *Numquid grave quidpiam, & onerosum a nobis requirit? Necessitatem excedentia vult nos facere necessaria, & quæ nequicquam, & inutiliter posita sunt, hæc vult bene distribui.* Et infra: *Tuarum rerum es, o homo, dispensator, non minus, quam qui bona Ecclesiæ dispensat. Non ad hoc accepisti, ut in delicias absumere, sed ut in eleemosynam erogares &c.* Div.Ambros.Serm. 18. *Sed ais, quid injustum est, si, cum aliena non invadam, propria diligenter servem? O impudens dictum! propria dicis? quæ? Ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? Non minus est criminis habenti tollere, quam cum possis, & abundes, indigentibus denegare.* D. August. in illud Psalm.147. *Confortavit seras portarum tuarum*: ait; *Superflua diviti, necessaria sunt pauperi. Aliena retinet, qui ista tenet.* Div. Gregor. 3.part. Pastoralis, Admonitione 22. inquit: *Admonendi sunt, qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, ut sciant solicite, quod ea, de qua sumpti sumus, cunctis hominibus terra communis est, & idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert, & idcirco incassum se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatim vindicant,* 62

dicant. Plura pulcherrima confert Valent. *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 9. *punct.* 4.

63 III. Probatur Ratione desumpta ex ipso præcepto Charitatis, quo tenemur proximum diligere, sicut nos ipsos, ideoque cum facile possumus, etiam ei in quavis miseria constituto succurrere, sicut vellemus nobis succurri, sed divites habentes bona superflua facile possunt sublevare miseriam pauperum, etiam communem necessitatem patientium. Neque fieri potest, ut diligant vere proximos, sicut seipsos, si neque superflua quidem velint cum illis in necessitate communicare: Juxta illud 1. Joan. 3. *Qui habet substantiam hujus sæculi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in illo?* Ergo ad hoc obligantur ex præcepto Charitatis. Accedit specialis ratio assignata a SS. Patribus etiam *citat.* Divites habentes bona superflua, etsi revera sint Domini opum suarum juste acquisitarum, si comparentur ad Deum, non tam Domini, quam dispensatores dicendi sunt: Dei enim omnium Conditoris providentia fiunt homines divites, aut pauperes, & illi divites Deo de divitiarum usu rationem reddituri sunt, ut Christus docuit multis parabolis, maxime villici iniquitatis: ergo divites tenentur bona sua dispensare secundum voluntatem, & ordinationem Dei. Atqui Deus omnium Pater voluit, & ordinavit, ut alii superfluis abundent, alii necessariis egeant perpetuo, sed mira providentia divitias inæqualiter distribuit: alios voluit divites, alios pauperes, ut illi per misericordiam, isti per patientiam Regnum Dei consequantur: ergo contra voluntatem Dei peccant divites, bona superflua retinentes, derelictis pauperibus, etiam communem necessitatem patientibus. Addunt denique recte DD. *cit.* in communi necessitate pauperum moraliter semper esse aliquam necessitatem gravem, & recte: si enim in communibus necessitatibus nullus succurrat, necessario orientur necessitates graves, & denique extremæ, quo casu omnes tenebuntur succurrere: ergo etiam in communi necessitate tenebitur quivis aliquando succurrere, tum quia forte gravis est: tum quia certe facile gravis, & tandem extrema fieri potest.

64 IV. Minus ergo probabilis, minus tuta, minus pia est opposita sententia sane etiam gravium DD. *S. Antonin. Alensis, Gabriel, Rodriq.* aliorum cum Vasquez *opusculo de eleemosyna cap.* 1. & octodecim citantis *Dian. par.* 5. *tract.* 8. *resol.* 37. Ratio potissima est: Quia non teneor alicui erogare bona, quando vel prudenter æstimo ejus necessitatem valde levem, & tolerabilem esse, vel esse sublevandam ab aliis: Atqui omnis necessitas *Communis ideo dicitur*, quia vel supponitur aliis mediis ordinariis facile sublevabilis, vel quia de se modica, levis, & tolerabilis est, ut ei succurrere non tam videatur sublevare necessitatem, quam procurare felicitatem: ergo non est obligatio faciendi eleemosynam in necessitate communi, saltem sub mortali: immo nec sub veniali, concludit *Diana cum aliis lib. cit.* Confirmatur: Quia alioquin sequeretur infinitos divites damnari, qui communes illas pauperum necessitates parvi faciunt, & nisi gravem necessitatem apprehendant, eleemosynam omittunt. Et tandem intolerabile esset onus diviti singulis succurrere necessitatibus communibus, cum hæ frequentissimæ sint, & innumeræ. Fatendum omnino est etiam hanc probabilem esse sententiam, & omnino tutam, ut saltem Confessarius secundum eam possit se accommodare pœnitenti eam sequenti, ut inferius iterum notabo.

65 Ad fundamentum tamen facile Resp. Ea ratione solum probari, quod dives non teneatur facere eleemosynam, aut determinate huic pauperi, quamdiu supponitur ejus necessitas sublevanda ab aliis, vel esse valde levis, & tolerabilis, aut generaliter omnibus pauperibus communem necessitatem patientibus, quod nos non asserimus, sed notanter diximus, *Quandoque*. Minime autem probatur, eos non teneri unquam facere eleemosynam in communi necessitate, cum S. Scripturæ, & SS. Patrum doctrinæ manifeste repugnet. Et novissime omnino convincere videtur ab Innoc. XI. damnata hæc propositio 12. *sup. cit. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Audis? Damnatur sententia asserens: *vix aliquem teneri ad eleemosynam de superfluo statui*. Ergo a fortiori damnata videtur sententia asserens: *teneri nunquam*. Sunt tamen etiam hic

EXCEPTIONES, ET CASUS.

66 *Habentes bona superflua &c.* Excusantur ergo ab eleemosyna danda in communi necessitate, qui licet habeant bona superflua statui præsenti, necessaria tamen sunt statui futuro, ut pro dotandis, & elocandis liberis, &c. aut alia pro altiori statu per media licita probabiliter acquirendo. Cum enim Reipublicæ expediat fieri mutationem statuum, licite quis ad altiorem statum potest tendere, atque ad eum obtinendum, & conservandum superfluas antea opes conservare, dummodo conservatio non fiat tempore extremæ, vel gravis necessitatis Reipublicæ. *Communis DD. cum S. Thoma, Nav. Laym. cit.* Quare rursus fatendum est, sæculares raro habere superfluas opes statui simpliciter, sicque raro peccare in necessitate communi eleemosynas omittendo. Unde recte monent DD. cum Layman *cit. art. 6. n.* 5. Confessarium non facile aut vix unquam absolutionem negare debere divitibus, qui in communi tantum necessitate eleemosynas facere recusant: tum quia de hac obligatione, an, & qualis sit, Doctores non consentiunt, & opposita Sententia gravium DD. damnanda non est: tum quia, ut dictum est, divites raro habent bona simpliciter superflua, & vix accidit, quin causam aliquam habeant, cur eleemosynam facere recusent.

II. Tenentur *quandoque facere eleemosynam*: utique non 67
semper, & ubique, & omnibus communem necessitatem patientibus, alioquin certe & ditissimus quisque ipse facile in gravem necessitatem incideret, ad quod neminem adstringit Charitas, licet alliciat. Satisfacies ergo, o Dives, huic obligationi dando *quandoque* eleemosynam de bonis superfluis communi necessitate laborantibus pro ratione facultatum tuarum. Tambur. *l.* 5. *c.* 1. §. 1. *nu.* 17. bene putat satis esse, si ex centum aureis annuis des duos, ex ducentis quatuor, (sed certe non eadem proportione, si multum excedant tuæ divitiæ.) Id enim videtur satis pro necessitate adeo non urgente. Pro plebejis optimum consilium est, ex lucris quibusque decimam partem seponere in honorem Dei pauperibus erogandam; tum in gratiarum actionem, tum pro impetranda benedictione in futurum. Id enim perfacile, & sine dubio sufficiens est.

III. In casibus particularibus, huic, vel illi pauperi, 68
cum facillime possis, absque ulla causa, eleemosynam negare in communi necessitate, non nisi veniale est: debitum enim faciendi eleemosynam in necessitate communi respectu unius, & alterius, censetur materia levis, quæ tamen respectu omnium gravis est; ut ex communi notant *Tanner. & Laym. cit.* Omni autem culpa vacabit communiter indigenti negare eleemosynam, si aliqua subsit causa rationabilis: utpote, cum nimis multi, & sæpe petunt: cum differs, ut tempore commodiori, vel aliis des, qui magis placent, & indigent: cum in communi necessitate negas eleemosynam, ut differas in necessitatem prævisam gravem. Ita si statuisti bona tua superflua applicare ad alios pios usus, excusaberis ab eleemosyna danda in communi tantum necessitate, minime vero in gravi, vel maxima.

IV. Quantitas, & modus erogandi eleemosynam æstima- 69
ri, & regulari debet ex quatuor. 1. *Ex quantitate facultatum:* juxta illud Tobiæ 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* 2. *Ex necessitate pauperum:* Quo enim major est necessitas, & indigentia proximi, eo plus erogandum erit pro facultate, utpote plus in extrema, quam gravi, & plus in gravi, quam communi. 3. *Ex numero pauperum:* Si enim magna est multitudo pauperum, necessitas communis, minus erogandum erit inter singulos, ut plures juves. Si vero multorum, & sit necessitas gravis, vel extrema, & plures sufficienter juvare nequeas, præstat uni, vel paucis dare, quod prosit (aliis Dei, & piorum curæ relictis) quam inter plures dispergere, quod non prosit. 4. *Ex ordine Charitatis:* Supposita enim necessitate æquali, extrema, gravi, communi aliis præferendi sunt nobis corpore, vel spiritu magis conjuncti; ut magis patebit. *Sect.* 4.

COROLLARIUM.

Peccant sine dubio divites habentes bona simpliciter su- 70
perflua, & vitæ, & statui, qui ex proposito statuunt in communibus necessitatibus nullam unquam eleemosynam facere; aut saltem implicito ejusmodi proposito reipsa nunquam eleemosynam erogant indigentibus, atque absque ulla rationabili causa omnes omnino pauperes a se inhumaniter depellunt. Tales enim inordinato divitiarum amore affecti, omni Dei, & proximi charitate exuti videntur, juxta verbum Christi: *Non potestis Deo servire, & Mammonæ.* Ex communi *Valent. Tanner. cit.* idque abunde probant. Quomodo ergo excusandi a mortali, qui panes, vestimenta, &c. potius corrumpi sinunt, vel canibus inutilibus dant, quam pauperibus amore Dei petentibus? superfluis contra statum conviviis, aliisve modis magnas opes dilapidant, pauperi interim ordinarie nummum, vel frustulum panis inhumane negantes, veri illius Epulonis Evangelici nepotes? Juvat audire D. Augustinum serm. 231. super illa verba Tobiæ 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors:* exclamantem: *O infelicitas generis humani! quam multi inveniuntur, qui ebriosos, & luxuriosos amplius, quam oportet, cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus unum calicem dissimulant dare! nec attendunt, quia illud quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus deberet accipere.* Et post: *Sed qui tales sunt, quando alios in nimio potu sepeliunt, pauperi eleemosynam petenti dicunt: vade in ante & dabit tibi Deus. Et utique, dum ambulaverit, Deus ei daturus est. Quid est ergo, quod dicit: vade in ante, & dabit*

bit tibi Deus ? Nisi vade ad illum hominem , qui habet Deum , quia daturus est Deus . Ac si ore suo ipse consiteretur apud se Deum non esse , quo inspirante possit erogare pauperibus . Hæc S. Doctor. Cui liceat subsumere : atqui apud quem DEUS non est , certissime diabolus est : ergo &c. Tandem specialiter Episcopi Beneficiati tenentur strictissima obligatione facere eleemosynas de bonis , & divitiis superfluis Ecclesiasticis statui , & sustentationi suæ congruæ : quia tum ex sententia , & mente fundatorum , tum ex Sacrorum Canonum Decretis , redditus Ecclesiastici speciali ratione pauperibus sunt obligati , de quo in materia de justitia . Hic solum obiter *Notandum* : Prædictos Beneficiatos non obligari totum residuum sustentationi erogare pauperibus , sed sufficit errogare, aut medietatem superfluorum , aut quartam partem omnium redditūum , quod tutius est , ne Beneficiati totos redditus laxiori sustentationi laxa conscientia applicent , ut cum aliis bene probat *Diana sup. cit.* Loquimur autem de communi necessitate , nam in necessitate gravi eos ad amplius obligari , certum est apud omnes . Tandem eadem ratione Monasteria quædam , & domus Religiosæ ratione fundationis instituta ad faciendam eleemosynam, & hospitalitatem , dare tenentur utique sub peccato mortali.

§. IV. *De bonis propriis, & justis tantum.*

71 NImirum tantum habens propria , & justa bona , aut de licentia expressa, vel rationabiliter præsumpta habentis, potest, & tenetur facere eleemosynas communi saltem necessitate . *Omnes* . Ratio patet : Quia eleemosyna est gratuita largitio : nullus autem potest alteri largiri, nisi quod ejus proprium est, aut de aliqua licentia ejus, cujus proprium est, nisi extrema , vel forte etiam gravis necessitas aliquid permittat, de quo mox ; ergo &c. Unde Prover.3. dicitur : *Honora Deum, de tua substantia*. Et vulgare dictum est : *Ex alieno liberalem esse, species furti est*, Vulgo ajunt: Furari corium, & calceos dare pauperibus.

EXCEPTIONES, ET CASUS.

I.

Quoad necessitates.

72 IN extrema necessitate proximi quivis potest, & tenetur succurrere, si propria bona non habeat, etiam de bonis alienis, etiam inscio, si commode consuli non possit , etiam invito Domino . *Communissima cum S. Thom. sæpe cit. q. 23. art.* 7. Quia nimirum in extrema necessitate, quoad usum necessarium, omnia sunt communia : & sicut ipse extrema necessitate laborans a quovis licite potest auferre sibi necessaria , sine onere restitutionis : ita quivis potest ei succurrere, si ex proprio nequeat, ex alieno, ut alienum auferendo, aut alienum ante , etiam injuste habitum , aut per furtum , aut usuram , largiendo , quantum ad extremam ejus necessitatem sublevandam opus est ; nec quoad hoc tenebitur ad restitutionem : uti cum S. Thoma notant Valent. *to. 3. disp. 3. pu.* 4. Tanner. *cit. dub.* 2. Laym. *cit. c. 6.* Quo patet a fortiori, in necessitate extrema , quoad opus est , eleemosynas facere posse uxores, filiosfamilias , Religiosos , Servos , insciis, vel etiam invitis Maritis, Parentibus, Prælatis, Dominis : tali enim casu sunt irrationabiliter inviti.

73 In necessitate gravi, res controversa est nonnihil. Communis enim Sententia negat egenum in gravi necessitate posse licite auferre sibi necessaria a divite inscio, vel invito ; & sic consequenter non licebit alteri de alieno , vel injusto dare eleemosynam , inscio, vel invito Domino . Contra alii cum Diana *part. 3. tract. 3. resolut. 27. & part. 5. tr. 8. resolut.* 2. id licere affirmant : & consequenter concedunt, te de alieno posse succurrere gravi necessitati proximi , si non possis de proprio . Sed de hoc agendum in septimo Præcepto.

74 In necessitate communi , consentiunt omnes , neminem posse, vel teneri facere eleemosynam de bonis alienis , vel injustis, ac obnoxiis restitutioni certæ personæ faciendæ : exceptis casibus . 1. De consensu expresso, vel tacito Domini . 2. De rebus, quæ non eadem numero , sed specie tantum restitui debent: verb. gr. de pecunia, furto, vel usura acquisita, potest interim fieri eleemosyna, salva obligatione restituendi æquivalens. 3. De alienis incertis, seu certæ personæ non obnoxiis , quorum scilicet Dominus ignoratur, vel abest , ut ei restitui numquam possint , potest, & debet fieri eleemosyna pauperibus: sicut etiam de bonis acquisitis per usuram , & simoniam, ex peculiari dispositione Juris. Sed tunc non est proprie eleemosyna , vel opus misericordiæ, cum sit debitum ex justitia , ut ex S. August. *Epist. 54. ad Macedonium* notavit D. Thom. *cit. q. 7. ar.* 7. 4. De illicite tantum acquisitis, at non injuste, nec obnoxiis restitutioni, ut lucra meretricum , lenonum, histrionum , &c. quæ licet turpiter, & illicite acquirantur, tamen patrato scelere licite acceptantur, & possidentur , eleemosyna fieri potest, & in necessitate vera etiam debet . *Communissima cum S. Thoma* aliisque cit. apud Layman cit. numer. 7.

QUOAD PERSONAS CERTAS.

I. Uxores.

HÆ etiam extra extremam , in omni necessitate possunt facere eleemosynam. Ex communi doctrina Div. Thomæ cit. Navar. *cap. 17. n.*155. Diana *par. 5. tractat. 8. resolut.* 34. In his casibus. 1. De bonis suis paraphernalibus , seu ultra dotem marito allatam habitis , vel acquisitis ante , vel durante Matrimonio , utpote ex hæreditate, donatione, propria industria familiæ non debita , neque nociva . Limitat *Navar. cit.* Nisi ipsa familia egeret , quæ ordine Charitatis aliorum necessitati, cæteris paribus, præferenda esset . 2. Cum uxor ipsa familiam gubernat , vel consentiente marito, ut passim solet, vel marito absente, ægroto, amente, aliave causa impedito. Quo tamen casu non debet facere majores eleemosynas, quam vir, si gubernaret , faceret , vel facere deberet . Adde etiam pro salute corporali viri fœminam licite facere eleemosynam, exemplo Abigaelis. 1. *Reg.* 25. 3. Quando a marito assignatur uxori certa summa pro sua , vel etiam liberorum sustentatione, quod superest, vel quod subtrahit, sancte erogat in eleemosynas , & licite in honestas donationes, etiam liberales, inscio marito. 4. Quotiescumque occurrit necessitas, in qua maritus ipse teneretur eleemosynas facere , tamen nolit, utpote non tantum in necessitate extrema, vel gravi, sed etiam in communi, quando adsunt bona superflua statui, & maritus numquam vellet dare eleemosynas, servato debito moderamine , potest & debet facere uxor : tunc enim quoad hoc velut in viri locum succedit : ejusque defectum supplet ; idque ipso jure divino , quo uxor data est in adjutorium viro : & quia major est obligatio communis præcepti Charitatis ad succurrendum proximo , quam subjectionis , & dependentiæ in gubernatione rei domesticæ , ad maritum : ideoque cessare debet hæc subjectio, urgente priori præcepto Charitatis. Extra hos casus absque expressa , vel interpretativa mariti licentia , vel consensu , non licet uxori facere eleemosynas de bonis communibus , quippe quorum administratio ad maritum spectat. 75

II. Filiifamilias.

DE ipsis bonis parentum, quorum proprietas, vel saltem ususfructus ad parentes spectat , per se nullas possunt facere eleemosynas, nisi 1. de expresso, vel interpretativo, seu præsumpto eorum consensu, qui in rebus levibus, ut panum frustis, vel nummis, facile præsumitur, *secundum omnes*. 2. Quando peregrinantur, aut resident in Scholis exteris , possunt facere eleemosynas de sumptibus paternis , quas alii suæ conditionis faciunt . 3. Quando a parentibus habent deputatam summam pro sua sustentatione , quod superest, vel quod subtrahunt, sicut in alios quosvis usus licitos , ita maxime licite in pauperes erogant. 4. Per se eleemosynas facere possunt de peculio suo castrensi, vel quasi castrensi, quod scilicet acquirunt, aut per militiam, aut per officium publicum liberale, ut Medici, Advocati, &c. vel per donationem Principis . Non item de peculio profectitio, quod ratione personæ, vel bonorum parentis acquirunt : nec de adventitio , quod sui intuitu aliorum donatione habent : horum enim usufructus ad patrem spectant, quamdiu vivit eorum curam gerens. Excipitur semper extrema necessitas. 76

III. Servi, & Ancillæ.

DE bonis Dominorum similiter per se non possunt facere eleemosynas, cum nullam habeant administrationem bonorum Domini sui, nisi similiter, de expresso, vel tacito eorum consensu, qui hic facile præsumi debet de rebus parvis, quæ alias inutiliter perirent, & maxime ea , quæ sibi de victu concesso subtrahunt : & denique de proprio peculio per se possunt, quod placet. 77

IV. Religiosi.

DE bonis Monasterii , quorum administrationem non habent, non possunt absque licentia , vel consensu expresso, vel præsumpto Superioris facere ullas eleemosynas in materia gravi sub mortali peccato proprietatis, excepto solo casu extremæ necessitatis. *Ratio est evidens* : Quia nullum habent jus in illa bona, nec habere possunt in particulari ratione voti paupertatis . Possunt autem Religiosi facere eleemosynas de bonis Monasterii. *In primis* cum administrationem habent juxta cujuslibet Ordinis, vel Monasterii morem, 2. Cum consensu, & licentia Prælati etiam præsumpta : utpote si occurrente gravi necessitate , Superior commode adiri non potest ; aut exiguum quid erogandum est, rationabiliter præsumitur de consensu . 3. Denique 78

que cum peregrinantur extra Monasterium, Studiorum, vel aliorum negotiorum causa, ut supra de filiisfamilias dictum.

Hæc omnia ex communi, & certa DD. Sententia hic obiter, & summarie pro integranda materia *de eleemosyna* ad necessariam notitiam Confessarii annotata sufficiant: alias ex professo eorum fundamenta tradenda sunt in Materia *de justitia*, maxime ad septimum Præceptum.

COROLLARIUM.

79 EX dictis patet de operibus Misericordiæ corporalibus. Etenim pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, colligere hospitem: hæc verissime comprehenduntur nomine eleemosynæ: in quibus omnibus potest esse necessitas, vel communis, vel gravis, vel extrema, adeoque obligatio sub peccato mortali. De redemptione captivorum innocentum supra aliquid tactum est, & in his partibus rarus casus. Visitare infirmos, & sepelire mortuos, sunt beneficia communia Charitati: quorum omissione, secluso odio, vel inimicitia, aut scandalo aliorum, raro potest contingere peccatum mortale. Procedendum ergo nunc ad opera Misericordiæ spiritualia.

SECTIO III.

Obligatio correctionis fraternæ.

SUMMARIUM.

80 Usque ad n. 85. *Explicatur correctionis, vel correptionis fraternæ definitio.*
85 *Ex Charitate quilibet obligatur sub mortali corrigere proximum; ubi*
86 I. Adest materia sufficiens. *Quæ illa;* usque ad n. 91.
91 II. Certa notitia peccati proximi, *&* 92.
93 III. Spes emendationis. *Casus varii usque ad nu.* 99. *&*
99 IV. Opportunitas. *Quando hæc censeatur adesse*, usque ad n. 103.
103 *Corollarium.*
104 *In correctione fraterna observandus est ordo.*
105 *Ut si peccatum proximi est occultum, correctio fiat occulta, inter te, & ipsum solum, si emendatio speratur.*
106 *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos.*
107 *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, hoc est, Superiori.*
108 Usque ad n. 112. *Quando peccatum est publicum, perniciosum, seu contagiosum Reipublicæ, ut proditiones, conspirationes, &c. aut privata monitio inutilis; prædictus ordo servandus non est, sed statim denuntiari potest superiori.*
112 *Corollarium.*

80 COrrectio, vel correptio fraterna definitur: *Admonitio conveniens, qua ex Charitate, & misericordia proximum a malo, vel periculo peccati ad bonum honestatis convertere nitimur:* Nimirum vel ad proximi peccatum emendandum, si jam perpetratum sit: vel impediendum, si in proximo sit perpetrandum. Dicitur

81 I. *Correctio, vel correptio*: Etsi enim hæc duo proprie in rigore differant. Correptio enim proprie significat ipsam admonitionem factam ad emendationem proximi, velut medium. Correctio vero significat ipsam emendationem proximi factam per correptionem, tanquam finem. Multi enim possunt corripi, qui tamen non corriguntur. Aliter apud *S. Thom.* & alios, *Correptio* proprie significat admonitionem fraternam, quæ est fratris ad fratrem, & actus Charitatis. *Correctio* vero significat admonitionem judicialem, quæ est Superioris ad subditum, & actus justitiæ ordinatus ad bonum commune. Communiter tamen *correctio, & correptio*, cum addito, *fraterna*, pro eodem sumuntur.

82 II. *Est admonitio conveniens*: facta nimirum, cum debitis conditionibus, quæ communiter assignantur tres, ut scilicet sit *secreta*, *charitativa*, *& opportuna*, de quibus in assertione. Neque correctio fraterna conveniens fit solo sermone, admonendo, corripiendo, dehortando proximum de peccato, sed etiam signo, vel quocumque modo utili ad proximum a peccato removendum.

83 III. *Quæ ex charitate, & misericordia*: Correctio enim fraterna est actus *charitatis* volentis proximo bonum maxime spirituale; & nolentis malum oppositum, adeoque pro posse conantis amovere, juxta illud D. Augustini Ser. 16. De verbis Domini. *Debemus autem amando corripere, non nocendi cupiditate, sed studio corrigendi*. Lege totum, est homilia 16. Pentecostes. Et est actus *misericordiæ* condolentis proximi miseriam, maxime spiritualem peccati, eandemque pro posse conantis sublevare, juxta illud Psalmi 140. *Corripiet me justus in misericordia, &c.*

84 IV. *A malo, seu periculo peccati convertere nitimur*. Correctio enim fraterna per se ordinata est ad peccatum proximi, vel emendandum, si jam perpetratum sit: vel impediendum, si jam in proximo periculo, vel procinctu peccati perpetrandi proximus existat. Tametsi enim omne peccatum libera voluntate perpetretur, quia tamen peccator propter naturam, vel infirmitatem, passionum vehementiam, intellectus cæcitatem, peccandi consuetudinem, & facile peccat, & difficulter resipiscit, hinc proximum admonitione nostra, & correctione, vel impedire, ne peccet, vel postquam peccavit, excitare, ut resipiscat, magnum sane charitatis, & misericordiæ opus est. Jam quoad obligationem sit

ASSERTIO I.

PRæcepto divino naturali, & positivo omnis homo ex charitate obligatur sub mortali corrigere proximum errantem, vel peccantem, aut peccaturum, si nimirum adsit materia sufficiens, certa notitia peccati proximi, spes emendationis, & opportunitas. Certa de Fide, & omnium doctrina cum D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 1. & 2. 85

Præceptum naturale patet. Nam sicut Præcepto naturali ex charitate, & misericordia obligamur sublevare proximi miseriam corporalem per eleemosynam, & quidem in gravi necessitate sub mortali: ita eodem præcepto naturali multo magis obligamur ex charitate, & misericordia sublevare miseriam proximi spiritualem in peccato, vel proximo periculo peccandi constituti: utique potiori jure sub mortali, si adsunt conditionis positæ.

Præceptum vero positivum divinum sæpissime inculcat S. Scriptura, præsertim in Ecclesiastico, & Epistolis S. Pauli, sed clarissime ipse Christus Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum*. Ubi per particulam *in te* non significatur, solum peccatum proximi, commissum contra te, sed omne peccatum proximi commissum, vel committendum coram te, vidente, aut sciente te: & recte hæc dicuntur etiam fieri *in te*, vel *contra te*: tum quia tibi scandalum ponit, vel saltem justam indignandi causam præbet: Tum quia obligat te ad correptionem; ne ejus peccati fias particeps: unde mox subjungit præceptum: *Vade, & corripe eum, &c.* Sic explicant *Gl. in c. Si peccaverit*, 2. q. 1. PP. & DD. communiter cum D. August. *serm.* 16. *de verbis Domini*. Textum habes homilia Dominicæ 6. post Pentecosten. Nunc conditiones requisitæ ad hoc, ut quis hoc præcepto obligetur corripere proximum, breviter explicandæ sunt.

§. I. *Si adsit materia sufficiens.*

MAteria sufficiens ad hoc, ut quis sub mortali obligetur corripere proximum, est solum peccatum mortale nondum emendatum, aut ejus committendi grave periculum. *Omnes*. Solum enim peccatum mortale est spiritualis animæ mors, quam velut summam proximi miseriam spiritualem, quilibet ad id idoneus, merito sub gravi culpa tenetur submovere per opportunam correctionem. Et hinc 86

I. Peccata venialia solum nemo non Superior tenetur corrigere, nisi ad summum sub veniali, cum facillime potest: *Communis, Cajet. Valent.* alii cum Laym. *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 7. *n.* 3. Ratio hujus est: Quia lex charitatis postulat, ut quodvis proximi malum, etsi per se sit exiguum, cum facillime, & absque ullo nostro incommodo possumus, submoveamus saltem sub veniali. Sub mortali autem obligari poteris per accidens, quando adverteres venialia proximi per se esse ordinata, ac proximam dispositionem ad mortale, ac probabiliter censeres procedere ex affectu mortali, ut tactus, vel aspectus lascivi, &c. 87

II. At vero Superiores maxime Religiosi, ex officio semper tenentur corrigere etiam venialia subditorum, & quidem etiam sub mortali, si impunitas, & licentia peccandi venialiter nimirum invalesceret, cum notabili damno Religionis, & Religiosæ disciplinæ detrimento. Similis est ratio de Patrefamilias respectu filiorum, ut ex communi notant *Tanner. & Laym. cit.* In particulari tamen cum uno, vel altero in ejusmodi defectu, præsertim occulto, seclusoque aliorum scandalo, dissimulare, merito a graviori culpa excusat cum aliis Dian. *cit. part.* 4. *tr.* 3. *resol.* 71. 88

III. Neque tenetur quis corrigere proximum de peccatis mortalibus, si sciat, vel credat, eum se emendasse, & resipuisse, vel mox se emendaturum, aut ab alio corrigendum, tunc enim, si vel a seipso, vel ab alio emendatus, vel emendandus sit, non est ei necessaria nostra correctio. Addit Laym. *cit. n.* 2. valde probabilem esse sententiam *Gl. in c. Si peccaverit*, 2. *q.* 1. peccatum præteritum, si non sit periculum reiterandi, non cadere sub præceptum correptionis, cum nec ipse pœnitens obligetur statim per pœnitentiam peccatum commissum emendare, secundum communiorem sententiam. 89

IV. De se mortalia, at jam commissa ex ignorantia invincibili non cadunt sub præceptum correptionis, nisi ex eorum commissione grave secutum esset scandalum, aut detrimentum proximi: sed peccata committenda ex ignorantia invincibili corrigenda sunt, maxime si sint contra jus divinum, nisi desperetur fructus, vel majus inde malum sit secuturum: ubi etiam Confessarius quandoque dissimulare 90

lare debet, prout notavimus *tr.* 1. de Conscientia erronea *Sect.* 2. *a num.* 26.

§. II. *Certa notitia peccati proximi.*

91 AD hoc, ut quis teneatur corrigere proximum, requiritur notitia certa, & probabiliter convincens proximum peccasse, vel peccare velle. Nam temerariis judiciis, suspicionibus, incertis rumoribus credendum non est. Multo minus ex professo in aliorum vitam inquirere debet privatus ad finem correctionis, sed solum Superiores, quibus ex officio incumbit vigilare super gregem suum, adeoque etiam dubiis malis occurrere.

92 In dubio ergo, an proximus peccarit, aut peccaturus sit necne, solus Superior per se inquirere debet, & stante etiam dubio, admonere potest: privatus autem per accidens quandoque poterit. 1. Quando peccatum dubium cederet in magnum detrimentum tertii, vel communitatis, ut proditio, hæresis, &c. 2. Quando mors immineret corrigendo. 3. Quando probabiliter putares proximum non ægre laturum, si etiam in dubio moneatur; alioquin res periculosa est: & sæpe etiam magnarum tricarum causa sunt correctiones imprudentes ex dubiis, & incertis indiciis, ut monent DD. *cit.* Additque *Diana* citatus, etiam Superiores non facile debere credere spontaneis delatoribus, nec super hoc in particulari inquirere, nisi alia signa pateant.

§. III. *Spes emendationis.*

93 AD hoc, ut quis teneatur corrigere proximum, necessario requiritur spes probabilis emendationis in correpto, ac fructus correctionis nostræ. Et hinc

94 I. Non tenetur corrigere proximum privatus (aliud est de Superiore, Confessario, Concionatore, quorum officium postulat præstare, quantum præstare possunt) quoties non affulget spes emendationis, vel ullius utilitatis, etiamsi non putetur deterior futurus. *Omnes*; contra unum, quem sciam, *Adrianum*. Nam cessante fine, cessat ratio operandi propter finem: correptionis autem finis est emendatio, & utilitas correpti, qua desperata, frustra adhiberetur illa: quia hoc ipso, quod non prodest, obest correptio; quia facta correptione, non resipiscens gravius peccat, majoremque pœnam sibi adsciscit. Et ratione hujus a præcepto correptionis excusantur ubique personæ non magnæ auctoritatis, ac etiam alii respectu nequitiæ: ut etiam observat *Diana cit.*

95 II. Minus tenetur privatus corrigere peccantem, quando non modo abest spes emendationis, sed etiam prævidetur deterior inde futurus, odio, iracundia, vindicta exarsurus, contempturus, audacius peccaturus. Proverb. 9. *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Quod si tamen corrigendus ad tempus quidem videatur exacerbandus, postea, sedata passione, corrigendus, & melior alia occasio expectari nequeat, omnino corrigendus est, ob majus ejus bonum, interim permisso peccato: quod multo magis verum est, si solum tristitia, vel pudore videatur afficiendus, sed tamen emendandus: juxta illud 2. Corint. 7. *Quoniam etsi contristavi vos in Epistola, non pœnitet, &c. Non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.*

96 III. Quod si dubium sit, an correctio sit profutura, nec ne, dummodo constet, non esse obfuturam, nihilominus adhibenda est: Quia tunc præceptum correptionis de peccato certo est in possessione: & de fructu bono bene sperandum. *Communis apud citt.*

97 IV. Si vere dubium sit, an correptio sit profutura, vel obfutura, an correptus inde deterior futurus, an majus malum secuturum, conferenda est utilitas sperata cum damno timendo, & majus minori præferendum. In æqualitate correptio omnino omittenda: quia tunc major est obligatio præcepti negativi, de non nocendo proximo, quam affirmativi, de ejus bono procurando. Excepto tamen casu extremæ necessitatis, si talis corripiendus in peccato esset moriturus: tunc enim ob imparitatem mali incurrendi præponderat præceptum affirmativum, exemplo Medici corporalis in extrema necessitate licite adhibentis media etiam dubia. *Communis DD. apud Tannerum, & Laym. cit.*

98 In omnibus vero excipiuntur Superiores, quorum officium est corrigere subditos, non solum ex Charitate ad ipsorum bonum, sed etiam ex justitia ad bonum commune, etsi talis correctio sæpe non prosit, sed obsit correpto; ut recte monet etiam *S. Thom. cit. q.* 7. *art.* 7.

§. IV. *Opportunitas.*

AD hoc, ut quis teneatur corrigere proximum, tandem requiritur *opportunitas*, secundum omnes circumstantias personæ, temporis, loci. Ex parte personæ corripientis,

99 I. Requiritur, ut ipse opportune possit, seu prudenti judicio idoneus censeatur ad hic, & nunc corrigendum proximum. Quod si adsit magis idoneus, non tenetur minus idoneus. Ad hoc tamen, ut quis sit idoneus ad corrigendum ex fraterna charitate, non requiritur, ut sit par, vel æqualis corripiendo, quin etiam inferior Superiorem peccantem, positis dictis conditionibus, corrigere potest, & debet: ut ex *S. Aug.* etiam docet *D. Thom. a.* 4. Optime tamen notat ex nostro Gabriele Laym. *cit. cap.* 7. *n* 2. aliter corripiendum esse inferiorem, aliter æqualem, aliter Superiorem. Inferior plerumque increpandus, postea mansuetius hortandus, oleo cum vino in vulnus infuso. *Galat.* 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Æqualis vero amice commonendus. Superior humillime rogandus. 1. *ad Timoth.* 6. *Seniorem ne increpaveris; sed obsecra ut patrem.* Excipe semper, nisi gravitas delicti, malitia, periculum, scandalum, &c. aliud exigat. Lege S. Thom. *lib. citat.*

II. Quamvis munus correptionis proprium sit justorum, 100
juxta illud Psalmi 140. *Corripiet me justus*: ideoque peccator in simili, vel majori peccato constitutus minus idoneus censeatur ad munus correptionis, cui dicitur Lucæ 4. *Medice, cura teipsum*: nihilominus positis conditionibus, in defectum aliorum, etiam peccator tenetur corrigere peccantem, ita tamen ut in ipsa correptione peccatum non appareat; ut quid enim notorius fornicarius, ebriosus, &c. alium forte sic peccantem corripiat? Quin tali dicatur Matth. 7. *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Et certum est, Superiores, cum suis verbo, exemploque ex officio præire debeant, ad finem utilis correctionis teneri per pœnitentiam emendare vitam suam: idque valde probabile etiam de privato, saltem in raro casu, si videat proximum correctione sua gravissime indigere, ut ex *Navar. Valentia, aliis* notat Laym. *cit. c.* 7. *fine.*

III. Quoad corripientem porro requiritur opportunitas ut 101
commode possit corrigere proximum absque suo gravi incommodo, vel periculo. Nemo enim, (nisi superiores, quorum officii est, animas pro ovibus ponere) cum gravi suo incommodo, vel periculo, maxime mortis, tenetur corrigere peccantem, nisi forte in extrema necessitate, si corrigendus esset moriturus in peccato mortali, & correcturus in statu gratiæ; ut probabiliter docent D. Thom. *ar.* 6. *Navar. alii*; sed de hoc *sect. seqq.*

IV. Ex parte personæ corrigendæ denique requiritur op- 102
portunitas loci, temporis, & illarum circumstantiarum, quibus prudenter sperari possit, utiliter corripiendus, & commodior opportunitas alias expectari vix possit, quæ omnia prudenti judicio relinquuntur. An etiam liceat differre occasionem, & correptionem proximi peccantis, ut inde sæpius peccet, & postea efficacius corripiatur, & emendetur, ex hoc præcise capite consultum non est, nisi in casu raro, quando nulla prorsus esset alia spes utiliter corripiendi, & emendandi proximum, præsertim subditum, maxime de gravi, & scandaloso peccato, ut cum aliis etiam notat *Navar. c.* 3. *n.* 13.

COROLLARIUM.

HIs ergo quatuor conditionibus ita explicatis concur- 103
rentibus, quilibet etiam homo privatus idoneus sub mortali obligatur corrigere, vereque mortaliter peccat, & alieni peccati participem se facit, quando scienter, & culpabiliter libere omittit facilem sibi correctionem proximi peccantis. Excusantur autem saltem a mortali, qui aut ob inadvertentiam, aut naturalem passionem timoris, verecundiæ, pusillanimitatis, non advertentes, se ad hoc tam stricte obligari, vel ad hoc minus se idoneos existimantes, correptionem omittunt: ut ex S. Thom. *cit.* notat *Tann. Laym. & alii.* Certum ergo est apud sæcularem privatum non adeo sæpe concurrere omnes conditiones, ut sub mortali obligetur corrigere proximos. At nimis sæpe apud Superiores, tam sæculares, quam Ecclesiasticos, ac Religiosos, quippe sub duplici titulo, & charitatis, & Justitiæ, ratione muneris sui obligatos, ideoque culpabili omissione dupliciter gravissime peccaturos, quin etiam ad restitutionem obligandos, si ex eorum negligentia in corrigendo subditos, aliquod damnum inferatur aliis, ut suo loco probabitur. Sub nomine autem, & obligatione Superiorum etiam comprehenduntur parentes respectu filiorum, Tutor respectu pupillorum, Dominus respectu mancipiorum, servorum, non autem respectu famulorum, operariorum: quos, quia liberi sunt, non ex justitia, sed charitate solum corrigere tenentur: ut notat *Diana p.* 7. *tr.* 3. *resol.* 9. & 31.

ASSERTIO V.

IN correctione fraterna peccati occulti de præcepto, & 104
sub præcepto ex genere suo mortali observandus est ordo præscriptus a Christo Matth. 18. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum,*

rum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Ratio hujus præcepti, & ordinis fundatur in jure naturali de non nocendo proximo, ut nimirum correctio fraterna fiat, quantum potest, cum minimo damno proximi: hoc autem fit servando hunc ordinem præscriptum a Christo: ergo est obligatio eum servandi ex se gravis. Ita communissima cum *S. Thoma c. qu.* 33. contra paucos aliquos, qui volunt eum ordinem solum esse in consilio. Itaque juxta verba Christi pono sequentes regulas.

REGULA PRIMA.

105 *CORripe eum inter te, & ipsum solum.* Quandocumque peccatum proximi est occultum, nec Communitati specialiter perniciosum, nec in damnum tertii cedens, & correctio secreta satis profutura ad emendationem speratur, adhibenda est correctio secreta, &, ea prætermissa, denuntiare Superiori, mortaliter illicitum est. Communissima cum S. Thom. *cit. art.* 8. & ipso D. August. *serm.* 16. *de verbis Domini*. Ratio a Divo Augustino indicata est: *Nam si solus nosti, quæ peccavit in te, non es corrector, sed proditor.* Nimirum: quia omnis injusta infamatio est peccatum mortale: at qui secreta correctione sufficienter posset corrigere, & emendare proximum, eaque omissa, immediate denuntiat Superiori, injuste infamat proximum in materia gravi; ergo peccat mortaliter, *per se loquendo*. Nam si probabile videatur quod correctio secreta nihil, vel non satis profutura sit, quod subsit periculum relapsus, aut maxime, si peccatum cessurum sit in detrimentum Communitatis, aut tertii, in publicum scandalum, &c. jam omissa correctione secreta, licite denuntiatur Superiori, adhuc tamen denuntiatione fraterna, *charitativa*, non judiciali, nimirum Superiori, non ut personæ publicæ, & Judici ad punitionem, sed ut personæ privatæ, & pio patri, qui melius ad emendationem, & efficacius sciat corrigere errantem: quo casu & ipse Superior in terminis correctionis charitativæ sistere debet, nec ad punitionem publicam procedere potest, nisi comperiat correctionem hanc paternam nihil proficere. Quod valde notent indiscreti, & insulsi Superiores. Lege S. Thom. *Quodlibeto* 11. *artic.* 13. Adde etiam casum: cum quis sponte cedit juri suo, ut defectus sui immediate denuntientur Superiori, ut ex Constitutionibus Pontificiis accidit in Societate Jesu. Et etiam nostra Statuta volunt, ut Fratris in itinere delinquentis defectum socii Superioribus denuntient: tunc enim licite fiet; quia volenti, & talem Ordinem scienter suscipienti, non fit injuria. Alias Exceptiones ponam sub regula quarta.

REGULA SECUNDA.

106 *SI te autem non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos &c.* Quandocumque ad correctionem, vel emendationem delinquentis frustra adhibita est correctio secreta, & profutura speratur adhibitio unius, vel alterius testis privati, adhibendi sunt, antequam denuntietur Superiori, ut Personæ publicæ, seu Judici. *Ratio*: Quia correctio fraterna ex charitate ad utilitatem proximi præcepta, fieri debet cum minori, quo potest, incommodo: minus autem ordinarie est incommodum proximi, peccatum suum innotescere, & corrigi coram uno, vel altero privato, quam coram Superiore, ut persona publica, & judice, &c. ergo ad hoc corrigens obligatur, etiam sub peccato gravi, juxta incommodi rationem. Ubi tamen observandum, si peccatum proximi aliquibus sit notorium, illi conscii adhiberi debent testes ad correctionem, ut sine peccato infamationis non possint adhiberi alii inscii. Si vero peccatum omnino sit occultum, & inemendatum cum periculo relapsus, aut damni tertii, vel Communitatis, possunt adhiberi alii, qui non norunt: tum, ut ipsimet observent peccatum fratris; tum, ut, iis adhibitis, peccans efficacius corrigatur: Tum denique, ut peccante in peccato omnino pertinaci, ad Superiorem delato, possint esse testes. *Communis Doctorum apud Tanner. Laym. Dianam citat.* Ratio est: Quia illud aliquale damnum famæ debet cedere majori utilitati spirituali delinquentis, &c. Advertunt tamen DD. *cit.* eo casu, quo adhiberi possunt, & debent testes ignari criminis ad correctionem proximi, apud Regulares ordinarie crimen denuntiari posse ipsi Superiori, ut personæ privatæ, & spirituali Patri, si sit vir vere prudens, discretus, spiritualis, non habens rancorem, seu odium adversus subditum delinquentem (ait ipse S. Thomas Quodlibeto 13.) Rationem dat *Layman*. Quia Prælatus, ut spiritualis pater præsumitur magis idoneus ad fratrem juvandum, quam alii: neque decet, ut alii in Congregatione crimen fratris resciant, & de eo loquantur; & is, ad quem ex officio pertinet, & melius juvare posset, ignoret.

REGULA TERTIA.

QUod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: Hoc est, Superiori, seu Rectori Ecclesiæ, vel Communitatis. 107
Quandocumque frustra adhibita est correctio privata, aut etiam coram testibus, crimen proximi, etsi occultum, sed inemendatum manens, denuntiandum est Superiori tanquam *Patri spirituali* primario, & per se, & secundario solum, ac per accidens, *ut Judici*: ad hoc nimirum, ut crimen denuntiatum ab eo paterne, & secreto corrigatur; & si frustra sit, debito modo judicialiter puniat. *Communissima cum Sancto Thoma artic.* 8. Ratio patet: Quia tenemur ex Charitate succurrere proximo in miseria, maxime spirituali constituto, quantum possumus: atqui in proposito nullum superest medium juvandi proximum, nisi denuntiatio ad Superiorem: & illa aliqualis apud Superiorem infamatio dicitur cedere majori bono spirituali proximi a peccato emendandi. Unde (ut jam supra innui) ex hac sola denuntiatione charitativa, & secreta peccati, Superior nullo modo potest procedere ad pœnas ordinarias, neque crimen denuntiatum publicare in Capitulo; sed tenetur errantem in secreto corrigere, admonere, & juvare modis opportunis, dummodo peccatum fateatur, & obedire velit. Si autem peccatum omnino neget, aut obedire nolit; siquidem peccatum occultum nemini perniciosum sit, nec periculum relapsus subsit, cessandum erit: si vero perniciosum sit Communitati, vel tertio, (prout certe in Religionibus est peccatum carnis cum complice, maxime extranea, &c.) procedendum erit ad testes, signa, indicia inquirenda, & cætera juxta ordinem juris.

REGULA QUARTA.

PRædictus ordo charitatis fraternæ servandus non est in his maxime casibus. 108

I. Quando peccatum est publicum, notorium, scandalosum in aliqua Communitate. Tunc enim publice urgendus est reus, si quis ad hoc idoneus putetur, aut immediate Superiori denuntiandus. Quo sensu præcipit Apostolus 1. Timoth. 2. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Quæ verba *D. August. Serm.* 16. *de verbis Domini*, conferen. cum verbis Christi: *Corripe eum inter te, & ipsum solum:* ait: *Corripienda ipsa sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus, ipsa vero corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. Distribuite tempora, & concordate Scripturas.*

II. Quandocumque peccatum est perniciosum Reipublicæ, aut contagiosum, ut proditiones, conspirationes, hæreses, in Religionibus etiam fornicationes, aliaque peccata carnalia, maxime facta cum complice extranea, &c. si secreta admonitione corrigi nequeat, quisquis sit, & sibi credendum fore existimat, tenetur sub mortali denuntiare Superiori, vel ei, ad quem spectat tale malum avertere. *Omnes*. Quia ex ordine charitatis bonum commune præferendum est malo privato; & consequenter etiam aversio mali communis aversioni mali privati. Similiter, quando peccatum cedit in detrimentum tertii, quod detrimentum præponderet malo aliquali peccantis apud Superiorem incurrendo, & secreta admonitione præveniri non possit, immediate denuntiandum est Superiori, aut illi ipsi tertiæ personæ, ut sibi caveat, intimandum: hoc enim postulat ratio charitatis, nec teneor proximi nocentis servare famam cum tertii detrimento, vel Communitatis. 109

III. Quandocumque proximi peccatum mortale inemendatum manet, & secreta admonitio, vel etiam testium adhibitio inutilis omnino videtur; immediate denuntiandum erit Superiori, modo jam dicto regula prima, & tertia. Nam opus est, ut bonum proximi procuretur per media magis efficacia, ubi minora ad effectum inutilia sunt: neque Christus præcepit eum ordinem correctionis debere servari inutiliter. *Communissima apud DD. citatos.* 110

IV. Quandocumque quis potest licite peccatum proximi denuntiare Superiori, etiam sub mortali tenetur denuntiare, quando legitime interrogatur, maxime præcepto Superioris. Quando vero proximi peccatum occultum non potest licite denuntiare, etiam accedente Superioris mandato, illicitum manet. Communis cum S. Thoma *q.* 33. *a.* 7. *ad* 5. *Navar. Sylv. Sanchez* alii cum Laym. *lib.* 3. *de justit. tract.* 3. *par.* 2. *c.* 4. *n.* 8. Unde nullus licite potest denuntiare Superiori interroganti peccatum occultum proximi, si firmiter credat, eum omnino jam se emendasse, nec esse periculum relapsus: tunc enim cessat finis præcepti, & servanda est fama fratris, ut cum *Navar.* notat Laym. *citat. corollario* 1. E contra vero Marchant. hic *tr.* 2. *tit.* 4. *sect.* 2. *q.* 1. *in corollario*, merito invehitur in perfidiam, & abominandam charitatem aliquorum, qui peccata aliorum vergentia in damnum, vel scandalum Communitatis, Religionis, & aliorum, etiam inquisiti, verbi gratia in visitationibus, celant, ne peccans aliquod famæ dispendium, aut pœnam incurrat; cum certissima regula sit in intimis 111

mis charitatis, & legis naturæ visceribus firmata, *sub peccato mortali præferri debere bonum commune bono particulari*.

COROLLARIUM.

112 Ex dictis patet de cæteris quoque operibus Misericordiæ, & Charitatis spiritualibus. Nam: *Docere ignorantem, consulere dubitanti, corrigere errantem*, liquido spectant ad correctionem fraternam, & in materia ad salutem necessaria, nimirum peccati mortalis, obligant idoneum sub mortali, ob rationem sæpius repetitam. *Remittere injuriam*. Qua ratione quis tenetur, late dictum *Tr. 2. cap. 6. sect. 2. Solari mæstos, supportare onerosos, pro omnibus orare*, &c. positive loquendo, consilia potius sunt, quam præcepta Charitatis. Patent etiam omnia peccata externa omissionis contra charitatem, & misericordiam, tam in corporalibus, quam in spiritualibus. Quorum præcipua capita sunt, *omissio eleemosynæ*, vel cujusvis beneficii corporalis in necessitate proximi, & *omissio correctionis fraternæ*, & cujusvis auxilii spiritualis in necessitate proximi debito tempore, circumstantia, &c. exhibendi. Cæterum peccata externa commissionis contra charitatem proximi, utpote læsio proximi in bonis animæ, vitæ, famæ, fortunæ, &c. sunt necessario etiam peccata contra justitiam. De quibus in Tractatu 5. per totum Caput quintum.

SECTIO IV.

De Ordine Charitatis.

SUMMARIUM.

113 *Qualis ordo servandus in diligendo proximo*, usq; ad 116.
116 *Post Deum, cæteris paribus, homo tenetur magis diligere seipsum, quam proximum æqualem.*
117 Usque ad num. 120. *Cæteris disparibus, tria observanda sunt*. 1. Quantitas necessitatis. 2. Quantitas boni necessarii, & 3. Conjunctio personæ.
120 & 121 *Ordo Charitatis quoad bona spiritualia.*
121 Usque ad num. 125. *Ob nullam causam potest homo velle peccatum, carere gratia, vel beatitudine.*
125 *Quoad bona spiritualia ad salutem necessaria tenetur homo plus diligere proximum, quam seipsum quoad bona temporalia.*
126 Usque ad num. 129. *resolvuntur, & excipiuntur varia.*
129 *Casus notabilis de Saga confitente se plures infantes baptizasse in nomine diaboli.*
130 *Ordo Charitatis quoad bona temporalia.*
131 Usque ad num. 135. *an, & quando liceat vitam corporalem exponere pro vita corporali proximi.*
135 *Inter proximos plus diligendi sunt magis conjuncti.*
136 *Primo magis conjuncti conjunctione spirituali.*
137 *Secundo magis conjuncti conjunctione carnali.*
138 *Ordo inter conjunctos carnaliter, servandus.*

113 Charitas divina in diligendis objectis suis adeo inæqualibus necessario exigit, & servat ordinem aliquem juxta illud Sponsæ Canticorum 2. *Ordinavit in me Charitatem*. Et Salvator ipse *Matth. 22.* assignans præcepta Charitatis, præceptum dilectionis Dei vocat primum mandatum, præceptum vero dilectionis proximi vocat. *Secundum autem simile huic, &c.* At ubi est primum, & secundum, ibi est ordo. De ordine vero servando hic agendum: & necessario,

114 *Prænotandum*. Charitatis, seu dilectionis proximi duplex est actus, vel affectus: *Complacentiæ, & desiderii*: Amor, & affectus complacentiæ dicitur, quo proximo volumus bonum jam habitum, ei complacendo, gratulando. Et hic amor hunc solum requirit ordinem, ut magis diligantur ii, qui meliores, sanctiores, Deoque similiores existunt, ideoque magis cultu, reverentia, honore, & amore afficiendi. Qua etiam ratione magis diligendi sunt parentes, quam liberi: Benefactores, quam ii, quibus benefacimus, &c. Quia nimirum majorem illi cum Deo similitudinem habent, quam isti. In hoc nulla controversia, vel difficultas. Amor, vel affectus desiderii est, quo proximo volumus, vel desideramus bonum nondum habitum, cui respondet charitatis actus externus beneficentiæ, qua ex charitate prompti sumus proximo etiam benefacere corporaliter, vel spiritualiter, cum opus est, & facultas adest, juxta hactenus late dicta. Et quoad hunc ordinem esto

ASSERTIO IV.

115 *Charitatis ordo essentialis, & universalis est*, ut primo *diligatur Deus*: secundo *nos ipsi*: & tertio *proximus*: & uterque prius *quoad animam*, postea *quoad corpus*, & tandem *quoad temporalia*. Sed clarius, & distinctius. Ordine Charitatis post Deum super omnia diligendum, cæteris paribus, quisque tenetur diligere. 1. *Seipsum secundum bona spiritualia*. 2. *Proximum, quoad eadem bona spiritualia*. 3. *Seipsum quoad bona corporalia*. Tandem *seipsum*, & ultimo *proximum quoad bona temporalia externa*. In imparitate autem tria potissimum observanda sunt. 1. *Quantitas necessitatis*. 2. *Qualitas boni necessarii*. 3. *Conjunctio personæ*. Communissima Doctrina cum S. Th. sæpe cit. q. 26. Ratio Theologica fundamentalis sumitur ex modo participandi rationem formalem diligendæ Charitatis Theologicæ, quæ est bonitas divina. Cum enim hæc bonitas per se formaliter, & essentialiter solum insit ipsi Deo, nobis autem, & proximis tantum participative, quatenus ad imaginem Dei creati divinæ ejus bonitatis per Beatitudinem participes esse possumus: & ulterius eadem bonitas divina, ut mihi participata, quasi vicinior, & intensior est, quam ut participata proximo meo, hinc ordo Charitatis naturalis exigit, ut primo per se irreferibiliter, & super omnia diligatur Deus tamquam per se summe bonus: secundo vero diligat quis seipsum quatenus particeps est, & esse potest bonitatis divinæ, ac principaliter æternæ beatitudinis: tertio denique diligamus proximum, quatenus sic nobiscum est, & esse potest participes ejusdem divinæ bonitatis. Quia vero ejus bonitatis, & beatitudinis sola anima per se particeps esse potest, corpus vero solum per accidens, per dotes ex animæ beatitudine redundantes, consequens est, ut tam in nobis, quam in proximis prius, & potius diligatur anima, quam corpus. Unde DD. communiter cum S. Augustino *lib. 1. de Doctrina Christiana c. 23. 26. 27.* Quatuor assignant ex Charitate diligenda. 1. *Quod est supra nos, Deus*. 2. *Quod sumus, nos ipsi*. 3. *Quod juxta nos, proximus*. 4. *Quod infra nos, corpus nostrum*. De primo: scilicet Deo diligendo super omnia, jam late dictum est in primo præcepto cap. 5. toto. Solum hic agitur de ordine Charitatis inter nos, & proximos servando, & quidem in paritate necessitatis, ac bonorum res liquida, & facilis est, ac

REGULA UNIVERSALIS, ET CERTISSIMA.

Post Deum super omnia dilectum, & cæteris paribus quoad necessitatem, & æqualitatem boni necessarii, omnis homo tenetur magis amare seipsum, quam proximum æqualem. Omnes. Ratio Theologica jam data est, & sumitur ex ipsis verbis præcepti divini. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Ubi velut Regula, & exemplar dilectionis proximi constituitur amor erga seipsum. *Regula autem prior, & potior est, quam regulatum*, ait *D. Thom. quæst. 26. art. 4.* ergo prior, potior, magisque a Charitate intentus est amor erga seipsum, quam amor in proximum, saltem æqualem, propter infra dicenda. Unde sunt illa vulgata: *Charitas incipit a seipso. Proximus sum egomet mihi. Qui sibi nequam, cui bonus? &c.* Ecclesiastici 14. Sed dixi: *cæteris paribus*: nam in imparitate necessitatis bonorum, & conjunctionis tria illa potissimum semper observanda sunt. 116

I. *Quantitas necessitatis.*

Nimirum major necessitas semper præferenda est minori, extrema gravi, gravis communi: idque independenter a qualitate boni necessarii, vel conjunctionis personæ. Ita scilicet, ut extrema, vel gravissima necessitas proximi corporalis præferatur minori necessitati nostræ propriæ, vel proximi, etiam in spiritualibus bonis: extrema, vel gravissima necessitas spiritualis, vel corporalis cujusvis etiam extranei præferatur minori necessitati propriæ, vel conjunctæ personæ: sic de cæteris. *Ratio est*: Quia totum fundamentum, & finis præcepti Charitatis, qua tenemur proximo bene velle, & benefacere, est sublevare necessitatem; ergo in ordine Charitatis ante omnia primo attendenda est quantitas necessitatis sublevandæ. 117

II. *Quantitas boni necessarii.*

Supposita jam æquali, vel quasi æquali necessitate, ordo Charitatis immediate respicit qualitatem boni necessarii, quod nobis ipsis, & aliis velle, vel facere debemus: Quod triplex est: *Spirituale*, gloria, gratia, virtus, &c. *Corporale*, vita, salus, sanitas, & ad hæc requisita. *Et temporale externum*: fama, honor, opes, seu bona fortunæ: ita nimirum, ut in æquali necessitate bonum spirituale semper præferatur bono corporali; & hoc bono externo temporali: idque adhuc independenter a personæ conjunctione: supposita enim æquali necessitate extrema, v. g. potius curandum est bonum spirituale proximi cujusvis, quam bonum corporale, vel temporale proprium vel personæ conjunctissimæ, & sic in cæteris, ut mox patebit amplius. 118

III. Con-

III. Conjunctio Personæ.

119 Supposita eadem, vel simili necessitate, & in eadem qualitate boni necessarii, ordo Charitatis tandem respicit personam, vel personæ conjunctionem, ut nimirum tunc quisque sibi ipsi ante omnes alios, juxta regulam generalem supra datam; deinde aliis magis conjunctis prius, juxta rationem graduum conjunctionis, quam cæteris, succurrat. Quæ conjunctio itidem triplex est: *Spiritualis*, *Carnalis*, *& Civilis*. Atque in his valde bene notandis consistit totum fundamentum ordinis Charitatis. Attamen pro applicatione ad casus, sane difficiles, ac intricatos, in gratiam tenuiorum, pono sequentes Regulas speciales.

REGULA I.

120 *Ordine Charitatis, quoad bona spiritualia necessaria ad ultimum finem, ut est immunitas ab omni peccato, gratia Dei, & ipsa beatitudo, omnis homo tenetur magis amare seipsum, quam omnem simpliciter proximum in communi, & in particulari, quoad ulla bona spiritualia, vel corporalia*. Omnes cum Sancto Thoma cit. art. 4. & D. Augustin. supra allegato. Docetque expresse Christus Matth. 16. *Quid enim prodest homini; si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Et hinc resolves.

121 I. Ob nullam prorsus causam, etiam salutis totius mundi, potest homo velle peccatum, non tantum mortale, sed etiam, vel levissimum veniale. Quia nimirum implicat contradictionem, ullum peccatum, in ullo casu fieri licitum: & Charitas inclinans in ordine suo principaliter ad amandum Deum super omnia, in nullo casu potest inclinare ad offensam Dei, vel aliquid repugnans, aut displicens Deo: omne autem peccatum, etiam levissimum veniale repugnat, vel displicet Deo: neque hic locum habet illud, *ex duobus malis minus est eligendum*: Cum omnium malorum gravissimum sit peccatum proprium.

122 II. Ob nullam simpliciter causam potest etiam homo ad tempus velle carere gratia Dei, vel beatitudine cum peccato. *Ratio est eadem*: quia nimirum repugnat Charitati per se inclinanti ad amandum Deum super omnia, vel aliquando non esse conjunctum Deo, vel separatum a Deo per privationem gratiæ, vel peccatum. At vero licite potest quis velle ad tempus, carere beatitudine, eamque differre sine peccato, exemplo Apostoli ad Philippenses 2. *Coarctor e duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, &c. Permanere autem in carne necessarium propter vos*. Uti & alia bona spiritualia, quæ sub præceptum non cadunt, vel ad salutem necessaria non sunt, licite, & meritorie possunt, immo aliquando debent differri vel omitti, ob gravem necessitatem, vel utilitatem proximi, maxime Communitatis, spiritualem, vel corporalem, v. gr. ingressus Religionis, orationes, contemplationes, peregrinationes, &c. *Ratio est*. Quia tunc ipso ordine Charitatis majus, ac magis necessarium bonum proximi præferendum est bono proprio minus necessario: quale est & ipsa beatitudo, ut citius obtinenda.

123 III. Ob nullam causam, etiam salutis totius mundi, licet absoluta voluntate velle carere perpetuo æterna beatitudine, etiam posito, quod ea carentia sine omni peccato stare possit. Quia hoc multo maxime repugnat Charitati diligendi Deum super omnia, vel ipso æternum carere. Et licet ea carentia sine peccato stare posset, tamen objective mala est, ut homicidium involuntarium; quod proinde numquam velle licet. Sed dixi: *absoluta voluntate*. Nam

124 IV. Velleitate simplici, conditionata, si nimirum Deus vellet, si ei placeret, ad ejus gloriam faceret, liceret velle, etiam carere Beatitudine, præsertim ad majus bonum salutis animarum. Talis enim conditio addita purgat actum, immo esset actus heroicus Charitatis tam erga Deum, quam proximum. Et hoc sensu applicanda videntur illa verba Moysis Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*. Et illud Apost. ad Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*. Intelligenda nimirum sunt, aut conditionate, *si ita Deo placeret*: aut per exaggerationem, quomodo solemus dicere; *potius me occide, quam ut hoc facias*. Adde ex Vasquez 1. *par. qu.* 24. *art.* 3. Verba Moysis intelligi posse de libro Principum Israel, & non de libro Prædestinationis. Et verba Apostoli referri posse ad tempus præteritum sui Judaismi, quo ex zelo indebito, & amore in Judæos suos, persequebatur Christum, & Ecclesiam.

REGULA II.

125 *Ordine Charitatis, quoad eadem bona spiritualia necessaria ad salutem, & ultimum finem, tenetur homo magis amare proximum, quam seipsum quoad bona corporalia, utpote vitam, sanitatem corporis, &c. & consequenter multo magis, quam quoad bona temporalia æterna*. Communissima cum S. Thoma cit. quæst. 36. art. 5. & D. August. lib. 1. de Civitate cap. 27. Atque adeo proximo in extrema necessitate spirituali constituto, dum nimirum versatur in certo periculo æternæ damnationis, ex quo sine discrimine aliquis eripi non possit, tenetur homo idoneus succurrere cum certo periculo vitæ, si nimirum sit spes æque certa eum juvandi, & aliunde majus incommodum non timeatur. Item communissima cum *D. Thom. citat.* Constat ex verbis Christi Joan. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Explicatur 1. Joan. 3. *In hoc cognovimus Charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Hinc *D. August. lib. de mendacio cap. 6.* ait: *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere*. Idem significant Scripturæ, & SS. PP. passim. Et sine dubio obligatorie, saltem de extrema necessitate salutis proximi intelligenda sunt. Ac insuper aliqua sunt advertenda.

I. In tali extrema necessitate censentur constituti, & 126
cum vitæ periculo juvandi sunt: 1. Infantes alioquin sine Baptismo morituri: juxta communem DD. *Navar. Val. Suar. Tanner.* alii cum Laym. *lib. 2. de Charitate tract. 3. cap. 3. num. 3.* 2. Multi infideles apud Indos, v. gr. maxime invincibili fidei Christianæ, & necessariorum ad salutem ignorantia laborantes, ut notavit etiam Navarr. *cap. 24. Manualis num. 10.* 3. Populus rudis, cum inter eos hæresis occulte spargitur. Ex communi Tannerus *disp. 2. t. 3. q. 3. dub. 4. n. 61.* Excipe tamen cum Diana *par. 3. tract. 5. resol. 50.* Nisi seducti vincibili, & culpabili errore, vel ignorantia laborent: tunc enim nemo nisi proprius Pastor cum periculo vitæ subvenire obligabitur. 4. Peccatores notorii in articulo mortis adeo rudes, ut nesciant elicere contritionem, de quo si constet, tenebitur quis etiam simplex Sacerdos cum periculo vitæ succurrere Sacramento absolutionis: alioquin si sciant conteri, rursus nemo, nisi Pastor, tenetur. Ex communi *Navar. & Diana cit.* At vero ex deliberata desperatione seipsos suspendentibus, submergentibus, &c. nemo cum periculo vitæ tenetur succurrere, cum non sint in extrema necessitate, sed potius malitia, ut ajunt DD.

II. Dicta obligatio semper intelligenda est cum iis condi- 127
tionibus supra insinuatis. 1. Dummodo sit spes certa juvandi: alioquin si spes nulla, vel incerta sit, non teneberis succurrere cum certo tuæ vitæ periculo. 2. Nisi aliunde majus incommodum sequeretur: nam si tua opera aliis pluribus, toti communitati necessaria est, v. g. tempore pestis, persecutionis, &c. nec teneberis, nec poteris pro unius tantum salute vitam tuam exponere. 3. Salva salute propria. De vita enim corporali sermo est, nam vitam spiritualem animæ nemo tenetur, nec potest periculo exponere pro salute alterius, ut ex præcedenti Regula constat. Hinc qui est in statu peccati mortalis, nec potest commode sibi procurare statum gratiæ (ad quod certe tenetur, si possit) non tenetur se exponere periculo vitæ pro salute proximi in quacumque necessitate; cum ordine charitatis in extremo periculo magis, & citius teneatur quis providere sibi, quam proximo. 4. De necessitate extrema tantum sermo est; nam in sola gravi necessitate spirituali proximi nemo tenetur cum proprio periculo vitæ succurrere, nisi Pastor sit. *Ratio est*: quia nimis durum, & contra Domini nostri suavitatem esset urgere fidelem ad amittendam vitam, (immo & alia vitæ bona, famæ, vel fortunæ) ob necessitatem, ex qua se se ipsemet proximus, etsi magna cum difficultate, liberare potest. Nam propterea ad meretricem, vel peccatorem convertendum, non tenemur cum gravi incommodo nostro, quia ipsi per se converti cum suo conatu possunt cum gratia Dei, quæ facienti, quod in se est, nunquam non præsto est. Et nota: Etiam in extrema necessitate spirituali, v. g. infantem moriturum baptizare neminem, qui non sit proprius Pastor, teneri cum certo vitæ periculo, non omnino improbabiliter *ex Soto, Sa*, aliisque docet *Joan. Sanch.* approbante Tambur. *lib. 5. Decal. cap. 1. de Charitate proximo debita* §. 2. *a num.* 8. Ubi etiam nititur solvere rationes pro communi sententia *a Castro-Palao* allatas. Vide, si placet: ego a communi sententia non recedo.

III. Semper ergo sermo fuit de obligatione ex charita- 128
te tantum. Plus enim requirit obligatio justitiæ. Nam Pastores spirituales, Episcopi, Prælati, Parochi ex officio curam animarum habentes, adeoque ex justitia obligati ad prospiciendum saluti sibi commissorum, non tantum in extrema, sed omnium consensu, etiam in gravi necessitate spirituali tenentur suis opem ferre: etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis; juxta illud Joan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis: Mercenarius autem fugit*. Unde Pastores Animarum tempore persecutionis Fidei, (de quo alibi,) tempore pestis non possunt fugere, vel tunc officium deserere, sed tenentur eis etiam cum periculo vitæ Sacramenta neces-

feria ministrare, nisi alium idoneum substituant, quod licite posse, & egre ferre non debere subditos, recte docent, *Valentia*, *Capeavilla*, *Tannerur citat. numer.* 65. alii cum *Laym. citat.* Ratio est, quia Pastores ob hoc ipsum maxime, dato stipendio conducuntur, & aluntur, ut in necessitate spirituali eis subveniant: ideoque non magis licet eis fugere, quam militibus ad bellum conductis, hoste imminente. Ubi tamen iterum servandæ sunt conditiones supra positæ, *si nimirum spes fructus adsit, & majus incommodum non sequatur*. Cavere enim docet eo casu Pastor, ne ob unius salutem imprudenter se periculo vitæ exponat, & plures alii ex illius occubitu graviorem jacturam spiritualem patiantur. Unde non facile debet administrare Sacramenta non necessaria ad salutem, sive secundum se, ut est Extrema Unctio, sive respectu personæ, quippe quam ex nuper habita confessione credit non esse in statu peccati mortalis, vel alias per contritionem bene dispositam esse, &c. vide *Doctores citat.*

129 IV. Dicta de obligatione ex officio, pariter intelligenda sunt de obligatione ex delicto, utpote cum quis grave damnum spirituale proximo intulit, (præsertim in materia hæresis) cum certo, vel probabili periculo æternæ damnationis; is enim etiam cum periculo vitæ damnum resarcire tenebitur. En casum singularem non rarum in Germania, sed difficilem. Saga obstetrix confitetur Sacerdoti, se quadraginta circiter infantes baptizasse in nomine Belzebub, Zabulon, Astaroth, postea a Parocho non rebaptizatos: modo vero partim mortui sunt, partim per varia loca dispersi, ut nullus sit modus significandi illis defectum Baptismi, nisi mulier se prodat Magistratui, adeoque extremi supplicii, & certo vitæ periculo se exponat. Quid hic agendum Confessario? Respondet Laym. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. Quod confessarius in primis mulieri debeat explicare enormem gravitatem peccati sui, & damnum gravissimum animabus illatum; deinde inducere ad renuntiandum diabolo, & concipiendum firmum propositum imposterum abstinendi ab ejusmodi sacrilegiis, & satisfaciendi, atque prestandi ea, ad quæ Confessarius eam obligatam esse judicaverit: si hæc omnia promittat; eamque alias sufficienter dispositam judicaverit, absolvenda erit. Deinde vero conari debet Confessarius excitare in illa desiderium plene satisfaciendi, & reparandi ingens damnum spirituale, quod innocentibus intulit; adeoque libenter sustinendi extremum supplicium pro suæ, & aliarum animarum salute, seque ipsam ad hoc offerendi. Et sane absolute loquendo, ad hoc non tantum ex Charitate, sed etiam ex justitia videtur obligata, cum ipsa homines illos innocentes in discrimen salutis per summam injuriam conjecerit. Quod si autem advertat Confessarius, fœminam, natura infirmam, ab hoc tam heroico facto omnino abhorrere conspiciat, non instet amplius urgere, v. gr. dicendo: *aliter salvari non posse*; sed contentus esse poterit proposito imposterum emendandi. Tum, quia ejus periculum mortis est certissimum, aliorum periculum salutis non ita certum: cum Dei ope per contritionem salvari possint. Tum etiam, quia mulier in hoc casu de se non agnoscit obligationem tantam seipsam ad mortem offerendi: docere autem sic probabiliter ignorantem in re omnino non certa, cum tanto discrimine, non videtur consultum. Ita sapienter *Laym.* Quem sequuntur Recentiores, etiam Diana *par.* 3. *tr.* 5. *resol.* 51.

REGULA III.

130 *ORdine Charitatis quoad bona corporalia, seu vitam, & salutem corporis quilibet debet magis amare seipsum, quam proximum æqualem, cæteris paribus: atque adeo nullus tenetur vitam corporalem certo periculo exponere pro sola vita corporali proximi, minus sponte amittere*. Ita omnes juxta dicta Regulæ I. Et ipse D. August. lib. de mendacio ad Consentium cap. 6. *Si quis pro alterius temporali vita suam ipsam temporalem perdidit, non est jam diligere illum, sicuti seipsum, sed plus quam seipsum*; quod sanæ doctrinæ regulam excedit. At, quid de licito?

131 I. Multorum gravissimorum DD. Sententia est, intuitu amicitiæ, honestum, & laudabile esse vitam corporalem pro vita corporali amici exponere. Ita ipse D. Th. *in* 3. *dist.* 29. *qu.* 1. *art.* 5. & rursus in Summa 2. 2. *q.* 26. *art.* 4. *Bannes*, *Arragonius*, *Victoria*, *Valentia*, *Molina*, alii cum Lessio *lib.* 2. *de just. cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 29. & sequentibus. Favet illud Christi: *Joann.* 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Et ratio datur. Quia honestas virtutis amicitiæ majus bonum est, quam vita corporalis; adeoque qui motivo honestatis amicitiæ pro amico vitam exponit, proprium majus bonum præferendo minori, adhuc magis diligit seipsum, quam proximum.

132 II. Contra tamen: Non solum neminem teneri, sed neque licere corporalem vitam exponere, vel amittere ob solam vitam corporalem amici, post D. August. *loc. cit.* docet communis Recentiorum, post Navar. aliis citat. *Laym. cit. c.* 3. *num.* 4. Ratio est: quia si virtus, & ordo Charitatis dictat, ut propriam vitam quis præferat alienæ, ut omnes concedunt, sequitur, nullam virtutis, & honestatis rationem esse contrarium agere, & sic ruit fundamentum oppositæ sententiæ. Dixi autem: *Pro sola vita corporali*. Licebit enim vitam exponere corporalem pro vita corporali proximi, si ejus morti annexa esset mors spiritualis animæ: v. gr. ad impediendam æternam damnationem injusti aggressoris tui, quem jure occidere posses, potius permittere propriam mortem corporalem abundantioris Charitatis opus est; *ex communi doctrina in Materia de homicidio*. Dictum etiam erat ab initio: *Quam proximum æqualem, seu privatum*. Nam

III. Pro salute Personæ publicæ, ex qua multum dependet bonum commune, sicut & universaliter, pro bono communi totius Reipublicæ, Ecclesiasticæ, vel sæcularis, vitam propriam exponere non solum honestum, laudabile, sed etiam debitum in extrema necessitate Reipublicæ. Regula enim universalissima est: Bonum commune præferendum esse bono privato, & maxime locum habet, quoad corporalia, vel temporalia. Etenim bonum quanto universalius, tanto etiam est dignius, & majus. Et pars naturaliter plus diligit totum, quam seipsam, adeoque sicut in naturalibus una pars se periculo exponit pro servando toto corpore, ita & membrum Reipublicæ pro servanda salute totius Reipublicæ periculo se exponere tenetur. *Sic DD. communiter cum S. Thoma citat.* Unde multo magis teneberis pro bono communi Reipublicæ in extrema, vel gravissima necessitate conservando, exponere bona externa temporalia tua omnia, si necessitas sic exigat, ut te praxis bene docebit. 133

IV. Verum hic iterum contrarius *Joann. Sanchez* apud Tambur. cit. §. 1. num. 4. sic habet: *Immo nec ob conservandum bonum commune, adstringi quem propriam exponere vitam reor: est namque jus propriam tuendi vitam adeo strictum, quod a nullo jure conservandi alienas vinci possit. Miles vero murum occupare cum periculo vitæ tenebitur ratione pacti, & pecuniæ acceptæ*. Sic ille. Tandem Regula data est quoad bona corporalia tantum: Nam quoad bona temporalia externa fortunæ, vel famæ, quia eorum homo dominus est, ut de iis libere disponere possit, extra casum necessitatis propriæ, vel alienæ, non est servanda, sed, se neglecto, proximo cuivis largiri potest. Qualiter autem etiam teneatur homo propria bona temporalia largiri ad succurrendum extremæ, gravi, communi necessitati indigentis proximi, late explicatum habes *Section.* 2. *de eleemosyna per totam*. 134

REGULA IV.

ORdine Charitatis post Deum, & seipsum, in paritate necessitatis, bonique necessarii inter proximos magis, diligendi sunt, qui nobis magis conjuncti sunt juxta triplicem conjunctionem, spiritualem, carnalem, & moralem, seu civilem. Certum apud omnes. Significat Script. Galat. 6. *Operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos Fidei*. 1. Timot. 5. *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. Itaque in hoc conjunctionis ordine ita procedendum est. 135

I. Conjuncti nobis ratione conjunctionis, cæteris in amore præferendi sunt secundum illa tantum bona, in quibus conjunctio, vel amicitia fundatur: quia communicatio bonorum est fundamentum amicitiæ, & Charitatis. Unde conjuncti nobis conjunctione spirituali fundata bono spirituali gratiæ, præferendi sunt cæteris in bonis spiritualibus tantum; unde majora spiritualia, & subsidia debemus velle, & cum opus est, præstare Patribus, filiis, fratribus spiritualibus, quam carnalibus. Conjuncti vero conjunctione carnali fundata in natura, præferendi sunt cæteris omnibus quoad bona pertinentia ad naturam, & vitam corporis: unde cæteris paribus in his magis subveniendum est Patri, filio, fratri carnali, quam spirituali tantum. Conjuncti vero conjunctione civili, & morali tantum, fundata in humana societate, & communicatione civili, præferendi sunt cæteris solum in rebus pertinentibus ad communicationem civilem. Sic concivi, comilitoni, domestico in rebus ad eam commutationem pertinentibus, potius succurrendum est, quam aliis extraneis. 136

II. Nihilominus conjunctis spiritualiter tantum, non tantum in necessitate corporali, sed etiam in necessitate spirituali extrema, præferendi sunt conjuncti proximi conjunctione carnali, parentes, filii, fratres, sorores, maritus, uxor. Communis cum S. Thoma *quæst.* 26. *artic.* 7. & 8. Tanner *cit. dub.* 5. *num.* 77. Laym. *cit.* Ratio est: quia conjunctio carnalis proxima ad patres, filios, fratres, &c. etiam fundatur in bonis spiritualibus, & est fundamentum, ac basis conjunctionis spiritualis, eaque suapte natura prior, & stabilior. Gratia enim charitatis non destruit 137

destruit inclinationem naturæ, sed perficit, atque ad finem supernaturalem dirigit: ergo conjunctio carnalis proximi naturali inclinatione omnibus aliis præferenda quoad necessitates corporales, & adveniente gratia charitatis, etiam omnibus aliis præferenda est quoad bona spiritualia. Notant tamen *DD. cit.* hunc ordinem quoad spiritualia transgredi non esse grave peccatum, esse autem mortale transgredi quoad corporalia: sub mortali enim tenetur homo in extrema necessitate potius succurrere corporaliter patri carnali, quam spirituali, & sic de filiis, & fratribus proportionaliter.

138 III. Inter conjunctos carnaliter in extrema necessitate corporali, vel spirituali, ante omnes subveniendum est Patri. *Secundo*. Matri. *Tertio*: filiis. *Quarto*: conjugi: deinde fratribus, sororibus, cæterisque consanguineis, & affinibus juxta ordinem graduum. Communissima cum D. Thom. *citat. art.* 9. & ipso Magistro in 3. *dist.* 29. Ratio est: Quia ordo Charitatis in conjunctos debet sequi ordinem conjunctionis magis, vel minus excellentis: atqui hic prima, & excellentissima conjunctio est erga parentes, qui nobis existendi causa, & principium fuerunt. Unde æquitas postulat, ut in extrema necessitate eos ab interitu ante omnes alios liberando, eis velut vicem reddamus: & quidem patri prius, & potius quam matri, quia ille & priorem, & excellentiorem principii locum, & ordinem obtinet, quam mater; ut etiam notat D. Hieron. *in cap.* 44. *Ezech.* & ex eis *S. Thom.* Secunda maxima conjunctio vico versa est parentum ad filios tamquam aliquid sui existentes. Tertia porro maxima est conjunctio conjugis ad conjugem, quippe qui per commercium conjugale facti sunt una caro. Hos sequuntur aliæ conjunctiones juxta gradus suos.

Extra casum extremæ necessitatis, quoad obsequia communia, & necessaria in bonis spiritualibus, & corporalibus, ordo omnino invertendus est. 1. Uxor præferenda est parentibus, & filiis, cum qua scilicet maritus fit una caro. Genes. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ*. 2. Filii præferendi sunt parentibus, cum parentum naturale officium sit providere filiis. 2. Corinth. 12. *Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*. Et D. Thom. *cit. art.* 9. dicit: *Parentibus debetur major honor, filiis autem magis cura*. 3. Hi omnes præferendi sunt omnibus consanguineis ob dictam rationem. 4. Fratres, sorores, cæterique consanguinei, & affines semper tamen in eodem gradu, præferendi sunt consanguinei affini; post hos sequuntur domestici, concives, aliique conjuncti similiter, etsi moraliter cæteris non sint conjuncti, & in paritate præferendi. Vide omnia latius apud *S. Thomam*, & *Commentatores* ejus passim. Addunt denique Doctores cum Diana *citat.* eum, qui bona fide illum ordinem transgreditur, ut in necessitate pari, verb. grat. matrem patri, filios parentibus, sororem conjugi anteferret, &c. non peccare plus quam venialiter: cum obligationes illæ omnes revera magnæ sint, & non tam facile sit discernere magis, & minus. Neque illicitum esse potest singularem amicum, & benefactorem in casu præferre consanguineo, & valde propinquo: aut conjunctum spiritualiter etiam in necessitate corporaliter conjuncto non admodum propinquo, ut notat etiam Layman cit. cap. 3. Et hæc tandem in Secundum, Tertium, & Quartum Præceptum communi Confessario sufficiant, ad laudem, & gloriam DEI Optimi Maximi, & perennem Animarum salutem. Amen.

(139 is printed in the right margin beside the first line of this column.)

INDEX RERUM

Notabilium in Primo Tomo Theologiæ Moralis Decalogalis contentarum.

Numerus primus folium demonstrat, secundus marginem.

Abstinentia.

ABstinentia a carnibus in jejunio, f. 259. n. 7.

Acedia.

Acedia quid, & quale peccatum, f. 92. n. 71.

Accessorium.

Accessorium sequitur principale, variis casibus, & exemplis explicatur, f. 219. n. 69.

Actiones.

Actiones suas in Deum referre actu, seu actualiter quid, f. 130. n. 16. quid virtute, seu virtualiter, 131. n. 17. corollarium, ibid. n. 18.

Actus.

Actus, ut sit meritorius, debet procedere a Charitate, f. 130. num. 15. Sententia opposita probabilis, f. 131. num. 19. & seqq.

Actus Religionis qui, f. 149. n. 6.

Actus spei Theologicæ varii, f. 120. a n. 5.

Actus humanus.

Actus humanus quid, f. 27. n. 1. liber moralis, ib.

Ut possit esse bonus, requiritur advertentia, & cognitio omnium ad eum, qua talis est, concurrentium, f. 28. n. 9. & deliberatio, ibid. n. 11. ac judicium practicum de honestate ejus, f. 29. n. 13.

Debet esse voluntarius, & liber, f. 29. a n. 19.

Actus bonus.

Actus bonus propter finem bonum, dupliciter bonus, fol. 42. n. 14. & seqq. & actus malus propter finem malum pariter malus dupliciter, ib. n. 15. actus bonus propter finem malum, fit malus, f. 43. n. 16. actus malus propter finem bonum manet malus, ib. n. 17. actus indifferens propter finem bonum, fit bonus, ib. n. 18. & propter malum malus, ib.

Actus humanus in specie indifferens, f. 46. n. 30. actus indifferens in individuo, ib. n. 31.

Actus externus comparatus ad internum, ib. n. 32. addit distinctam bonitatem, vel malitiam interno, f. 47. n. 33.

Actus externus solum directe præcipi potest, ib. n. 35. & ut præcipi possit, debet esse bonus, vel malus moraliter, f. 48. n. 36. ac necessarius, vel valde utilis ad bonum commune, ib. n. 37. seq. vel observantiam status cujuslibet Communitatis ib. n. 38. Actus indifferens, seu opera supererogatoria, quæ in aliis Religionibus præcipi non possunt, in Ord. FF. Min. præcipi possunt, ib.

Solum actus interni ad substantiam moralem externorum necessarii indirecte præcipi, vel prohiberi possunt, ibid. n. 39.

Actus autem interni cum externis nullam connexionem habentes humana lege præcipi non possunt, f. 50. n. 44.

Advertentia ad actum humanum requisita, f. 28. n. 10.

Adjuratio.

Adjuratio quid, & quotuplex, f. 210. n. 163. Adjuratio deprecativa ad Deum, Sanctos, & homines quando licita, ibid. Adjuratio imperativa, vel coactiva quibus, & quando licita, ibid. n. 166. Adjuratio dœmonum licita, ibid. n. 167. Adjuratio autem creaturarum irrationabilium superstitiosa est, ibid. n. 168.

Adoratio.

Adoratio quid, f. 153. seqq. ejus divisio in *Latriam*, *Duliam*, *Hyperduliam*, f. 154. n. 4. seq.

Adoratio respectiva, f. 161. n. 29.

Advocatus.

Advocatus licite defendit causam minus probabilem, f. 14. a n. 62.

Adulterium.

Adulterium quid, f. 90.

Ætas.

Ætas qualiter, & quos excuset a jejunio Ecclesiastico. f. 266. a n. 47. *vid. seqq. jejunium.*

Amare Deum.

Amare Deum super omnia objective, appretiative, intensive, extensive, &c. fol. 125. n. 3. seqq. Exemplar Seraphicum, ibid.

Amare Deum juxta magnum Mandatum, ex toto corde, ex tota anima, &c. quid, f. 128. n. 9. Exemplar Seraphicum, ib.

Amor.

Amor concupiscentiæ, complacentiæ, desiderii quid, fol. 126. n. 4.

Amor Dei affectivus, ibid. n. 6. affectu complacentiæ, ib. & affectu Benevolentiæ quid, ib. seqq. Exemplar Seraphicum, 127.

Amor Dei affectivus affectu desiderii quid, ib. n. 7.

Amor Dei effectivus, & practicus, seu obedientialis quid ibid. n. 8. seqq. Offerre, vel tradere se Deo, 128. Exemplar Seraphicum, ib.

Amor proximi, seu amare proximum, propter Deum, fol. 132. n. 23. seqq. Quomodo amandus, ibid. n. 24. qui amor proximi a Charitate alienus, ib.

Amor inordinatus creaturarum, quando, & quale peccatum, f. 137. n. 42. seqq. amare Deum propter creaturam, quale peccatum, ib. n. 44. aliquando speciale, aliquando non, ib. n. 46.

Amor proprius sui ipsius, ac creaturarum est causa omnium peccatorum, ibid.

Amor proximi.

Amor proximi debet esse supernaturalis tripliciter, 1. ex parte principii, 2. ex parte motivi, & 3. ex parte objecti, f. 277. n. 6. & debet esse amor amicitiæ, ei volendo bona salutaria in ordine ad Deum, f. 278. n. 9. & non sufficit amor concupiscentiæ tantum, ib. n. 11.

Amphibologia.

Amphibologiæ tres species, f. 201. a n. 99. seqq. *vide Juramentum Amphibologicum.*

Ancillæ.

Ancillæ ad quid obligentur ex quarto præcepto suis Heris, & e contra, f. 276. n. 75.

Angeli.

Angeli, & Sancti orant pro nobis, ideoque licite invocantur, f. 158. n. 20.

Apostasia.

Apostasia quid, & quotuplex, f. 109. n. 11.

Arbitrium liberum.

Arbitrium liberum datur, f. 27. n. 5. formaliter est ipsa voluntas, ib. n. 6.

Articulus Fidei.

Articulus fidei, quid, & quæ ejus requisita, fol. 96. n. 11. qui necessario credendi necessitate medii, fol. 98. a n. 3. quinam necessario necessitate præcepti, fol. 100. a n. 11.

Articuli fidei quando censeantur sufficienter propositi, ut quis teneatur eis assentiri, fol. 102. n. 17. quid in praxi judicandum, vel agendum cum pueris, ibid. & infidelibus adultis, ibid.

Aspicere.

Aspicere animalia coeuntia, quale peccatum, f. 65. seq. aspicere turpiter se, vel alias personas, ib.

Assensus fidei.

Assensu fidei semel habito *per se* quis non amplius obligatur *directe*, f. 102. n. 18. per accidens autem sæpissime, f. 103. n. 20. assignantur varia tempora hujus obligationis, ib. n. 21. Casus, quibus quis per accidens obligatur, ib.

Assumere.

Assumere, vel assumptio Divini nominis quando licita, f. 186. quando illicita, ib.

Astrologia judiciaria.

Astrologia judiciaria quid, f. 167. n. 14. quando superstitiosa, quando non, ib. n. 16.

Attentio.

Attentio qualis requiratur in recitandis Horis, audienda Missa, &c. f. 49. n. 41. & seq. probabilius interna intellectus, ib. nu. 42. oppositum speculative tantum probabile est, f. 50. n. 43.

Avaritia.

Avaritia quid, quale, & quando peccatum, f. 89. n. 65.

Blasphemia.

BLasphemia quid, & qualiter fiat, f. 178. n. 11. alia formalis, directa, & indirecta ex parte voluntarii, ibid. n. 12. alia materialis tantum, & externa, ibid. n. 13.

Blasphemiæ indirectæ contra Deum sunt maledicta in Sanctos, Sacramenta, &c. f. 179. n. 14.

Blasphemandi formulæ Germanis propriæ per Deum, & adjuncta, ib. n. 19. item per Sacramenta, ibid. n. 20.

Blasphemia quævis serio prolata est peccatum mortale, fol. 180. n. 22.

In blasphemia formali non datur parvitas materiæ, ib. n. 21.

Bona necessaria.

Bona necessaria vitæ, naturæ, statui, & superflua quæ, f. 280. n. 40. seq. Habentes bona simpliciter superflua naturæ, & statui probabilissime sub mortali teneri quandoque facere eleemosynam pauperibus communem tantum necessitatem patientibus, probatur varie, f. 282. a n. 60. Exceptiones, & casus, f. 283. a n. 66. Corollarium quoad divites, ib. n. 70.

Bonitas moralis.

Bonitas moralis actus humani quid, seu in quo formaliter consistat, f. 40. a n. 1.

Bonitas

Bonitas actus humani ex objecto, f.41. a n.6.
Bonitas actus humani ex fine, ib. a n.10.

Carnes.

CArnes comedere, an, & quando liceat Catholico cum hæreticis die prohibito, f.107. n.40.

Casus varii.

Casus varii circa inimicos, f.143. n.27.

Causæ excusantes.

Causæ excusantes ab auditione Missæ, f.254. a nu.26. seqq. vide *Missa*.
Causæ excusantes a feriatione die Dominico, & festivo, f.257. a n.49. vide *Feriari*.
Causæ excusantes a jejunio sunt *ætas*, *infirmitas*, *labor*, *pietas*, f.266. a n.47. quando, & quos excusent, vide *Jejunium*.

Circumstantiæ.

Circumstantiæ qualiter actum humanum afficere possint, f.43. n.19. ut tribuant actui bonitatem, vel malitiam, debent cognosci, f.44. n.20. & suo modo intendi, ib. n.21.
Circumstantiæ aggravantes, quæ, ib. n. 23. & quæ speciem mutantes, ib.
Circumstantia *quis*, qualitatem personæ denotans, quando, & qualiter actum afficiat, ib. a n.24.
Circumstantia *quid*, objecti conditionem significans, quomodo actu afficiat, f.45. n.25.
Circumstantia *ubi*, sæpe novam specie malitiam addit, ib. num.26.
Circumstantia *quibus auxiliis*, media significans ib. n.27.
Circumstantia *quomodo*, modum actionis significans, ib. n.28.
Circumstantia *quando* qualitatem temporis significans, ibid. num.29.

Charitas.

Charitas est virtus Theologica, f.124. nu.1. supernaturalis, 125. ejus actus proprius primarius est diligere Deum super omnia amore amicitiæ, ib. a n.2.
Charitatis objectum proximum materiale, & formale est ipse Deus sub qua ratione, f.129. n.11.
Charitas omnium virtutum perfectissima, ib. num. 12. forma omnium virtutum, ib. nu.13. radix omnis meriti, ita ut sine ea nullus actus sit meritorius vitæ æternæ, ib. n.14.
Charitatis objectum materiale secundarium est omnis proximus, f.132. a n.20. formale divina Bonitas in proximo relucens, ibid. n.22.
Charitatis præceptum, ut affirmativum duo continet. I. amare Deum debito modo. II. debito tempore, f.133. n.26. sub mortali obligat ad amandum Deum, ib. n.27. appretiative saltem, ib. n.28. certe aliquando in vita, f.134. n.30. seqq. quando obliget per accidens, ib. & quando per se, ib. n.31.

Charitas proximi.

Charitas proximi quid, f.277. a n.1. ejus obligatio quoad actum internum, ib. Præcepto Charitatis diligere tenemur omnem proximum, etiam peccatorem, f. 278. a nu. 13. etiam inimicum, ibid. Obligat semper & pro semper, *negative*, ib. n.15. quando obliget *positive*, ibid. a n. 16. Quilibet sub mortali obligatur, ibid. ex Charitate, & misericordia, f.279. a n.23. benefacere Proximo corporaliter, & spiritualiter, f.288. n.115. quando sit vera necessitas, ibid. a n.116. Ubi: quæ, & quando censeatur vera necessitas, ib. seqq. Quando quis censeatur moraliter posse, & teneri succurrere proximo, f.279. a n.31.
Charitatis ordo quis, & qualis servandus in diligendo proximo, f.288. a n.113. quoad bona spiritualia, ib. n.120. seqq. quoad bona temporalia, f.290. n.130.

Cogitationes.

Cogitationes rerum malarum quando peccata, f.77. n.9.

Cognitio.

Cognitio ad actum humanum qualis, f.28. n.10.

Collatio vespertina.

Collatio vespertina licita est ex consuetudine f.262. a n.24. in quantitate tamen modica, quæ censetur esse quarta pars cenę ordinariæ, f.263. n.26. Quos cibos sumere liceat in collatione, ib. a n.29. Tempus collationis ex rationabili causa mutari potest cum prandio f.264. n.33.

Commutatio.

Commutatio voti quid, 244. a n.80. qualiter, & a quo fieri possit, f.245. a n.85. vide *Voti Commutatio*.

Communicare cum infidelibus.

Communicare cum Paganis, quando, seu in quibus sit prohibitum, f.109. a n.9.
Communicare cum Judæis, quando, qualiter, & in quibus sit prohibitum, ib. a n.11.
Communicatio cum hæreticis, quæ, quando, & qualiter sit illicita, f.110. n.12.
Communicare cum hæreticis in Sacris eorum, signis, ritibus, cæremoniis, concionibus &c. quando, & quale peccatum, f.115. n.31. item in Matrimonio, ibid. nu.32. & politicis, ib. n.34.

Concupiscentia.

Concupiscentia, seu passio antecedens, & consequens quid, f.39. a n.60. concupiscentia, vel passio nulla reddit actum involuntarium, ibid. num.62. Voluntarium imperfectum, & spontaneum auget, ib. n.63. Voluntarium perfectum, & liberum minuit, & quandoque omnino aufert, ibidem num.64.

Confessarius.

Confessarius monere, & informare penitentem per se loquendo, semper tenetur, quando is laborat conscientia erronea circa aliquod essentialiter requisitum ad validam absolutionem, f.6. num.26. item quando putat esse peccatum, quod non est, aut esse mortale, quod est veniale, ib. n.27. aut aliquid non esse peccatum, quod est peccatum, n.28. non vero tenetur, quando prævidet suam monitionem, vel informationem potius obfuturam, f.7. num.29. nisi quoad actus mere futuros, re adhuc integra, ib. num. 30. casus difficilis, ibid.
Confessarius debet etiam contra propriam mentem sequi opinionem probabilem penitentis in judicio Sacramentali, f.11. n.47. ac quandoque in consiliis dandis, f.11. n.48.
Confessarius qualiter, vel quid agere debeat, aut possit cum penitente ignorante Articulos fidei necessarios, f.63. nu.15.
Confessarius qualiter examinare debeat hæresim, seu hæreticum, f.112. nu.21.

Confessio fidei.

Confessio fidei externa, f.103. n.22. quando obliget, f.104. n.23. nimirum, quoties exigit honor Dei, & Christi, ib. nu.24. Fidei confirmatio, ibid. n.25. Salus propria, ibid. nu.26. Vel proximorum, ibid. n.27. seqq.

Conjuges.

Conjuges ad quid sibi invicem obligentur ex quarto Præcepto Decalogi, f.275. nu.67.

Consanguinei.

Consanguinei collaterales, ut fratres, sorores patrueles, aliique consanguinei: & affines ad quid sibi invicem obligentur ex quarto Præcepto, ib. nu.65.

Conscientia.

Conscientia quid, f.2. nu.5. dividitur in rectam, erroneam, probabilem, dubiam, scrupulosam, f.3. nu.9.
Conscientia recta, & erronea quæ, ib. a nu. 10. quomodo formetur, f.3. a nu.12.
Tam recta, quam erronea invincibilis obligat, f.4. nu.15. sub peccato pro ratione dictaminis, f.5. nu.17. erronea invincibilis actum bonum reddit ib. n.18. vincibilis malum, fol.6. n.23.
Conscientia erronea laborans a Confessario quando monendus, & informandus quando non, f.6. a num.26. Vide V. *Confessarius*.
Conscientia probabilis quid, & quomodo formetur f.7. n.31. ut quis eam in praxi tuto sequi possit, debet semper formari per modum judicii resoluti, & practice certi, f.8. n.32. unde male agunt, qui ante actum se practice non resolvunt inter duas opiniones, ib. n.33. aut post actum commissum, vel omissum primum ante Confessionem opinionem sibi faventem inquirunt, f.8. n.34. non ita, qui ante inquirunt, ib.
In formanda conscientia probabiliter opiniones probabiles variare non licet, quando ex variatione necessario aliqua lex violata manet, ib. nu.35.
Plura, vide *Opinio*.
Conscientia dubia quid, f.14. a n.65. intrinsece, & extrinsece dubia, f.15. a n.68.
Cum conscientia formaliter, & intrinsece dubia operari nunquam licet, ib. a n.69.
Cum conscientia vero extrinsece dubia practice tamen certa licite operamur, f.16. a nu.73. De his plura vide V. *Dubium*.
Conscientia scrupulosa quid, f.25. a nu.100. contra scrupulum proprie dictum quis immediate, & directe agere potest, & sæpe etiam debet, f.26. num.106. contra scrupulum vero late sumptum mediate tantum, ib. n.107. Scrupulosorum remedium, ib. n.108. Scrupulosorum communis responsio, ib. n.109.

Consensus.

Consensus semipleni signa, & conjecturæ, f.63.

Consuetudinem.

Consuetudinem scienter contrahens peccandi in materia alias mortali, peccat mortaliter dupliciter, f.87. nu.51. & eam sub mortali tenetur deponere, ib. n.53. ac in Confessione fateri, ib. n.54.

Consuetudo.

Consuetudo passim jurandi quæ, & qualis constituat hominem in statu peccati mortalis; ideoque specialiter explicanda in Confessione, f.208. a nu. 148. an, & quando culpabiliter retenta sit peccatum distinctum ab ipso peccato actuali perjurii ib. n.151.

Contemptus.

Contemptus veniale efficere potest mortale, f.71. nu. 35. ex contemptu formali legem, vel præceptum transgredi semper mortale est, etiam in materia levi, f.88. nu. 60. non item si fiat *cum* contemptu tantum, ibid. n.59.

Contentio.

Contentio quid, & quando peccatum, f.148. n.54.

Correctio.

Correctio, vel correptio fraterna, quid, f.285. ejus obligatio quæ, & qualis, ib. a n.80. quæ sit materia sufficiens, & obligans aliquem ad corrigendum proximum, ib. a n. 86. seq. debet esse certa notitia peccati proximi f.286. a n. 91. & spes emendationis, ib. a nu.93. Casus varii ib. ac opportunitas: quando hęc adesse censeatur, ibid. nu. 99. & seqq.

Corol-

Corollarium, ib. n.103.
In fraterna correctione qualis ordo servandus, seu quando proximus immediate denunciandus Superiori, quando non, ib. num.104.
An, & quando liceat vitam corporalem exponere pro vita corporali proximi, f.290. n.130. seqq.
Inter proximos qui plus, vel prius diligendi ib. a n.135.

Credere Deum.

Credere Deum, Deo, in Deum, quid, & quomodo differant, fol.94. a n.5.

Cultus.

Cultus Divinus indebitus alius falsus, f.176. a n.1. Alius superfluus, ib. Falsus per se semper est peccatum mortale, ibid. n.2. Superfluus vero per se veniale tantum, ib. n.3. quandoque tamen mortale per accidens, ib. n.4.
Cultus Latriæ quid, f.154. n.4. quando, & qualiter ad eum obliget primum præceptum Decalogi, f.155. n.11.
Cultus respectivus, f.161. n.29.
Cultus Sacrarum imaginum, & Reliquiarum, f.160. n.24.
Cultus SS. utilis, & licitus multipliciter probatur, f.161. n.28.

Decalogus.

Decalogus quid, f.93. Præcepta ejus alia primæ, alia secundæ Tabulæ, ibid.
Decalogi Præceptum primum quænam sub se comprehendat, ib.
Delectus ciborum in jejunio Ecclesiastico habendus, qualis, f.259. a n.7.

Delectatio.

Delectatio morosa, rationalis, sensibilis, quid, f.81. n.23. qualis in ea ordinarie processus, f.80. n.22. omnis delectatio morosa voluntaria, absoluta, rationalis, & sensibilis, est peccatum, ib. n.23. Mortale, vel veniale, pro ratione materiæ, ib. sive sit de re intrinsece, sive extrinsece tantum mala, ib. n.24.
Delectatio morosa speculativa de cogitatione, intentione, vel modo, & inventione rei malæ per se mala non est, f.82. n.27. Quid sentiendum in dubio, an fuerit speculativa, vel practica seu de ipsa re, ib. n.30.
Delectari de re materialiter mala secundum se illicitum est, f.83. n.31. non item sub aliqua ratione boni, ibid. n.33. nisi forte pollutionem pure naturalem affectu simplici, ibid. n.34.
Delectationes morosæ rationales conditionatæ eadem ratione licitæ sunt, qua desideria conditionata, f.84. n.35. de re extrinsece mala utraque delectatio rationalis, & sensibilis licita est, ibid. n.36. immo de re etiam intrinsece mala licita est delectatio morosa conditionata rationalis sub conditione malitiam auferente, ib. n.37. non item sensibilis, ib. n.38. & nunquam venerea, ib. n.39. Delectatio morosa applicata statibus, f.85. n.40. Delectatio sensibilis mortaliter illicita est solutis, ib. n. 40. sicut & sponsis, ib. n.41. Quid, & qualiter hoc liceat viduis, ib. n.42. & quid, ac qualiter conjugatis, ib. n.43.

Deliberatio.

Deliberatio ad actum humanum qualis requiratur, f.28. n.11. deliberatio perfecta, imperfecta ib. deliberationis imperfectæ signa, & conjecturæ, ib.
Deliberatio ad votum requisita, f.212. a n.20.

Desperatio.

Desperatio quid, & quale peccatum, f.122. n.13.

Desideria.

Desideria absoluta rei malæ semper mala, f.79. n.18. desideria conditionata sub conditione auferente malitiam actus, mala non sunt, saltem graviter, ib. n.19. desideria conditionata de re intrinsece mala sub conditione impossibili verius illicita sunt, ib. n.20. certo autem illicita sunt desideria sub conditione nullo modo auferente malitiam, f.80. nu. 21. exempla bene notanda, ibid.

Dictamen.

Dictamen speculative verum, & practice verum, vel falsum, f.3. num.11.

Discordia.

Discordia quid, & quale peccatum, f.148. n.53.

Dispensatus.

Dispensatus ad carnes, ob *infirmitatem*, censetur etiam dispensatus ad secundam refectionem; non vero si dispensatus sit ad carnes ob alias causas, f.265. n.40.
Dispensare in votis, quæ, quando, & quis possit, f.239. a n.37. vide *Votorum deobligatio.*

Distinctio.

Distinctio peccatorum specifica, f.55. a n.10.
Distinctio peccatorum numerica, f.56. a n.15. vide V. *Peccatum.*

Divinatio.

Divinatio generatim quid, f.166. n.11. quid proprie, ib. n. 12. divinationis superstitiosæ malitia unde, f.165. n.7. ejus diversæ species, f.166. n.13.
Divinatio per astra quid, f.167. n.14. quando superstitiosa, & mala, quando non, ibid. n.16.
Divinatio physiognomiæ, seu ex signis corporis, superstitiosa, f.168. n.17.
Divinatio ex somniis quid, ibid. n. 18. quando superstitiosa, ib. n.19.
Divinatio per sortes, f.169. a n.20.

Dolus.

Dolus quando invalidet juramentum, quando non, f.192. a num.20.

Dubium.

Dubium negativum, & positivum, f.14. n.65. speculativum, & practicum, f.15. n.6. dubium juris, & facti, ib. n.67. Quando in dubiis tutior pars eligenda, ib. n.70. in dubio practice practico tantum, ib. n.71. non speculativo, f.16. n.72.
Dubium quomodo debeat deponi, ib. n.74.
In dubio melior est conditio possidentis, ib. n.75. possessio sit bona fide cœpta, ib. n.76. Exemplum notabile in materia justitiæ, f. 17. Exemplum aliud notabile in materia Matrimonii, ib. num.77.
In dubio factum non præsumitur, sed demonstrari debet, f.18. num.78.
In dubio, quod certum, vel prius est, possidet, ib. n.79. si lex sit dubia, voluntas possidet; si lex certa, lex possidet, ib. n.80. sic dubitans, an sit dies jejunii, festivus, lex lata, recepta, consuetudo vim legis habeat &c. non tenetur, ib. n.81. dubitans vero, an lex sit abrogata, votum dispensatum, a jejunio, Missa, Horis &c. excusatus &c. obligatus manet, ib. a n.82. & f.19. n.83. dubitans, an factum commiserit, ib. a n.84. votum, vel juramentum fecerit &c. non obligatur, f.20.
Dubia ambigua circa vota, ib. circa professionem, ib. dubius, an obligationem impleverit, adhuc obligatur, ib. a n.85. dubius an ipse, vel alius sit pater prolis, ib. dubius de tempore obligationis finito, vel incepto, ib. n.86. dubius de jejunio, an possit celebrare, vel communicare, ib. a nu.87. dubius de legitima ætate ad contrahendam, vel finiendam obligationem, f.21. dubius an graviter, vel leviter se obligaverit, ib. n.89. parum, vel multum promiserit, ib. castitatem perpetuam, vel temporalem voverit, ib. dependenter, vel independenter a Religione, ib. majorem, vel minorem mensuram frumenti &c. vinum melius, vel debilius &c. ib. dubius de solutione facta, f.22. a n.90. an donaverit, vel solverit, ib. dubius de causa dispensandi, & ipsa dispensatione, ib. n.91. dubius, an sit casus reservatus, potest absolvere, ib.
Dubia, ut dubia confitenda, f.23. n.92. dubius an medium sit licitum ad pellendum maleficium, vel morbum, &c, ib. num.93.
Dubium bellum, ib. n.94.
Dubius an pro tali facto pœna, censura, vel irregularitas lata sit; an ipse tale factum commiserit &c. non ligatur, f.24. a n.96. *Excipe:* in solo dubio commissi homicidii voluntarii, habetur dubitans irregularis, ib. n.98. quando scilicet constat de corpore delicti, seu homicidio facto, & dubitatur solum de ejus causalitate, f.25. n.99.
Dubius de abortu, ibid.
Dubium in fide quid; seu quis in ea dubius dicendus, f.108. n.3.
Dubitans in fide *positive* semper peccat mortaliter, & accedente pertinacia est formalis hæreticus, ib. n.4. non item dubius solum *negative*, ib. n. 5. nisi quando voluntas ex motivo difficultatum ab intellectu propositarum imperat suspensionem assensus, ib. n.6.

Dulia.

Dulia quid, f.154. a n.4. & f.155. n.10.

Ebrietas.

Ebrietas quid, & quando peccatum, f.91. n.69.
Ebrietas perfecta peccatum mortale, ib.

Eleemosynæ definitio.

Eleemosynæ definitio, f.280. n. 36. est opus summe meritorium, satisfactorium, & impetratorium, ib. n.37. ad quod homo sæpe obligatur, ibid. n.38. cujus obligatio metienda est ex duobus, ib. a n.39. quinam, & quando ad eam obligentur, seu in qua necessitate proximi, f.281. a n.48. Ordinarie solum fieri potest de bonis propriis, & justis, f.280. n.38. Excipiuntur tamen varii casus, in quibus aliquis etiam dare potest de bonis alienis ibid. seq. Unde resolvitur, quando, & qualiter eleemosynas facere possint uxores. f.284. n.75. & qualiter filiifamilias de bonis parentum, ib. Item qualiter servi, & ancillæ de bonis Dominorum, ib. n.77. ac qualiter Religiosi de bonis Monasterii, ib. n.78. Corollarium, f.285. n.79.

Episcopus.

Episcopus quomodo, & quando dispensare possit in votis Papæ reservatis, f.243. a n.72.

Errans in materia Fidei.

Errans in materia Fidei quis dicendus, f.110. n.12.

Erroneus pœnitens.

Erroneus pœnitens, in quibus, & quando debeat doceri, & moneri, f.6. n.25. vide V. *Confessarius.*

Error.

Error quando invalidet juramentum, quando non, f.192. a num. 20.

Excommunicatio.

Excommunicationem in hæreticos latam ut quis incurrat, debet esse hæreticus formalis, f.112. num.21. internus simul, & externus, f.113. n.22. eam distincte, & assertive, manifestando, ibid. n.23. in quo qualiter rudes examinandi a Confessario, ib. n.24.
Excommunicationem hanc quando hæreticus formalis eam incurrat, & quando non, f.113. n.24. In primis eam incurrunt communicantes cum hæreticis in ipso crimine hæresis, f.114. n.26. deinde eis credentes, ib. nu. 27. eorum fautores, ib. nu.28. receptores, & defensores in causa hæresis, num.29.

Excommunicantur legentes libros hæreticos, f.116. vide *Liber hæreticus*.
Item quando excommunicentur eos retinentes, f.118. n.45. & imprimentes, f. 119. n. 46. aut quomodolibet defendentes, ib. n. 47.

Extinctio Voti.

Extinctio voti, vide *Votorum deobligatio*.

Famuli.

Famuli ad quid teneantur ex quarto Præcepto suis Dominis, f.276. n.75.

Feriari.

Feriari ab operibus servilibus, & qualis obligatio, fol. 254. n.31. seqq. vide *Laborare*.
Causæ a feriatione excusantes sunt quatuor, *Necessitas*, *Charitas*, *Officium*, *&c. Consuetudo*, f.257. n.50. quando excuset necessitas, ib. & seqq. quando Charitas, ib. n.52. seqq. quando Officium, ib. n.55. & quando Consuetudo, ibid. n.56.

Fides.

Fides alia humana, alia divina, f.93.
Fides divina habitualis est *Virtus*, f.94. num.2. *supernaturalis* Theologica a Deo infusa. ib.
Fides actualis est assensus firmus, certus, etsi obscurus, ib. a n.3. elicitus cum illuminatione intellectus, ib. n.4. & ab affectu voluntatis, ib. n.5.
Fides *est substantia rerum sperandarum*, *argumentum non apparentium*, *&c.* quomodo intelligendum, f.95. n.6.
Fidei objectum materiale est omne, quod fide creditur, ib. n.7. seu verbum Dei immediatum, & mediatum, ib. n.8. scriptum, & traditum, ib. n.9.
Fidei objectum formale principale, & ultimatum est ipsa summa Dei Veritas in dicendo, f.96. nu.12. proximum, immediatum ipsa revelatio, f.97. n. 14. adeoque includit Veritatem Dei, & revelationem, quæ necessario debet esse obscura, ib. n.15.
Fides actualis explicita, & implicita, f.98. n.2.
Fidei Articulus quid, & quæ ad eum requirantur, f.96. n.11.
Fidei Symbola quid, & quot, ib. n.10.
Fides etiam pendet a sufficienti propositione, f. 102. n. 16. motiva reddendi, ib. n.17.
Fidei ultimata resolutio, ib. n.18.
Fidei necessitas medii, & præcepti, f.98. n.1.
Fides aliqua supernaturalis pro omni statu necessaria fuit necessitate medii, ib. n.3. & quidem *explicita* unum esse verum Deum, Principium, & finem nostrum Ultimum, f.99. n.4. & etiam post lapsum, in Christum Mediatorem, ib. n.5. explicita necessitate præcepti, ib. n.6. & de necessitate medii saltem implicita, ib. n.7. Tamen æque probabiliter, etiam post promulgatam legem Evangelicam necessaria non est fides explicita in Christum, & Ss. Trinitatem, necessitate medii, sed solum necessitate præcepti, ib. n.9.
Fidei Præceptum quintuplex, f.100. n.10.
Fidelis adultus quilibet sub mortali obligatur credere Symbolum Apostolorum, ib. n.11. Orationem Dominicam, ib. n.12. Sacramenta ad salutem necessaria, non tamen necessario scire memoriter, secundum ordinem, ib. sed solum credere, saltem quoad substantiam, conceptu aliquo confuso, f.101. n.13. & culpabiliter ignorans peccat mortaliter, ib. non item ignorans inculpabiliter, ib. rudibus sufficit scire, & credere saltē aliquot Articulos Fidei explicite, & reliquos implicite, ib. n.14. alii tamen aliis plura, & distinctiora pro ratione capacitatis, ib.
Fidei Articulos necessarios ignorans, an, & quando absolvi possit, ib. n.15.
Fidei Articuli quando censeantur sufficienter propositi, ut quis teneatur eis assentiri, f.102. n.16.
Fidei confessio externa quid, f.103. n.22. quando quis ad eam obligetur, f.104. n.23.
Fides exterius sub mortali confitenda verbo, signo, vel opere, ib. quoties id exigit honor Dei, & Christi, n.24. fidei confirmatio, ib. n.25. salus propria, ibid. n.26. vel proximorum, ibid. n.27. interrogatus quando teneatur fateri fidem ib. quando liceat Catholico fugere in persecutione Fidei, f.105. a n.28.
Fidem exterius negare nullo casu licet, ib. n. 29. nec expresse, nec interpretative, ib. n. 30. nec simulando verbis ambiguis, vel æquivocis, f.106. n.31. nec signis, sive directe, sive indirecte hæresis manifestativis, ib. n.32. nec facto, vel opere, f.107. n.37.
Quando quis censeatur negare fidem verbis, f. 105. n. 31. quando signis, ib. a n.32. ubi assignantur quatuor genera signorum, ibid.
Fidem negare interpretative quando quis censeatur, f.105. n.30.
In fide quis dicatur ignorans, errans, & hæreticus, f. 110. n.12.

Filii.

Filii quarto Decalogi Præcepto obligantur Parentibus exhibere amorem, & obedientiam, & reverentiam, f.269. a n.6. Obligatione *amoris* obligantur eis bene velle: saltem negative, nihil mali volendo, optando, imprecando &c. qualiter hic peccent, ibid. n.8. etiam bene velle positive, benefaciendo, succurrendo spiritualiter, & corporaliter, ib. n.9. omne malum avertere, ib. n.10. & post mortem eorum debita relicta, sacra, & non sacra juxta vires hæreditatis, quam citius commode possunt, solvere, ib. n.11. Idem obligatione *obedientiæ* Filii parentibus debent sub mortali ex genere suo, f.270. n.13. obedire in omnibus licitis, & honestis, ibid. n.17. ad eorum Curam pertinentibus, ib. n.18. non in aliis malis illicitis, & inhonestis, seu etiam licitis, ad curam tamen paternam non pertinentibus, ib. Unde quoad certum vitæ statum eligendum, vel capessendum simpliciter eis obedire non tenentur ib. a n.19. Et graviter peccant parentes filios, vel filias ad Religionem compellentes, ib. aut ab ejus ingressu injuste impedientes, ib. nu.21. sine justa causa ad Matrimonium compellentes, f.271. a nu.22. vel e contra ab eo impedientes, ibid.
Quando, & qualiter peccent filii, vel filiæ matrimonium contrahentes, parentibus invitis, & juste contrariantibus, ib. num.25.
Quam reverentiam filii Parentibus in verbis, signis, & factis debeant, ib. a n.29.
Quando, & qualiter peccent filii, vel filiæ agentes aliquid ex odio, injuria, irreverentia, vel contemptu erga Parentes, f.272. a n.34.
Filiis illegitimis, & spuriis ad quid teneantur Parentes, f.273. a n.47.
Filii, & pupilli ad quid teneantur Tutoribus, Patrinis, & e contra hi illis, f.275. a n.62. Ad quid consanguineis, Avis, Proavis, aliisque Majoribus, & e contra, ib. n.64.

Finis.

Finis alius intrinsecus operis; & alius operantis, & extrinsecus f.41. n.10. tribuit actibus bonitatem, vel malitiam, f.42. n.13.

Formulæ.

Formulæ jurandi expressæ quæ, f. 187. n. 5. quæ ambiguæ, ib. n.6. & n.8.

Fornicatio.

Fornicatio quid, f.89. n.66.

Frangere.

Frangere jejunium, vide *Jejunium*.

Furta.

Furta minuta directa intentione notabilem quantitatem auferendi facta, sunt singula mortalia; etiam primum statim f.41. n.10. Furans indirecta intentione continuandi furta minuta incipit peccare mortaliter, quando materiam notabilem complet, f. 73. n. 44. declaratur exemplis, ibid. n.45. Qui per furta minuta auferendo notabilem quantitatem peccavit venialiter tantum, peccat mortaliter eam retinendo, f.74. n.47.
Furans minuta pluribus, f. 75. n. 48. Quid quando plures furantur minuta eidem, ib. a n.49.

Gratitudo.

Gratitudo est specialis virtus, habens tres gradus, fol. 276. n.77. ingratitudo vitium ei oppositum quale peccatum, ib. n.78.

Gloriatio.

Gloriatio, seu gloriari de opere malo, quando, & quale peccatum, f.86. n.45.

Gula.

Gula quid, & quale peccatum, f.91. n.68.

Hæreditas.

Hæreditas, seu portio legitima filiis debita quæ, f.274. a n. 57. qualiter eam filii petere possint, ib. n. seqq. Causæ negandi eis hæreditatem, ib. n.61.

Hæresis.

Hæresis generatim quid, f.110. n.13.
Hæresis materialis quid, ibid. n.14. quid formalis, fol. 111. num. 15.
Hæresis interna tantum, f. 113. a n. 22. externa tantum, ibid.
Hæresis interna, & externa simul, ibid.
Hæresis quantum peccatum, f.112. n.20.

Hæreticus.

Hæreticus quis dicatur, f.110. n.12.
Hæreticus formalis quis esse debet, ut incurrat excommunicationem, f.112. a n.21. internus simul, & externus, f.113. n.22. manifestando eam assertive, ibid. n.23.
Hæreticorum sacra, f.117. n.38. vel Ecclesias frequentando, an & qualiter quis peccet, ib. n.39.
Hæreticus pertinax quando quis dicatur, f.111. n.16.
Quinam dicantur hæreticis illicite communicare, fol. 114. n.26. eorum credentes, ib. n.27.
Honorem Deo debitum creaturæ tribuere, sicut Deo, tanquam idololatria prohibetur, f.156. a n.14.

Hyperdulia.

Hyperdulia quid, f.155. a n. 8.

Horæ Canonicæ.

Horæ Canonicæ debent dici cum attentione interna intellectus, f.49. n.41. oppositum est tantum speculative probabile, f.50. n.43.
Horas dicens cum alio v. gr. infirmo, vel hospite, non intendens satisfacere, satisfacit tamen, f.51. a n.47.
In Horis Canonicis quæ sit pars notabilis, f.69. n.29.

Jactantia.

Jactantia de opere malo quale peccatum, f.86. n.45.

Idololatria.

Idololatria quid, f. 164. n.1. quæ ad eam requirantur, ib. num. 2. est peccatum mortale gravissimum, quandoque duplex, f.165. num.3. ejus triplex est species, ibid. nu.4. sæpe committitur circa Sanctos, eorum Imagines, & Reliquias, ibid. n.5.

Index Rerum notabilium.

Jejunium.

Jejunii Ethimologia, & divisio generatim, f.258. n.1.
Jejunium Ecclesiasticum est *religiosa observantia*, ibid. num.2. *abstinentia a cibo, & certa ciborum qualitate* (ubi quid nomine cibi intelligatur, f.259. n.4.) *statuto, seu certo tempore*, ib. n.5. *ab Ecclesia ordinata*, quoad tempus, & modum, ib. n.6.
Jejunium Ecclesiasticum requirit abstinentiam a carnibus, ib. a nu.7. & in Quadragesima ab ovis, & lacticiniis, nisi privilegium, vel consuetudo contraria hæc admittat, ut est in Germania nostra, ib. n.10. Et esto ova, & lacticinia licita sint, ob id tamen non licet vesci sagimine, seu pinguedine, adipe, vel sanguine, ib. Obligatio jejunii est sub mortali, toties quoties, nisi parvitas materiæ, vel alia causa excuset, f.260. n.11.
Jejunium Ecclesiasticum requirit insuper unicam refectionem tantum, ib. n.12. moraliter continuatam, ibid. n.13. nisi paupertas, officium, vel negotium excuset, ib. seqq. Ideoque excludit alias refectiones iteratas, veras tamen, non alias sumptiones per modum medicinæ, ib. n.14. resolvuntur varii casus, ib. vinum, cerevisia, mulsum, &c. etiam ad sedandam famen sumpta, non frangunt jejunium, f.261. n.15.
Refectio unica ad jejunium requisita, f.260. n.12. debet esse moraliter continuata n.13. plura vide *Refectio*.
Collatio vespertina licita, f.262. a n.24. in qua quantitate: ib. nu.26. seq. & qualitate; f.263. n. 29. Tempus collationis ex rationabili causa cum prandio commutare licet, fol.264. num.33.
Qui, quando, ib. a nu.34. & qualiter obligentur ad jejunium, ib. n. 36.
Transgressus jejunium accidentaliter tantum, illud adhuc servare tenetur de reliquo, ib. n. 37. non item, qui semel illud fregit quoad substantiam, nisi quoad carnes, ib. n.38. Unde, qui illud fregit comedendo carnes etiam semel tantum tenetur deinceps abstinere a carnibus, non vero ab aliis cibis, ib. n.39.
Dispensatus ad carnes ob infirmitatem, censetur etiam dispensatus ad secundam refectionem, non vero si dispensatus sit ob alias causas, f.265. n.40.
Obligatio jejunii ita affixa est diei statuto, ut privata auctoritate transferri non possit, ib. n.41. Unde, qui statuto die non jejunavit, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, non tenetur supplere alio die, aliud est de jejunio ex voto, vel pœnitentia debito; ib. n.42.
Qualiter transgressio jejunii explicanda in confessione, ibid. n.44. quando unum peccatum, vel multiplex, ib.
Quando, & qualiter peccent aliis proxime cooperantes ad frangendum jejunium; ut Patres, Matresfamiliæ, Domini, Superiores, Caupones &c. ib. n.45.
Causæ a jejunio excusantes sunt *ætas, infirmitas, labor, & pietas*, ib. n. 47. ratione ætatis excusantur quoad secundam refectionem tantum, non quoad carnes, a jejunio *Ecclesiastico* omnes ante completum annum vigesimum primum, ib. n.48. non tamen ab aliis jejuniis ex voto, professione, vel pœnitentia debitis, f.266. n. 49. Item senes post annum 60. completum, non tantum a jejunio Ecclesiastico excusantur quoad secundam refectionem, ibid. n.50. seqq. sed probabiliter etiam ab aliis jejuniis ex voto, vel professione debitis, ib. n.51.
Quando, qualiter, & quos excuset *infirmitas*, ib. n.52. infirmis adnumerari solent etiam prægnantes, lactantes, mendici ostiatim mendicantes, laborantes, & famulantes apud hæreticos &c. ib. seqq.
Quando, qualiter, & quos excuset *labor*, f. 267. a n. 57. & quos *Pietas*; ib. a n.60.
In jejunio quæ sit pars notabilis, f.262. n.23.

Ignorantia.

Ignorantia, quid negativa, positiva, privativa, f. 32. n.30.
Ignorantia juris, & facti, ib. n.31. antecedens, & concomitans, ib. n. 32. invincibilis, & vincibilis, n.33. lata, crassa &c. ibid.
Ignorantia invincibilis antecedens excusat a culpa, fol. 33. n.34. etiam concomitans, ib. n.35.
Ignorantia vincibilis non tollit, ib. n. 36. sed minuit culpam, ib. n. 37.
Ignorans in fide quis dicendus, f.110. n.12.
Ignorans præcipua Mysteria fidei, quomodo peccet, f. 100. a num.11.
Ignorantia facti, juris, ac pęnæ simul, invincibilis excusat ab omni pena, f.34. n.38. etiam vincibilis, ib. non vero crassa, ibid.
Ignorantia solius pęnæ, non juris, vel facti, non excusat a pęna, ib. n. 39. bene autem ab omni censura, ibid. & pęna extraordinaria, ib.

Imago.

Imago quid, & cur fiant imagines, f.160. n. 24. recte habentur Imagines Dei, ib. n.25. Angelorum, f. 161. n. 26. Christi, & Sanctorum, ib. n.27. liciteque, ac sancte coluntur, & adorantur, ib. a n.28. cultu scilicet, & adoratione respectiva tantum, ib. a n. 29. Objectiones hæreticorum, f.163. a n.36. solvuntur, ibid. a n.37.

Imprecatio.

Imprecatio, seu imprecationes qualia peccata, f.140. n.11.

Impuberes.

Impuberum vota a quo qualiter, & quando irritari possint, f.235. a n. 20.

Impudicitia.

Impudicitia, fol. 89.

Incestus.

Incestus quid, fol.90.

Infidelis.

Infidelis pure ignorans, dubius, suasus, persuasus, f. 102. a num. 16.
Infidelis adultus quando teneatur elicere actum fidei, ibid. num. 17.
Infidelitas negativa quid, f. 108. nu. 1. quid privativa, seu incredulitas, ib. num.2.
Infidelitas positiva, fol.109. a n.8.

Inimici.

Inimici qualiter, & quando teneantur se reconciliare, fol. 145. a n.36. eorum Confessarius, f.146. n.47.
Inimico sub mortali ad tria tenemur, f. 140. n. 12. *primo*, non odisse, ib. a n.13. & non malum velle, ibid. *secundo*, offensam remittere, non item injuriam, fol. 141. a n.14. *tertio*, exhibere signa Charitatis communia, f. 142. a num.21. non item specialia per se loquendo, f. 143. a num. 25. secus faciendo peccatur pro ratione intentionis internæ, vel significationis externæ offensæ inimici, ibid. a num. 26.
Casus varii, f.143. n.27.
Inimicum occurrentem declinare, f.144. n.28. cum non salutare, ib. a n. 29. vel salutantem non resalutare, ib. a n. 31. item nolle alloqui, vel colloqui &c. quale, & quando peccatum, ibid. a n.33.

Injuria.

Injuria quid, fol.141. n.15.

Intellectus.

Intellectus, ratio, & lex naturalis, quid: f.1. n.1.

Intentio.

Intentio faciendi opus præceptum necessaria est ad legem implendam, f. 50. a n. 45. intentio satisfaciendi non requiritur, ib. n. 47. nec intentio finis a præcepto intenti necessaria est, f. 51. n. 49. neque intentio applicandi fructum, vel effectum operis præcepti, ib. n.50. secluso contractu, vel voto ib.
Intentio de mane elicita, an virtualiter duret toto die per omnia opera, f.66. n.22.
Intentio ad votum qualis requiratur, & sufficiat, f. 211. a n.10. in dubio quid: f.212. a n.15.

Invidia.

Invidia quid, & quale peccatum, f.146. a n. 48.
Invidiæ affectiones, seu comites *Timor*, f.147. n. 49. *zelus*, ib. n.50. & *Nemesis* quid, ib. n.51.

Invocatio Sanctorum.

Invocatio Sanctorum utilis, & licita probatur varie, f. 157. a numer. 15. solvuntur objectiones hæreticorum, ibid. a num. 18.
Angeli, & Sancti licite invocantur, f.158. a n.20. Objectiones hæreticorum, f.159. a n.22. solvuntur, ibid. a n.23.

Involuntarium.

Involuntarium, invitum, f.29. n.15.

Ira.

Ira quid, & quale peccatum, f.91. & f.92.

Irreligiositas.

Irreligiositas secundum defectum, f.119.

Irritatio votorum.

Irritatio votorum, ac juramentorum, & quis irritare possit, vide *Votorum deobligatio*, f.234.

Judaismus.

Judaismus, quid, f.109. a n.10.

Judex.

Judex in ferenda sententia tenetur sequi opinionem probabiliorem, f.13. n.60.

Juramenta.

Juramentum quid, f. 187. nu. 1. essentialiter tria requirit: I. ut fiat per Deum verum, ib. n. 2. II. cum voluntate eum in testem vocandi, ib. n.3. III. & petitione divini testimonii, ib. n.4.
Juramenta *explicita*, ibid. n.5. & seq. eorum formulæ ambiguæ, præsertim Germanis propriæ, f.188. n.6. & 8. Jurare per vitam Dei, Sanctorum, ib. Item eorum caput, cor, membra &c. quale, & quando peccatum, ib.
Juramenta *implicita* quæ, ib. num. 7. fieri possunt per Beatos, Sanctos &c. ib. per res Sacras, Crucem, Sacramenta, creaturas irrationales &c. ib. eorum formulæ ambiguæ, f.189. n.8.
In quovis juramento per quæcumque verba expresso semper attendenda est intentio jurantis, ibid. nu. 9. Juramentum assertorium quid, f.190. n.10. quid promissorium, ib. n.11. seqq. & unum absolutum, aliud confirmatorium, ib.
Juramenta simplicia, & execratoria, seu imprecatoria quæ, ibid. num.12.
Juramenta solemnia quæ, f.191. n.14.
Juramenta judicialia quæ, & quotuplicia, ib. n.15. alia necessaria, alia voluntaria, ib. num.16.
Juramentum ut sit validum, essentialiter debet esse liberum perse-

perfecte, cum intentione Deum invocandi, & se obligandi, non item implendi, f.192. n.17.
Juramentum ex errore, vel dolo, quando validum, quando non? ibid. a n.20.
Juramentum metu quovis extortum valet, & obligat, ib. n.23.
Juramentum etiam ob injuriam alterius factum obligat, f.193. nu.24. Unde non tantum captivus ad tempus ex carcere sub juramento reversionis dimissus, ib. a n.25. sed etiam, qui juravit Tyranno redire in injustum carcerem, præviso mortis periculo, redire tenetur, ibid. n.28.

Juramenti materia.

Juramentum ut valeat, debet esse de re honesta, ib. a n.31. unde materia juramenti quæ, & qualis, f.194. n.32. de re omnino indifferenti, qua *tali*, nullum est: ib. n.33. resolvuntur varii casus, vid. nullum esse juramentum, se ducturum uxorem, non daturum eleemosynam tali pauperi, non jejunaturum, non fidejussurum, non fore patrinum, non accessurum convivium &c. ibid. Item si jures multas orationes, jejunia, peregrinationes &c. cum detrimento obedientiæ, officii &c. ib. n.35.
Juramentum irrite factum nunquam convalescit; uti si contra votum castitatis, vel priora sponsalia, cum juramento promittas alteri: conjux, invito, vel ignorante altero conjuge, juret, vel voveat Religionem &c. nec eo mortuo, tenetur, f.194. n.36.
Juramentum promissorium factum homini acceptanti, vel absolute emissum in certi hominis, vel Ecclesiæ &c. utilitatem, in quavis materia licita obligat, nec propria auctoritate in aliud mutari potest ib. n.37. Qui tamen juravit puellæ matrimonium, licite ingreditur Religionem, ib. n.38. non tamen licite suscipit Ordines Sacros, ib.
Juramentum Parentum, Dominorum, Herarum &c. se filios, servos, ancillas &c. ita punituros, verberaturos, domo ejecturos &c. regulariter non sunt vera juramenta, f.195. n.39. sicut nec juramenta accusandi, vel non accusandi alterum; non prius sedendi, egrediendi, non pluris emendi, vendendi &c. ib. nu.41. Juramentum non propalandi artem distingui debet, ib. n.42.
Juramentum non ludendi quando, & qualiter obliget, ibid. a n.43. seqq. resolvuntur varia, ib. seq.
Juramentum de re illicita sub culpa prohibita nullum est, ib. n.48. quando leges aliquam actionem sub culpa prohibeant, f.196. n.49. Resolvuntur varia, ib.
Juramentum additum contractui per leges irritato, quando valeat quando non. ib. num.52.
Juramentum de re quidem licita, sed illicite, & peccaminose factum valet, f.196. n.54. sicut & juramentum factum ob malum finem, v.g. puellæ pro copia corporis, vel alteri, ut occidat, mutilet &c. inimicum tuum &c. ante impletionem rescindendum, re tamen impleta, valet, ib. n.55.
Juramentum contra leges, vel præceptum Superioris, v. g. donandi, vel aliud faciendi, quando valeat, quando non, ib. num.56.
Juramentum contra votum, vel aliud juramentum factum, & contrarians, irritum est, f.197. n.57.
Juramentum nimis prodigum v.g. sine ulla ratione donandi mille &c. an, & qualiter obliget, ib. n.58. Juramentum promissorium obligat sub mortali ex genere suo, ib. n.59.
Juramenti cujuslibet obligatio unde, quæ, & quotuplex, ib. n.60. quando obliget in foro externo, quando non, ib. n.62.
Juramenti promissorii obligatio propria, & principalis, ex virtute Religionis, personalis non transit ad hæredes, bene autem obligatio ex virtute justitiæ, ibid. n. 65. Casus varii, ibid. a n.66.
Juramenta stricte interpretanda, f. 198. n. 70. Exempla, & casus varii, ibid. n.71.
Juramentum nunquam censetur factum in præjudicium tertii, ibid. n. 73.

Juramenti conditiones.

Juramentum sortitur conditiones, & qualitates actus, cui adjicitur, ib. n. 74.
Juramenti promissorii cujuslibet conditiones sunt: *si potuero*, ib. n.76. *Salvo jure, & auctoritate Superioris*, ibid. n. 78. *si non remiserit sponte is, cui promisi*, f.199. n.79. seq. *si res in eodem statu permaneat*, ib. n. 81. seq. *& si alter quoque promissis steterit*, ib. n. 82. Exempla, ib. n.82.
Juramenti liciti conditiones sunt tres. I. ut fiat in *veritate*, II. in *justitia*, III. in *judicio*, f.200. a n. 89. seq. his suppositis est actus virtutis Religionis, ib. n.93. & seq. Quæ, & qualis veritas, & certitudo in juramentis, seu ad licite jurandum requiritur, ib. n.94. Juramentum amphibologicum, f.201. nu.99. seq. quando perjurium, quando non ibid. n. 104. Idem quando licitum, quando illicitum, ib. Quæ sit justa causa amphibologice jurandi, ib. n.102. Tres amphibologiæ species, ib. a n.101. prima, & secunda semper est vera, & sine mendacio, ib. a n. 104. Tertia vero semper cum mendacio, ideoque & juramentum ei additum, semper perjurium, f.202. nu. 110. quo sensu intelligendæ sunt tres propositiones damnatæ, f.203. n.112.
In judicio juridice, & legitime interrogatus, quando possit, vel non possit uti amphibologia, f.202. a n. 108. Interrogatus illegitime, quando possit, vel non possit uti amphibologia, f.204. a n.117. Interrogatus illegitime semper uti potest amphibologia primæ, vel secundæ speciei, ib. Quando quis censeatur illegitime urgeri ad jurandum, ibid. n.118. Resolvuntur casus varii, ib. a n.119.
Juramentum carens veritate, temerarium, incautum, &c. quale peccatum, f.205. n.127.
Juramentum omnino fictum, absque animo jurandi, quale, & quando peccatum, f.206. n.133. factum quidem cum intentione jurandi, non tamen se obligandi, nullum est, ib. n.134. Factum cum intentione, & jurandi, & obligandi se, sed non servandi, semper mortale, ib. n. 135.
Non implens rem juramento promissam qualiter peccet, ibid. nu. 136.
Juramentum carens *justitia*, seu de re, vel actione mala, & illicita, quando, & quale peccatum, f.207. n. 139. de opere, vel omissione indifferenti, vel opposito consiliis Evangelicis, per se veniale est, ib. n.144. Similiter juramentum alias verum, & de re licita, sine tamen judicio, discretione, & causa rationabili factum, per se veniale est, ibid. n. 146. Quæ, & qualis consuetudo jurandi constituat hominem in statu peccati mortalis, ideoque specialiter explicanda in confessione, fol. 208. n.148. An, & quando liceat, vel non liceat exigere, vel inducere alium ad jurandum, f.209. a n.157.

Laborare.

Laborare die Festo quæ sit pars notabilis, f.255.
Laborare die Festo quando peccatum mortale, quando non, ib. n.38. Feriatio, seu vacatio ob operibus servilibus debet esse religiosa, ib. n.40. durans toto die naturali, ib. n.41.
Quæ censeantur opera servilia, quæ non, f.256. n.42. non servilia licent, ib. n.43. qualia etiam sunt scribere, transcribere, pingere, & similia, ib. a n.44. & 45. Item licet etiam iter facere pedibus, equo, curru, navi &c. ib. nu.46. An, & quando venari, aucupari, piscari, bellare, sint opera servilia, ideoque prohibita die festo, vel non: ib. n. 47.
Causæ excusantes a feriatione quæ, f. 257. a nu. 49. seqq. Vide *Feriari*.
Labor quando, qualiter, & quos excuset a jejunio, f. 258. a n.57.

Latria.

Latria quid, f.154. a n.6. ejus cultu Deum adorare primo Præcepto obligamur, f.155. a num.11. *affirmative* quidem tempore, & modo a Deo, & Ecclesia determinatio, f.156. nu.12. *Negative* vero, ut nulli creaturæ tribuatur cultus divinus, sicut Deo, ib. nu.13. quod tanquam idololatria prohibetur primo Decalogi Præcepto, ib. n.14.

Liber hæreticus.

Liber hæreticus proprie quis dicatur, f. 116. n. 35. & 117. num. 38.
Librum hæreticorum legens, retinens, imprimens &c. mortaliter peccat, & excommunicatur, f.116. n.37. ubi, quisnam censeatur liber, f.117. n.39. Hæretici, ib. n. 38. hæresim continens, ib. n.40. aut de fide, vel Religione tractans, ib. n.41. Et qui censeantur legere, f.118. n.43. scienter, f.117. n.42. in quantitate sufficienti, f.118. n.44.
In Librorum hæreticorum lectione quæ sit materia parva, vel magna, f.68. n.28. & quæ in eorum retentione, ib.

Librorum prohibitorum.

Librorum prohibitorum tres Classes, f.119. n.48. ubi de eorum lectione.
Liberum a coactione, & necessitate quid, f.25. n.19.

Libertas.

Libertas exercitii, & specificationis, f.27. n.7.

Luxuria.

Luxuria quid, f.89. n.66.

Magia.

Magia quid, f.177. n.35. ars notoria mirifica quid, ib. a nu. 36.
Magiæ malitia unde, f.165. n. 7. ejus species duplex, alia cum pacto expresso, f.166. n.8. alia cum pacto implicito, vel tacito tantum, ib. a n.9.
Magiæ, divinationes, vanæ observantiæ omnes formaliter sunt per se ejusdem speciei, f.174. n.44. peccata mortalia gravissima, f.175. n.45. & ordinarie alias gravissimas peccatorum species adjunctas habent, ib. num. 46. tamen venialia fieri possunt quandoque ex imperfectione actus, ibid. num. 48.
Qualiter tales examinandi a Confessario, ib. n.47.

Maledicentia.

Maledicentia, seu imprecatio quale peccatum, f.140. n.11.

Maledicta.

Maledicta in homines, & alias creaturas, quando, & qualia peccata, f.181. a n.25.

Maleficium.

Maleficium quid, & quotuplex, f. 173. nu. 38. ejus solutio tripliciter fieri potest, & quando licite, ibid. n.39. seqq. quando illicite, f.174. n.43.
Quando a malefico, vel saga maleficii solutio peti possit licite, ib. a n.43.

Matrimonium.

Matrimonium contrahentes contra voluntatem parentum quando peccent, f.271. a n.24.
Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis sunt quidem valida,

da, mortaliter tamen illicita, f. 115. n. 32. nisi rationabilibus causis excusentur, ib. n.33.

Malitia moralis.

Malitia moralis actus humani quid, f.40. n.4.
Malitia Actus humani ex objecto, f.41. a n.6.
Malitia actus humani ex fine, f.42. a n.11.

Materia.

Materia Juramenti validi, quæ, & qualis esse debeat, fol. 194. n.32. vide *Juramentum*.
Materia voti, quæ, & qualis vide *Votum*.
Materiæ parvitas non datur in peccatis infinitam Dei perfectionem directe lædentibus, f.63. n.14. ut in peccatis contra virtutes Theologicas, ib. n.15. in peccatis contra virtutem Religionis directe in Dei injuriam vergentibus, f.64. n.16. Superstitione, ib. blasphemia formali, perjurio ib. & multis sacrilegiis, ib. in homicidio, ib. n. 17. in materia venerea directe voluntaria ib. n.18. bene vero in materia venerea indirecte tantum voluntaria, f.65. n.19.
Resolutio notabilis variorum casuum in praxi frequentium, 70.
Materiæ parvitas dari potest in omnibus peccatis bonum finitum divisibile lædentibus, f. 66. a n. 21. ut in violatione voti, & juramenti promissorii, ib. n.23. (non assertorii: nota disparitatem, ib.) Item in tertio præcepto Decalogi, celebratione, & auditione Missæ, feriis, Jejuniis, & generaliter in omni cultu divino, f. 67. n.24. in sacrilegiis realibus, & localibus, ib. n. 24. in læsione proximi, in bonis famæ, honoris, fortunæ, ib. n. 25.
Quæ sit materia gravis in furtis *absoluta*, ib. n.26. quæ gravis *respectiva*, f.68.
Materiæ quantitas, seu gravitas, & levitas, desumitur ex tribus, ib. n.27.
Quæ sit materia gravis in librorum hæreticorum lectione, ib. n.28. & eorum retentione, ib.
Quando sit materia levis in percussione Clerici, ib. & quando in aliis censuris, ac casibus reservatis, f. 69.
Regula generalis, quæ materia, vel pars censenda sit notabilis, ib. num.29. v. g. in Horis Canonicis, ib. in feriis, seu laborando die Festo, ib. in jejunio, & collatione, ib. in violatione voti, f.72.

Media superstitiosa.

Media superstitiosa quæ certo illicita, f. 171. nu. 30. quando dubia, quid judicandum, ib. n.31. Casus varii, f.172. n.32.

Medicus.

Medicus in dandis medicinis tenetur sequi sententias probabiliores, f.13. n.58.

Mendicantes.

Mendicantes qualiter dispensare possint in votis, fol. 240. n.45. vide *Voti dispensatio*.

Metus.

Metus, quid, ab intrinseco, & extrinseco, f.35. n.45.
Metus gravis, cadens in virum constantem, ib. n.46.
Metus levis cadens in virum inconstantem, ib.
Metus reverentialis, ib. n.48.
Metus non causat involuntarium simpliciter, f. 36. nu. 49. ideoque nec per se tollit actum bonum, ib. n.50. nec in toto excusat a peccato, ib. nu.51. nisi quando lex cessat obligare, ib. n.52.
Nullus omnino metus excusat in lege naturali quoad actiones intrinsece malas non cohonestabiles, f.37. bene quoad cohonestabiles, ib. sic metus vere gravis etiam per se excusare potest in transgressione legis divinæ positivæ, ib. & a fortiori in transgressione legum humanarum, f.38.
Metus, qua ratione excusat a culpa, eadem excusat a pena, f. 37. n. 53.
Metus non infirmat, vel invalidat promissiones, vota, contractus, ib. n.54. nisi sit gravis, injuste incussus ad extorquendum actum, ib. n.55.
Metus gravis injuste incussus ad extorquendum actum jure naturæ irritat contractus, & promissiones omnes, f. 38. n. 56. & vota omnia non jurata, ib. n. 57. non tamen invalidat juramenta, ibid. nu. 58. excepto Matrimonio, ibid. nu. 59.
Metus nullus invalidat juramentum, f.192.

Missa.

Missæ audiendæ obligatio, f.251. a n.7. exhibendo præsentiam moralem, f.252. n.8. Quando quis censeatur moraliter præsens, quando non, ib. n.8. non sufficit præsentia materialis tantum, & corporea, ibid. n.13. Sed requiritur religiosa, & devota, ib. n.14. Qualis requiratur intentio, & attentio audiendi Missam, ib. n.15. Audienda est Missa integra, f.253. n.19. Quando quis censeatur omittere partem notabilem, ideoque peccare mortaliter, quando non, ib. n.20. Non satisfacit præcepto, qui duas partes Missæ simul a diversis celebrantibus audit, ibid. n.23.
Qualis, & quo loco audienda sit Missa, ib. n.24. Causæ ab auditione Missæ excusantes sunt quatuor: *Impotentia: Charitas: Officium: & Consuetudo*, f.254. num. 25. Impotentia triplex: *Spiritualis: naturalis: moralis*. Qui excusentur spirituali, ib. n.26. qui naturali, ib. n.27. & qui morali, ib. n.28. Hæc quando adesse censeatur, ib. n. 29. An, & quando quis possit, vel non possit impedimentum ponere auditioni Missæ, v.g. suscipere iter, vel aliud negotium, ib. nu.30. Quando, & quos ab auditione Missæ excuset Charitas, f.255. n.33. Quando, & quos officium, ibid. n.34. & quos consuetudo, ib. n.35.
Missam audiens non recordans diei Dominicæ, vel obligationis satisfacit præcepto, f.252. n.15. immo etiam nolens ea auditione satisfacere, satisfacit tamen, ib.

Mors.

Mortem optare proximo qualiter, & quando liceat, f. 139. a num. 6.

Motiva.

Motiva credendi quæ, f.97. n.17.

Motus.

Motus deliberatus malæ affectionis, maledictum, murmur, &c. in Deum peccatum mortale, f.136. n.41.
Motus primo primi sine peccato, f.77. n. 11. motus secundo primi veniales tantum, ib. n.12. motus deliberate admissi, vel quæsiti in materia mortali, mortales sunt, f.78. n.13. sicut & pure permissi, ib. n. 14. Qualis in iis resistentia necessaria sit, ib. n.15.

Necessitas.

Necessitas triplex: extrema, gravis, & communis, f.281. nu.43. In qua necessitate proximi teneatur quis dare eleemosynam: casus varii, ibid. nu.50. & n.56.
Necessitas medii, & præcepti, f.98. n.1.
Necessitate medii in omni statu necessaria fuit aliqua fides supernaturalis, ibid. n.3. vide *V. Fides*.

Negare.

Negare fidem verbo, f.106. n.31. signo, ib. a n. 31. & facto, quando quis censeatur, f.105. n.29.

Nomen Dei.

Nomen Dei, Christi, Sanctorum &c. in vanum assumere, proferre, nominare &c. quale peccatum, fol. 186. seqq. Quinam dicatur nomen Dei in vanum assumere, ib.
Nomen Dei quando illicite assumatur, ib.

Obedire.

Obedire Parentibus &c. vide *V. Filii*, f.270.

Objectum Fidei.

Objectum Fidei materiale est omne, quod Fide creditur, f.95. n.7. ut verbum Dei immediatum, & mediatum, ib. a n.8. publicum, & privatum, scriptum, & traditum, ib.
Objectum Charitatis primarium, f.129. n. 11. secundarium, f.132. a n.20.
Objectum Spei materiale, f.120. n.3. formale, n.4.

Obligatio Fidei.

Obligatio Fidei quando per se, f. 102. a n. 18. quando per accidens, f.103. a nu.21.
Obligatio juramenti, f.197. a n. 59. seq. Quæ, quando, & qualiter transeat ad hæredes, f.198. n.69.
Obligatio jejunii, vide *jejunium*, f.260. a n.11.

Obscuritas.

Obscuritas Fidei, f.97. n.15.

Observatio.

Observatio vana quid, f.169. n.24. alia signa, qualiter peccaminosa, f.170. n.26. alia per preces, & characteres, ib. a n.26. quando illicita, ib. n.27.
Casus varii, f.171. n.28.
Alia fit per media innaturalia, quando illicita, ib. a n. 29.
In dubio, an signa, vel media sint naturalia, nec ne; quid judicandum, ib. a n.31.

Odium.

Odium Dei peccatorum omnium gravissimum, f. 136. a n.37. extreme quidem odium inimicitiæ, ib. n.39.
Odium abominationis, & inimicitiæ quid, ib. n.38.
Odium abominationis est peccatum levius odio inimicitiæ, semper tamen mortale, ib. n.40.
Odium proximi item duplex, abominationis, inimicitiæ, f.138. num.1.
Odium abominationis proximi quoad qualitatem indifferens est, ib. n.2. quoad personam vero semper mortale, ib. n.3.
Odium inimicitiæ proximi ex genere suo mortale, ibid. n.4. quando mortale, vel veniale in individuo, seu hic, & nunc: ibid.

Offensa quid.

Offensa quid, f.141. n.14.
Offensam remittere quid, ibid. n.17. vide supra V. *Inimicus*.

Offerre.

Offerre se Deo, f.128.

Opera.

Opera supererogatoria, & indifferentia in Ordine *Fratrum Minorum* præcipi possunt, f.48.
Opera servilia die festo prohibita quæ censeantur, quæ non, f.256. num.42.
Causæ excusantes a feriatione, f.257. a n.49. vide *V. Feriari*.

Opinio.

Opinio probabilis pro libito mutari non potest, f. 8. n. 35.
Intrinsece probabilem licet sequi, f.9. a n. 37. non vero extrinsece tantum probabilem, ib. n.38.
Opinio communis in praxi tuto sequenda, ib. n. 39. & ab ea recedendum non est, ib. n.40.
Opiniones oppositæ de eadem re ambæ probabiles, & practice veræ esse possunt, f.10. n.42. & ex iis minus probabilem sequi licet, ib. n. 43. etiam contra probabiliorem, ib. nu.44. & quandoque etiam quis debet, ut subditus, f.11. a n.46. Confessarius, & Judex, f.11. n.47.

Etiam

Etiam in articulo mortis opinionem probabilem sequi licet, f.12. num.50.
Opinionem minus probabilem sequi non licet, dum agitur de valore actus, ib. a n.51. ut Ministro Sacramentorum, ib. a n.53. Medico, & Chirurgo, f.13. a n.58. Judici in causis civilibus, ib.60. & Consiliariis Principis, vel Reipublicæ, f.14. a n.62.
Opinio alia probabilis speculative, alia practice, f.7. a n.31.
Optare.
Optare mortem proximo, qualiter, & quando liceat, f.139. a num.6.
Optare semper vivere, quale peccatum, f.137. n.45.
Orare.
Orare quando obligemur, f.159. num.23.
Orandus quis, f.150. a n.11. an etiam Sancti, & qualiter, ib. n.12. an etiam animæ in purgatorio, ib. n.13.
Quibus orandum sit, f.151. nu.14. an etiam Sancti, & animæ in purgatorio utiliter orent, ibid. n.16.
Pro quibus orandum, ib. a num.18.
Orandum, seu petendum quid in oratione, ibid. n.19.
Oratio.
Oratio actus Religionis, quid, f.150. nu. 8. quibus constet actibus, ib. n.10.
Oratio quotuplex, f.153. n.24.
Orationis efficacia quæ, & quanta, f.152. a n.20.
Oratio qualiter necessaria necessitate medii, ib. n.21. & necessitate præcepti, ib. n.22.
Ordo.
Ordo servandus in diligendo proximo qualis, f.288. a n.113. Post Deum, cæteris paribus, tenetur quis magis diligere se, quam proximum æqualem, ib. a n.116.
Ordo Charitatis quoad bona spiritualia, f.289. a num. 125. quoad bona temporalia, f.290. a n.130.
Inter proximos qui plus, vel prius diligendi, ib. a n.135.
Oscula.
Oscula qualia peccata, f.65. quomodo liceant solutis, f.85. num.40. quomodo sponsis, ib. num.41.
Paganismus.
PAganismus quid, f.109. a nu.9.
Parentes.
Parentibus obedire, vide V. *Filii*, f.270. a n.13.
Parentes graviter peccant, filios, vel filias ad Religionem compellentes, ibid. a n.19. vel ab ejus ingressu injuste impedientes, ib. n.21. sine justa causa ad matrimonium compellentes, f.271. n.23. vel e contra ab eo impedientes, ib. n.24.
Parentes debent filiis amorem, & educationem corporalem, & spiritualem, f.272. a n.38. seq. Quoad amorem tenentur eis benevelle, benefacere, & omne malum avertere, ib. n.39.
Quoad *educationem corporalem* debent eis providentiam vitæ, nihil agendo, quod vitæ, vel sanitati prolis conceptæ, vel jam natæ obesse possit (ubi quomodo in hoc peccent) ib. n.40. Item providentiam victus, seu alimenta, vestitum, instructionem in disciplina, vel honesta arte addiscenda, f.273. nu.41. Et providentia status in futurum, ib. n.42.
Quoad *educationem spiritualem* debent eis I. Doctrinam in rebus ad salutem necessariis. II. Exemplum, & III. Correptionem, ib. a n.43.
Quid teneatur Pater filiis illegitimis, & spuriis, ib. a n.47. Quid Mater, f.274. a n.52.
Passio.
Passio, sive *Concupiscentia*, f.39. a n.61.
Peccatum.
Peccatum indirecte voluntarium quando committatur, f.31. num. 25.
Peccatum quid, f.53. a n.1. quid ejus materiale, ib. nu.2. quid ejus formale, ib. nu.3. omne peccatum ultimate est contra legem Dei æternam, f.54. nu. 4. & consequenter contra ipsum Deum, ib. n.5.
Peccatum mortale continet aversionem a Deo, & ultimo fine *cujus, & cui*, ib. n.6. & conversionem ad creaturam, & ultimum finem *cujus, & cui*, ib. n.8. & ideo extrinsece, & objective recte dicitur infinitæ malitiæ, f.55. n.9.
Peccatorum distinctio specifica causaliter sumitur ab objectis formalibus, ib. n.11. formaliter a specifica distinctione rectitudinum, ib. n.12. ac etiam a diversitate specifica preceptorum, f.56. n.13.
Peccatorum unitas, vel distinctio numerica sumitur ab unitate, vel distinctione numerica actus, ib. n.15. physica in mere internis voluntarie interruptis, f.57. nu. 16. morali vero in externis, ib. n.17.
Unum numero peccatum sunt actus interni physice solum multiplicati ad unum externum directi, ib. n.19.
Item unum numero peccatum sunt plures actus externi ad eamdem peccati consummationem spectantes durante interno eodem, ib. n.19.
Unum etiam peccatum sunt plures actus interni, & externi ex natura sua ad unum principale ordinati, f.58. n.21.
Unum quoque peccatum est, quando peccatur circa actiones ex natura, vel institutione sua integratas ex pluribus actibus conjunctis, ib. n.22.
Peccatorum divisio varia, ib. n.23.
Peccatum commissionis, & omissionis, ib. n.24.
Peccatum puræ omissionis physice possibile, f.59. n.25. ordinarie fit cum actu positivo, ib. n.26. peccatum omissionis sua malitia inficit solos actus, qui sunt causa ejus, ib. n.27. non alios concomitantes, f.60. a n.28.
Peccata sunt inæqualia, ib. nu.1. Regulæ dignoscendi, quæ sint aliis graviora, ib.
Peccati mortalis, & venialis differentiæ veræ, f.61. num.5. differentiæ ambiguæ, ib. n.6.
Peccatum mortale fit veniale ex conscientia erronea, f. 62. n.10. ex causa excusante, f.63. a nu.11. ex imperfectione actus, ib. ex parvitate materiæ, ib. a n. 13.
In peccatis contra virtutes Theologicas non datur parvitas materiæ, ib. nu.15. nec in peccatis contra virtutem Religionis directe in Dei injuriam vergentibus, f.64. a n.16. ut in blasphemia formali, perjurio assertorio, ib. plerisque Sacrilegiis, ib. n.17. nec in materia venerea directe voluntaria, ib. nu. 18. bene vero in materia venerea indirecte tantum voluntaria, f.65. num.19.
Resolvuntur varii casus in praxi frequentes, f.65.
Peccatum veniale fit mortale ex fine, vel effectu malo, f.71. n.32. ex periculo, ib. n.33. ex scandalo, ib. nu. 34. ex contemptu, & ultimo fine, ib. n.35.
Peccatum veniale per se non potest prohiberi sub mortali, ib. n.36. bene autem per accidens, ib. n.37.
Peccata venialia multiplicata ad mortale disponunt, f.72. nu.38. sed ratione sui, seu solius multiplicationis mortale non evadunt sine morali connexione in materia, vel effectu aliquo, ib. n.39. sic venialiter tantum peccat quotidie per totum annum aliquot versus in Horis omittens, vota parva quotidie expiranti a &c. ib. n.41. licet quis talia una intentione principali intendat sic facere per totum tempus, f.73. n.42.
Qui vult omnia venialia committere, peccat venialiter tantum, ib. nu.43.
Peccata venialia ob connexionem in materia, vel effectu mortale efficiunt, ib. n.44. exemplicatur in furtis minutis continuatis, ib. n.45.
Peccatum formaliter primario esse potest in sola voluntate, f.76. n.2. in aliis potentiis secundario, ib. n.5.
Peccatum cordis, oris, & operis, ib. a n.6. processus practicus ad peccatum internum, f.77. n.8.
Peccatum ex ignorantia, & infirmitate, f.86. a n.47.
Peccatum ex certa malitia, ib. n.49.
Peccata capitalia, f.89. a n.63.
Peccatum ex contemptu, f.87. n.56.
Peccatum contra naturam, f.89. n.66.
Peccatum ex consuetudine, f.87. a n.51.
Perjurium.
Perjurium quid, quotuplex, f.205. n.126. Perjurium, seu juramentum assertorium carens veritate semper est peccatum mortale, ib. n.128. & ordinarie juramentum temerarium rei dubiæ, & incertæ, ibid. n.130.
Pertinax.
Pertinax hæreticus quando quis dicatur, f.111. n.16.
Ad pertinaciam quæ requirantur, ib.
Pertinaciæ gradus, ibid. n.17.
Phisiognomia.
Physiognomia alia naturalis, & alia superstitiosa, fol. 168. num. 17.
Pietas, & Obligatio.
Pietas, & obligatio erga Majores, & collaterales, fol.275. num. 62.
Pietas quos, quando, & qualiter excuset a jejunio, f.267. a num. 62.
Pœnæ.
Pœnæ excommunicationi hæreticorum annexæ, f. 114. n.25.
Pœnitens.
Pœnitens ignorans Articulos Fidei necessarios absolvi non potest, f.101. a n.15. quomodo cum tali agendum Confessario, ibid.
Pœnitens erroneus in quibus, & quando monendus, f.6. a n.25.
Præcepta.
Præcepta affirmativa, & negativa, f.93.
Præceptum primum Decalogi quid sub se comprehendat, ib.
Præceptum Spei quale, f.121. num.9. quando, & qualiter obliget, ib. a n.10.
Præceptum Charitatis quomodo obliget, f.133. n.27. quando per accidens, f.134. nu.30. quando per se, ib. nu.31. vide supra V. *Charitas*.
Præcepti secundi Decalogi explicatio, f.186. ejus substantia in quo consistat, ib.
Præcepti tertii explicatio, f.250. seq.
Præcepti quarti explicatio, f.268. seqq.
Præsentia ad Missam.
Præsentia ad Missam qualis requiratur, f.252. a nu.8. quando quis censeatur moraliter præsens, ib. & seq. vide *Missam*.
Privilegiati.
Privilegiati, seu Confessarii Mendicantes qualiter dispensare possint in votis, & in quibus, f.217. a n.54.
Professio.
Professio dubia ob metum, n.7.
Proposita.
Proposita mala absoluta, conditionata, vide *Desideria*. f.79.
Prudentia.
Prudentia, quid, f.2. nu.4.

Pra-

Præsumptio.
Præsumptio quid, & quale peccatum, f.123. a n.17.
Proximus.
Proximus noster est omnis creatura rationalis nobiscum beatitudinis capax, f.132. a n.20.
Proximus quomodo diligendus propter Deum, ibid. nu. 23. amore amicitiæ tripliciter, ib. n.24.
Proximo velle malum, quando, quale peccatum, f.139. a n.5.
Proximo mortem optare qualiter, & quando liceat, ib. a n.6.
Quale peccatum semper in hac vita velle manere, f.137. nu.45.
Raptus.
Raptus quid, f.90.
Reconciliatio.
Reconciliatio qualiter facienda cum inimico *a te* offenso, f.145. a num.36. vel e contra cum eo, qui *te* offendit, ibid. num.41. seq.
Quando inimici teneantur se reconciliare, f.146. a n.46.
Refectio.
Refectio unica ad jejunium Ecclesiasticum requisita, f. 260. num.12. debet esse moraliter continuata, nisi paupertas, officium, vel necessitas excuset, ibid. num. 13. Obligatio unius refectionis est sub mortali ex genere suo, f. 261. nu.17. seq. Qui sæpius in die reficitur, probabiliter tantum semel peccat mortaliter in prima, scilicet, iterata refectione, ibid. nu.18. Hora refectionis modo est meridies, seu undecima, ibid. num. 19. quæ de essentia jejunii Ecclesiastici non est, uti est abstinentia a carnibus, & unica refectio, f.262. n. 21. seq. & ideo ex justa causa mutari potest, ib. sine justa causa eam mutare, vel notabiliter anticipare mortale esse volunt aliqui, ib. n. 22. seqq. sed probabiliter solum veniale est, ib. n.23.
Regulæ.
Regulæ cognoscendi, quando plures actus sint unum numero peccatum, f.57. a n.19.
Regulæ intrinsecæ distinguendi peccatum mortale, & veniale, f.61. a nu.6.
Regulæ extrinsecæ ea distinguendi, f.62. a n.8.
Regula notanda Confessariis inimicorum, f.146. n.47.
Religio.
Religio quid, f.149. a n.1. ejus objectum materiale, & formale, ibid. n.4. ejus actus, ib. n.6.
Reliquiæ Sacræ.
Reliquiæ Sacræ quid, f.162. n.32. Sancte honorantur, ibid. n.33. cultu respectivo, f.163. n.34.
Objectiones hæreticorum, ibid. a num.36. solvuntur, ibid. num. 37.
Remedium.
Remedium contra scrupulos, f.26. n.108.
Reservatio.
Reservatio, seu reservatum votum, vide *Votorum dispensatio.*
Reservatio, seu restrictio mentalis, f.201. a nu.99. vide *Juramenti conditiones.*
Resolutio.
Resolutio Fidei, f.98. num.18.
Restitutio.
Restitutio quid, f.141. n.16.
Res Sacræ.
Res Sacræ quæ, f.181. num.26.
Sacrilegium.
Sacrilegium quid, f.181. n.26. aliud personale, ib. a n.27. aliud locale, ib. nu.28. quot modis committi possit, ib. aliud reale, f.182. n.29. varie fieri potest, ib. a n.30.
Res sacras *indigne* tractando, ibid. & *injuste* usurpando, fol. 183. a num.31.
Sacrum.
Sacrum, vide *Missam.*
Saga.
Saga confitens se plures infantes baptizasse in nomine diaboli, fol.290. num.129.
Satisfactio.
Satisfactio, quid, f.141.
Scandalum.
Scandalum veniale, reddit mortale, f.86.
Scientia.
Scientia moralis, quid, f.1. num.3.
Scrupulus.
Scrupulus quid, f.71. nu.34. contra scrupulum proprie dictum immediate, & directe agendum, fol. 26. num. 106. contra scrupulum vero improprie dictum, agendum est mediate, ib.
Scrupulosorum remedium, ib. num.108.
Scrupulus scrupulosorum, ib. num. 109.
Signa.
Signa Charitatis exhibenda inimico quæ, f. 142. a num. 21. vide *Inimicus.*
Signa superstitiosa, f.170. a n. 25. per preces, & characteres, quando illicita, quando non, ibid. num.26. quid in dubio, f.171. a nu.30.
Signa semiplenæ deliberationis, f.63. a n. 11. signa semipleni tantum consensus, ib.
Simonia.
Simonia quid, f.183. num. 33. quæ ejus res, vel materia, circa quam, ib. n.34.
Quale debeat esse pretium, & pactum, ut Simonia committatur, ib. n.35. Quæ jure divino, ib. n. 37. quæ humano prohibita, f.184. n.38.
Simonia mentalis, ib. n.39. conventionalis, ibid. num. 40. realis, ib. n.41. & confidentialis quid, n.42.
Simonia cum pretio, vel munere *a manu*, nu.43. *a lingua*, n.44. & *ab obsequio*, nu. 45. quid, & quando committatur, ib. num.46.
Simoniace accepta an, & cui restitui debeant, f.185. n.47.
Solutio maleficii.
Solutio maleficii quomodo, & qualiter fieri possit, f. 173. a nu.39. vide *Maleficium.*
Sortes.
Sortes divisoriæ quid, f.169. a n.21.
Sortes consultivæ, ibid. n.22.
Sortes divinatoriæ, semper illicitæ, ib. n.23.
Spes.
Spei habitualis, & actualis definitio, f.119. a n.1.
Spei objectum materiale, f.120. n. 3. formale, ib. n.4. ejus actus varii, ib. a nu.5.
Spei Theologicæ necessitas, & obligatio, f.121. n. 8. quando, & qualiter quis ad ejus actum obligetur, ib. a n.10.
Subditus.
Subditi ad quid ex quarto Precepto obligentur suis Superioribus Spiritualibus, f.276. n.73. & temporalibus, & hi e contra Subditis, ib. n.74. quid famuli, & ancillæ Dominis &c. ib. n.75. quid Discipuli Magistris, & hi contra illis, ib. n.76.
Subditus dubitans an teneatur obedire, f.23. n.95.
Subjectum.
Subjectum peccati primarium est voluntas, f.76. n.2.
Superbia.
Superbia quid, quando, & quale peccatum, f.89. n.64.
Superstitio.
In superstitionibus per se non datur parvitas materiæ, nisi ex levitate, vel imperfectione actus, f.66. num. 22. Vide *Magia*, & *vana observantia.*
Stuprum.
Stuprum quid, f.90. n.66.
Symbolum.
Symbola Fidei quid, & quot, f. 121. num. 10. Signa Fidei negationem significantia quæ, f.115. a nu.32. seqq. Vide *Negare Fidem.*
Synderesis.
Synderesis quid, f.1. num.2.
Tacens.
Tacens consentire videtur, quando verum, f.31. a n.27.
Tentatio.
Tentatio Dei quid, f.177. a num.6.
Alia est formalis, ib. a num.7.
Alia interpretativa, ib.
Formalis semper est peccatum mortale, ibid. nu. 8. a quo tamen sæpe excusatur interpretativa, ib. n.10.
Verbum.
Verbum Dei immediatum, & mediatum, f.95. a n.8. Scriptum & traditum, ib. nu.9.
Violentia.
Violentia, violentum, quid, f.34. a num.40.
Violentum in actibus voluntatis elicitis non tollit voluntarium ib. a n.41. in imperatis autem tollit omne voluntarium, f.35. n.43. ideoque & omnem culpam, ib. n.44.
Virtus.
Virtus generaliter quid, f.94. n.2.
Alia naturalis, & philosophica, alia supernaturalis, & Theologica, ib.
Voluntas.
Voluntas humana quomodo, & quando conformanda cum voluntate divina, f.52. a nu.51.
Voluntarium.
Voluntarium, & volitum quid, f.29. a n.14. imperfectum, & spontaneum, ib. n.15.
Voluntarium perfectum, & liberum, ib. a n.16.
Voluntarium elicitum, & imperatum, f.30. n.20.
Voluntarium actuale, ib. num. 21. virtuale, ib. habituale, ibid.
Voluntarium directe, & indirecte, ib. n.23.
Ut aliquid sit alicui voluntarium indirecte, & imputabile, quæ requirantur, ib. nu.24.
Peccatum indirecte voluntarium quando committatur, f.31. num. 25.
Voluntarium expressum, & tacitum, ib. n.26.
Votum.
Votum est promissio deliberate facta Deo de meliori bono, f.211. n.2. essentialiter debet esse promissio, ideoque voluntas promittendi, & se obligandi essentialiter voto, ib. num.3. itaque verba voti sine tali animo prolata non sunt votum, ibid. n.4. Si proferens verba habet quidem voluntatem promittendi, ignorat autem voto annexam esse obligationem, non facit votum, ib. secus si id sciat, ib. nu.5. Si vovens habet voluntatem promittendi, & obligandi, non tamen implendi, votum adhuc valet, ibid. n.7. ideoque ad votum validum requiritur intentio promittendi, & se obligandi, ib. n.10. non quidem necessario actualis explicita, ibid. seqq. sed sufficit actualis implicita, ib. nu. 11. immo virtualis, ib. num.12.

non

non tamen habitualis, f.212. n.13. minus interpretativa, & indirecta tantum, ib. nu.14. in dubio de intentione quid præsumendum, ib. a num.15.

Voti promissio debet esse perfecte *deliberata*, ibid. num. 20. Unde invalidum est votum emissum ex motibus primo, vel secundo primis, ib. n.22. In dubio deliberationis sufficientis quid judicandum, ib. n.23.

Votum essentialiter debet esse promissio *Voluntaria*, f. 213. n.25. Unde irritum est omne votum factum ex ignorantia, errore, vel dolo versante circa substantiam rei promissæ, ib. n.26. Secus, si ignorantia &c. versetur solum circa accidentia, ibid. n.27.

Quid de votis metu extortis, ib. nu.29.

Votum essentialiter debet esse promissio *facta Deo*, f.214. n.30. ita ut B.Virgini, & Sanctis fieri non possit absolute, & in se, sed ut relatis ad Deum, ib. a nu. 31. qualiter de hoc examinandi pœnitentes, ibid. nu. 33. in dubio præsumuntur vovisse ipsi Deo, ib. n.34.

Vota dubia an sint emissa, f.19. N. II.

Vota dubia quoad deliberationem, & intentionem se obligandi, ib. num.3.

Vota dubia quoad ætatem legitimam, ib.

Vota, vel juramenta dubia quoad impletionem, fol. 20. a num. 85.

Vota dubia quoad quantitatem obligationis, vel rei promissæ, f.21. num.89.

Vota dubia quoad castitatem, ib.

In votis quæ censeatur materia parva, f.70.

Vota parva quotidiana omittens, quomodo peccet, f.72. n.41.

Voti materia.

Voti materia debet esse *possibilis* voventi, f. 214. n.36. hinc invalidum est votum nunquam peccandi, etiam venialiter: ib. n.37. valet tamen votum vitandi omnia mortalia, & certa venialia, f.215. n.38. Invalidum etiam est votum de facto alieno, ut alieno, ib. n.40. Unde filii non obligantur votis parentum pro se factis, ibid. n.42.

Voti materia debet esse res *moraliter bona*, ib. nu. 43. Unde invalidum est votum de re quantumvis bona, factum ob finem malum, afficientem ipsam rem, seu executionem voti, ib. n.46. valet autem, si is afficiat solum ipsum votum, seu voventem, non ipsam rem, ut v. gr. est vana gloria &c. f.216. n.47. Exempla varia, ib. nu.48.

Votum pro re illicita impetranda a Deo, vel jam impetrata gratias agendi, quando valeat, quando non, ibid. a n.49.

Votum de re indifferenti *qua tali*, ut non spuendi in Ecclesia: non nendi in Sabbato; non vescendi capita animalium, &c. in honorem S.Joannis &c. invalidum est, nisi ex fine, vel alia circumstantia bonum evadat, ibid. n.51. Ideoque materia voti debet esse de *meliori bono*, f.217. nu.52. hoc est, de re bona, & Deo grata, ibid. Unde invalida sunt vota omittendi opera de consilio, v.g. non ingrediendi Religionem, non jejunandi, non dandi eleemosynam certæ personæ, non fidejubendi, non mutuandi &c. ibid. n.54. At quid de votis ludendi, vel non ludendi honeste, comedendi, vel non comedendi moderate, non vovendi passim, ib. nu. 55. non bibendi vinum, procurandi, vel non procurandi, suscipiendi, vel non suscipiendi, Episcopatum, Prælaturam, vel aliam dignitatem, ib. nu.57.

Votum Matrimonii, seu nubendi, quando valeat, quando non, f.218. num.58.

Votum continentiæ, & castitatis, etiam simplex, juxta communem, valet, esto voventi ob continuas tentationes, & lapsus melior esset status Matrimonii, ibid. nu.63. Resolvuntur duo casus, in quibus votum continentiæ ob tales tentationes videtur non valere, ib. a n.64.

In materia mixta votum valet quoad partem disparatam. Ut si una pars voti independenter ab alia promissa, fiat inepta, impossibilis, vel minus bona, votum adhuc obligat ad partem aptam, & possibilem, ib. n.67. Exempla varia, ib. si vero partes voti promissæ sunt copulatim per modum unius, tunc si una pars fiat inepta, impossibilis, &c. corruit totum votum, f.219. n.68. Exempla varia, ib. & seq. V. regula juris *accessorium sequitur principale*, variis exemplis, & casibus explicatur, ib. nu.69. An res divisim, vel copulatim promissa sit, inspicienda est intentio voventis, aut ipsa natura materiæ, & in dubio favendum voventi, ib. n.70. Casus varii notabiles, ib. Resolvuntur varia dubia circa vota simul incompossibilia, quæ simul servari non possunt, f.220. a nu.71.

An materia voti, in toto, vel in parte sit apta, nec ne, non est dijudicandum ex tempore, quo votum emittitur, sed ex tempore, pro *quo* emittitur, ib. n.75. & 76. Quando materia a principio fuit inepta in toto, vel in parte, utpote impossibilis, illicita, minus bona, esto postea fiat apta, votum tamen manet irritum, ib. At quid, si materia voti a principio fuit apta, & postea inepta, impossibilis &c. evadat, ib. num.77.

Quid in dubio de materia voti, ib. nu.78.

Executio voti rite facta semper duplici bonitate prædita est, f.221. a num.79.

Voti obligatio, & interpretatio.

Votum rite factum obligat ad sui impletionem sub mortali ex genere suo, f.221. n.82. ratione tamen materiæ sæpius solum sub veniali, ib. n.83. Ubi semper principaliter attendenda est intentio voventis, & deinde materia, f.222. n.85. Quando censeatur res gravis, quando levis, ib. n.86. applicatio ad casus, ib. n.87. Potest quis se obligare ad rem gravem sub veniali tantum, ib. n.88. pariter potest quis se obligare ad rem alias sub mortali debitam, ib. Ad rem ex se, & ex circumstantiis levem non potest se vovens obligare sub mortali, ib. n.88. In dubio an obligatio voti sit gravis, vel levis, interpretatio semper stricte facienda est, habita ratione materiæ, & verborum, ib. n.90. Casus varii, ib. Quando autem nec ex intentione, nec ex forma verborum, nec ex natura materiæ constat, qualiter votum obliget, observandum est, ac si lex Ecclesiastica illam rem præciperet, ibid. n.92. in dubium autem, omnibus consideratis, & nullo obstante, favendum est voventi, fol.223. n.95. Exempla, & Casus varii, ib. a nu.96. Quid de eo qui vovit rem aliquam indeterminate, dubitat vero in qua quantitate, qualitate, & numero, ib. n.98.

Qui ex voto tenetur peregrinari ad certum locum, satisfacit, si illuc proficiscatur simul ex alia causa, ibid. n.99.

Quando tempus voto præfixum, ita determinatum est ratione ipsiusmet temporis, ob ejus scilicet specialem devotionem, censetur præfixum ad finiendam obligationem, fol. 224. nu.101. Exempla varia præsertim in peregrinatione, & jejunio, ib. a nu.102.

Quando tempus censeatur voto præfixum non ad finiendam, sed solum ad non differendam obligationem, ib. n.106. Afferuntur exempla, & dubia varia resolvuntur, ib. a n.107.

Quid in dubio, an vovens determinaverit tempus ad finiendam, vel solum differendam obligationem, f.225. n.109.

Vota emissa absque omni certo tempore præfixo obligant ad sui impletionem tempore proxime commodo, & opportuno, seu quamprimum sine notabili incommodo fieri potest, ib. num.111.

Referuntur varii casus, quando liceat, vel non liceat differre impletionem voti, ib. n.112. In votis obsequium temporale solum continentibus, dilatio quæcumque sine alio incommodo, probabiliter solum venialis, ibid. n.116. Secus dicendum in votis perpetuum Dei obsequium continentibus, ib. num.117.

Votum personale, reale, mixtum, f.226. n.118.

Voti obligatio est simpliciter personalis, ib. n.120. Unde voluntarie in se suscipiens obligationem exequendi votum alterius, non obligatur ex vi voti, ib. n.121. sed communiter ex virtute fidelitatis, ib. n.122. sub mortali, vel veniali, prout intendit eam suscipere, ib. nu. 123. Nullus per se directe vovere potest factum alterius, ib. n.124.

Obligatio voti personalis ita personalis est, & ipsius voventis, ut nullatenus satisfieri possit per alium, ibid. n.125. Unde, qui illud per se ipsum, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, implere nequit, non tenetur substituere alium, ib. n. 126. nec ejus obligatio transit ad hæredes, ib. nu.127. nisi vovens expresserit per alium satisfacere, ib.

E contra obligatio voti realis, quoad ministerium saltem (etsi non quoad substantiam rei promissæ) etiam per alium impleri potest, f.227. n.129. & ad hæredes transit, ib. n.132. circa quos aliqua notantur, ib. n.133.

Quæ, & qualis sit obligatio votorum mixtorum, ibid. a num. 134.

Votorum divisio, & violatio.

Votorum divisio varia est, in temporale, perpetuum, simplex, solemne, absolutum, conditionatum, pœnale, &c. f.228. n.138. Conditionatum obligationem imperfectam, & suspensam parit, utpote pendentem ab eventu futuro in conditione apposito, ib. n.140. Perficitur autem, & absolvitur, posita, seu impleta conditione, ibid. nu. 141. quam tamen, nisi aliunde peccatum sit, licite impedit vovens seclusa vi, vel fraude, f.229. n.142. cum qua vi, vel fraude probabiliter etiam cessat obligatio voti, ib. nu.144. tamen æque probabiliter non cessat, ib. a nu.146. in quo semper accurate exploranda est intentio voventis; nam re adhuc integra, tenetur non impedire conditionem, ib. n.143. & hinc qualiter intelligenda sit illa conditio, v. gr. *si patri placuerit* &c. ibid. nu.150.

Votum pœnale quid, & quotuplex, f.230. n.151. Si in voto pœnali opus principale illicitum, vel impossibile fiat, aut ejus obligatio dispensetur, eo ipso ruit etiam obligatio pœnæ, ib. n.152. Ignorantia, vel oblivio excusans a culpa, excusat etiam a pœna, ibid. num. 154. Votum, si blasphemavero, me inebriavero &c. *dabo, faciam hoc, vel illud &c.* ordinarie intelligitur, toties quoties, ib. n. 155.

Ad quid, & qualiter teneatur, qui vovit aliquam Religionem generatim, & indeterminate, ibid. num.156. Potest eligere quamlibet minus strictam, ib. n.157.

Ad quid teneatur, qui vovit aliquam Religionem, vel Monasterium determinate, ib. n.161.

Quando licite possit, vel non possit, etiam jam professus exire, & intrare aliam Religionem, f.231. n.162. Dubius an voverit solum ingressum, & probationem, an vero etiam professionem in Religione, præsumere potest, te tantum vovisse ingressum, ib. ubi quædam notantur, ib.

Voti violatio.

Quale peccatum sit vovere aliquid inconsiderate sine intentione promittendi, se obligandi, vel implendi, ib. n.164.

Qua-

Qualiter peccet vovens rem malam, impossibilem, & indifferentem, f.232. num.167.
Quale peccatum transgressio, & dilatio voti, ac de voto emisso pœnitere, ib. a n.170.
In confessione votorum violatorum opus non est explicare eorum materiam, nisi ea aliunde præcepta, vel prohibita sit, ib. num.173.
Licet votum Castitatis simplex, solemne, & Sacri Ordinis, sint ejusdem speciei, tamen in confessione probabilius exprimi debet votum solemne, ibid. n.175.

Votorum, ac juramentorum deobligatio.

Quadrupliciter fieri potest: I. *Extinctione*. II. *Irritatione*. III. *Dispensatione*, ac IV. *Commutatione*, ibid.

Votorum extinctio.

Obligatio votorum, ac juramentorum extinguitur, I. ablatione, vel mutatione notabili ipsius materiæ, ib. nu.2. Ubi quando talis. II. aut finis principalis voti, f.233. n.3. III. aut Circumstantiæ per se principaliter intentæ, ib. nu.4. IV. alterius æquivalentis ex improviso accidentis, seu impedimenti supervenientis, ib. nu.5. talis autem mutatio, vel impedimentum occurrens debet esse quid notabile se tenens ex parte materiæ, non voventis tantum, ibid. nu. 6. unde nullum incommodum, vel periculum, etiam mortis, liberat ab obligatione voti, si id fuit prævisum, ib. n.7. Si tamen talis mutatio, vel impedimentum sit perpetuum, obligatio omnino extinguitur: secus si temporale tantum, ibid. num. 8.

Votorum irritatio.

Triplex: *Intrinseca de jure naturali: Extrinseca de jure humano communi: Extrinseca de jure personali*, f.234. a n.9.
Irritatio voti, vel juramenti, est obligationis ablatio, &c. ibid. num.12.
Omnia vota Religiosorum, etiam Prælato non præjudicantia irrita esse volebant Antiqui, ib. n.13. Sed verius, illa tantum vota eorum simplicia invalida sunt, quæ Superiorum præceptis, constitutionibus, monasticæ disciplinæ præjudicant, ib. nu.14. non vero alia non sic præjudicantia, ib. n.15. Ea tamen Prælatus, seu Superior, etiam localis, per se directe irritare potest, f.235. n.16. Excepto voto ingrediendi strictiorem Religionem, ibid. n. 17. tamen *Religiosorum* solum, scilicet sibi actu vi obedientiæ subditorum vota talia irritare potest Superior, non Novitiorum, aut Suorum ante professionem emissa, ib. num.18. Vota filiorum, & Clientum, ib. nu.19. Quinam dicantur impuberes, minores, minorennes, ib.
Omnia vota impuberum per se directe irritari possunt a Patre, vel tutore, ib. n.20. etiam post annos pubertatis, si pubes factus ea non confirmavit, vel ratificavit, fol. 236. nu.2 . Vota vero filiorum post pubertatem emissa illa solum a Patre irritari possunt, quæ ei in familiæ administratione præjudicant, ibid. num.23.
Quæ patria potestas irritandi vota filiorum impuberum in defectu Patris extenditur etiam ad Tutorem, Curatorem, Avum, & in horum defectu, etiam ad Matrem, ib.n.24.
Quæ, & qualiter vota Uxoris irritari possint a marito, ib. a n.25. & e contra mariti ab uxore, ib. n.27. Maritus non potest irritare votum uxoris de non petendo debito, bene vero uxor quandoque votum tale mariti, f.237. n.29.
Quæ vota servorum, & qualiter irritari possint a Dominis, ibid. num.30.
Quilibet habens potestatem irritandi vota, eadem denuo irritare potest etiam post jam prius datam licentiam vovendi, ib. n.31. immo etiamsi licentiam vovendi dederit cum expressa promissione non irritandi vota permissa, ib.n.32. & seqq. peccat tamen, saltem venialiter, talis, si licentiam taliter datam sine causa revocet, f.238. nu.33.
Quæ vota semel irritata, postquam vovens liberatus est a potestate irritantis, reviviscant, quæ non, ibid. n.35.
Habens potestatem irritandi vota, quæ, & qualiter etiam possit irritare juramenta alterius sibi subjecti, ib. n.36.

Votorum dispensatio.

Dispensatio voti, & relaxatio juramenti quid, f.239. nu.37. Ad validam voti dispensationem requiritur justa, & rationabilis causa, ib. a n. 38. Causæ legitimæ dispensandi vota, ib. a n. 37. Quatuor regulæ dispensanti observandæ, ib. a n.43. Quid in dubio an causa sit sufficiens, nec ne, f.240. num.45.
Datur potestas dispendandi, ib. n.47. & quidem *ordinaria* respectu omnium fidelium in omnibus omnino votis in Summo Pontifice, ut universali Pastore, ib. n. 48. ac pariter etiam *ordinaria* in Episcopis respectu suorum Diœcesanorum dispensandi in omnibus votis Pontifici non reservatis, ib. n.49. Sicut & Prælati Regulares Exempti: ut Generales, Provinciales, Abbates, & Præpositi absoluti ordinariam potestatem habent dispensandi in omnibus suorum subditorum votis Papæ non reservatis, ib. n. 50. non ita Prælati non Exempti, ib. n.51.
Cum quibus, & qualiter dispensare possint habentes potestatem delegatam, ibid. n.53.
In quibus, & qualiter dispensare possint Privilegiati, seu Confessarii Mendicantes, f.241. n. 54.
Vota Papæ reservata de facto sunt quinque. I. *Votum Religionis*. II. *Castitatis integræ, seu perpetuæ*. III. *Peregrinationis ad S. Sepulchrum*. IV. *Romanæ ad limina Apostolorum Petri, & Pauli*, & V. *Compostellanæ ad S. Jacobum*, ib. nu.56. quorum reservatio cum sit odiosa, stricte interpretanda est, ib. nu. 57. ut nunc solum reservata censeantur, si sint vota proprie dicta, hoc est, *Deo facta*: ibid. nu.58. & si sint *perfecta*, fol. 242. num. 59. *determinata*, ibid. num.60. & *absoluta*, ibid. num. 62. Unde reservata non sunt, si sint pœnalia, vel solum conditionata, ibid. a num. 63. Resolvuntur casus varii, ibid. a num. 67.
Quando in prædictis votis Pontifici reservatis dispensare possit Episcopus urgente necessitate, fol. 243. a nu. 71. Votum emissum, & dispensandum post Matrimonium, ibid. num. 75.
Quis dispensare possit in voto Castitatis emisso post Matrimonium jam contractum, ib. num.76.

Votorum commutatio.

Est translatio obligationis ab una materia in aliam, f. 244. num.80. eaque in opus manifeste melius licite, & sancte fieri potest ab ipsomet vovente, ib. num.81. An vero in æquale ab ipsomet vovente fieri possit, utrumque probabile est, ibid. num. 82. In opus autem minus, necessario fieri debet ab alio potestatem habente, ibid. num. 83. quam habet quisquis dispensandi. Ut Pontifex respectu omnium: Episcopus, Prælati Exempti respectu suorum, f.245. n.85. ac etiam Confessarii Privilegiati, seu Mendicantes, ib. num.86.
Quæcumque autem vota, & qua ratione reservata sunt Pontifici quoad dispensationem, eadem ratione ei reservata sunt quoad commutationem, ibid. num. 87. & e contra quacumque ratione eorum dispensatio cessat esse reservata, eadem cessabit esse reservata commutatio, ibid. num. 88.
Qui voti sui commutationem in Jubilæo a se obtento noluit, aut oblitus est petere, potest eam petere vi illius etiam post plures annos a quovis Confessario tunc approbato, ib. a num.89.
Confessarius in Jubilæo potest voti commutationem differre in aliud tempus, ibid. nu.93.
Qua ratione potestas dispensandi vota extenditur ad juramenta pia, eadem potestas commutandi vota extenditur ad eadem juramenta pia, & vota jurata: Ubi, a quo, quando, & quæ juramenta pia commutari possint, late exemplificatur, f.246. num.94.
Quæcumque vota, vel juramenta in præjudicium tertii dispensari non possunt, nec etiam ordinarie commutari possunt, ibid. num. 102. Excipiuntur, & resolvuntur casus varii valde notabiles, f.247. n.104.
An, quando, & qualis requiratur causa commutandi vota, f.248. a num.115.
Corollarium, ibid. num.120.
Modus, & regula commutandi vota, f.249. num.121.
Qualiter, & in quid, seu in quæ opera vota commutari debeant, ib. a num.122.
Exempla Authentica commutationum votorum, ibid. num. 126. Observationes corollariæ, & casus varii, fol. 250. a num.134.

Ad Majorem Dei, Deiparæque Virginis MARIÆ Honorem, & Gloriam.